R.P. HYACINTI DONATI, LAYNENSIS, ... RERUM REGULARIUM...

Giacinto Donato



R. P. HYACINTI DONATI, LAYNENSIS.
ORD. FRAT. PRÆDICATORUM, SAC. THEOL. MAG. AC U. J. D.

Quondam in Generali Studio Sancti Dominici Civitatis Cosentiæ Regente, ac utriusque Provinciæ Calabriæ Provinciali,

RERUM REGULARIUM PRAXIS RESOLUTORIA;

IN QUATUOR TOMOS DISTRIBUTA.

IN QUIBUS OMNES ET SINGULÆ MATERIÆ, QUÆ IN REBUS Regularibus occurrere possunt, sub diversis Tractatibus succinctè ac dilucidè proponuntur, resolvuntur, ac deciduntur.


Opus nedum Prælatis Regularibus, illorumque subditis, Ecclesiasticis, cæterisque Ordinum Superioribus; verùm etiam causarum Patronis, omnibusque Judicibus in utroque foro versantibus utilissimum, imo maximè necessarium:

Accedunt duo Indices locupletissimi Tractatuum & Quæstionum, Rerumque omnium notabilium.

TOMUS TERTIUS,



Cujus Tractatuum Elenchum versa pagina indicabit,



NUNC PRIMUM IN GERMANIA PRODIT.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud HERMANNUM DEMEN, sub signo Monocerotis.



ANNO M. DC. LXXV.
Permissu Superiorum.

ELENCHUS TRACTATUUM & Quæstionum, quæ in hoc Tomo Tertio continentur.

INDEX TRACTATUUM

Et Quæstionum, quæ in hoc Tomo Tertio continentur.

TRACTATUS I. De Obligatione Regularium ad propriam Regulam. fol. 1.

TRACT. II. De Procurantibus Officia Ordinis. fol. 13.

TRACT. III. De Regul. promovendis ad Ordines. fol. 20.

TRACT. IV. De Regul. Confess. Sæcularium. fol. 31.

TRACT. V. De Confessariis Regularium. fol. 50.

TRACT. VI. De Prædicatoribus. fol. 70.

29. *An*

TRACT. VII. De celebratione Missarum. fol. 86.

45. Sacer-

TRACT. VIII. De Confraternitatibus Laicorum. fol. 137.

TRACT. IX. De Sepult. Eccles. in Communi. fol. 152.

TRACT. X. De sepult. in ord. ad Regulares. fol. 168.

TRACT. XI. De quarta funerali. fol. 183.

sua

TRACT. XII. De Variis resolutionibus. fol. 192.

45. An

86. *An*

RERUM



RERUM REGULARIUM PRAXIS RESOLUTORIÆ TOMUS TERTIUS

TRACTATUS I.

DE OBLIGATIONE REGULARIUM AD PROPRIAM REGULAM.

QUÆSTIO I.

Regula unde dicatur, quid sit, & quotuplex?

1. REgula, teste *Isidoro in lib. Etymol. cap.16.* dicta est, eo quòd rectè ducit, nec aliorsum nos trahit, quàm ad rectitudinem: alii dixerunt Regulam esse, eo quòd regat, vel quòd normam vivendi præbeat, vel pravùm corrigat; prout expressè habetur *Can.2. distinct.3.* Alii verò dicunt, quòd Regula Religiosa est Constitutio Ecclesiastica, approbata à S. Papa, qua omnes actus Religiosorum diriguntur ad finem Regulæ, & sic paucis exceptis, videtur coincidere cum diffinitione legis, quæ secundùm *S. Thom. 1.2. qu.90. art.4. in corp.* est *ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet,* de qua diffinitione plura habes *tom.1.p.1.tr.1.q.1.*

2. Dicitur *approbata à S. Papa,* quia Papa excepto, à nullo potest norma & modus vivendi, pro Regula approbari, *cap. ne nimia, dè Religiosis Domib.* unde Religiosi à Regula appellantur Regulares, ut constat *ex Rubr. de Regular.* sicut etiam olim Clerici in communi, & pie viventes, à Canone dicti sunt Canonici Regulares, *Navar.comm.1. de Regul.n.2. & 3. & Covar. in Clem. furiosus, p.1. in principio.*

3. Hæc autem Regula est quadruplex in Ecclesia; ordinariè tamen loquendo, utpotè S. Basilii, Augustini, Benedicti, de quibus fit mentio, & supponitur approbatio *in cap. perniciosa, 18. q.2. ex cap. Romano sub Innoc. II. cap.16.* sub quibus Regulis vivunt omnes Religiones Monachales, quas nominat *S. Ant. 1.p. sum. tit.14. cap.1. §.4.* & Regula S. Francisci de Assisio, ab Honorio III. approbata, sub qua vivunt plures Religiosi, ut patet de Conventualibus, Capuccinis, & similibus.

4. Dixi *ordinariè loquendo,* quia Carthusiani prætendunt propria statuta habere pro Regula, *Syl. ver. Religio 1.q.7. & S. Ant. 3.p. tit.16. cap.1.6.8.* & PP. Jesuitæ, ac Minimi contendunt habere propriam Regulam ab ipsorum Fundatoribus, independenter à præfatis Sanctis.

5. Quæ quippe Regulæ differunt inter se, non secundùm rationem genericam, quæ extat omnibus communis & una, ut putà tendere in perfectionem charitatis. Finis enim omnium Religionum est adeptio perfectionis charitatis; at secundùm rationem specificam, hoc est, ex fine proximo, & objecto specifico. Etenim multi sunt modi adipiscendi perfectionem charitatis, & secundùm diversos modos, diversæ possunt institui Religiones, servatis tamen servandis, ut pluries aliàs dictum est, & patet de Ordine Mendicantium, & Monachorum.

Quæst. 2. *Regula S. Augustini an sit præstantior cæteris?*

1. AFfirmat noster *P. Mag. Fr. Petrus Martyr. Festius in summ. Ord. p.2. cap.37. de modo faciendi professionem;* ducitur que ex multis, tum ratione exemplaris, à quo est desumpta, quod est vita Apostolorum. Unde Ecclesia in ejus officio dicit, *quod cœpit vivere secundùm Regulam à Sanctis Apostolis constitutam:* tum ratione sui authoris, nam S. P. Augustinus fuit auctoritate Episcopus, vitâ Sanctus, & scientiâ præstantissimus, quod non potest dici de aliis; nam alii Regularum authores, licèt fuerint Sancti, non tamen Doctores, & si

Doctores, non tamen Episcopi: tum ratione antiquitatis; nam S. Augustinus obiit anno 420. Sanctus verò Benedictus anno 509. tum ratione discretionis; nam aliæ Regulæ indiguerunt declaratione, & interpretatione, aut etiam moderatione, quia scil. erant vel nimis obscuræ, aut dubiæ, aut rigorosæ, sive periculosæ: hæc autem mediocritatem servat, quæ nec multitudine, nec paucitate, nec obscuritate, aut rigiditate mandatorum in extremum flectit, nec eget Pontificum declaratione, aut moderatione; tum ratione materiæ, quia consistit circa spirituales actiones, prout sunt dilectio Dei & proximi, unitas cordium, conformitas morum, castitas corporum, communitas rerum, studium scripturarum, correctio vitiorum, & Prælatorum obedientia; tum denique ratione dilatationis, quia sub ea militant Religiones ferè infinitæ, quas idem Festus ibidem enumerat; tum autem de causa, qua una Religio est altera perfectior, vel durior, vide quæ dico *tom. 1. p. 2. tr. 5. de translat. q. 35. & 36.* ubi de relatè.

Quæst. 3. Regula an differat à suis Constitutionibus?

1. RESpondeo affirmativè, & quidem realiter; tum quia constitutiones sive ordinationes comparantur cum Regula, sicut in naturalibus formæ accidentales comparantur cum forma substantiali, seu anima, quæ est forma substantialis compositi; unde licèt non possit dari vera Religio sine Regula, quia est quasi anima Religionis, nihilominus potest dari vera Religio sine Constitutionibus, ceu sunt Religio Carthusientium, Minimorum, & Societatis Jesu, quæ habent Constitutiones pro Regula, ut dicunt *Syl. & S. Ant. 3. p. tit. 14. cap. 1. §. 4.* & favet *Suarez tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. cap. 1. n. 6.* tum etiam, quia Regula, ut plurimùm est ab aliquo antiquo Patriarcha constituta, & à Summis Pontificibus, pro Religione approbata: Constitutiones verò non ita, sed à Prælatis, aut Capitulis Generalibus ordinatæ sunt, & multæ sine authoritate Pontificia; tum item, quia Regula est perpetua, & sine authoritate Papæ nequit in totum abrogari; secus autem hæ ordinationes, quæ modò fiunt, modò abrogantur, secundùm temporum necessitatem, & varietatem, *S. Ant. cit. loc. Suar. ubi supra, Lez. 1. p. sum. cap. 8. n. 1. & 2. & Pellez. tom. 1. Manual. tr. 4. cap. 2. q. 1. n. 1.* & patet ad sensum, tum quia Fratres Prædicatores promittunt obedientiam Prælato, secundùm Regulam S. Augustini & Constitutiones Ord. Prædicat. ut constat ex *text. 1. cap. 15. de profess. distin. 1. fol. 6 . col. 1.* & hoc non aliunde, nisi quia inter suas Constitutiones, seu ordinationes, & Regulam S. Augustini differentiam agnoscunt; tum etiam, quia aliter Fratres Prædicatores non astringerentur ad majorem, ac strictiorem obligationem, quàm Canonici Regulares, cùm hi & illi unam & eandem Regulam S. Augustini profiteantur; ergo ista disparitas non à Regula, sed à Constitutionibus accipienda est.

Quæst. 4. An Regula Religiosa obliget ad culpam?

1. AFfirmativè dic, nam aliàs non differret à mero consilio, quod nullam inducit obligationem, & consequenter non obligaret Religiosos professos ad obediendum præceptis suorum Superiorum, nec daret jus & potestatem Prælatis exigendi pœnas à subditis transgressoribus, quod falsissimum est; nam ut eruditè dicit *S. Thom. quolib. 1. art. 20. in princip. Nihil est peccatum cuivis Religioso, per se loquendo, quod non sit peccatum alteri, nisi sit contrarium ei, ad quod se voto professionis obligavit:* sed in professione se obligavit observare Regulam, aut vivere secundùm Regulam, vel obedire suo Prælato præcipienti secundùm Regulam, ergo sive Regula obliget ad culpam, sive ad solam pœnam, & ad nullam culpam, ad hoc, ut inducat aliquam obligationem in conscientia, sufficit, quòd obliget professum obedire Prælato, & sic infert necessitatem obediendi, ut docet *S. Thom. cit. loc.* & probat *textus cap. qui quis, 4. caus. 14. q. 1.* ibi, *ubi consilium datur, offerentis consilium est, ubi præceptum, necessitas est servientis.*

2. Confirmatur, quia aliàs non posset dici Regula, nec lex Religiosa, quia ubi Regula, ibi lex, ibi obedientia. Omnis enim lex inducit aliquam obligationem in conscientia, saltem ad exequendum, vel sustinendum pœnam sibi taxatam à Prælato, *S. Th. cit. loc. & Suar. tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. c. 2. n. 6. & S. Anton. 3. p. tit. 16 c. 1. §. 13.*

Quæst. 5. Regula ad solam pœnam obligans, & nullatenus ad culpam, an propriè dici possit lex?

1. NOster *joan. de Neapoli, quolib. 14. q. 16. Sotus lib. 1. de Just. q. 6. ar. 5. in fin. & Medina 1. 2. q. 96. ar. 4. post quintam Regulam, in responsione ad 3. argum.* dicunt, quòd Constitutiones S. Dominici, quæ non obligant ad culpam, non sunt propriè, & verè leges jurisdictionales, sed conditionales, & partiales, quia scilicet Missionem volunt tali se voto astringere, ut si hæc fecerint, talia patiantur, & non quod eis lex, aut Prælatus illa præcipiat, quia de intrinseca ratione legis est obligare ad culpam; nam si lex est, ergo Regula est, ergo obedientia est, ergo deficere ab ea obliquum est, & peccatum.

2. Hinc dicunt, quòd prædictæ Constitutiones non exigunt obedientiam, sed potiùs habent modum admonitionis, & consilii, & sic per modum consilii & admonitionis proponuntur.

3. Oppositum verò, quod est de jure verius, tenent alii, quibus favent *P. Sanchez lib. 6. summ. cap. 4. n. 12. Azor. 1. p. Instit. Moral. lib. 5. cap. 2. sub q. 5. §. quæres, an lex, & Suar. to. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. de obligat. cap. 2. n. 5.* tum quia quod Principi placet, legis habet vigorem, ut expressè dicitur *in l. 1. de Constit. princip.* & docet *S. Thom. in 4. sent. distinct. 15. q. 1. art. 3.* at placuit legislatori obligare ad pœnam, & non ad culpam, ergò illud statutum verè est lex, & si ad culpam non obliget, unde dicitur lex purè pœnalis, de qua late dico *tom. 1. p. 1. tr. 1. q. 32.* ubi adversariorum tela retunduntur; tum etiam; quia certum est, Prælatum habentem jurisdictionem Ecclesiasticam a Papa, ex vi illius, & secluso omni alio pacto, posse suis subditis imponere hoc, & illud, sub pœna tali tantum, seu sub hoc, & illo gravamine, non imponendo obligationem ad ullam culpam respectu actus immediatè imperati, & constat ex dicto statuto Ordinis Prædicatorum, Minimorum, & Societatis Jesu, quod lætanter amplectitur, ac laudat *S. Thom. 2. 2. q. 196. art. 9. in respons. ad primum,* ibi, *in aliqua tamen Religione, scil. Ordinis Prædicatorum, &c.* tum item, quia hic modus imperandi nullam involvit repugnantiam, sed stat intra latitudinem jurisdictionis, & potestatis Principis, nam potest Princeps subditos obligare ad culpam venialem, item ad mortalem, item ad solam pœnam absque ulla culpa, quovis ergo ex dictis tribus modis imperet, benè imperat, & obligat, quia utitur jure suo, & subditus tenetur obedire, quia promisit illi obedientiam; tum denique, quia immeritò dicitur, prædictum statutum se habere per modum admonitionis, & consilii: etenim dum in conscientia obligat illos transgressores ad sustinendum, vel exequendum pœnam sibi à Superiore taxatam non potest dici consilium, quandoquidem consilium nullam necessitatem infert, nec conscientiam obligat.

4. Nec

4. Nec exinde inferas, ergo dictum statutum obligat in conscientia, quod paulò antè negasti, quia non obligat ex genere suo, nec de directo, & per se, sed per accidens, & indirectè, ut si transgressor recuset subire pœnam, sibi à Superiore taxatam secundum Regulam, peccat non ex statuto prædicto, quia ut supponitur, ad culpam non obligat, sed peccat ex contemptu, quia recusat suo Superiori obedire. Constitutio enim prædicta dat jus Superiori ad talem actum puniendum, & reus transgressor tenetur obedire, quia, ut dictum est, promittit ei obedire secundùm Regulam, quod docet *S. Thom. cit. loc.* 2.2. ibi, *transgressio talis, vel omissio ex suo genere non obligat ad culpam, sed solum ad pœnam taxatam sustinendam, quia per hunc modum ad talia observanda obligantur, qui tamen possunt venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu*, hæc ille.

5. Hinc vides, supradictum argumentum Medinæ non convincere. Conceditur enim, si lex est, ergo Regula est, ergo obedientia est, supple ad pœnam à Prælato taxatam, sustinendam ab ipso reo, ergo deficere ab ea, peccatum est, supple, non immediatè, directè, & per se ex vi actus imperati, sed per accidens, & indirectè, volo dicere, quòd in casu posito inobediens peccat, non ex transgressione violati statuti, at ex eo, quòd resistit suo Superiori, & recusat obedire.

6. Nec est verum, quòd de intrinseca ratione legis sit obligare ad culpam, sed de ratione legis est obligare ad culpam venialem, vel mortalem, aut ad solam pœnam quovis modo Regula Religiosa obliget, lex est verè & propriè, quidquid alii dicant.

Quæst. 6. Dominicanus fractor silentii, si pœnam statuti non subeat, an peccet?

1. QUæstio hæc duo supponit, primò, quòd Regula & Constitutiones nostræ non obligant nos ad culpam, sed ad pœnam, nisi propter præceptum, vel contemptum, ut expressè dicitur in *tex.* 4. *Prol.* quod statutum apprimè laudat *S. Th.* 2.2. *q.* 186. *ar.* 9. *in respons. ad primum, in fine*, ubi dicit, quòd nostræ Constitutiones non obligant ad culpam neque mortalem, neque venialem, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam; secundò, quòd si quis dicti Ordinis fregerit silentium septies inter duo Capitula, tenetur ipso jure in uno prandio sedere in terra, ut expressè dicitur *in tex.* 2. *c.* 12. *de silentio distin.* 1. *fol.* 38. *col.* 2. *in fin.*

2. Hinc emanat dictum dubium, quod versatur in pœna à jure taxata, non autem in pœna taxanda, vel imponenda à Prælato; nam certum est, neminem de dicto Ordine teneri ad pœnam taxandam, nisi taxetur, & sibi imponatur à Prælato.

3. Ad quod *Cardinalis Cajet. in cit. loc.* 2.2. §. *ad tertium dubium*; cui favent *Rodr. tom.* 1. *q.* 10. *ar.* 6. *Festus in sum. constit. p.* 2. *c.* 22. & *Sanchez lib.* 6. *sum. c.* 4. *n.* 5. respondet negativè, ducíturque ex eo, quia lex universalis est, & non particularis, ut liquet in dicto textu 16. *Volumus, ut statuta nostra, seu Constitutiones non obligent ad culpam, sed solùm ad pœnam, &c.* sed si transgressio in operando excusatur à culpa, & omissio pœnitentiæ non excusaretur à culpa, jam particularis erit ista lex, & non universalis, ut putà respectu agendorum, & non respectu patiendorum.

4. Confirmatur, quia Religiosi prædicti non aliter tenentur ad hujusmodi pœnitentias sustinendas, nisi vigore statutorum suorum; ergo si omittendo sustinere peccent, statuta obligant ad culpam, & non ad solam pœnam, quod est falsum, & contra præsuppositum.

5. Oppositum tamen tenent multi, in quibus est Alphonsus Castrensis, *lib.* 2. *de leg. pœnal. c.* 6. & 8. *Azor.* 1. *p. Instit. moral. lib.* 5. *c.* 2. *sub q.* 5. §. *quæres*, & *Faustus lib.* 6. *Thesaur. de voto Obed. q.* 18. & ea sola ratione moventur, quia Dominicanus ex Regula tenetur subire pœnam; nam dictum statutum seu Regula obligat luere pœnas; ergo lex præceptoria est, ergo reus silentii, si omittat subire pœnam, censetur violator præcepti, & consequenter inobediens, & peccator.

6. Confirmatur, nam Prælati dicti Ordinis in generali absolutione, quæ fit in magnis Festivitatibus, & Capitulis, absolvunt præsertim à pœna, quæ debetur propter fractionem silentii inter duo Capitula; ergo ex parte subditi datur debitum sustinendi pœnam, ergo si omittat luere, peccat; aliàs inutiliter fieret supradicta absolutio, à quo enim absolvit, si debitum non est?

7. His tamen non obstantibus, non potest negari, quin rationes Cajetani concludant veritatem; nam si generalis est dicta Constitutio, quæ excusat à culpa, non debet limitari in aliquo particulari casu transgressionis statuti; nam qui totum dicit, nihil excludit. Item statuto non obediens, pœnam luere debet, vi ipsius statuti; at statutum apertè dicit, culpæ reos non esse, qui ipsum non servant; ergo nec ulla culpa tenentur, qui statutum violant, & pœnam non solvunt.

8 Confirmatur, & magis declaratur; debitum sustinendi pœnam emanat à statuto, quod non obligat ad culpam; ergo inobservantia dictæ pœnæ debitæ, vi statuti, non est culpabilis, sed aliunde, ut dictum est suprà; unde de facili retunduntur objecta; nam verum est, quòd reus in casu posito tenetur subire pœnam, sibi tamen taxatam & impositam à Prælato, non vi violati statuti, quia præceptivum non est, sed quia ipsa Regula dat jus Prælato exigendi obedientiam à subditis, & pœnas à transgressoribus Constitutionum, & subditi tenentur obedire, non vi violati statuti, ut pluriès dictum est, sed quia promiserunt obedire Prælato mandanti secundùm Regulam, ergo si subditus omittat obedire, peccat non ob violatum statutum, sed per accidens, hoc est, quia resistit Prælato, & desinit obedire, quæ quippe inobedientia occasionaliter emanat ab illa transgressione statuti; unde Prælatus occasionem sumpsit exigere pœnam, & subditi tenentur obedire, quod totum Cajetanus noluit significare *cit. loc.* ibi, *Sicut non peccat frangendo silentium, ita nec peccat omittendo pœnam taxatam, & impositam, &c.* supple respectu actus immediatè imperati ad silentium; at per accidens, & aliunde peccat, & possunt peccare, & sæpè sæpiùs mortaliter, violando obedientiam promissam, & temerè potestati resistendo, ut dictum est supra, & docent *Suar. to.* 4. *de Relig. tr.* 8. *lib.* 1. *c.* 2. *n.* 13. *Lez.* 1. *p. sum. c.* 8. *n.* 10. & *Pelliz. to.* 1. *sui Manualis, tr.* 5. *c.* 2. *q.* 18. *n.* 26.

9. Ex quibus benè apparet, prædictum absolutionem fieri solitam in magnis Festivitatibus, nedum esse utilem, immò & necessariam, ad hoc, ut Fratres absolvantur ab omni vinculo debiti, & occasione peccandi directa, vel indirecta, undecunque sibi illata, absque tanta Metaphysica.

Quæst. 7. An dictum statutum de non obligando ad culpam, semper fuerit in Ordin. Præd. & comprehendat Regulares S. Augustini?

1. NEgativè respondeo ad primum dubium; nam fuit editum in secundo Capitulo Generalissimo celebrato Parisiis, anno Domini 1236. sub venerabili Jordano secundo, Ordin. Magistro, ut constat *ex distin.* 1. *de lev. culpa, c.* 16. *lit. A. fol. mihi* 68. & sequitur *Emin. Cajet.* 2.2. *q.* 186. *art.* 9. §. *ad secundum verò*, & *Festus in sum. Constit p.* 4. *c.* 15. ubi dicunt, quòd aliæ Constitutiones

Ordinis editæ fuerunt cum illis titulis, de levi, gravi, graviori, & gravissima culpa, ante regimen præfati Venerabilis Jordani Magistri Ordinis: unde fallit dicere, quòd in nostris statutis sit implicantia, & contradictio, quòd scilicet non obligant ad culpam, & quòd in eisdem reperiantur tot tituli, de culpa, quia anterior lex de culpis, per posteriorem sibi contrariam, de non obligando ad culpam, fuit abrogata, & prædicti tituli de culpis, remanserunt tantùm quoad vocem, utiliter tamen quoad exigendum à transgressoribus pœnam taxatam, vel taxandam.

2. Quo verò ad secundum dubium, respondeo affirmative; nàm licèt Regula & Constitutiones inter se differant, ut dictum est suprà, adhuc tamen dictum statutum, de non obligando ad culpam, cadit etiam super Regulam S. Augustini, quatenus dicta Religio illam profitetur; & patet *ex tex.3.Prol.* ibi, *volumus, & declaramus, ut Regula nostra, & Constitutiones nostræ, &c.* unde D.Thom. *in cit.loc.* 2.2. loquitur de omissione, vel transgressione Regulæ, & non aliunde, nisi quia dicta declaratio comprehendit Regulam, & Constitutiones dicti Ordinis, & meritò, quia ad exculpandum non est major ratio de Regula S. Augustini, effecta Regula Prædicatorum, quàm de Constitutionibus eorumdem, cùm dicta Regula, sub voto promissa, & prædictæ Constitutiones sint partes integrales, & faciant unàm & eandem totalem Regulam Ordinis prædictorum.

3. Nec est dubitandum de authoritate, quia Capitulum generalissimum præfati Ordinis habet authoritatem à S. Sede construendi, destituendi, mutandi, addendi, & minuendi, ut constat *ex tex. 2. cap.10. de Capitulo Generalissimo, distin.2.fol.115.col.3.*

Quæst. 8. *An Constitutiones & Ordinationes in Ordine Prædicatorum differant inter se?*

1. ET dico, quòd sic, nàm nec Prior Provincialis, nec Magister Ordinis, nec aliquod Capitulum, sive sit Provinciale, sive Generale, potest facere Constitutionem; sed oportet, quòd ad Constitutionem faciendam concurrant tria Capitula Generalia, & continuata, vel unum Capitulum Generalissimum, quod tribus Generalibus Capitulis continuis æquipollet, ut probat *tex.7.Prol.* ibi, *& ut multitudo Constitutionum vitetur, prohibemus, ne de cætero aliquid statuatur, nisi per duo Capitula Generalia continua fuerit approbatum, & tunc in tertio Capitulo immediatè sequenti poterit confirmari, vel deleri, sive per Priores Provinciales, sive per alios diffinitores, ubicunque illud tertium Capitulum celebretur*, hæc ibi: possunt tamen dicti Magister Ordinis, & Provinciales in omni Capitulo facere ordinationes, quæ quoad vim præcepti, & censurarum expirant cum vita Magistri, & Capituli: perseverant tamen perpetuò, uti simplices ordinationes, usque dum non fuerint revocatæ, secundùm quas sic permanentes, poterunt Fratres corrigere, & ex rationabili causa in illis dispensare, ut probat *tex. 9. Prol.* ibi, *Ordinationes, tam Capitulorum Generalium, quàm Magistri Ordinis, quoad vim præcepti, & censurarum Ecclesiasticarum, cum ipsis expirare volumus. Vita verò Capituli usque ad subsequens Capitulum intelligitur*, hæc ibi.

2. Ad quorum majorem claritatem, fuit idem declaratum in cap. Romano 1589. quod diligenter adverte; nam declaratio adhibita ad dictum textum septimum, absolutè, & sine limitatione dicit, quòd dictæ ordinationes, & admonitiones perpetuò durabunt, quousque fuerint revocatæ; quod dictum fallit quoad vim præcepti, & censurarum: nisi velis dicere, quod glossa textui adversatur: ut etiam notat *Festus 1.p.sum.c.p.4. §. nec Magister*, ubi etiam advertit, quòd si in aliquo Capitulo authoritate Apostolica aliquid ordinetur, illud habebit vim & robur perpetuæ ordinationis, prout etiam fuit declaratum in d.cap.Romano 1589.

3. Hinc mirum non est, si interdum aliquid ordinatum in aliquo Capitulo Generali, mox inseratur in corpore nostrarum Constitutionum, absque eo, quòd per duo Capitula Generalia immediatè subsequentia, reperiatur approbatum, quia censetur editum authoritate Apostolica, quæ nec nostris legibus subjicitur, nec tenetur deferre.

Quæst. 9. *An Fratres Prædicatores teneantur servare contenta in Regula, & Constitutionibus, si Prælatus eis non mandet illa servare?*

1. SUnt qui negant, eo suffulti fundamento, quia Prædicatores voto suæ professionis non promittunt servare Regulam & Constitutiones, seu contenta in Regula & Constitutionibus, sed promittunt solummodò obedire Prælato suo jubenti secundùm Regulam & Constitutiones, ergo si Prælatus non mandat, & non dicit subdito, quòd servet contenta in Regula & Constitutionibus, non tenetur illa servare.

2. Verumtamen falluntur toto cælo; nam, ut docent noster *P. Magister, Frater Joan. de Neapoli Eruditissimus Doctor Parisiensis, in suo quodlib.14.q.16. & S. Anton.3.p.sum.tit.16.c.1.§.13.de Constit.Ord.Prædic.* prædicti Fratres tenentur servare omnia contenta in Regula & Constitutionibus sui Ordinis, prout sunt in eis, & in ea contenta, præcepta, ut præcepta, & statuta simplicia, ut simplicia, dato etiam quòd Prælatus suus non mandet, nec dicat ei, quòd servet ipsa; ducunturque ex multis.

3. Primò, quia quilibet tenetur servare pertinentia ad statum suum, sicut Prælatus, quæ spectant ad gradum Prælationis, & Sacerdos ad gradum Ordinis Sacerdotalis, Episcopus ad statum Episcopatus, & sic de singulis, ergo.

4. Secundò, quia quilibet existens in aliquo gradu, & statu Ecclesiæ, tenetur facere, & exequi imposita existentibus in tali gradu, & statu à Superiore potente eis imponere; sed S. Papa, tanquam Vicarius Christi, & supremus Prælatus totius universalis Ecclesiæ, potuit imponere, & de facto imposuit, statuendo, vel saltem approbando, vel confirmando, existentibus in omni statu, & gradu Ecclesiæ, omnia spectantia ad talem gradum, & statum; ergo quilibet in quocunque gradu, seu statu Ecclesiæ, tenetur facere ea, quæ spectant ad talem gradum, vel statum.

5. Nec dices, rationem prædictam non habere locum in Fratribus Prædicatoribus; tum quia *ex cap. porrectum de Regul. & transf.* habitus non facit Monachum, sed Professio Regularis, quæ in Prædicatoribus imponit obedire Prælato jubenti secundùm Regulam; ergo cessante jussu Prælati, non tenentur facere quidquam; tum etiam, quia S. Papa instituit Regulam, & confirmavit Statuta dicti Ordinis, quæ mandant non servare Regulam, & Constitutiones; sed obedire Prælato jubenti secundùm Regulam, & Constitutiones; ergo idem quod prius, quia etiam Prælatus per electionem, & confirmationem, & consecrationem, fit Prælatus; factus autem Prælatus tenetur servare spectantia ad statum Prælationis, quæ tamen servare non promisit expresè, quando factus est Prælatus; & similiter Sacerdos tenetur servare spectantia ad statum Ordinis Sacerdotalis; quæ tamen servare non promisit expresè, quando factus est Sacerdos; & similiter Christianus tenetur servare Statuta Christianorum, & tamen non promisit expresè in Baptismo, quando factus est Christianus; sed eo ipso, quòd aliquis suscipit Baptismum, vel Sacerdotium,

dotium, vel Prælationem, & vult esse Christianus, vel Sacerdos, vel Prælatus, vult implicitè, & ex consequenti promittit servare omnia spectantia ad Christianos, seu Sacerdotes & Prælatos; ita ad propositum dicendum est de eo, qui profitetur in Ordine Prædicatorum; quòd scilicet eo ipso, quòd profitetur Ordinem Fratrum Prædicatorum, promittit ex consequenti servare spectantia ad ipsum Ordinem, licèt in tali professione hoc non promittat expresè; sicut sponsus licèt non promittat expresè sustinere onera matrimonii, adhuc tamen eo ipso, quòd sit sponsus, tenetur ad illa.

6. Nec exinde inferas, ergo observantia contentorum in Regula & Constitutionibus dicti Ordinis, saltem implicitè cadit sub voto, & consequenter quælibet eorum omissio obligat ad mortale, ratione violati voti.

7. Quia profitens in casu posito, non absolutè promittit observare omnia contenta in Regula; sed prout posita reperiuntur in Regula; præcepta scilicet ut præcepta, simplicia statuta, ut talia; ac proinde non tota Regula cadit sub voto, nec est materia voti.

Quæst. 10. *Si Fratres Prædicatores in Adventu non jejunent, an peccent ex Regula?*

1. ET dico, quòd non; de per se tamen loquendo; quia eorum Regula & statuta non obligant ad culpam, sed ad solam pœnam, ut constat ex decisis; tum etiam, quia hujusmodi jejunium non est eis in Regula præceptivum, sed potiùs consultivum, ut liquet *in cap.* 4. *de jejuniis*, ibi, *In Adventu Quadragesimali utimur cibo*, tum item, quia jejunium Adventus præcisum à Regula, nullam obligationem infert, nam non est de jure divino, neque de jure positivo Ecclesiastico. unde ergò emanat isthæc obligatio jejunandi? *Non enim esset peccatum, nisi per legem, dicebat Apost.* & benè, cùm peccatum nihil aliud sit, quàm legis transgressio; ergo lege sublatâ, cessat culpa.

2. Dixi, *de per se loquendo*, quia per accidens talis transgressio posset esse venialis, vel mortalis, ut putà ex negligentia, libidine, contemptu, & scandalo, ut ex D. Thoma dictum est suprà.

3. Nec dices, quòd textus Constitutionis allegatus diminutè refertur, ex quo ibi dicitur, *In Adventu, & Quadragesima, & Iejuniis Quatuor Temporum, Quadragesimali utimur cibo*, &c. ergo Fratres Dominicani, ex vi Regulæ tenentur in Adventu jejunare, sicut tenentur & in Quadragesima, & in Quatuor Temporibus; sed in his tenentur ex præcepto Ecclesiæ jejunare, ergo & similiter in Adventu.

4. Quia falsa est consequentia, quandoquidem relata verba textus referuntur ad Prælatum dispensantem, non autem ad fratres subditos dispensatos, voluntque significare jejunium Adventus in ordine nostro esse strictissimum, sicut jejunium Quadragesimæ, non quoad æqualitatem obligandi subditos, sed quoad effectum dispensandi, hoc est, quòd nullus Præsidens potest in Adventu cum toto Conventu dispensare, nec etiam cum aliquo particulari fratre, nisi propter infirmitatem, vel debilitatem, sicut in Quadragesima, ut constat ex declaratione ibi adhibita sub *lit. D. fol.* 28. *col.* 4. & docet *Festus in summ.* 1. *p. c.* 32. *de Iejuniis.*

5. Quam resolutionem *P. Passarellus c.* 25. *de privil.* extendit ad suos Fratres Minimos; ex quo Minimorum Constitutiones pariter non obligant ad culpam, sed ad solam pœnam, ut constat ex ipsorum Fratrum Mari Magno sibi indulto à Julio II. quod ibidem Passarellus extendit, quod item *P. Sanchez lib.* 6. *summ. cap.* 4. *n.* 11. extendit ad Patres Jesuitas; ex quo eorumdem Constitutiones similiter non obligant ad culpam, sed ad solam pœnam, ut constat ex *6. parte Constit. c.* 5. cæteri verò Religiosi suas consulant Constitutiones, & secundùm illas resolvant.

Quæst. 11. *An Religiosus transgrediens ea, quæ sunt in Regula, peccet mortaliter?*

1. NEgativè S. Thom. communiter receptus *in* 2. 2. *q.* 186 *art.* 9. *in respons. ad* 1. *& quolib.* 1. *art.* 20. tum quia nullus Religiosus sub voto suæ professionis promittit servare singula, quæ sunt in Regula; sed vivere secundùm Regulam, aut obedire Prælato jubenti secundùm Regulam; sed non omnia, quæ sunt in Regula, sunt præcepta; nam quædam sunt præcepta, quædam verò monita, & consilia, ergo profitens sub voto, promittit observare præcepta Regulæ, ut præcepta, & monita, & consilia, ut consilia, & monita, & non aliter, ut constat ex superiùs decisis; tum etiam, quia profitens Regulam, etiamsi sit ignorans, & rudis ingenii, promittit servare Regulam secundùm mentem Institutoris; at non est verisimile, quòd Institutor Regulæ habeat intentionem obligandi ad mortale in omnibus contentis in Regula, etiam in minimis, & accidentalibus, aliàs non esset Regulam filiis tradere, & compendiosam viam facere ad regnum cæleste; sed injicere laqueos professoribus, & dejicere eos in profundum inferni, quod foret contra pietatem Patris, & mentem Sanctorum Pontificum; ut probat *tex. Clem. exivi, c.* 1. *de verb. signif.* ibi, *nec tamen pensandum est, quòd Beatus Franciscus professores hujus Regulæ, quantum ad omnia contenta in Regula modificantia tria vota, seu ad alia in ipsa expressa, intenderit æqualiter esse obligatos; quin potiùs apertè discrevit, quòd quoad quædam ipsorum ex vi verbi transgressio est mortalis, & quoad quædam alia non:* hæc ibi, & multis exornant *Cardinalis Joan. de Turrecremata in expositione, quam fecit in Regula S. Benedicti, Umbertus Dominicanus in ead. Joan Dominicus Ord. Prædic. S. Ant.* 3. *p. sum. tit.* 16. *c.* 1. *§. de Regula S. Benedicti, Emin. Caiet. in cit. loc.* 2. 2. *Syl. ver. Religio,* 1. *q.* 8. *Joan. de Neapoli quol:b.* 14. *q.* 16. & alii Thomistæ, qui ad discernendum præcepta à consiliis, & essentialia ab accidentalibus, dicunt, quòd contenta in Regula sunt in quadruplici genere.

2. Quædam sunt in Regula, quæ obligant ad mortale, non quia sunt in Regula, sed aliunde, quòd scilicet sunt in præcepto Divino positivo, aut naturali Ecclesiastico, uti est amor Dei, & proximi, præcepta decalogi, ut non occides, non furtum facies, &c. & præcepta Ecclesiæ de Jejuniis, & vigiliis Apostolorum, semel ad minus confiteri in anno, & communicare in Paschate, & similia.

3. Secundi generis sunt, quæ pariter obligant ad mortale, uti sunt ea, quæ pertinent ad tria substantialia vota Religionis, si Regula ea vota servari præcipiat.

4. Tertii generis sunt, quæ communiter sunt opera supererogationis, & consilii, omnibus fidelibus communia, ut si Regula præscribat, speciali affectu inimicos diligere, illis benefacere, seipsum abnegare, & similia; & ista non obligant, quia spectant ad charitatis perfectionem Religionis; sed Religiosus non tenetur esse perfectus, sed tendere in perfectionem.

5. Quarti generis sunt Observantiæ Regulares, & externæ cæremoniæ in Regula præscriptæ, & hæ de per se, & suo genere ad nullam prorsus obligant culpam, quoniam Regulæ Institutor mentem suam explicuit, ut in Regula Ordinis Prædicatorum, Minimorum, Societatis Jesu, & similium.

6. Dixi *de per se, & suo genere*; nam per accidens earum transgressio poterit esse culpa venialis, aut mortalis, ut si ex contemptu, vel libidine, negligentia, & scandalo fiat, ut ex D. Thoma dictum est suprà.

7. De quibus contentis in Regulis, succinctè Caiet.

cit. loc. 2. 2. latè *Sanch. lib. 6. sum. c. 4. n. 4. Suarez to. 3. de Relig. lib. 10. c. 7. Passarellus c. 25. de Privil. S. Ant. 3. p. sum. tit. 16. c. 1. §. 1. 7. & 8.* ubi longo sermone discurrit de omnibus contentis in Regula S. Basilii, Augustini, Benedicti, Francisci, Dominici, & aliorum, ad quæ necessariò est legendus, quia ibi priscos Doctores allegat, & jura refert.

Quæst. 12. Regula constituta per modum præcepti, ut si dicat, præcipimus, mandamus, teneantur, & similia, an obliget ad mortale?

1. RE spondeo affirmativè, si tamen institutor Regulæ loquens per illa verba, intentionem habuerit obligandi ad mortale, prout de communi praxi ità censentur obligare, sicut declaratum fuit à S. Papa *in d. Clementina, exivi de Paradiso, de verb. signif.* ibi, *& quidem Beati Francisci conditoris Regulæ, &c.* & meritò fuit ità declaratum, quia in sacra Scriptura reperiuntur quædam, quæ habent modum & intentionem præcepti, ut illud, *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, Joan.* 15. quædam alia, quæ habent præceptum in intentione, & non in modo, ut illud, *Non furtum facies, Exodi* 20. quædam alia habent modum præcepti, sed non intentionem, ut illud de sanatione surdi, *Marc.* 7. *Præcepit eis, ne cui dicerent,* non potest præsumi, quòd Dominus intenderit eos obligare ad mortale, illud prædicando: unde ad judicandum de mortali, non sufficit respicere ad modum loquendi, an scilicet utatur verbo præceptivo, sed ad intentionem fundatoris, ut bene notant nostri Patres *Joan. Dominicus Umbertus in exposit. Regulæ S. Benedicti, & S. Ant. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 8. de triplici genere Religiosorum.*

2. Quando autem non constat expresè de mente fundatoris, recurrendum est ad consuetudinem Religionis; nam consuetudo non solùm est interpres optima legum, verum etiam vim legis habet, ut constat ex decisis, *to. 1. p. 1. ar. 1. q. 23.*

Quæst. 13. Si quid dicendum, si Regula non utatur verbis præceptivis & ordinativis, & in se expressam non habeat intentionem authoris, obligatne ad mortale?

1. PRæsens quæstio est valde difficilis, ut notant *Navar. in sum. c. 23. n. 50. & Suar. to. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. de obligat. Relig. c. 3.* quia agit de modo conjecturandi intentionem Prælatorum, quæ non semper potest benè conjecturari, cùm sæpè simulent.

2. Verumtamen *Emin. Turrecremata in exposit. Regulæ S. Benedicti, & S. Anton. 3. p. sum. tit. 16. c. 1. §. 6. de Regula S. Aug.* ajunt, quòd in casu posito inspicienda est materia, super quam cadunt verba Regulæ; nam si cadant super votis, vel super materiam voti, certum est, obligare ad mortale, ut constat ex illis verbis Regulæ S. Augustini de rixis non habendis, & injuriis non faciendis, aut quàm celerrimè finiendis, pro præcepto charitatis: de Præposito obediendo, pro voto obedientiæ, de fœminis non appetendis activè vel passivè, pro voto castitatis; de non habendo proprio, pro voto paupertatis: vel cadunt super materiam consiliorum, ut illa de domando carnem, abstinentia escæ, & potus; de petendo codices singulis diebus, & similibus, quæ non obligant, nisi ut consilia, aut cadunt super his, quæ ex divina, vel naturali, & humana institutione sunt, & sic item obligant, sicut & illa. *Peyr. de subdito to. 1. c. 5. & Bordon. c. 1. de professione, qu.* 48. vel cadunt sub illo modo præcipiendi in merito S. Obedientiæ, in virtute Spiritus Sancti, sub formali præcepto, quia iste modus præcipiendi ex usu & praxi Ecclesiæ, obligat ad mortale; sic item quando aliquid præcipitur sub pœna censurarum, & præsertim sub pœna excommunicationis, etiam commminatoriæ obligat ad mortale, quia materia omnium censurarum est gravissima ex præcepto Christi nostri Redempt.

3. Unde ejus, sive ipsarum transgressio, ex suo genere semper est peccatum mortale, ut probat communis usus totius Ecclesiæ, quidquid alii dicant, quibus videtur favere *Suar. tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 1. c. 2. n. 10. in fin. & lib. 4. de leg. c. 18. n. 16.* præscindendo ergo ab his omnibus, dicendum est, quòd nulla Religiosa Regula obligat ad peccatum mortale; odia enim restringenda sunt, nec sunt sine magna necessitate multiplicanda præcepta obligantia ad mortale.

Quæst. 14. Transgressio Regulæ non obligantis ad mortale, nec veniale peccatum, an possit aliunde esse mortalis, vel venialis?

1. EX hucusque decisis affirmativè dicendum est, quod etiam firmat *S. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9. ad 1.* in fine, ibi, *qui tamen possent venialiter, vel mortaliter peccare, ex negligentia, vel libidine, aut contemptu, &c.*

2. Ex negligentia quidem ille peccat, qui solùm ex quodam animi torpore ducitur ad transgressionem, & patet de eo, qui ob solam incuriam omittit adire chorum: unde Bernardus ait, *quòd neglectus semper culpabilis est,* quia negligens ad minus culpam venialem incurrit, quam non incurreret, si talis transgressio fieret ex inadvertentia, vel ex oblivione, ut dicit *S. Th. cit. loc.*

3. Peccare verò ex libidine, seu ex complacentia ille dicitur, qui violat Regulam ob nimiam cupiditatem erga aliquid. Cupiditas enim peccatum est, ut notat *S. Anton. 3. p. sum. tit. 16. c. 1. §. 13 de Constit. Fratrum Prædic. in medio, & Passarellus c. 25. de Privil. Minimorum, ad finem,* quid autem sit violare Regulam ex contemptu, dico immediatè infra.

4. Et quamvis prædicta transgressio Regulæ possit etiam esse scandalosa, non ideo S. Thom. ubi suprà fuit diminutus, quia ibi loquitur de gravitate peccati ab intrinseco; nam de extrinsecis loquitur in subsequenti *ar.* 10. & nos etiam hîc infrà *q.* 24.

Quæst. 15. Peccare contra Regulam ex contemptu, quid sit?

1. COntemptus grammaticè dicitur à contemno, quod est non appretio, vel non magnifico, & contingit esse dupliciter, primò negativè, ut cùm quis de aliquo non habet curam seu æstimationem, nullam tamen irreverentiam, aut injuriam irrogans. Secundò verò contrariè, ut quando parvifaciendo irrogatur injuria, & blasphemia; ità pariter in moralibus contemptus legis dicitur dupliciter, primò propriè, & positivè; & sic est voluntas transgrediendi legem ex hac sola causa, quòd quis non vult subjici legi. Secundò impropriè & negativè, & sic est voluntas transgrediendi legem ex alia causa, ut putà ex concupiscentia, vel ira, vel ignorantia, aut consuetudine, quo modo omnis peccator Dei legem contemnit, & si adsit intentio continuandi, dicitur contemptus interpretativus, de quo *Syl. ver. Religio 1. §. 8. & 12. & ver. contemptus,* ubi ità intelligit *S. Thom. 2. 2. q. 186 ar. 9. ad tertium,* ubi ait, *tunc committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel Regulæ, & ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel Regulam; quando autem e contrario propter aliquam particularem causam, putà concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel Regulæ, non peccat* ex con-

ex contemptu, sed ex aliqua alia causa, etiamsi frequenter ex eadem, vel alia simili peccatum iteret, sicut Aug. dicit in libro de natura, & gratia, quod non omnia peccata committuntur ex contemptu superbiæ; frequentia tamen peccati dispositivè inducit ad contemptum, secundum illud proverb. 18. impius, cum in profundum venerit peccatorum contemnit, hæc ille.

2. Ad quam declarationem in fine comment. Cajet. ait, *nota ex hac litera, quod peccare ex contemptu, importat duo, scil. actum peccati, & causam peccati v.g. nolle ire ad Chorum, vel frangere silentium ex contemptu, dicit duo, primò ipsum actum frangendi silentium, seu ipsam omissionem eundi ad Chorum: secundò ipsam causam peccati, scil. ex contemptu, & hoc significat actum voluntatis refutantis subjici legi, vel Regulæ, ità quod ad peccare ex contemptu, non sufficit etiam si esset perpetua, & millies revoluta, & deliberata consuetudo peccandi in tali commissione, vel omissione, sed exigitur, quod peccet quis ex tali causa, scil. ex hoc, quod non vult subjici legi seu Regulæ, vel Prælato; nam Prælatus est lex animata*, hæc ille, qui & subjungit, *caveat tamen, ne frequentia peccandi disponat ipsum paulatim, & tandem deducat ipsum ad voluntatem non subjiciendi se Regulæ.*

3. Ad quorum majorem claritatem; in summula, verbo *contemptus*, ait, quod in moralibus dupliciter sumitur contemptus; primò, ut est peccatum, quo scil. quis spernit proximum, & ut est causa peccati, prout dicitur unus peccare ex contemptu, alius ex infirmitate, alius verò ex Ignorantia, ibique magistraliter, ac subtiliter declarat omnia, & exindè colligit notatu dignissima.

4. Joannes verò Dominicus, eximius Doctor Ord. Prædicatorum, quem allegat & sequitur *S. Ant. 3. p. sum. tit. 16. cap. 1. §. 9. de tribus votis essentialibus, Magister Vinc. de Castrofrancho in prol. Constit. Prædic. & Passarellus cap. 25. de Privilegiis Minimorum*, dicunt, quamlibet transgressionem voluntariam, etiam sine causa, continuatam tamen dici, & esse contemptum, ut cum quis habet cappas regales, lineis utitur; repletur pecuniis, etiam ad prodigalitatem sequendam, & cum sanus sit, propter gulositatem tantùm, vult ferè continuè carnibus vesci, & cum jejunare valeat, saltem aliquoties in hebdomada, nec sextis feriis à carne vult abstinere, nulla insuper petita licentia, vel obtenta, & similia facit, quæ Constitutiones vetant, in hisque perseverare intendit; non video, quomodo à damnabili contemptu talis valeat excusari. Undè subnectit, *quisquis in Ordine Prædicatorum ritè professus, tacitè, vel expressè si ex deliberato animo statuta principalia non servet, cum intentione transgressionem hujusmodi continuandi, Apostata est apud Deum*, hæc ille, quæ intellige vera, & procedere de contemptu interpretativo, & impropriè dicto, secus autem, cum formalis causa contemptus, sit nolle subjici Regulæ ut ex Sylvestro, & Cajetano dictum est supra.

Quæst. 16. An Religiosus, ex speciali præcepto, distincto ab aliis contentis in Regula, teneatur tendere in perfectionem charitatis?

1. Quod Religiosus non teneatur esse perfectus; sed tendere in perfectionem consequendam, docet *S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 2. ad primum*; quia non profitetur esse perfectum, sed habere studium ad perfectionem consequendam; sicut qui scholas ingreditur, non profitetur se scientem, sed studentem ad scientiam acquirendam; Ideoque non est transgressor professionis, si non sit perfectus; sed solum si contemnat ad perfectionem tendere.

2. Sed non declarat, an præceptum hoc tendendi ad perfectionem, sit aliquod speciale præceptum, distinctum à præcepto servandi substantialia, & accidentalia Regulæ, sed potius supponit esse generale quoddam imbibitum cum illis, sicut præceptum servandi mandata, & non peccandi, quo quisque tenetur esse bonus, non est speciale aliquod mandatum, distinctum à præceptis peculiaribus, sed imbibitum cum illis, sicut votum Religionis non est aliud à votis essentialibus Regulæ; sed ipsamet vota collectivè sumpta.

Quæst. 17. Religiosus omittat servare consilia, an peccet mortaliter?

1. Sunt, qui affirmant, ex eo, quod Religiosus tenetur tendere ad perfectionem charitatis, ad quam pertinent consilia, ergo: verùm prædicta opinio terribilis est, & multos Religiosos conturbat, eam tamen moderat *S. Thom. 2. 2. q. 186. art. 2. in fin. corp.* dicens, quod Religiosus non peccat, si ea prætermittat, sed si ea contemnat, qui contemptus, loquendo de per se, specificatur ab intentione operantis; non autem ab opere operato, ut constat ex decisis hic supra, & docet *Cajet. in prædicto 2. art. § ad evidentiam*, Ubi ait, *quod si quis Religiosus spiritualem profectum, & divina Consilia omittit, non quia sunt vana, & levia Dei consulta, sed quia ad illa non obligatur, & non sunt ad salutem necessaria, non peccat ex contemptu, quia talis, non contemnit Deum in consiliis suis, dum illa, ut à Deo ordinata veneretur, honorat, & laudat*, quod dictum Cajetani lætanter amplectuntur *Sanchez lib. 6. sum. cap. 5. num. 6. & Faustus lib. 5. de votis q. 27. in fin.*

Quæst. 18. An Regulares peccent contra dictam obligationem tendendi ad perfectionem charitatis, si sibi proponant servare omnia contenta in Regula, præter ea, quæ ad nullam culpam obligant?

1. Negativè dic: nisi fortè hoc sibi proponant, ob contemptum; tum quia eo ipso, quod prædicti proponunt exequi omnia vota, & præcepta obligantia ad mortale, tendunt verè ad perfectionem charitatis, nam multa Consilia Evangelica reperiuntur inclusa in illis votis, & præceptis Superiorum, quæ licet respectu Regularium, ratione voti præstiti, sint præcepta, cùm tamen spontè ad ea se obligaverunt ultra præcepta communia Christianorum, sunt verè consilia, & opera supererogationis; tum etiam quia peccare ex contemptu est nolle subjici toti Regulæ secundùm totum illud, quod intrinsecè, & extrinsecè continetur in Regula, ut benè advertit *Sylv. ver. Religio 1. q. 3.* & ad charitatem supradictorum, exinde infert, ergo quando Religiosus abdicat sibi omnia media à Regula præscripta, ad consequutionem finis, præter unum medium, quo intendit tendere in dictum finem, non potest dici, quod sit extra statum salutis; quia aliud est contemnere Regulam, hoc est non æstimare, & appretiare singula contenta in Regula; & aliud peccare contra Regulam ex contemptu; nam peccare primò modo, est ex infirmitate, vel ignorantia; peccare autem secundo modo; est peccare ex malitia, quod est nolle subjici toti Regulæ; quod dictum, extollit & ampliat *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 4. sub num. 6.*

2. Quibus adde, quod quamvis contemptus ex suo genere, sit peccatum mortale, ut dicit *Cajet. in d. art. 2.* ex parte tamen parvitatis materiæ poterit esse veniale, ut patet de furto: undè peccare ex contemptu interdum erit veniale, quod est valdè notandum contra eos, qui dicunt, quod peccare ex contemptu, etiam in minimis, sit mortale peccatum. *Faustus de voto obedientiâ quæst.* 143. aliis allegatis.

Quæst. 19. An Regulares teneantur progredi ad perfectionem charitatis per omnia media, quæ ad ejus acquisitionem deservire possunt?

1. ET dico, quod non; sed sufficit currere per media præscripta in Regulis, aut Constitutionibus Ordinis, ut docet *S. Thom 2. 2. q. 186. art. 2. in fin. corp.* ibi. *Similiter etiam non tenetur ad omnia exercitia; quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa quæ determinatè sunt taxata secundum Regulam, quam professus est, &c.* nam si Regulares tenentur habere intentionem faciendi omne opus bonum sibi possibile, status Religiosus foret eis in laqueum animarum, quod detestatur *S. Tho. in quolib. 1. art. 20. & Cajet. in prædicto ar. 2. §. est siquidem.*

Quæst. 20. An Regulares peccent mortaliter contra dictam obligationem currendi ad perfectionem charitatis, si servantes omnia contenta in Regula, intendant non attingere perfectionem vitæ Religiosæ?

1. AFfirmativè dic; quia licet Religiosus non teneatur esse perfectus, ut dicit *S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 9. in medio corp.* tenetur tamen non habere propositum dictam perfectionem non attingendi per talia media; *Faustus, de votis, lib. 5. q. 25. ver. hinc Religiosus, & Pelliz. tom. 1 manual. tract. 5. c. 1. q. 9.* tum quia hoc foret contemnere media instituta à Regula; tum etiam, quia hoc esset habere intentionem repugnantem fini Regulæ, ut notat *Ant. Corduba in Regula Sancti Francisci cap. 1.* cum præcitatis Doctoribus.

Quæst. 21. An Regulares peccent mortaliter contra dictam obligationem tendendi ad perfectionem, si violantes Regulæ vota, & præcepta, retineant animum acquirendi Religiosam perfectionem?

1. ET dico, quod sic; quia sicut idem est, Religiosum servare vota, & præcepta Regulæ, quod actualiter tendere ad perfectionem Regulæ, eo modo, quo tenetur tendere: ita à pari, idem est, Religiosum non actualiter servare vota, & præcepta Regulæ, quod actualiter nolle tendere ad perfectionem Regulæ; sed ita est, quod actualiter tendere in perfectionem Regulæ, est mereri; ergo actualiter nolle tendere in prædictam perfectionem, est demereri, sivè peccare, nam idem est non progredi, quod regredi, ut Sancti dicunt.

2. Nec obstat dicere, quod hi, de quibus est sermo, licet actualiter peccent, adhuc tamen servant intentionem tendendi ad dictam perfectionem, ut præsupponitur, & consequenter non peccant contra obligationem tendendi ad finem Regulæ; quia falsum est præsuppositum, quod hi scilicet actualiter peccantes, insimul, & conjunctim habeant intentionem servandi ea, quæ actualiter transgrediuntur, etenim velle actualiter servare Regulam, & velle actualiter transgredi Regulam, sunt duo actus contrarii, qui non possunt esse simul in eodem subjecto; sicut malitia, & bonitas nequeunt esse simul, nec quidem in minimo gradu.

3. Nec objicies, quod quis potest furari, cum intentione ex furto eleemosynam facere, ergo bona, & mala intentio possunt esse simul, quia deciperis in præsupposito, ut dictum est; etenim illa intentio faciendi eleemosynam de rebus furtim sublatis, non est bona, Imò pejor ipsa intentione furandi, & dicitur in *cap. forte 3. 14. quæst. 5.* ibi, *nam etsi totum tribuat pauperibus, quod abstulerit, addit potius peccata, quàm minuat, &c.*

4. Undè nunquam fuit dubitatum inter Doctores, an illa intentio furandi ad finem faciendi eleemosynam, sit mala; sed, an sit minùs mala, & minuat malitiam operis? de qua luculenter *P. Meroll. tom. 1. disp. 2. de vitiis, & peccatis, cap. 4. sub dub. 4. num. 47.*

5. Nec replices dicendo, quod *Cardin. Cajet. 2. 2. qu. 184. art. 5. §. in eod. ar.* Monet Religiosos, ne cum delinquunt, animum proficiendi deponant; quod non moneret, si foret impossibile, quia, vel non est in hoc audiendus, vel cum glosis excusandus; ut moneat Religiosos transgressores non deponere animum proficiendi ad longum tempus, vel dicendum, ipsum monere, ne deponant illam intentionem universalem scilicet, & communem, quam habuerunt, eo tunc, quo Regulam sunt professi; observandi scilicet totam Regulam; etsi reperiatur omissa, respectu illius rei, quam violant, & observare prætermittunt, aliud enim est delinquere totaliter, & quoad totum, & aliud quoad aliquam quotam; *Bart. à S. Fausto de notis, lib. 5. q. 25.* quod videtur innuere idem *Cajet. cit. loc.* ibi, *in cujus signum est, quod aliquis statim, ut fit Religiosus, ex sola intentione proficiendi, veraciter in statu illo esse dicitur, absque simulatione quacunque, verbo & facto.* ergo *Cajet.* loquitur de depositione illius intentionis universalis, ac totalis, quam habuerunt professi in principio suæ professionis, servandi scilicet totam Regulam, prout in se continet essentialia, & accidentalia; quorum etsi unum quis violet, non exindè dicitur peccare ex contemptu, nec cadere à Religioso statu, ut dictum est, supra.

Quæst. 22. An Religiosus teneatur in vita perfectione, in dies magis ac magis proficere?

1. QUod Religiosus, tempore suæ professionis, non teneatur esse perfectus, sed habere animum tendendi ad perfectionem charitatis, per illa media sibi à Regula determinata, diximus sæpè supra cum *S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. ad 2.*

2. An autem, peracta professione, teneatur in dies semper proficere in perfectione vitæ Religiosæ, sic adeò, ut ei prohibitum sit dicere, jam sufficit, & non plus ultra, quæsitum est inter Doctores non leve.

3. Ad quod affirmativè respondet doctissimus *P. D. Bartol. à S. Fausto, lib. 5 de votis, q. 26.* & movetur ex dictis Sanctorum; tum quia *S. Aug. in serm. de verbis Apostol.* inter cætera, ità loquitur; *semper tibi displiceat quod es, si vis venire ad id, quod non es: nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti: si autem dixisti, sufficit, periisti, idem semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via deficere: noli retroire: noli deviare; remanet enim, qui non proficit.* Hæc ille.

4. Et *D. Bernardus epistola 91. ad Abbat. Aut ascendas necesse est, aut descendas. si attendas stare, ruas necesse est, minime profectò est bonus, qui melior esse non curat: & ubi incipis nolle esse melior, ibi etiam desinis esse bonus, &c.* & in *epistola 253. ad Abb. Garinum* ait, *Vera virtus, finem non habet, tempore non clauditur; nunquam justus arbitratur se comprehendisse, nunquã dicit, &c.* & infra subnectit, *quod si studere perfectioni esse perfectũ est, profectò nolle proficere, deficere est. Ubi ergo sunt, qui dicere solent, sufficit nobis, nolumus esse meliores, quàm Patres nostri. O Monache non vis proficere, non vis ergo deficere? nequaquam, quid ergo? sic mihi inquis vivere volo, & remanere in quo perveni: nec pejor fieri patior, nec melior cupio; hoc igitur, quod esse non potest;* & infra subjungit, *In via Dei non proficere, deficere est, vel in via Dei non progredi, regredi est.* Hæc ille.

5. Nihilominus *P. Suar. de Relig. tract. 8. lib. 1. c. 4. n. 20.* ait, supradictum proloquium S. Bernardi formaliter, ac rigorosè acceptum, non esse verum, quia existens in gratia Dei, licet non crescat, adhuc tamen si non peccet, non ideo regreditur in via Dei; secus autem si intelligatur causaliter, & consecutivè; quia in hac vita mortali, non potest homo carere omni operatione: ideò necesse est, per eam, aut proficere, aut deficere.

6. Tu autem cum *S. Tho. 2. 2. q. 184. ar. 5. & 186. art. 2.* dic,

dic, quod Religiosus, professione facta tenetur indies proficere in perfectione charitatis; non aliunde: nisi ex intentione servandi Regulam; & non per alia media, nisi per illa præscripta à Regula; & non per obligationem aliquam particularem, distinctam à votis, & præceptis contentis in Regula; sed per illam communem, & universalem illis imbibitam, ut dictum est supra.

7. Quæ quidem perfectio charitatis, prout docent *Navar. tom. 1. de Regul. n. 10. & Rod. tom. 3. q. 48.* potest esse triplex.

Prima, qua totum cor hominis actualiter semper fertur in Deum; & hæc est perfectio charitatis Patriæ, quæ non est possibilis in hac vita; cum impossibile sit semper actu cogitare de Deo, rebusque divinis, eisque frui, prætermissis aliis.

Secunda, qua quis fertur in Deum semper, præterquàm dum vitæ necessaria ipsum impediunt; & hæc est possibilis in via; non tamen est communis omnibus habentibus charitatem, utcunque; sed in statu Religioso.

Tertia, qua quis habitualiter totum cor suum ponit in Deo; ità scilicet quod nihil cogitet, & velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium: quæ perfectio est communis omnibus charitatem habentibus; nam nemo potest esse bonus sine illa, & cum illa, quilibet est bonus, quia illa excludit peccatum mortale, & excluditur ab eo.

8. Religiosus ergo, non solum tenetur habere desiderium videndi Deum, de facie ad faciem; sed etiam tendendi ad perfectionem charitatis, secundo, & tertio modo dictæ, qua scilicet quis habitualiter ita fertur in Deum, ut nihil velit, quod sit ejus offensa mortalis, & quâ quis scilicet fertur in Deum actualiter semper: nisi quando necessaria vitæ ab illa impediunt: Religiosus enim secundùm prædicta semper debet niti, ut cognitio & fruitio ejus de Deo, indies fiat major, & magis; ut eruditè advertit *Navar. cit. loc.* & secundùm hæc prædicta intelligo verum illud suprapositum proloquium S. Bernardi, *quod in via Dei non progredi, regredi est.*

Quæst. 23. An Religiosus transgrediens præceptum Dei contentum in Regula, duplex peccatum mortale committat, necessario aperiendum in Confessione Sacramentali?

1. EMinentiss. *Cajet. 2. 2. quæst. 186. ar. 9. paulò post principium com. §. dubium circa hanc literam,* sub distinctione resolvit; aut tale præceptum reperitur in Regula, de peculiari intentione instituentis ad novam obligationem inducendam; & sic fit duplex peccatum, utrumque necessariò confitendum; non quidem, ob solam multiplicationem præceptorum: quia species peccati non attenditur ex parte præceptorum, licet ex authoritate præcipientium, & magis præcipientium aggravetur, sed etiam, quia in casu posito violatur lex divina, & votum obedientiæ, quo Religiosus se astringit ad servandum præcepta Regulæ; & sic delinquens incurrit duplicem pœnam, alteram, quia violavit legem Dei, alteram verò, quia violavit propriam Regulam, ut patet de furto non faciendo contento in Regula: ex duplici enim capite tenebatur Religiosus non furari, scilicet ex divino præcepto prohibente furari; & ex sua Regula vetante, ut supponitur furtum fieri.

2. Aut dictum præceptum divinum, utputa, non furtum facies, ponitur in Regula, non ut præceptum, sed ut simplex constitutio; & sic ex Regula non habet vim præcepti, sed simplicis constitutionis, quæ de se non obligat ad mortale; hoc Cajetani responsum amplectuntur *Festus part. 2. summ. cap. 26. Sanch. lib. 6. summ. c. 4. n. 6. & Pellizz. tom. 1. Manual. tra. 5. c. 2. q. 13. n. 19.* ubi dicit, quod transgressio talis præcepti, in casu posito non est speciale peccatum, nec gravius eo, quod sit contra Regulam, & subnectit, quod in dubio, non est præsumendum mentem institutoris Regulæ, esse novam obligationem inducere circa res illas, alias præceptas in Regula, nisi id apertè explicet, aut ex manifestis indiciis colligatur; quia novas obligationes indicere in eadem re, ex genere suo, plus damni, quàm utilitatis solet afferre. Undè debet existimari, quod reperiatur in Regula positum ad finem reducendi in memoriam, & non aliàs.

Quæst. 24. An Religiosus, stando in eodem genere peccati mortalis, aut venialis, gravius peccet, quàm sæcularis?

1. S. *Thom. 2. 2. quæst. 186. ar. 10. in corp.* cui subscribunt *S. Ant. 3. par. sum. tit. 16. c. 1. §. 8. de Regula S. Francisci in fin. Sylv. ver. Relig. 6. q. 14.* & omnes alii ejus discipuli, respondent affirmativè, in tribus tamen casibus. Primò si agat contra votum, utputa si fornicetur; quia sic agit contra divinum præceptum, & contra votum castitatis. Secundò, si peccet ex contemptu, & malitia; quia tunc est sæculari ingratior divinis beneficiis. Tertiò ratione scandali; quia plures ad vitam ejus respiciunt; quod habet locum in peccatis manifestis.

2. His tamen cessantibus, peccat levius: quia, si peccatum ejus est leve, absorbetur ex multis bonis operibus. Primò propter rationem rectam, quam habet ad Deum; quæ etsi ad horam intercipiatur, de facili ad pristina reparatur. Secundò, quia scit corrigere peccatum. Tertiò, quia ad resurgendum juvatur à sociis.

3. Sed dices, quod cessante scandalo, Religiosus peccat minus extensivè, seu quoad durationem; quia citò resurgit, & habet faciliùs remedium resurgendi; sed non minus intensivè.

4. Verumtamen *P. Sanch. lib. 6. summ. cap. 4. n. 7. in fin.* ait, quod peccat minus etiam intensivè; quia persona in bonis operibus versata, non solet ex infirmitate, aut passione delinquere, nisi ea sit vehemens, quæ multum voluntarii actus subtrahit, ac subindè culpæ diminuit. Quod dictum mihi non satisfacit, nam quod Religiosus non sit solitus peccare, nisi ex vehementi passione, non exinde colligitur, Religiosi peccatum esse intrinsecè levius, sed rarius: etenim seclusis voto, contemptu, & scandalo, loquendo de præceptis, quæ Religiosis, ac sæcularibus communia sunt, ex sua natura utrosque æqualiter obligant; tum quia cum præceptum indistinctè loquatur, & præcipientis potestas sit æqualis respectu omnium, & voluntas obligandi sit generalis & indifferens, obligatio, præcisis dictis circumstantiis extraneis, ad omnes æqualiter descendit, omnesque æqualiter obligat: Undè, & peccata, quæ fiunt contra talia præcepta, sunt æqualia, tum etiam, quia cum ex parte personarum, non possit aliquid assignari, quod reddat unam ex talibus personis magis affectam & ligatam, tali obligatione, quam aliam, non potest assignari causa, ob quam peccatum Religiosi erit intrinsecè levius peccato sæcularis.

5. Confirmatur; quia quod sit levius, ratione subreptionis, quatenus passio, quæ Religiosum vincit, aut perturbat, soleat esse major, quæ facultatem considerandi impedit, & facit, ne Religiosus, cum perfecta libertate uti possit majori lumine, & scientia, quibus pollet; extraneum est à propria, & intrinseca ratione peccati. Peccatum enim specificam rationem sumit ab objecto, & majorem; vel minorem intensionem à malitia peccantis, quam in Religioso peccante ex contemptu, *idem P. Sanchez ubi supra,* testatur non esse speciale præceptum, licet aliquantulum reddat gravius, ergo.

Quæst. 25.

Quæst. 25. Ignorantia Regulæ, & præceptorum ejus, an excuset transgressores à culpa?

1. ET dico quod sic, si tamen sit invincibilis, illa enim ignorantia dicitur invincibilis, quæ nequit vinci, & superari: undè qui fecit totum, quod potuit, & tenebatur facere ad illam vincendam, & non potuit superare, excusatur: tum quia ad impossibile, quod in Moralibus censetur omne valde difficile; nemo tenetur: tum quia nullus tenetur ultrà posse; tum etiam, quia sic transgrediens, censetur involuntariè transgredi; ergo non est culpabilis, nam tolle voluntatem, & non erit Infernus, ut Sanctorum proloquium est.

2. Nec obstat dicere, quod Regula est professorum Jus, cujus ignorantia non excusat, juxta *Juris Regulam* 13. quæ dicit, *quod ignorantia facti, & non juris excusat*, quia prædicta Juris Regula procedit in foro judiciali, non autem in foro conscientiæ; ut benè notat *Azor. 1. p. lib. 1. cap. 16. q. 1.* ubi *in 2. q.* ex multis ostendit, ignorantiam Juris, etiam in foro judiciali, in multis casibus locum habere, ad exculpandum, secus autem dicendum est, si ignorantia sit vincibilis, & præsertim si sit affectata, seu procurata, ut cum quis ex industria, & data opera, non vult inquirere ea, quæ ad salutem sunt necessaria, ut illa ignorando, liberius absque aliquo conscientiæ morsu, possit peccare, ad quod facit illud *psalmi 35. noluit intelligere, ut benè ageret, & Job 21. scientiam viarum tuarum nolumus.*

3. Sed quid dicendum, si quis Regulam scit, & non advertit, peccatnè illam transgrediendo?

4. Negativè *à S. Fausto lib. 6. de voto obed. q. 29. ver. dices.* quia licet unusquisque Religiosus teneatur scire Regulam & advertere, nihilominus per accidens potest ab illa transgressione exculpari, quia non est in manu nostra semper advertere, hic, & nunc etenim sæpe fit mentis alienatio ex naturali complexione, ac necessaria oblivione, vel inconsideratione orta sine nostra voluntate. Undè redditur inculpabilis ad prædicta: secus autem dicendum est, de illo Religioso, qui omittit scire ad suam Regulam pertinentia, ad hoc, ut vacet literis speculativis, & doctissima commentaria edat, non est enim rapiendum divitibus, ut detur egenis, *cap. fortè 14. quæst. 5.*

Quæst. 26. An Prælatus teneatur sub mortali procurare, ut Regula, & statuta sui Ordinis, obligantia ad mortale, observentur à subditis?

1. REsponsio affirmativa constat ex decisis, *tom. 2. p. 1. tr. 9. de Prælat. quæst. 9.* ubi ex multis ostendi, quod Prælatus ex officio, seu ex justitia sui officii, sub mortali culpa tenetur procurare observantiam suæ Regulæ, & præceptorum ejus; aliàs non censeretur electus, & institutus in custodiam Regulæ; sed in destructionem ejus; quod est contra finem intentum ab electoribus; etenim Prælati instituuntur, ut prosint, & Regulam promoveant, & potiorem faciant; non autem, ut destruant, vel abrogent.

2. Undè superiores, non procurantes Regulæ observantiam, verbis, & factis, sunt in malo statu; etenim peccata subditorum imputantur ipsis, *cap. in tantùm 36. de Simonia*, ibi, *ne aliorum culpa tibi ob tuam negligentiam non imputetur ad pœnam*, & colligitur ex illo *Isaiæ 3.* ibi, *Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua erit, &c.* quæ verba *S. Thom. ibid.* ità interpretatur, *Ruina nostra, hoc est, periculum nostræ ruinæ, sub manu tua erit, hoc est, sub custodia tua, & defensione tua, & consequenter perditio nostra tibi imputanda, quia Gubernator titulo justitiæ tenetur supponere manum Reipublicæ labenti, sustentare Patriam, jam jam ruinam minantem, & suos fratres tam in publicis, quàm in privatis calamitatibus vindicare, & cavere ab omni malo*, prout *ibid.* loquitur *Eruditissimus P. F. Thomas Malvenda, ver. 6.*

3. Item ex *tex. 3. Reg. c. 20 ver. 39.* ibi, *custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua, pro anima ejus*, ubi immediatè subnectitur, *quia dimisisti virum dignum morte, de manu tua erit anima tua, pro anima illius, & populus tuus, pro populo illius.*

4. Item ex *tex. Ezech. 33.* ubi dicitur, quod *si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit Buccina, & Gladius occiderit aliquem, sanguinem ejusdem de manu speculatoris requiret Deus*, & intrà *ibid. cap. 34.* ponuntur conditiones boni, & mali Pastoris, & de malo dicitur, *quod ægrotum erat non sanastis, &c.*

5. Item ex *tex. Sap. 6.* ibi, *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet*, item ex *tex. Joan. ult. cap.* ubi Petro dicitur, *pasce Oves meas*; quod verbum in Petro, intelligitur dictum omnibus Pastoribus, prout ex multis ostendit *Sot. de Just. lib. 10. q. 3. art. 1.* ubi in medio multa alia loca refert & expungit.

6. Undè meritò, quod superius dictum est, de peccatis subditorum tribuendis ipsorum superioribus, reperitur sancitum in *cap. irrefragabili 13. de off. jud. ord.* ibi, *irrefragabili constitutione sancimus, ut Ecclesiarum Prælati ad corrigendum subditorum excessus, & reformandum mores, prudenter, ac diligenter intendant, ne sanguis eorum, de suis manibus requiratur*, hæc ibi, ubi *glos. in ver. ne sanguis* subdit, *durum verbum, pro Prælatis negligentibus subditos corrigere*; tum quia tenetur Prælatus corrigere suos subditos, *cap. ut famæ 35. de sent. excom.* tum etiam, quia negligentia non excusat à mortali, *glos. ver. Reatu argum. cap. ea, quæ 3. de offic. Archid. per cap. dictum, distin. 81.* tum etiam, quia taciturnitas inducit peccatum mortale, *glos. ver. taciturnitas, cap. si Papa 6. distin. 40. per c. 1. distin. 33.* & in *cap. Sancta 16. caus. 2. qu. 7.* unde *glossa cit. loc. d. cap. irrefragabilis*, subnectit, *nec admittitur Pastoris excusatio, si lupus Oves comedat, & Pastor nescit; quia eo ipso, quod Prælatus tacet, consentit, dist. 43. cap. sit rector, & ex eo, quod permittit, securitas nascitur delinquendi, cap. est injustitia 23. quæst. 4.*

7. Quamobrem *S. Joan. Chrysostomus, homil. 3. in acta Apostol.* meritò dicit, *non arbitror inter Episcopos, multos esse, qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant, quia sæpe non damnantur propriis peccatis, sed alienis, quæ non coërcuerunt, & S. Aug. in Regula ad fratres*, de Prælatis in fine loquens, ait, *qui inter vos, quantò in loco superiori, tantò in periculo majori versatur, & in psal. 106.* dicit, *quo plus honoramur, plus honoramus, plus periclitamur, & Sac. Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. de refor.* ait, *Ecclesiarum regimen esse onus, Angelicis humeris formidandum.* Ideoque qui desiderant faciliter salvos fieri, sequantur Paulum dicentem, *mundæ sunt manus nostræ à sanguine omnium vestrum, 43. distin. c. Ephesiis, & Act. cap. 20.*

Quæst. 27. An Prælati Regulares peccent mortaliter, si oscitanter permittant suos subditos, passim ac frequenter violare statuta accidentalia sui Ordinis, ad nullam culpam, nec quidem venialem obligantia?

1. SUnt qui affirmant, tum quia prædicta frequens, & continuata transgressio cedit in publicum, & commune damnum Religionis, quam ex præcepto Justitiæ, sivè ex officio Prælationis, tenentur custodire, contrarias consuetudines abolere, reprehendere, & extirpare; alias non forent fideles Custodes Religionis, & ceremoniarum ejus; sed speculatores Cæci, & Canes Muti: ne dicam Anticustodes, & ordinum destructores, tum etiam, quia Prælati Regulares sunt Patres Spirituales; ergo majori obligatione tenentur ea exequi,

qui, quæ ad ſpiritualem ſalutem ordinantur: aliter non Patres, ſed Antipatres dicerentur, Pater enim de Jure naturali, & Divino, tenetur ſaluti filiorum proſpicere: tum item, quia Prælatus, etiam ſi ſit Conventualis, vel Paræcialis, cenſetur Paſtor ſuæ Eccleſiæ, vel Collegii, ergo ſpeciali cura tenetur oves ſibi commiſſas curare, & ovem perditam requirere, & ad caulam gregis reducere; ſecus non Paſtor, ſed mercenarius erit, etenim Paſtoris eſt, ovem perditam inquirere, & ad gregem reducere, ut conſtat ex locis ſcripturæ Sacræ ſupra immediatè relatis.

2. Nec obſtat dicere, quod ſubditus, in caſu poſito, non peccat; ergo nec ſuperior, cum non ſit inferioris conditionis, quia Prælatus ex officio tenetur procurare, ne diſciplina Regularis relaxetur; ſed ut ſecundum omnes ſuas partes à ſubditis obſervetur.

3. Tu autem limita concluſionem prædictam, tunc procedere, quando alias commune bonum; vel ſalus alicujus particularis ſubditi periclitatur; ut ſi, ob hujuſmodi tolerantiam, diſciplina in totum, aut ex magna parte diſſolvitur, aut relaxatur, vel intrinſecè læditur, prout foret in nobis, ſi diſſimularetur repetita transgreſſio ſilentii, quod eſt optimum medium, ad conſequendum finem Religioſæ vitæ, quia in tali caſu, adhibenda eſt correctio, etiam circa venialia, & exiles defectus ſubditorum; ſecus autem; &c. *Emin. Cajet. 2.2. quæſt. 33. ar. 2. § in reſpon. ad quartum, Sotus, de rat. tegendi ſecretum, membrum 2. qu. 2. concl. 3. ver. ſecundam verò partem, Domin. Bannes in cit. loc. 2.2. dub. 2. § ſed ex hoc videtur*, quibus favent *Suar. de Charit. diſput. 8. ſect. 2. concluſ. 3. ver. addendum S. Fauſtus in Theſ. Relig. lib. 6. quæſt. 15. art. 3. Pereg. ad Conſtitutiones Theat. in proœm. fol. mihi 29. Naldus in ſum. ver. Prælatus, num. 11. Sanch. in ſum. lib. 1. cap. 6. nu. 19. Diana p. 3. tr. 2. in dub. reſol. 38. Pelliz. in ſuo Manuali, tr. 3. c. 6. ſect. 1. q. 3.* & magis latè *tr. 5. cap. 2. q. 11. num. 60. & ſeq. Doctiſſimus P. Angelus Maria Verricellus in ſuis moral. tr. 8. Miſcell. q. 54. n. 2. Rod. tom. 3. q. 34. ar. 5. Peyr. to. 2. de Prælat. q. 1. cap. 5. § 1. n. 63. & c. 7. nu. 13. Lez. 1. p. ſum. c. 18. n. 14. Bordon. deciſ. 274. & 485. & egomet to. 2. p. 3. tra. 9. de Prælat. q. 9. n. 2. & ſeq.*

4. Item limita concluſionem prædictam, non habere locum, ſi ex correctione prædicta, Prælatus Regularis fiat nimis ſuſpicioſus, & ſubditis exoſus, vel vita Regularis reddatur execrabilis, & odioſa: *Cajet. cit. loc.* ubi dicit, quod hoc totum relinquitur prudentiæ Prælati, & favet *Emin. de Lugo, diſp. 9. de Juſt. n. 22. & 24. Peyr. & Bordon. cit. loc.*

Quæſt. 28. An Prælatus Regularis teneatur defectus ſubditorum inquirere, ut corrigat, & emendet?

1. Affirmativè *S. Thom. 2.2. qu. 33. art. 2. in reſponſ. ad quartum*, ibi, *unde ſicut ille, qui debet pecuniam creditori, debet eum requirere, cum tempus fuerit, ut ei debitum reddat; ita qui habet ſpiritualem curam alicujus, debet eum quærere, ad hoc, quod eum corrigat de peccato*, hæc ille.

2. Verumtamen Cardinalis Cajet. ibid. dicit, hoc D. Thom. dictum, eſſe intelligendum, ſecundùm Prudentiam humanam; hoc eſt ſecundùm limitationes prædictas immediatè ſupra, & non aliter.

3. Cæterum *Bannes, cit. loc. 2.2. ar. 3. dub. 2. in § nihilominus*, dicit, quod procedit, habetque locum in Prælato, quatenus vicem gerit Patris ſpiritualis, vel Judicis, non autem fratris; nam Prælatus gerit vicem trinæ perſonæ, nempè perſonæ fratris, Patris, & Judicis, prout autem gerit vicem perſonæ fratris, non tenetur inquirere, & inveſtigare; nam ratione fraternitatis duntaxat conſiderata, omnes ſumus æquales; & frater in fratrem nullam habet ſuperioritatem, & ſecundum hæc intelligendus eſt *Aug. in lib. de verb. Domini, ſer. 16.* ubi ait, *admonet nos Dominus noſter, non negligere Peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas, alioquin efficeremur exploratores vitæ aliorum, contra id, quod dicitur Prov. 24. ne quæras impietatem in domo juſti, ſupple communiter habiti.*

4. Verumtamen Prælatus (*ſubdit ipſe*) in quantum eſt Pater ſpiritualis, & judex, poteſt & tenetur inquirere vitam filiorum, ad corrigendum illos propter bonum ipſorum, ex præcepto correctionis fraternæ, quatenus conjungitur cum officio patris; imò, & cum officio Prælati Judicis, etenim ſicut præceptum dandi eleemoſynam magis obligat divitem, quam pauperem, ità præceptum correctionis fraternæ, quod eſt præceptum faciendi eleemoſynam ſpiritualem, magis obligat Prælatum, quatenus eſt Pater & Judex, quàm quatenus eſt frater; nam quatenus eſt Pater & Judex, habet majorem poſſibilitatem divitiarum ſpiritualium, ac proindè potentior eſt, magiſque tenetur ſpiritualem eleemoſynam elargiri: hoc eſt ſuorum filiorum defectus corrigere, eoſque præcavere à malis futuris, omni modo poſſibili.

5. Quod dictum Bannefii, ego intelligo verum, loquendo de correctione fraterna, ſeu paterna, quæ pro fine habet reſpicere emendationem vitæ filii, & reſipiſcentiam à malis; ſecus autem de correctione judiciali, quæ fit in foro contentioſo, ad finem exigendi à Reis pœnas, à lege præſcriptas, in vindictam malorum: hæc enim non eſt exercenda, quin prius præceſſerit clamoroſa inſinuatio, ſeu mala fama, aut accuſatio, vel denunciatio patrati criminis, ut ſæpe dixi.

Quæſt. 29. An ſuperior localis peccet, ſi ſine cauſa diſpenſet in obſervantiis Regularibus, ad culpam non obligantibus?

1. Sub diſtinctione reſolve: aut ſuperior diſpenſat in lege à ſe lata, ſine cauſa, & ſic peccat tantùm venialiter, quia licet ei deſit cauſa, non tamen deeſt poteſtas: undè peccat, ob defectum cauſæ. Verùm diſpenſatio remanet valida: aut diſpenſat in lege ſui ſuperioris; & ſic ſubdiſtinguo, aut diſpenſatio cadit ſuper ea, quæ obligant ad mortale, & ſic peccat mortaliter, & diſpenſatio eſt nulla; tum quia ſic non diſpenſat; ſed diſſipat, & ſubditum ponit in diſcrimine propriæ ſalutis; tum etiam, quia inferior in tantùm habet poteſtatem diſpenſandi in lege ſui ſuperioris obligante ad mortale, in quantum ſubeſt juſta cauſa, non enim eſt veriſimile, quod legislator concedat inferiori facultatem diſpenſandi, circa ea, quæ obligant ad mortale ſine juſta cauſa, quia diſpenſare in re gravi ſine cauſa, eſt peccare mortaliter; ergo concedere inferiori, ut poſſit, ſine juſta cauſa, diſpenſare in lege ſui ſuperioris, eſt ei indulgere, ut valeat cum peccato mortali, ſui ſuperioris legem abrogare, quod non eſt dicendum: ergo juſta cauſa dat facultatem diſpenſandi, quâ ſtante, ſtat diſpenſatio, & ablatâ, aufertur.

2. Igitur Prælatus inferior, ſi diſpenſat ſine juſta cauſa, ultra peccatum mortale, reddit diſpenſationem nullam, & irritam, cum ad valorem cujuſlibet actus requiratur poteſtas, *cap. cum ſuper, de offic. delegat. & l. cum ſe, C. de donat. ante Nupt.* & docent omnes juriſtæ.

3. Secus autem, ſi diſpenſatio cadat ſuper ea, quæ non obligant ad mortale, quia in tali caſu, licet diſpenſans peccet venialiter, ob defectum cauſæ, remanet tamen diſpenſatio valida, quia illicita actio diſpenſandi, non aufert poteſtatem legislatori volenti, ut inferior Prælatus poſſit, in caſu poſito, validè diſpenſare.

4. Nec objicies dicens, quod diſpenſare ſine cauſa circa ea, quæ non obligant ad mortale, eſt etiam diſſipare, ergo peccabit mortaliter.

5. Fallit enim cõſequentia, quia licet ſit aliqualis diſſipatio,

patio; non est tamen præjudicialis dispensatio. Undè remanebit peccatum veniale, ob defectum causæ, non autem mortale, cum dispensatio, ut dictum est suprà, remaneat valida, & docent *Layman. lib. 1. tr. 4. cap. 22. §. quod autem, Sanch. lib. 1. sum. cap. 20. Tambur. tom. 3. disp. 4. qu. 9. num. 10. & Bordon. decis. 276.*

Quæst. 30. An P. Generalis, vel Capitulum Generale teneatur Regulam relaxatam reformare?

1. EX decisis *tom. 2. p. 3. tr. 12. qu. 7.* affirmativè respondendum est; quia tam P. Generalis, quàm Capitulum Generale, tenentur communi bono Religionis providere, ad quam restauratam Regulam amplectendum, & observandum, possunt, & debent subditos professos compellere: & hi Religiosi professi tenentur obedire, ex vi voti in professione præstita, cum astringantur ad id, quod est secundum Regulam, ut constat ex decisis, ubi supra.

Quæst. 31. Si Regula Religionis, sit consuetudine relaxata, an Professi teneantur illam observare in suo primo rigore, vel potiùs secundum consuetudinem, quæ in tali Religione viget?

1. REspondent communiter Doctores, eos, qui profitentur secundùm consuetudinem, quam inveniunt, licet sciant Regulam aliter præcipere, non excusari à peccato, si Regulam non servent, quoad vota substantialia, obedientiæ scil. paupertatis, & Castitatis, quia nulla consuetudo potest contra prædicta vota prævalere, quia dicta vota, non solum sunt de substantia Religionis, quibus scil. deficientibus, deficit Religio Regularis, verum etiam, sunt de Jure naturali Divino, contra quod consuetudo non potest prævalere.

2. Verùm quoad statuta accidentalia, Regulæ adjuncta, non conveniunt Doctores; nam sunt, qui dicunt, teneri professos ea servare in suo pristino rigore, non obstante consuetudine, quæ dictam Regulam relaxavit, etsi limitatam intentionem habuerint profitendi solum Regulam collapsam, *Corduba in Regul. S. Francisci, cap. 10. q. 15.* & movetur ex eo, quia Regula, quoad omnes suas partes, reperitur approbata à S. Sede.

3. Alii verò dicunt, prædictos professos non teneri prædicta accidentalia servare, ut in pristino rigore; sed prout de facto servabantur, tempore professionis: ducunturque ex eo, quod cum hujusmodi statuta sint uti leges Ecclesiasticæ, quæ contraria consuetudine abrogantur, vim legis amittunt, si tamen consuetudo non sit talis, quæ sufficiat ad leges Ecclesiasticas abrogandum, non excusantur professores servando Regulam collapsam *Navar. in sum. c. 12. n. 50. Azor. 1. p. lib. 13. cap. 11. qu. 15. & Bartol. à S. Fausto lib. 6. de Voto Obed. q. 75.*

4. Verùm in meo ordine præsens quæstio locum non habet, ex eo, quod Prælatus Monasterii Novitiatus, Novitio ad terminum professionis pervento expressè protestatur, quod professio, quam intendit emittere, obligabit ipsum, mox professione sequuta, ad prædicta tria Religionis vota, contenta in Regula S. August. nec non ad Constitutiones Ordinis Prædic. prout in se sunt; & non secundùm quod hodie hic, vel alibi observantur, prout liquet *ex dist. 1. de Novit. cap. 4. tex. 10. fol. 59. col. 1.* & sic non est apud nos dubitationi locus.

Quæst. 32. An Regula, ob contrariam sibi consuetudinem, possit ex toto, vel ex parte tolli, & abrogari?

1. ERuditissimus *Azor. 1. p. instit. moral. lib. 13. cap. 11. q. 15.* cui favet *Faustus, lib. 6. de voto Obed. q. 105.* dicit; quod Regula quatenus continet essentialia vota Religionis, ut purà Castitatis, paupertatis, & Obedientiæ, & retinet particularem habitum sibi præscriptum à S. Sede, non potest tolli consuetudine; quia contra substantialia Religionis, consuetudo nullam vim habet, nec potest habere; cum dicta vota sint de Jure naturali, & Divino: secus autem quatenus continet Constitutiones, ab essentialibus distinctas: verùm ego hoc secundùm ejus dictum non admitto: nisi consuetudo sit talis, qualis requiritur ad abrogandum leges Ecclesiasticas, latas à S. Papa; hoc est, rationabilis, legitimè præscripta, nota Principi, cui præjudicat, & ab eodem tolerata, per allegata, *tom. 1. p. 1. tr. 1. q. 22.*

2. Nec hoc ejus dictum potest habere locum in ordine Prædic. propter peculiarem, & expressam protestationem factam in ejus Prologo, *tex. 1. sub lit. C. fol. 3. col. 1.* ibi, *Ideò particulares consuetudines, præter Regulam, Constitutiones, & Ordinationes Capitulorum Generalium fugiendæ sunt, & amputandæ, &c.* & infrà ad majorem Cautelam dicitur, *admonentur Prælati, ut diligenter attendant, ne contra constitutiones, abusus, aut Consuetudines prævalere incipiant: super quo Provincialium, & Visitatorum Conscientias oneramus, ut si quos Priores aut Præsidentes invenerint, qui abusus inducant, aut Consuetudines nostris legibus contrarias in communi tolerent, in pœnam, ab Officiis absolvant:* hæc ibi.

3. Ex quibus benè vides, quod consuetudines nostris statutis contrariæ, non solum non tolerantur, sed rigorosè puniuntur, & loquitur Constitutio de consuetudine introducta, vel introducenda contra observantias accidentales. Si de quo minùs, ergo, & de quo magis.

Quæst. 33. An Romanus Pontifex possit super totam Regulam dispensare, aut illam tollere, & mutare?

1. ET dico, quod sic: ex rationabili tamen causa; tum quia ipse est Christi Vicarius, plenariam potestatem habens in tota Ecclesia; tùm etiam quia S. Papa potest dispensare in omnibus votis solennibus, ut constat *ex decis. tract. de statu Relig.* ergo multò fortius poterit dispensare in cæteris accidentalibus Regulæ; tum item, quia res per quas causas fit, per easdem potest dissolvi; sed Regula Religiosorum fit & instituitur à S. Papa, ergo.

2. Dixi *ex justa causa*; quia alioquin peccaret, ut docent communiter Theologi, quos sequitur *Riccard. 4. sent. dist. 38. q. 2. ar. 9. & Bar. à S. Fausto, de voto obed. q. 114. in nov. & egomet tom. 1. par. 1. tract. 5. q. 14. n. 10. & tract. 9. clausf. 4. n. 12. & tract. 11. q. 11. n. 6.* licet quidam Juristæ dicant, eum nullatenus peccare, sed uti sua plenissima authoritate, quam habet erga res Ecclesiæ.

Quæst. 34. An P. Generalis, vel ejus Capitulum Generale possit Regulam ex toto, vel ex parte tollere, & mutare?

1. REspondeo negativè; si tamen Romani Pontificis authoritate reperiatur confirmata: bene verum est, quod supremi Superiores Religionis, regulariter loquendo, Jus, & potestatem habent dispensandi, justis tamen causis, cum omnibus sibi subditis, super totam Regulam: exceptis tamen votis essentialibus, ut in Diplomate dicitur, nec Regula per hujusmodi dispensationem censetur abrogari, vel mutari. Sed Religiosi, ab hoc, vel illo Regulæ præcepto, ad tempus, & ob aliquam justam causam eximuntur; ut notant *Azor. 1. par. instit. Moral. lib. 14. cap. 11. q. 14. Faustus lib. 6. de voto obed. q. 104.* & praxis ipsa docet.

TRACT.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE PROCURANTIBUS OFFICIA ORDINIS.

Quæst. 1. An liceat Religiosis officium Curatum suæ Religionis procurare?

1. EX latè resolutis *tom. 2. p. 3. tract. 9. de Prel. q. 8.*
negativè dicendum est, etiamsi simus in Re-
ligioso digno, & pio; absolutè tamen, & pra-
cticè loquendo; nam officium Curatum, sive
Prælaturam appetere, & procurare, est se exponere ma-
gno periculo damnationis Animæ, ob multitudinem, &
gravitatem obligationum, quas secum afferunt hujusmo-
di officia, ut ibidem declaratum est, de quibus *Sot. lib. 10.*
de Just. qu. 2. ar. 1. Ledesma de statu Episcop. c. 3. dub. 2. Peyr.
tom. 2. de Prelat. q. 1. c. 6. Unde *Tambur. de Jure Abbat.*
tom. 1. disp. 10. q. 1. n. 2. inquit, *Nihil est Monacho in hac vita*
periculosius, quam officium, vel Prælaturam expetere, nam
qui ambitiose exquirendo, tale onus desiderat, non Religiosus
Monachus, sed mundanus homo est appellandus.

2. Dixi *absolutè loquendo*, quia sub conditione licet ap-
petere, si scilicet Deo, & meis Superioribus placuerit, si
Deus dignabitur mihi concedere totum illud, quod re-
quiritur ad præessendum aliis, & prodessendum Eccle-
siæ sanctæ: hoc enim non est se ingerere Prælaturæ; sed
Deo se humiliter offerre, quod virtuosum est, *Card. Caiet.*
in sum. verb. beneficia Ecclesiastica §. beneficium, Corrad.
1. par. casuum, q. 252. §. quarta est, & Peyr. cit. loc.
nu. 12.

3. Dixi *officium Curatum*, quia loquendo de aliis offi-
ciis Religiosorum, quæ Prælaturæ non sunt, etsi præemi-
nentiam tantùm habent, licet illa appetere: dummodò
appetantur, non ad pompam, & ambitionem, sed ad Dei
honorem, & gloriam, necnon ad utilitatem proximo-
rum, & quia sibi debentur, quod procedit, etiamsi de illis
collatis, vel conferendis gaudeat, & lætetur, quemadmo-
dum potest quis licitè delectari, & appetere, ut res sibi
debita, non denegetur, ea ratione, quia sibi debita solvi-
tur, sic pariter dicendum est de hujusmodi honoribus;
Lez. verb. officia Relig. nu 9. Verùm faxit Deus, ut hujus-
modi officia debita sint, & ad Dei honorem, & gloriam
appetantur.

Quæst. 2. An integrum sit Religiosis officia sui Ordinis, per extraneos procurare?

1. PP. Dominicani, propter multa Decreta S. Sedis,
agnoscunt id sibi non licere; ad quod habent mul-
tas Bullas Summorum Pontificum, & præsertim Greg.
XIII. Clem. VIII. & Pauli V. quas hic placuit extendere
ad omnem bonum finem.

2. *Gregorius Papa XIII. ad futuram rei memoriam.*
Cum nihil magis Religiosorum statum perturbat, quam fa-
vorum, & suffragiorum secularium nuncupatio, & conqui-
sitio, quibus superiorum æquamens, quæ promeritis suorum
unicuique subditorum tribui debet, pervertatur. Vos malum
hoc ab Ordine Fratrum Prædicatorum, cujus prosperum re-
gimen, & incrementum, ad Ecclesiæ S. utilitatem sinceris ex-
optamus affectibus, pro nostra Pastorali solicitudine propel-
lere, summoperè cupientes, dilectis filiis Magistro Generali,
ac Provincialibus, & reliquis ejusdem Ordinis Prælatis,
nunc, & pro tempore existentibus per Apostolica scripta, &
in virtute S. Obedientiæ præcipimus, & mandamus, ne
ad instantiam, & requisitionem quarumcunque persona-
rum tam Laicarum, quam Ecclesiasticarum, extra supra-
dictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus ho-
nore, ac quacunque seculari dignitate, & excellentia, et-
iam Ducali & Regali, & Imperiali fulgentium, cuivis di-
cti Ordinis Religioso ullam gratiam concedere, vel pœnas
aliquas remittere audeant, seu præsumant: quinimmò quos-
cunque ejusdem Ordinis Fratres, & Religiosos, qui contra
decreta suarum Constitutionum hac via, & iis mediis per
mendicatos favores & suffragia, aliquid sibi procurave-
rint, ad alia & similia, & etiam majora, in eodem Ordine
consequenda, Apostolica authoritate, tenore præsentium, in-
habilitamus, ac inhabiles perpetuò fore & esse, neque per
quoscunque, si per Sedem Apostolicam rehabilitari, ac cum
ipsis desuper dispensari posse, sicque per quoscunque Judices,
Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici
Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cui-
libet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, au-
thoritate judicari, & definiri debere, irritum quoque, & ina-
ne quidquid contra præmissa aliquibus concessum fuerit, aut
super iis à quoquam contigerit attentari, authoritate, & te-
nore prædictis decernimus, & declaramus, non obstantibus
Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Or-
dinis, etiam juramento, & confirmatione Apostolica, vel
quavis firmitate alia roboratis, & statutis, & consuetudi-
nibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis,
quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis, quibus om-
nibus eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur,
præsentibus pro sufficienter expressis habentes, & earumdem
præsentium effectum specialiter, & expressè derogamus. Ce-
terisque contrariis quibuscunque; volumus autem, quod præ-
sentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus publici
Notarii subscriptis, & sigillo dicti Magistri Generalis obsi-
gnatis, eadem ubique fides adhibeatur, quæ ipsis originali-
bus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.
Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die
1. Junii 1580. Pontificatus nostri anno nono.

3. *Clemens Papa VIII. ad perpetuam rei memoriam.*
Religiosos viros, sicut honorum gradus, cum ad eos assumun-
tur obedienter suscipere, susceptosque humiliter administrare
oportet; sic ad eos mendicatis secularium præsertim perso-
narum studiis, aditum sibi patefacere minimè convenit.
Cum itaque fel. record. Gregor. Papa VIII. prædecessor no-
ster, per suas in forma brevis literis, die 1. Junii, 1580. Pontifi-
catus sui anno nono datas, Magistro Generali, ac Provincia-
libus, & reliquis Ordinis Fratrum Prædicatorum Prælatis,
tunc, & pro tempore existentibus, in virtute S. Obedientiæ
mandaverit, ne ad instantiam, & requisitionem quarum-
cumque personarum, tam Laicarum, quàm Ecclesiastica-
rum, extra supradictum Ordinem constitutarum, etiam
Cardinalatus honore, ac quacunque seculari dignitate, &
excellentia etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium,
cuiusvis dicti Ordinis Religioso ullam gratiam concedere,
pœnas aliquas remittere auderent, quinimmò quoscunque
dicti Ordinis Fratres, & Religiosos, qui contra Decreta sua-
rum Constitutionum, hac via, & iis mediis, per conquisitos
favores, & suffragia aliquid sibi procuraverint, ad alia & si-
milia, ac etiam majora in eodē Ordine consequenda, perpetuò
inhabiles etiā declaraverit, prout latiùs in eisdē literis contine-
tur,

tur, cumque, ut accepimus, à nonnullis ambigatur, an sub gratiarum vocabulo, gradus, honores, dignitates, officia, & munia Ordinis præfati comprehendantur.

Nos Ordinis prædicti quieti, ac Religiosorum illius saluti opportunius consulere, aliasque in præmissis providere volentes, ac literarum præfatarum, necnon Decreti Capituli Generalis ejusdem Ordinis in executionem earumdem literarum facti, quod incipit. Quamobrem singulos nostri Ordinis Prælatos admonemus, veriores, ac certos tenores præsentibus pro expressis, ac ad verbum insertis habentes, motu proprio, ex certaque nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, literas, ac decretum hujusmodi, ac in eis contenta quæcunque Apostolica authoritate, tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, & singulos tā juris, quàm facti, & alios defectus si in eis intervenerint, supplemus.

Et nihilominus præfatam Gregorii, de gratiis, ut præfertur, per mendicatos favores minimè concedendis prohibitionem ad quoscunq; gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, prælaturas ejusdem Ordinis, perpetuò extendimus & extendi debere decernimus.

Et propterea dilectis Magistro Generali, Provincialibus & aliis Prælatis ac Superioribus, ejusdem Ordinis, ne post hac aliquod præmissorum, cuiquam ad instantiam seu requisitionem vel contemplationem personarum superius expressarum quarumcūq;, quovis modo concedere, Religiosis verò, ac fratribus ejusdem Ordinis quibuscunque, non solùm in præmissis omnibus sæcularium favorem minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatum, aut ab eis minimè procuratum recipere, & similiter ne ad hunc effectum munera aliqua sæcularibus impendere, vel exhibere audeant, vel præsumant authoritate Apostolica, tenore præsentium, in virtute S. Obedientiæ, ac sub eisdem pœnis in dict. Gregorii literis contentis præcipimus, & expressè interdicimus, & prohibemus ejusdem authoritate, & tenore statuentes, quod omnes, & singuli in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrant, quodque ad illos sententias, & pœnas damnabiliter incurrisse legitimè probandum, & omninò convincendum, sola præmissarum personarum instantia, favores, & preces, etiam oretenus porrectæ, plenam, indubiam, & sufficientem, in judicio, & extra, fidem faciant, ne ad id probationis alterius adminiculum requiratur, sicque ab omnibus ejusdem Ordinis Superioribus, Prælatis, & personis, ac aliis Jud. ibus Ordinariis, & Delegatis, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri, atque interpretari debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, perpetuò decernimus, & statuimus.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, dictique Ordinis statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ac omnibus illis, quæ dict. Greg. prædecessor in præfatis literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem, ut præsentes literæ in quibuscunque Capitulis, tam Generalibus, quam Provincialibus, & Conventualibus ut ad singulorum notiam facilius deveniant publicentur, & inter statuta, & ordinationes ipsius Ordinis perpetuò observanda describantur, earumque exemplis, etiam impressis, manu Secretarii, & sigillo alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munitis, eadem, quæ præsentibus fides ubique adhiberi debeat. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 23. Maii 1592. Pontificatus nostri anno 1. M. Vestrius Berbianus.

Paulus Papa V. ad perpetuā rei memoriam. Admonemur Pastoralis officii nostri debito diligentiùs prospicere, ne Religiosis ad dignitates, & officia per emendicata suffragia ambitiosus pateat accessus, alias siquidem fel. record. Greg. Papa XIII. prædecessor noster, per suas in forma brevis literas die 1. Junii 1580. Pontificatus sui anno nono datas. Magistro Generali, ac Provincialibus, & reliquis Ordin. Fratrum Prædicatorum Prælatis, nunc, & pro tempore existentibus, in virtute S. Obedientiæ mandavit, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcunque personarum, tam Laicarum, quàm Ecclesiasticarum, extra supradictum Ordinem constitutarum, etiam Cardinalatus honore, & quacunque sæculari dignitate, & excellentia etiam Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cujusvis dict. Ordinis ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere auderent: quinimmo quoscunque dict. Ord. Fratres, & Religiosos, qui contra Decreta suarum constitutionum, hac via, & his modis per conquisitos favores, & suffragia aliquid sibi procuraverint ad talia, & similia, & etiam majora in eodem Ordine consequenda perpetuo inhabiles etiam declaravit.

Et subinde cum à nonnullis ambigeretur, an sub gratiarū vocabulo gradus, honores, dignitates, officia, & munia Ordinis prædicti comprehenderentur, similis memoriæ Clem. VIII. etiam prædecessor noster per alias similes litteras, die 23. Maii 1592. Pontificatus sui anno 1. datas, Priores literas prædictas, & in eis contenta quæcunque approbavit, & confirmavit, ac prædictam Greg. de gratiis, ut præfertur per mendicatos favores minimè concedendis prohibitionem ad quoscunque gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, prælaturas ejusdem Ordinis, perpetuò extendit, & extendi debere decrevit: & propterea dilectis filiis Magistri Generali, Provincialibus, & aliis Prælatis ac Superioribus ejusdem Ordinis, ne in posterum aliquod præmissorum cuiquā ad instantiam, seu requisitionem, vel contemplationem superius expressarum personarum quarumcunque quovis modo concedere: Religiosis verò, ac Fratribus ejusdem Ordinis quibuscunque non solum in præmissis omnibus sæcularium favorem minimè procurare, sed nec etiā sponte oblatum aut ab eis minime procuratum recipere, & similiter ne ad hunc effectum munera aliqua sæcularibus impendere, vel exhibere auderent, vel præsumerent, in virtute S. Obedientiæ, & sub pœnis in dict. Greg prædecessoris literis contentis præcepit, & expressè interdixit, & prohibuit, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Nos, &c. motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine dict. Gregor. & Clem. prædecessorum prædictas literas, & in eis contenta quæcunque eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, &c. non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 7. Januarii 1608. Pontificatus nostri anno 3. Scipio Cobellut.

5. Quæ quippè literæ Pauli V. habentur, ut jacent, in actis Capituli Generalis Romæ celebrati, anno Domini 1608. die verò 25. Maii, sub Reverendiss. & vigilantissimo P. F. Augustino Galaminio postea Cardinali, §. *denunciationes, nu.* 8. Præfatæ verò literæ Gregorii XIII. & Clem. VIII. habentur apud *Rodr. tom. 2. q. 56. sub ar. 2. & in Bullar. Cherub. fol. mihi* 441. *inter Bullas ejusdem Greg.* 62. *& inter Bullas ejusdem Clem. in d. Bull. Cherub. n.* 17. & quoad substantialia habentur in nostris constit. *dist. 2. de itinerantib. c. 13. sub tex. 9. lit. N. fol. 173. col. 3.* ubi sub pœna gravioris culpæ, privationis omnium gratiarum Ordinis, & inhabilitatis ad quascunque dignitates ejusdem Ordinis, prohibentur Dominicani per extraneos prædicta officia & dignitates procurare, ut ibidem melius est videre.

Quæst. 3. An dictæ Bullæ sint in usu?

1. Respondeo, quod prædictæ Bullæ, apud Prælatos, & subditos Deum timentes, & Pontificum Decreta custodientes, semper fuerunt in usu, sunt, & erunt; tum quia prædicta Decreta Gregor. XIII. Clement. VIII. & Pauli V. ne dum fuerunt in Cap. Generalibus ab ordine receptæ;

recepta; verum etiam, ut propria statuta reperiuntur inserta in dict. nostris Constit. contra quas abusus, seu contrarius usus prævalere non possunt, ut expresse dicitur in *Prol.d. Constit. text.1. sub lit. B. fol.3. col.2.* tum etiam, quia prædictæ Bullæ reperiuntur latæ ex motu proprio, certa scientia & de plenitudine potestatis; ac proinde non possunt tolli, & abrogari per non usum, aut contrarium usum, ut liquet ex decisis, *tom.1. par.1. tra.6. clauf. 2.3. & 4.* ubi latè de his, tum etiam, quia in se habent Decretum irritans, ut constat ex dicta Bulla Greg. XIII. ibi, *irritum quoque, & inane quicquid contra præmissa à quibus concessum fuerit, &c.* & in Bull. Clem. VIII. ibi, *ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari*, quod Decretum irritans, in Bulla prædicta Pauli V. innovatur, & confirmatur; at contra Decretum irritans, non habet locum, non usus, nec contrarius usus, ut constat ex decisis *cit. loc. clauf.12.* ergo.

Quæst. 4. An dict. Bullæ extendantur ad alios Ordines, ac etiam ad Moniales?

1. Affirmativè dic: dummodo proprias Bullas ad id non habeant; nobisque communicent in privilegiis; quia prærecensitæ constitutiones, respectu Religionum, censentur favorabiles, licet respectu particularium Religiosorum censeantur odiosæ.

2. Dixi *Dummodo proprias non habeant, &c.* quia hodie omnis Religio illas habet; nam pro Canonicis Regul. adest dict. Pauli V. Constit.3. pro nobis, ut supra edita, pro Minoribus, & Minimis, & Eremitis S. Aug. adest dict. Pauli V. Constit.18.19. & 48. pro Cruciferis Clem. VIII. Constit. 109. pro Carmelitis Constit.23. & sic de aliis.

3. Unde ad strictiùs cognoscendum, quid in uno quoque Ordine statutum sit, recurrendum est ad speciales Constitutiones Ordinis, quibus deficientibus, recurrendum est ad communes per communicationem sibi competentes, & non aliter.

4. An verò extendantur ad Moniales? negat *Rod. tom.2. q.51. ar.2. in fin.* quia sunt pœnales, &c. verùm fallitur, tum quia respectu Religionum in communi, pœnales non sunt, sed favorabiles, ut dictum est supra, quia per ipsas consulitur quieti, & occurritur ambitioni Religiosorum, ut expressè dicitur in earum proœmio; tum item, quia cum prædictæ Constitutiones reperiantur insertæ in propriis nostris statutis, censentur ut propria statuta, & speciales Constitutiones: at propria statuta, & propriæ constitutiones extenduntur ad Moniales nostri Ordinis, quoad ea, quæ sexui non repugnant, ergo.

Quæst. 5. An dict. Bullæ comprehendant Diffinitores Cap. Generalis, & Provincialis, socios, & collegas P. Generalis, & Provincialis?

1. Negativè dic: si tamen simus in diffinitoribus, qui tantùm eligunt, & aliam Prælationem non habent, quia hi non sunt verè Prælati, de quibus expressè loquuntur dict. Constitutiones, ut constat ex lectura earumdem: si verò Diffinitor in Capitulo ad instantiam alicujus secularis suffragetur pro aliquo fratre, & suo suffragio ille officium obtinuit, an det in pœnas? affirmativè *Portell. in dub. ver. off. ordinis nu. 2.* verùm ego nego; tum quia hujusmodi Diffinitor non est verè, & propriè Prælatus; tum etiam, quia suffragari, non est beneficium concedere, ergo.

Quæst. 6. Pœnæ in dict. Bull. appositæ contra procurantes favores per extraneos, quænam sint?

1. Respondeo, quod in Ordine Prædicat. pœnæ sunt peccatum mortale, quod incurritur propter transgressionem præcepti nobis facti à S. Papa Greg. XIII. in dict. Constit. incipient. *Cum nihil in princ.* ibi, *per Apostolica scripta, & in virtute S. Obedientiæ præcipimus*; item pœna gravioris culpæ, ac privationis omnium gratiarum Ordinis, ut dicitur *cap.18. de graviori culpa, tex.1. sub lit. F. fol.75. col.3.* item inhabilitatis perpetuæ ad eadem, & similia, & majora, usque dum per S. Sedem dispensati non fuerint, ut ibidem *col.4.* & manifestè apparet in dict. Bulla Greg. XIII. item pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut manifestè dicitur *cit. loc. constit. in d. col.4. sub Bulla Gregor. XIII.* quapropter in Capitulo Romano 1589. postquam breve Gregor. de verbo ad verbum relatum est, in §. *quamobrem*; sic habetur.

2. *Quamobrem singulos nostri Ordinis Prælatos admonemus, ut scientes, se non posse absque peccato mortali, quidquam ad sæcularium, vel personarum extra ordinem constitutarum, instantiam concedere, abstineant prorsus, neque id unquam faciant; subditos verò pariter admonemus, ut considerantes, se inhabiles fieri ad ministeria omnia, caveant, ne aliquid hoc modo procurent*, hæc ibi, quæ reperiuntur inserta in *dist. 2. de itinerantibus, c.13. tex.9. sub lit. N. fol. 174. col.1.* in fine cujus repetitur pœna excommunicationis latæ sententiæ; quod Decretum latum in dict. cap. Romano confirmatur, & renovatur per Clement. VIII. in dict. sua Constit. desuper extensa.

Quæst. 7. An dictæ pœnæ incurrantur statim admissâ culpâ, & debeantur ante Judicis declarationem, & à quo Judice dict. declaratio sit facienda?

1. Respondeo, quod nulla pœna incurritur, nec debetur, etiam quoad forum poli ante Judicis sententiam condemnatoriam; exceptis tamen irregularitatibus, & censuris, quæ ex usu, & praxi Ecclesiæ, admissa culpa, illico incurruntur, & animam afficiunt, ut liquet ex decisis, *tom.1. p.1. tract.1. q.33.* & 34. & latius *2. p. de largit. muner. tra.15. q.25.* & latissimè *to.2. par.4. de recipiendis ad habitum, tract.19. q.24. & seq.* tum quia nemo debet esse executor pœnæ contra seipsum, ut eruditè docet *S. Tho.* communiter acceptus *2.2. q.62. ar.3. in corp.* ibi, *cujus inflictio pertinet ad judicem.*

2. An vero Judex valeat Reum astringere ad exercendum in se aliquam actionem pœnalem, ante Judicis condemnationem? affirmativè dixi, *cit. loc.1. p. nu.5. & 6.* loquendo de posse; quod tamen usque modo à nemine vidi factum, quia fortè apprimè difficile censetur, ut ibidem dico *n.7.*

3. Nec obstat illa clausula, *ipso facto*, in Bullis expressa, quia refertur ad pœnam patratæ culpæ, *argum. cap. de causis, §.1. de off. delegat.* quam pœnam Judex inferior, non potest ad placitum variare, sententia verò Judicis declaratoria respicit factum, quod exigitur pro fundamento pœnæ infligendæ, à lege impositæ, quæ quippè facti sententia fieri debet à Judice competente; secùs, ob defectum potestatis non valeret, utpotè facta à Judice non suo, & debet fieri parte citata ad dicendum causam, quare non debeat declarari incidisse in pœnas; tum quia citatio ad sententiam est de substantialibus, quæ nec in Judicio Summario possunt præteriri, *cap. qualiter, & quando, 24. de accusat. & Clem. sæpè contingit, 2. de verb. significat*, tum etiam, quia monitio est de Jure naturæ, & de intrinseca ratione defensionum, quæ, nec quidem per summum Principem possunt abrogari: unde commu-

communiter dicitur, quod contra inauditam partem, nihil rectè potest in judicio diffiniri.

4. Nec nocent illa verba Bullæ Clem. VIII. supra positæ, utpotè, *quod omnes, & singuli in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, & absque processu desuper habendo, sententias, & pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso, incurrant, quodque ad illos sententias, & pœnas damnabiliter incurrisse legitimè probandum, & omnino convincendum, sola præmissarum instantiæ favores, & preces, etiam oretenus porrectæ, plenam, indubiam, & sufficientem in Judicio, & extra, fidem faciant, ne ad id probationis alterius adminiculum, requiratur, sicque ab omnibus, &c.* hæc ibi.

5. Quia in his verbis S. Papa non dicit, quod omnes, & singuli in præmissis delinquentes de se, & per se solum, absque sententia declaratoria Judicis, teneantur solvere pœnas impositas, sed dicit, quod ad probandum, & convincendum Reos incidisse in pœnas appositas, sufficiunt solæ præmissarum instantiæ, favores, & preces, etiam oretenus porrectæ, &c. & hoc ideo, quia in casu, de quo agitur, preces, & instantiæ subrogantur, & habentur loco processus: unde delinquens, in casu posito, non potest impedire sententiam declaratoriam ex eo, quod super prætensis, non adest processus judiciorum, vel quod testes non fuerunt examinati sub juramento, & quod ipse non fuit citatus ad videndum Testium juramenta, nec ad percunctandum acta, vel quod non fuit citatus ad deponendum, ut principalis, pro contestatione litis; quia hæc omnia in casu posito, jussu Papæ, cadunt, ac proinde Reus delinquens, non potest dicere, quod non est in actis, nec est in mundo, quia ut dictum est, supradictæ preces, & instantiæ habentur pro processu juridicè compilato:

6. Veruntamen, quia esse potest, ut sæcularis fraudulenter, & malitiosè instet apud Prælatum, pro aliquo fratre, ad hoc, ut ille fiat inhabilis, & pœnas incurrat, ne hac via Religiosus remaneat inhabilis, & pœnis affectus, debet audiri in suis Juribus, ne fortè innocens condemnetur.

Quæst. 8. Prælati Ordinis Prædicatorum ad instantiam extraneorum concedentes, in quas pœnas dant?

1. ET quidem peccare mortaliter, ob violationem præcepti, per Rom. Pontif. sibi facti in principio prædictarum constit. certum est, & constat ex decisis.

2. Benè tamen verum est, quod exindè non privantur suis officiis, nec redduntur inhabiles: quia hæ pœnæ in dictis Bullis imponuntur subditis, per extraneos officia procurantibus, non autem Prælatis concedentibus, ut dicitur, ibi, *quinimmò quoscunque ejusdem ordinis fratres, & Religiosos, &c.* quod confirmat Paulus V. in prædicto suo motu proprio, pro nostris Dominicanis, absque ulla pœna excommunicationis, edito, ut patet ex eodem motu.

3. Nec in præcitatis nostris constit. pœna excommunicationis reperitur expressa, contra Prælatos; sed contra subditos dicti Ordinis ut ibidem est videre: immò sæpe sæpius Prælati jam dicti, excusantur à mortali, ut si concedant rem levem, utpote exire à Conventu per paucos dies, vel ad redimendam propriam vexationem, aut ad cavendum sibi aliquod grave malum, non enim dictæ Bullæ præsumuntur obligare cum tanto rigore.

4. Dixi *Prælati Ordinis Prædicatorum*, quia Prælati Ordin. Minorum, & Minimorum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservatæ prohibentur prædicta cōcedere, ut constat ex dicto motu proprio Pauli V. pro eisdem ordinibus concesso; etenim licet prædictus motus proprius Pauli V. quoad substantialia sit ferè idem in omnibus ordinibus, non tamen quoad pœnas, & censuras, ut constat ex illo, quem intendit *Portell in dubiis ver. offi. Ord. nu. 3.* & *Peyr. tom. 1. de subdito q. 2. c. 2. §. 11. pag. 181. col. 1.*

Quæst. 9. Sub gratiarum vocabulo, an comprehendantur gradus, honores, dignitates, Officia ordinis, & similia?

1. PRæsens dubium ortum habuit à dict. Bulla Greg. XIII. ubi in virtute S. Obedientiæ mandat Generali Magistro, Provincialibus, & reliquis ejusdem Ord. Prælatis, pro tempore existentibus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque personarum laicorum, quam Ecclesiasticarum extra dict. ordinem constitutarum, cuivis dict. Ordinis Religioso, ullam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere audeant, vel præsumant.

2. Exinde fuit quæsitum, an sub tali verbo, tam generali, comprehenderentur gradus, honores, dignitates, munia; officia Ordinis, & similia.

3. Ad quod dubium Clemens VIII. in sua constit. supra posita, affirmativè respondet, ibi, *nihilominus præfatam Gregorii, de Gratiis, ut præfertur, per emendicatos favores minimè concedendis, prohibitionem, ad quoscunque gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones, Prælaturas ejusdem ordinis, perpetuò extendimus, & extendi debere declaramus, &c.* hæc ibi.

4. Ad quorum majorem notitiam adverte, quod in dict. Ordine Prædicatorum, nomine gradus, venit Magistratus, Baccalaureatus, Generalatus, Procuraturatus Generalis Ordinis, Prædicaturatus Generalis, &c. nomine dignitatis, venit illa, quæ habet jurisdictionem in foro externo, & rerum administrationem, ceu sunt Prælatus Conventualis, ac omnes alii superiores, qui administrant res ad suum officium concernentes, & habent jurisdictionem externam in suo districtu.

5. Nomine officii, venit illud, quod habet administrationem rerum aliquarum sine jurisdictione fori externi, sicut sunt in nobis, officia Sindici, Capsarii, Procuratoris, Sacristæ, Janitoris, & Vicariatus Conventus, & similia; hi enim omnes, quamvis in præsentia Prælati localis, habeant aliquarum rerum administrationem, nullam tamen habent jurisdictionem in externo foro.

6. Personatus autem est illorum, qui neque habent rerum administrationem, neque jurisdictionem; sed solum præcedentiam in Choro, vel in alio loco, propter particularem excellentiam, vel remunerationem laborum, prout in nobis sunt Regentes in Capitulo, qui ibidem præsunt in actibus literariis, vel Cantores in cantando, Lectores actualiter legentes, Magistri in Theologia, & illi Patres, qui fuerunt Provinciales, qui elapso Provincialatu, retinent locum, & vocem super illos, qui non fuerunt Provinciales, hi namque non habent rerum administrationem, neque jurisdictionem in foro externo, at solam prælationem vocis & loci; de quibus eruditè *Syl. ver dignitas, Remigius Scropha, in suis moralibus q. 32. ar. 2. nu. 6. & ar. 3. n. 3. in fin. Portell. in dub. ver. officia Ordinis, in addit. & egomet, tom. 1. p. 2. tr. 15. de largit. muner. q. 26. & tom. 2. p. 4. tr. 2. de recip.* ubi ad hæc habes declarationem Sixti V. & differentiam inter prædicta, sub quibus stat, & continetur omne, & totum illud, quod est in Religione honorificum, diversis tamen nominibus nominatum.

Quæst.

Quæst. 10. Prælatus, quot modis potest ad instantiam sæcularis, pœnas suo Religioso dimittere?

1. RESpondeo, quòd tribus modis potest Prælatus ad instantiam sæcularis, pœnam dimittere. Primò si nullam omninò pœnam à lege taxatam, vel secundùm dictamen rationis debitam, subdito imponat. Secundò, si ex tota pœna debita, partem tantùm imponat. Tertiò, si in pœnitentia jam imposita dispenset, eamque auferat. *Portell. in dub. vèr officia ordinis in addit. n.* 14. quod intellige verum, in pœna justè debita, vel imposita: nam si Prælatus ad instantiam sæcularis auferat pœnitentiam, quam alicui fratri injustè imposuit, non incurrit, quia hoc non est remittere ex gratia, sed ex justitia, quam unicuique subdito Prælatus tenetur administrare.

Quæst. 11. Si Prælatus superior injustè nolit confirmare subditum Canonicè electum, & rogante sæculari illum confirmet, an det in pœnas prædictas?

1. NEgativè *Portell. in dub. ver. officia Ord. nu.* 28. tum quia in rigore non facit favorem Religioso, cum fecerit, quod debebat facere ex justitia: tum etiam, quia confirmare electum in rigore, non est dare officium, ergo, &c.

Quæst. 12. Si Prælatus inferior, utpotè Prior, ad instantiam sæcularis, petivit à suo Provinciali, ut det officium alicui fratri, & obtinuit, an sit pœnis obnoxius?

1. NEgativè *Portell. cit. loc. nu.* 14. quia Bulla prohibet concedere; iste autem Prælatus inferior, in casu posito, non concedit; nam intercedere, non est concedere; nec item Prælatus major pœnas incurrit; quia concedit ad instantiam Prælati inferioris, qui non est sæcularis; ergo in casu posito Bullis prædictis non est locus; secùs verò dicendum, si Prælatus concedens sciat inferiorem Prælatum petere ad instantiam sæcularis, quia sic tunc Prælatus superior verè concederet, ad instantiam sæcularis, contra dispositionem d. Bullæ.

Quæst. 13. Si Prælatus, intuitu alicujus sæcularis amici, det officium alicui fratri amico, vel consanguineo dicti sæcularis, an subjiciatur pœnis?

1. NEgativè *Portell. cit. loc. nu.* 15. cui favet *Peyr. tom.* 3. *Privil. c.* 10. *de addendis ad Constit. Pauli V. nu.* 2. & meritò, quia concedere intuitu sæcularis, non est concedere ad instantiam, & requisitionem sæcularis, ut vult, & petit Bulla, quia hæc verba denotant particularem, & præviam actionem sæcularis, precum & similium, & non unam tantùm, sed tres, aut duas ad minùs instanter, affectuosè factas, apud Prælatum pro Officio obtinendo.

2. Hinc item amplia, ut nec ille Prælatus det in has prædictas pœnas, qui rogante tantùm sæculari, sed non instante, vel premente, nam is instare non dicitur, nec instanter requirere, dum simpliciter petit, *Peyr. cit. loc.*, nec similiter incurreret Prælatus, qui jam destinaverat aliquem ad aliquam dignitatem assumere; si ante assumptionem instetur à sæculari, pro eadem dignitate eidem Religioso tribuenda; etiam si Prælatus dicto sæculari dicat, tibi serviam; quia præfata dignitas, in tali casu, nullo modo confertur ad instantiam sæcularis, cum jam fuerit animi destinatione collata, motu proprio superioris, & illud verbum, *tibi serviam, & morem geram*, intelligitur curialiter dictum, *Peyr. cit. loc.* quod intellige verum, si tamen exinde non oriatur scandalum.

3. Amplia, ut nec pœnas incurreret ille Prælatus, qui instanter rogatus à sæculari, ut aliquod officium Religioso daret, si illud ei daret, non principaliter propter preces sæcularis, sed propter merita Religiosi, prout expressè dicitur *in cap. cùm* 10. *de ætat. & qualit. Ordin.* ibi, *nullum prorsus habeas respectum ad petitionem illicitam, quam quidem laici faciebant, sed ex tua dumtaxat provisionis officio*, ubi, *glos. in ver. nullum prorsus*, loquendo de precibus, ait: *sed si dignus est, potest etiam preces porrigere superiori cum indiget, quia tunc non præsumitur ambitiosus, sed potiùs propter necessitatem, aliàs potest dici, quod Simonia esset, argum. cap. filium*, 1. *q.* 1.

4. Ad quod dictum legendus est *S. Tho.* 2. 2. *q.* 100. *ar.* 5. ubi *in respons. ad tertium*, ita loquitur, *& ideo, si aliquis principaliter ad hoc intendit, Simoniam committit. Videtur autem ad hoc principaliter intendere, qui preces, pro indigno porrectas exaudit: unde ipsum factum est Simoniacum. Si autem preces pro digno porrigantur, ipsum factum non est Simoniacum: quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid confertur, potest tamen esse Simonia, intentione, si non attendatur ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum*, hæc ille, de qua aurea Doctrina, *Portell. cit. loc. nu.* 29. *& Peyr. cit. loc. num.* 10. multa dicunt.

Quæst. 14. Si Prælatus conferat officium Fratri A. ut morem gerat sæculari, dicenti, frater A. est bonus Religiosus, & meus amicus, & consanguineus, & est bonus pro tali officio, datne in pœnas?

1. SUb distinctione resolve, aut concedit officium, motus dumtaxat à prædicto sæculari, qui fuit sibi ita loquutus, & sic incidit, quia sic verè contulit ad instantiam sæcularis, quo alias sublato, aut tacente, non contulisset, aut fuit motus principaliter ex illius fratris benè meritis, & consequenter ex illo sæculari ita dicente, & sic non incurrit, ut expressè dicitur *in d. cap. cùm* 10. *de ætat. & qualit.* Confirmatur, quia in isto casu, verba prædicta non censentur instantiæ, sed consulta ad justè operandum, *Peyr. cit. loc. sub nu.* 2. *in fin.*

Quæst. 15. Si Prælatus concedat officium fratri A. ut morem gerat sæculari, qui sibi ad talem finem multa munera dedit; datnè in pœnas præfatas?

1. ET dico, quod sic, si prædicto Prælato constet de tali proposito donantis, quia qui muneribus instat, potentissimè instat, etiamsi donator nihil dicat: nam munera ipsa, pro dicto effectu loquuntur: secus autem, si bona fide munera reciperet, quia in hoc casu, nulla intercedit instantia, nec dona sunt eo fine recepta. Unde sic concedens censetur potiùs concedere intuitu sæcularis, ut benè advertunt *Portell. & Peyr. cit. loc.*

Quæst. 16. Si Prælatus licentiam concedat alicui fratri eundi foras per longū tempus, ad petitionē sæcularis; ad hoc, ut ejusdem aliquod negotium peragat, an det in pœnas prædictas?

1. ET dico, quod non: quia in hoc casu, nullum favorem principaliter facit Fratri, sed Sæculari; secùs autem dicendum est, si primò principaliter intendebat favere Fratri, & secundariò sæculari, prout colligitur *ex d. cap. cùm* 10. *de ætat. & qualit.* & patet ex Decisis.

Quæst. 17. *Prælatus concedens officium ad instantiam monialium sui Ordinis, an incurrat pœnas?*

1. AFfirmat *Portell. cit. loc. nu.*18. quia æstimat Moniales sui ordinis, esse personas extra suum ordinem. Veruntamen fallitur omninò, tum quia dum proportionabiliter militant sub eodem P. Generali, & Regula Ordinis, non possunt dici extra ordinem, alias non subderentur Imperio P. Generalis, nec statutis Ordinis; nam Imperium P. Generalis non extenditur extra ordinem, nec statuta Ordinis obligant personas constitutas extra ordinem; tum etiam, quia Prælatus concedens officium moniali ad instantiam sæcularis, incurrit pœnas, & non aliunde nisi quia ad instantiam sæcularis concedit intra suum ordinem, alias non incurreret, ut patet de Prælato concedente aliquam dignitatem suo subdito extra ordinem, ut si alicui munus Inquisitionis tribueret, vel si provideat aliquem in parochum, vel in Theologum Episcopi ad instantiam alicujus sæcularis, supposito, quod hujusmodi providentia spectet ad Prælatum Regularem, quia S. Papa in d. Bullis solùm prohibet dari officia Ordinis ad requisitionem, & instantiam sæcularis, & non extra; ergo tum item, quia moniales Ordinis Prædicatorum, dicuntur membra & partes ejusdem Ordinis, ergo sunt in ordine, & non extra ordinem; nam partes non sunt extra suum totum, sed in toto, vel sunt ipsummet totum, ut patet de partibus integrantibus, & simul unitis.

Quæst. 18. *An Prælatus concedens ad instantiam Episcopi sui Ordinis, det in pœnas?*

1. AFfirmat *Portell. cit. loc.* ob eandem rationem; quia scilicet talis Episcopus licet sit persona Ecclesiastica, reperitur tamen constituta extra suum Ordinem; attamen fallitur præsertim respectu Ordinis Prædicatorum; tum quia, sicut subditis d. Ordin. integrum est procurare per personas assumptas ab eodem Ord. ut constat ex Decreto, *dist. 1. de graviori culpa, c.* 18. *lit. F. fol.* 75. *col.* 4. posito sub Bull. Greg. XIII. & liquet ibi, *apud personas extra nostrum Ordinem constitutas, & de Ordine nostro non assumptas gratiam aliquam, &c.* hæc ibi, ita & Prælatis ejusdem Ordinis licet concedere, cum non sint inferioris conditionis, quam subditi, & dispositum in uno correlativorum, censeatur dispositum & in alio; tum etiam, quia Religiosus factus Episcopus, non potest absolutè dici, quod sit extra suum Ordinem, quia secundum Constitutiones Pontificias, tenetur habitum suæ Religionis saltem quoad colorem portare, & vota essentialia, & observantias Regulares, quæ non impediunt statum Episcopalem servare, teste *S. Tho.* 2. 2. *q.* 82. *ar.* 8. tum etiam, quia in effectu, & essentialiter est Religiosus sui Ordinis, & sic ab omnibus reputatur, ergo.

Quæst. 19. *Prælatus concedens ad instantiam Eminent. Protectoris Ordinis, an det in pœnas?*

1. NEgativè *Peyr. cit. loc. nu.* 5. & meritò, quia Eminen. Protector Ordin. ad effectum, de quo agitur, non potest dici persona extra Ordinem, sed intra Ordinem: imò caput Ordinis, unde fratres à gravamine P. Generalis recurrunt ad Eminentiss. Card. Protectorem, ut constat ex Constit. Pauli V. de authoritate Protectoris, & multò minùs potest dici persona extra Ordinem Summus Pontifex, cum ipse sit caput omnium Religionum, & omnium Generalium Generalissimus.

Quæst. 20. *Prælatus concedens Novitio ad instantiam sæcularis, an det in pœnas prædictas?*

1. NEgativè dic: quia Bullæ loquuntur de Religiosis fratribus; Novitius autem, & præsertim in pœnalibus, non dicitur Religiosus. Unde Prælatus recipiens Novitium ad instantiam sæcularis, non incurrit, quia in tali casu nihil concedit Religioso professo, sed Novitio, qui dicitur stare, & esse in statu neutro, ut dixi *to.* 2. *par.* 4. *tra.* 1. *q.* 18. *n.* 4.

Quæst. 21. *Quidam Religiosi impetrarunt literas cujusdam Domini sæcularis ad quosdam Electores, ut eis in electione faverent, verùm illis postea non sunt usi; suntne pœnis obnoxii?*

1. EMmanuel Rodriquez *tom.* 2. *q. q. Regul. q.* 56. *ar.* 2. *in fine prædictarum Constit.* respondet negativè; & merito, quia legislator non intendit per suam legem ligare ultra finem quem intendit, actus enim agentium non operantur ultra eorũ intentionem, ut expressè dicitur *in l. alus, ff. de acqu. rerum dom.* at intentio & finis, in quem Pontifices prædictam legem tulerunt, fuit, nè Electores & Provisores officiorum corrumperentur, & per favores indignus, & minus dignus præferretur digniori, ut dicitur in proemio d. Constit; at hic finis cessat penitùs in casu nostro, ergo. tum etiam, quia hoc totum probat *tex. cap. Marcion.* 64. *caus.* 1. *q.* 1. ibi, *nec putemus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis, &c.*

2. Confirmatur ex *c. intelligentia* 6. *de verb. signif.* ubi dicitur, quod verba sunt intelligenda, non secundum quod sonant, sed secundum mentem proferentis. *& ex Can. humanæ aures, ii,* 22. *q.* 5. ubi dicitur, quod non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem & intentionem, unde in *jur. Regul. certum est* 88. dicitur, quod is committit in legem, qui verba legis amplectens, contra legis nititur voluntatem; tum denique, quia verba cum effectu intelligenda sunt, ut dicitur in *c. hac verba, de pœnit. dist.* 1. & cessante effectu, cessat legis dispositio *c. cum cessante de appellat.* ergo dictarum Constitutionum, ibi, *procuraverunt favorem,* sunt intelligenda cum effectu, hoc est, de procurante favorem cum effectu, quod non occurrit in casu nostro; ad quod est omnino legendus *D. Thom.* 1. 2. *q.* 8. *ar.* 2. *in corp.* ubi scitè de interpretatione legum secundum finem.

Quæst. 22. *Sed quid dicendum, si dictas literas miserunt ad manus Electorum, & non pervenerunt: inciduntne in pœnas?*

1. NEgat *Rod. cit. loc.* quia verba legis, ut dictum est supra, sunt intelligenda cum effectu, etiam extrinseco, ut constat ex dictis. Unde Religiosus prohibitus scribere ad Moniales, si scribat & mittat, & literæ ad eas non perveniunt, non censetur punibilis, propter eandem rationem, quia scilicet ad incurrendum in pœnas requiritur effectus consummatus, ut docent communiter Doctores scribentes in Canone, *si quis suadente Diabolo,* & notat *Navar. conf.* 60 *de sent. excom.* idem dicendum, si Prælatus aliquis in diffinitorio, vel extra ad instantiam sæcularis donet suffragium pro aliquo fratre ad aliquam dignitatem, & non obtineat, etiam dato, quod suffragari sit officium concedere, quia effectu non secuto, non incurritur pœna, ut constat ex supradictis.

Quæst.

Quæst. 23. An Religiosi subditi valeant per extraneos, gradus sibi ex justitia debitos, procurare?

1. AFfirmativè respondet *Remigius Scropha in suis moralibus, q. 32. ar. 5. conclus.* 1. si tamen superiores ex aliqua passione ducti nolint illos conferre; ducitur que ex multis. Primò ex d. Constit. Greg. XIII. in qua nullum verbum fit de petentibus vel concedentibus ex Justitia, sed ex gratia, & liquet ibi, *ullam gratiam concedere; vel pœnas aliquas remittere.* Secundò, quia ibidem displicet Papæ viam Justitiæ præcludere, & aditum Tyrannidi patefacere, & liquet ibi, *quibus superiorum æqua mens, quæ pro meritis suorum unicuique subditorum tribui debet, perturbetur*: ergò vult S. Papa, ut superior conferat gradus debitos ex Justitia, & non ex gratia, etiamsi per extraneos procurantur. Tertiò ex Rubr. d. Constit. Clem. VIII. quâ dicitur, & titulatur de Religioso mendicante favorem, & non quærente Justitiam, lex enim secundùm titulum, cui subjecta est, debet intelligi, *l. Imperator in fin. ff. de in diem addit.* ergò &c. confirmatur ex eadem Clem. ibi, *& nihilominùs præfatam Gregorii, de Gratiis, ut præfertur, per mendicatos favores minimè concedendis.* ergò gratiosa petitio, sive procuratio per extraneos interdicitur Dominicanis; non autem æqua & justa, quæ emanat à distributiva Justitia.

2. Hinc *in respon. ad ultimum,* dicit quod *in ordine Prædicatorum, nullus potest Magisterium justè prætendere, nisi ille, qui explevit cursum Artium, & suu Magister studii in aliquo Generali studio, & legit sententias per duos annos ad minus in aliqua universitate, & habet ad hoc petitionem suæ Provinciæ, qui autem non habet ista omnia requisita, non potest Magisterium prætendere, & qui illud accipit, non est in conscientia Magister, sed Magisterii usurpator,* hæc ille.

3. Verumtamen, meo videri, Religiosus meliùs faceret, si potiùs injustitiam pateretur, quam si gradum per extraneos, & emendicata suffragia procuraret, quia hoc esset signum probitatis & humilitatis, nam qui mundum propter Christum reliquit, non debet ampliùs, quæ mundi sunt, ambitiosè perquirere; undè prudenter Clem. VIII. dictam suam constitutionem voluit exoriri; *Religiosos viros, sicut honorum gradus, cum ad eos assumuntur, obedienter accipere, susceptosque humiliter administrare oportet, sic ad eos mendicatis præsertim sæcularium personarum studiis aditum sibi patefacere minimè convenit,* hæc ibi in memoria semper habenda.

Quæst. 24. Rogare, et procurare pro se, an sit licitum?

1. NEgativè *D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 5. in resp. ad tertium,* ibi *si verò aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus, & sic preces dat pro indigno,* hæc ille: ex quibus *to. 2. p. 3. prax. tr. 1. de Nat. elect. q. 1. n. 1. in fine,* dixi, quod non licet seipsum eligere, & quod seipsum eligere pejus est, quàm pro malè meritis suffragia procurare.

2. Undè jure merito Greg. XIII. & Clem. VIII. in ante dictis Bullis, hujusmodi præsumptuosos inhabiles reddunt ad omnia officia Religionis, & liquet, ibi, *quinimmò quoscunque dicti ordinis Fratres & Religiosos, qui contra decreta suarum Constitutionum, hac via & ut mediis, per conquisitos favores, & suffragia aliquid sibi procuraverint, ad talia & similia, ac etiam majora in eodem ordine consequenda, perpetuò inhabiles etiam declaraverit, prout latiùs in eisdem literis continentur,* hæc ibi; inter quæ nota, ly *aliquid sibi,* & ly *aliud simile,* quia hoc verbum sic generaliter prolatum importat omnia munia, & comprehendit omnia officia Religionis infima, media, & suprema, tam honorifica, quàm inhonorifica; ut notant *Remigius Scropha in Moralibus q. 32. ar. 5. sub n. 2. concl. 1. & Portell. in dub. ver. officia ord. n. 22.* & liquet ex textu, ibi, *ad talia, & similia, & majora,* ergò nihil est in Religione acquirendum per extraneorum favores; quod notent Religiosi ne fortè fabricent in gehennam, & deleantur de libro vitæ.

Quæst. 25. An Religiosis subditis sit integrum, pro dignis, & bene meritis, suffragia procurare?

1. REspondeo affirmativè: immò tenentur procurare bonum communitatis; multum enim interest Reipublicæ, ut boni Rectores eligantur ad sui regimen *cap. nihil de elect.* immò ad id præstandum cogi possunt, cum cooperari bono communitatis sit de Jure naturæ, *Castell. de elect. canon. c. 3. n. 6.*

2. Neque his obstat Bulla Pii V. incip. *Pastoralis officii,* Romæ edita sub anno 1571. qua, qui pro se, vel pro aliis per sex menses ante electionem procuraverit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrit.

3. Nec decretum Clem. VIII. 33. inter cætera, quæ refero *2. p. praxis tr. 3. de clausulis post quæst. 18. incip. ut omnis officiorum ambitus,* quiæ hæ Bullæ & hujusmodi decreta intelliguntur de mala procuratione, & de procurantibus pro indignis, & malè meritis, ut dixi *tom. 2. p. 3. tr. 1. de natura electionis.*

Quæst. 26. An subditus procurans per extraneos impedire assignationem sibi, vel aliis factam, vel remitti sibi aliquam pœnam, vel quid simile, det in pœnas?

1. REspondeo quod in ordine Prædic. *distin. 1. de Graviori culpa, cap. 18. sub lit. T.* habentur hæc propria verba *fol. 75. col. 3.*

Declaramus, quod quicunque procuraverit correctionem, scilicet in delictis in hoc cap. contentis, de se. vel de alio factam, vel assignationem quamcunque per personas extra obedientiam nostri Ordinis constitutas impedire, pœna gravioris culpæ puniatur, & omnibus gratiis sit privatus, nec ad ipsas restitui possit, nisi per Magistrum Ordinis, vel Capitulum Generale, & eandem pœnam incurrere eos, qui per personas extra obedientiam nostri Ordinis constitutas procuraverint, quod frater aliquis de Provincia, vel de Conventu aliquo expellatur, sicut fuit ordinatum in capitulo apud Caturcum 1319. & apud Rothomagum, 1320. Hæc ibi.

2. Præterea ibidem subjungitur. *Item denunciamus, non tantùm acceptam esse ab Ordine nostro in Capitulo Romæ 1589. Greg. XIII. Constitutionem, qua prohibetur Fratribus, ne per personas extrà obedientiam Ordinis constitutas, audeant sibi aliquid in Ordine, sub pœna inhabilitatis ad hæc, & similia; nisi per Sedem Apostolicam dispensati fuerint, obtinenda procurare, sed etiam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præceptum fuisse, ne quispiam directè, vel indirectè, per se, vel pro aliis eiusdem Ordinis professoribus, apud personas extra nostrum Ordinem constitutas, & de nostro Ordine non assumptas, gratiam aliquam vel pœnarum remissionem à Prælatis nostri Ordinis obtinendam, procuret, aut ad hunc effectum munera aliqua sæcularibus spondeat, vel exhibeat, quæ constitutio una cum ordinatione Capituli suprà nominati, atque censuris, & pœnis in eo expressis cum postea à Clem. VIII. & successivè à Paulo V. confirmata fuerit, & illa quidem in Capitulo Venetiis 1592. hac autem Romæ 1608 acceptata fuerit, &c.* Hæc ibi.

3. Præterea *dist. 2. c. 13. de itiner. tex. 9. f. 173. col. 1. sub lit. N.* habentur hæc præcisa verba; *Declaramus, quod si quis frater Ordinis nostri per se, vel per alium pro se, vel pro alio,*

alio, ordinationem de se, vel de alio factam, vel obedientiam sibi, vel alteri fratri impositam quocunque modo, per quamlibet personam extra obedientiam nostri Ordinis constitutam revocari consenserit, vel in aliqua Provincia, seu Conventu, sive etiam studio Generali poni, aut remanere, aut inde amoveri, vel cum personis extraneis commorari, vel in aliquo officio esse tentaverit, ipso facto, ex vi praesentis statuti incidat in poenam gravioris culpae, à qua, vel in qua cum tali dispensari non possit, nisi à Magistro Ordinis, vel à Capitulo Generali. Haec ibi.

4. Ex quibus claré apparet praedictum Dominicanum subditum & transgressorem, in casu posito incurrere poenam gravioris culpae, privationis gratiarum Ordin. excommunicationis latae sententiae, & perpetuae inhabilitatis.

5. Nec dices, quod procurare assignationem, vel praelationes, aut gradum, vel aliquam gratiam per extraneos, sit meteria levis, quae ob sui parvitatem, exculpat transgressorem à culpa & poena: quia falleris toto coelo; nam est delictum gravissimum, cùm ex hujusmodi emendicatis suffragiis, Religionis ruina praesertim oriatur, & tranquillitas Ordinis perturbetur, distributivae Justitiae aditus praecludatur, ambitioni via aperiatur, & demum indigni tanquam audaciores, praeferantur dignis & benè meritis, ut constat ex *proem. dict. Const.* & habetur in *d. c. 13. de itiner. sub lit. N. fol. 174. col. 1. §. & quoniam ex hujusmodi mendicatis suffragiis.*

Quaest.* 27. *Si Religiosus tacet, & nihil dicit saeculari offerenti rogaturum Praelatum, ut ei dignitatem conferat, an det in poenas?

1. AFfirmativè *Portell. cit. loc. n. 36. & Peyr. ubi suprà n. 8.* quia cum de ejus servitio & honore agatur, subintrat Regula Juris 43. *in 6.* qui tacet, consentire videtur, ut ex multis ostendit *Sanc. lib. 1. de Matrimon. disp. 5. n. 5.*

2. Verùm si bonâ fide recipit dignitatem, à saeculari sibi procuratam, non incidit; quia Bulla loquitur per illud verbum *audeat, & praesumat,* nec tenetur eam renunciare, cùm hoc sciverit, quia hoc non dicitur in Bulla.

Quaest.* 28. *An Religiosis subditis integrum sit acceptare favorem, sibi ab extraneis sponte oblatum, ad finem consequendi gradus, vel quid simile in Ordine?

1. NEgativè deciditur in d. Bulla Clem. VIII. ibi, *Sed nec etiam spontè oblatum, aut ab eis minimè procuratum recipere; & similiter nec ad hunc effectum munera aliqua saecularibus impendere, vel exhibere audeant, vel praesumant.* Haec ibi, interque nota, ly *audeant, vel praesumant,* quia includunt scientiam & dolum, sivè temeritatem; quamobrem, si quis bonâ fide & simpliciter donaret, non incurreret d. poenas, dolus enim in lege punitur, non autem simplicitas & bona fides.

2. Amplia, ut nec incurrat, qui daret, etiam scienter ad talem finem, munuscula; quorum materia non sit peccatum mortale; nam munera debent esse talia, ut de se valeant inducere donatarium ad procurandum dictos favores; & sint materia peccati mortalis. Unde licet munuscula dentur, intentione movendi ad procurandum officia, ac proinde donator peccet mortaliter, ratione malae intentionis: adhuc tamen, si materia externâ non est notabilis & gravis, nec est capax excommunicationis, nam Ecclesia actum externum solùm considerat, & non intentionem, ut advertit *Peyr. cit. loc. nu. 8. in fin.*

3. Amplia, ut si Religiosus ad finem praedictum, donaret suo Praelato, non incurreret poenas Bullae; quia textus loquitur de Religioso donante saecularibus; non autem de donante Praelatis. Verumtamen incurret alias poenas, aliundè sibi debitas, utpote propter ambitionem, vel simoniam, aut violatam paupertatem; & sic cupiens evitare Scillam, incideret in Carybdim.

Quaest.* 29. *An Saeculares & Ecclesiastici quicunque illi sint, Papa excepto, peccent mortaliter, si quomodocunque accedant ad Praelatos Ordinis pro obtinenda aliqua gratia pro subditis illius?

1. AFfirmativè *Remig. Scropha in Moral. q. 32. ar. 3. n. 3.* & movetur ex multis. Primò, quia sic procurando sunt causa, ut superiores non possint ut decet, suam Religionem gubernare. Secundò, quia sunt causa, ut Praelati Ordinis Praedicatorum peccent mortaliter, & Praelati Minimorum, & Minorum sint excommunicati, ut constat ex decisis. Tertiò, ut subditi peccent mortaliter & incurrant poenas praedictas, & fiant inhabiles ad officia Religionis. Quartò, ut Religiosi subditi irrideant & contemnant superiores, ex quo contra eorum voluntatem, obtinent: Unde corruit totaliter Regularis disciplina, & tandem sunt causa, ut hujusmodi Religiosi non timeant Deum, & Superiores infament, dicendo suis fautoribus, quod Superiores sunt tyranni, & quod ex odio, vel passione humana, & non ex zelo moventur. O utinam non ad excusandum suas excusationes in peccatis, & sic fiunt participes tot peccatorum, cooperando tot malis.

TRACTATUS TERTIUS.

DE REGUL. PROMOVENDIS AD ORDINES.

Quaest.* 1. *Regulares à quonam Episcopo sint hodie ordinandi? quando? & cum quibus literis dimissorialibus?

REspondeO, quod Regulares debent ordines suscipere ab Episcopis, in quorum Dioecesibus sunt Monasteria, in quibus degunt, & sunt assignati; cum Dimissoriis tamen sui superioris, ad quod facit *tex. cap. 8. sess. 23. Trid. de refor.* ibi, *unusquisque autem à proprio Episcopo ordinetur,* quod item declaravit Greg. XIII. cujus declaratio habetur in Bulla Leonis X. incip. *Sacro approbante Concilio,* ubi item dicitur, quod Regularis degit, ubi est assignatus.

2. Nec his obstant antiqua Regularium privilegia, quibus fulti poterant ordines suscipere à quovis Episcopo

Ca-

Catholico; quia extincta manent, ob decretum *c. 5. Trid. sess. 6. de refor.* ubi leguntur hæc formalia verba: *Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia in alterius Diœcesi exercere; nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum sint ipso iure suspensi.* Hæc ibi.

3. Et quia sæpè contingit Episcopum loci impediri, & circa Dimissorias dubitari, debet attendi decretum, sive declaratio Sacr. Congr. jussu Clem. VIII. edita sub tali tenore *Congregatio Concilii censuit Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui præditus qualitatibus requisitis, ordines suscipere voluerit, literas Dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesanum, nempe illius Monasterii, in cujus familia, ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit, & si Diœcesanus absfuerit, vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum; dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinetur, quoad doctrinam; & dum ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Dimissoriarum, in id tempus, quò Episcopus Diœcesanus, vel absfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes. Verùm cùm à Superioribus Regularibus, Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non habente, literæ Dimissoriæ dabuntur, in eis utique hujusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse, quod qui non fecerint, officii, & dignitatis seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbitrio ejusdem S S. D. N. Papæ reservatas pœnas incurrent, In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 15. Mensis Martii, 1596.*

4. Quam declarationem, ut jacet, refert *Quaranta in sum. Bull. ver. ordo,* immediatè post Constit. Clem. 8. §. *de mandato, fol mihi 392. in impress. Veneta de anno 1612. & Sorbus in addit. ad comp. ver. ordines sacri, §. 4. in fin. Nald. in sum. ver. ordo, n. 26. Mirand. to. 1. manual. q. 38. ar. 2. Genuens. in prax. Neap. c. 83. n. 2. & Peyr. to. 1. in Const. 2. Sixti IV. § 11. n. 33. & Lez. 1. p. sum. c. 14. n. 12.*

Quæst. 2. Regulares promoti ad sacros Ordines, absque Dimissoriis sui Prælati, an sint ipso Iure suspensi, sic adeò, ut in susceptis ministrando fiant irregulares?

1. ET dico quod sic; ut constat ex Bulla II. incip. *Ex sacrorum collatione,* edita anno Domini, 1461. quæ licet loquatur de Clericis, reperitur tamen ad Regulares extensa per Sixtum V. sua Constit. incip. *Sanctum & salutare ut infrà.*

2. Ad quod facit *tex. c. 5 sess. 6. Trid. de refor.* ibi, *nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantùm; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic ordinati ab executione ordinum, sint ipso iure suspensi.* Hæc ibi.

3. Ad quod item facit *tex. cap. 10. sess. 7. Concil. prædicti* ibi, *& sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio Clericali gaudeant, in minoribus verò ab executione ordinum, ad beneplacitum sui Prælati, sint ipso iure suspensi,* hæc ibi, ad quod item facit *text. c. 8. & 10. sess. 23. de refor.* de quibus videndi sunt *Marcl. lib. 4. c. 20. nu. 1. Paris. de resignat. lib. 4. q. 2. nu. 7. & Quaranta ver. ordo, §. amplia hanc excommunicationem.*

Quæst. 3. An Regulares ad minores promoti, sine Dimissoriis sui Prælati, sint ipso Iure suspensi?

1. AFfirmant Doctores gravissimi, & moventur *ex c. si quis ausus, 71. dist.* ubi textus sic loquitur, *si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, in sua Ecclesia ordinare, cum non habeat consensum illius Episcopi, à quo recessit Clericus, irrita sit hujusmodi ordinatio.* Hæc ibi, & similiter *ex c. nullus 1. q. 2.* ubi Papa dicit *talem ordinationem ratam non fore nec vires ullas habituram. &c.* quæ verba communiter intelliguntur, non quod ordinatio sit verè nulla in actu primo, cum impressus sit character: sed intelligitur irrita ordinatio in actu secundo. Id est ut non habeat ordinatus ordinis illius licitam executionem, ita *Card. Turrecrem. in d. c. nullus, & Sanch. opusc. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 14.*

2. Exindè alii inferunt, quod exercentes actum ordinis minoris malè suscepti fiunt irregulares *Sanch. cit. loc.* quod item ampliant etiam ad recipientes primam tonsuram sine literis Dimissoriis sui Prælati, sic adeò, ut non gaudeant privilegio Clericali, *Salzed. ad Diaz in prax. c. 26. §. & non solùm Marius Alter. tom. 2. disp. 9. c. 4. Azor. to. 2. lib. 3. c. 49. q. 4. D. Ricc. collect. 1678. & Diana 2. p. resol.* 144. & hanc sententiam quoad suscipientes primam tonsuram, veram existimant. *Bonac. tra. de suspens. partic. q. 1. p. 11. n. 21. & Thesau. de pœnis Eccl. 2. p. prax. ver. receptae. 16. sub n. 1. §. si tamen sequatur sent. declaratoria privationis privil. Cler.*

3. Nec dices, quod prædicta Jura Canonica loquuntur de Clericis, & non de Monachis, tum quia Jus Canonicum æquè obligat Clericum & Monachum, si exemptionem non habeat; tum etiam quia materia Sacramenti Ordinis æqualiter respicit Clericos, & Regulares.


Quæst. 4. Sed quid dicendum, si Prælatus ratificet promotionem sui subditi, ab Episcopo factam sine Dimissoriis?

1. MEndosius in Regul. Cancellariæ super Regulares 24. quæst. 4. cui favet *Cherubin. in schol. 2. ad Bull. 40. Clement. VIII. in Bull. Cherubin. incip. Romanum Pontificem.* ex multis ostendit, ratificationem Prælati, non satis esse ad evitandam pœnam dictæ Constitutionis Pii II. & multò minus ego censeo, Concil. Trid. non tamen nego, quod stando in jure communi antiquo, ratificari possit illa ordinatio, per *cap. Lugdunensis 9. q. 2.* ubi *glossa in ver. poterit* idem dicit & docent *Navar. cons. 27. n. 5. de temp. ordinat. Suar. tom. 2. de cens. disp. 31. sect. 1. n. 14. & Bonac. de Sacr. Ord. p. 4. nu. 26.* Si tamen cessaret impedimentum. Verùm standum est Juri novo Sac. Conc. Trid.

Quæst. 5. An Dimissoria proprii Prælati sit de forma Ordinis suscipiendi?

1. ET dico quod sic, quoad executionem; secùs autem quoad caracteris impressionem: unde si Episcopus promoveat personam à se cognitam pro idonea, sine licentia sui Prælati, licet persona promota consequatur caracterem Clericalem, non potest tamen uti ordine suscepto sine dispensatione legitima; quia forma dat esse rei, *Mandos. in Regul. Cancell. super Regul. 24. de malè promotis, n. 11.* & favet *Flav. Cherub. in schol. 1 ad Bullam Clem. 8. incip. Romanum Pontificem decet,* quæ est 40. in Bull. Cherub.

2. Bene verum est, quod non est de forma, ut dicta Dimissoria sit in scriptis; at satis est, quod sit expressa, & notoria; quod autem fiat in scriptis, vel oretenus, parùm refert, ut probat *tex. c. 2. Trid. sess. 14 de refor.* ibi, *absque sui proprii Prælati, expresso consensu aut literis Dimissoriis,* quod totum limita; dummodò non versemur in Ultramontano in Italis ordinando; quia in hoc casu est ad unguem observanda constitutio Urb. VIII. quæ incipit, *Secretis,* & est 33. inter Bullas ejusdem Papæ *in 4. to. Bullarii Cherub.*



Quæst. 6. Regulares suscipientes ordines cum Dimissoriis falsis, in quas pœnas incidunt?

1. DOctissimus *P. Mirand. to. 1. sui Manual.* dicit, incurrere illas, in quas dant ordinati sine Dimissoriis; etenim pensat, idem esse ordinari cum falsis Dimissoriis, & ordinari sine Dimissoriis; sed fallitur, quia diversa & gravior est species criminis utentis falsis Dimissoriis, & suscipientis ordines absque Dimissoriis. Unde promotus falsis Dimissoriis incurrit crimen falsi, de quo si sit convictus vel confessus, potest ad triremes condemnari, per *l. 1. §. ult. ff. ad l. Cornel. de falso*, ubi pœna falsi, via accusationis, est deportatio ad triremes, *Clar. §. final. q. 67.* & sic condemnatus efficeretur infamis infamia Juris, & consequenter irregularis, quia crimen falsi est publicum: imò secundùm opinionem magis communem, sufficit ad hanc pœnam, si hoc crimen sit notorium Jure vel facto, absque sententia: quia est crimen depositione dignum, per ea, quæ allegat *Sayr. lib. 7. c. 12. n. 3. Nicol. Garz. p. 11. c. 3. n. 110. & Thesaur. 2. p. prax. de pœnis Eccl. verb. ordines recepti, sine Dimissorialibus c. 16. nn. 10.*

Quæst. 7. Regularis cum Dimissoriis sui Prælati D. Episcopo præsentatus, an possit & debeat ab eodem examinari?

1. AFfirmativè deciditur *in c. 12. Trid. sess. 23. de refor.* ibi, *Regulares quoque, neque in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, privilegiis quibuscunque, quoad hoc penitùs exclusis.* Unde patet, quod Regulares, quoad collationem ordinum subjiciuntur Episcopo loci ordinario, sicut & cæteri Clerici sæculares, non obstante, quod de grammatica, & similibus fuerint à suis Prælatis examinati.

2. Nec literæ Dimissoriales Regularibus concessæ ad aliud deserviunt, nisi ut fidem faciant de voluntate Prælati, ad recipiendum ordines, & de ordinandorum vita, & moribus; *Mirand. to. 1. Manual. q. 39. ar. 4. in fin.*

3. Ad quæ diligenter adverte, quod quamvis minores ordines *ex Trid. sess. 23. cap. 11. de refor.* non sint conferendi, nisi iis, qui latinam linguam intelligunt; adhuc tamen scias hoc totum relinqui judicio Episcopi, ut dicitur ibi, *Nisi aliud Episcopo magis expedire videretur*, quod verbum, sive exceptio ad totum contextum referenda est; ita ut Episcopi arbitrio commissa sit facultas dispensandi super interstitiis, & super literatura ordinandorum, & docent *Menoch. de arbitr. casu 245. n. 58. Peyr. to. 1. privil. in Const. 26. Leonis X. §. 12. n. 25. Card. Bellar. cit. loc. Trid. in addit. verb nisi aliud*, ubi dicit, quod Episcopus potest dispensare cum puero, qui latinè non intelligit: dummodò sit bonæ indolis, & pro ætate docilis; *& Peyr. ubi suprà* dicit, hoc non solùm procedere in minoribus, sed etiam in majoribus ordinibus; ita ut Episcopus valeat sacris ordinibus initiare Regularem, qui benè legit & cantat; quamvis minus sit literatus.

4. Quod dictum amplectitur *Portell. in dub. ver. ordines sacri n. 6. & Pelliz. to. 2. manual. tr. 8. c. 2. q. 20. n. 165.* ad quod facit *cap. nullus Episcop. de tempor. ordinat. in 6.* ubi infanti ac illiterato prohibetur Episcopis primam tonsuram conferre, nisi Religionem intraret: sicque intrante Religionem concedi, sive conferri permittitur: Unde *gloss. in c. legi epistolam ver. instructus, 16. q. 1.* agens de requisitis ad ordines ait, sufficit Monacho, quod tantùm sit bonus, licet sit illiteratus; & noster *Sot. in 4. sent. dist. 25. ar. ult.* ait, quando Religiosi, qui curam animarum non habent, ordinantur, non requiritur alia scientia; quàm ut mysterium Sacramenti intelligant. Unde non placet, quod dicit *Lez. 1. p. summ. c. 14. n. 24.* quia ibi nititur Episcopi arbitrium destruere.

Quæst. 8. Prælati Regulares, an sint ipso facto suspensi, si dent literas Dimissorias aliis, quàm sibi subditis?

1. AFfirmativà deciditur *in c. Abbat. 10. sess. 23. Trid. de refor.* & liquet ibi, *concedentes autem Dimissorias, contra formam decreti (supple sibi non subdito) ab officio, & beneficio per annum, sint ipso jure suspensi.*

2. Amplia, ut dent in eandem pœnas, si suis Novitiis concedant dictas Dimissorias ad suscipiendum ordines, etiam primam tonsuram, quia Novitii non sunt verè subditi, nec propriè veniunt nomine subditorum Regularium, ex quo liberi sunt in Religione, & absque alia licentia, possunt ab illa recedere; & ita sæpè fuisse à Sacr. Congr. decisum retuli, *to. 2. p. 4. tra. 6. de privil. Novit. q. 24.* & favet *Nald. ver. ord. n. 10.* quod notat etiam *Pelliz. to. 2. Manual tr. 7. c. 3. q. 2. n. 58.*

Quæst. 9. An stante prædicto Decreto S. Congreg. possint Regulares suscipere ordines ab Ordinario alieno, si proprius non publicas, sed privatas ordinationes habeat?

1. AFfirmativè *Pelliz. ubi suprà n. 51.* quia hoc non est habendum in consideratione; nam eo ipso, quod ordinatio non est publica, sed privata, censetur, ac si non foret; eo fortiùs, quia sumus in odiosis, in quibus non fit extensio, juxta Juris regul. *odia*, ac proindè D. Episcopus ordinarius, si privatam teneat ordinationem, respectu Regularium, censendus est ordinationem non tenere.

Quæst. 10. Si Prælatus de industria differat subdito Dimissorias concedere, usque dum Diœcesanus sit absens, vel ordinationes non habeat, an peccet mortaliter?

1. NEgat *P. Pelliz. to. 2. Manual tra. 6. c. 14. n. 49.* diciturque ex parvitate materiæ, nec nocet dicere, quod S. Congregatio indulsit dicto Prælato Dimissorias concedere sub illa conditione; dum tamen ipsi Regulares non distulerint, de industria concessionem dimissoriarum concedere; quia ly *dum tamen*, non est conditio, quæ spectat ad formam; sed est modus exequendi, ut constat ex context; nam Sacra Congr. in præcitato Decreto, loquendo de ordinando ab alieno Episcopo, dicit, *dum tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examinentur*, & tamen Episcopus ordinans, potest absque peccato ordinandum non examinare, propter eandem rationem; quia scilicet versamur in parvitate materiæ, & ly *dum tamen*, est modus exequendi, & non conditio, quæ stat pro forma.

2. Sed quid, si Prælatus, ut morem gerat subdito dubitanti de examine Episcopi loci, illum fictè assignet in aliquo Conventu, sito in Diœcesi alicujus Episcopi amici, de quo nullatenus dubitat? censeo peccare mortaliter, quia in re gravi indebitè violat legem, valdè pœnalem, quæ tamen pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ sententiæ; & consequenter non debentur ante declarationem Judicis.



Quæst.

Quæst. 11. *An Regulares ordinandi, incurrant excommunicationem, ferri solitam ab Episcopo ordinante contra eos, qui accedunt cum aliquo impedimento occulto?*

1. AFfirmativè *Peyr. to.* 1. *privil. in Constit.* 1. *Jul.* 2. §. 16. *n.* 39. cui favet *Lez.* 1. *p. summ.* c. 14. *n.* 22. & *Pelliz. tom.* 2. *Manual. tr.* 10. *c.* 2. *sect.* 3. *q.* 14. *n.* 183. nam licet hi Regulares sint exempti, & Episcopus in exemptos Jurisdictionem non habeat: quia tamen prohibentur à Papa per Canones & Pontificias Constitutiones, ordines suscipere, nisi requisitas conditiones habeant, potest D. Episcopus dict. Canones, & Pontificias Constit. adjuvando, pœnam apponere, per doctrinam *Panor. in c. innotuit, de eo, qui furt. ordines suscipiunt, n.* 2. ad quod facit *c. ut Animarum, de Constit. in* 6. & docet *glossa in Clem. ne Romani de elect. ver. tolli.*

2. Quibus adde, quod Regulares quoad susceptionem ordinum, non sunt exempti, sed subjiciuntur Episcopo loci ordinario; non ergo dubitandum est, quod indebitè accedentes dent in censuras appositas ab Episcopo ordinante.

3. Major tamen difficultas est, an dicta excommunicatio sit latæ, vel ferendæ sententiæ? nam si sit latæ, suscipientes ordines, cum impedimento occulto incurrunt irregularitatem, nam excommunicatus suscipiens ordines etiam minores, fit irregularis. *Navar. in summ. c.* 25. *n.* 72. *ver. decimò peccat*; ubi ad id multa jura refert. Si autem sit ferendæ sententiæ, peccat mortaliter, & non efficiuntur irregulares, *Zerola* 1. *p. prax. ver. Dimissoria ad ordines, & ad* 4. *in fin.*

4. Hinc *Henriq. lib.* 10. *de Sacram. Ordin. c.* 20. *n.* 1. & 2. & *Filiuc. to.* 1. *tr.* 9. *cap.* 5. *q.* 5. *n.* 99. ajunt, quod D. Episcopi non deberent accedentes ad ordines prohibere sub excommunicatione latæ sententiæ, ne accedant cum impedimento occulto; & multò minus edicere, se non habere intentionem ordinandi eos, qui essent aliquâ censurâ irretiti vel irregulares, ne sint occasio injiciendi novos laqueos; quin potiùs deberent, ad cautelam in generali sic accedentes ab omni excommunicatione, & censura absolvere & dispensare in omni irregularitate, in qua possunt secundùm Deum & Canones, sicut monet Pontificale Romanum.

5. Nec dices Regulares habere speciale privilegium, quo non possunt ab Ordinariis locorum excommunicari, nec suspendi, aut interdici, ut dictum est *in tract. de exempt.* quia hujusmodi privilegium fallit in multis casibus, & præcipuè in materia ordinum.

Quæst. 12. *Sed quisnam potest ab hac excommunicatione absolvere, & irregularitate dispensare?*

1. DOctissimus *P. Navar. in c.* 25. *sum. n.* 70. *ver. sextò peccat*: dicit hoc spectare ad solum Romanum Pontificem, ad quod allegat *c. innotuit, de eo, qui furtim ordin. suscipit*, verumtamen *Peyr. cit. loc. nu.* 40. dicit, quod Regulares dictis censuris irretiti, possunt per privilegium absolvi & dispensari à suis Prælatis Regularibus, quod etiam colligit *ex d. c. innotuit*, ubi datur facultas Episcopo dispensandi cum taliter ordinato, si habitu Regulari suscepto pœnitentiam egerit; & liquet ibi, *Verumtamen si ad Religionem aliquam voluerint se transferre, &c.* ergò, (inquit ipse) Prælati Regulares habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem, & eandem in suos subditos Regulares exercent, sicut & Episcopi erga Clericos poterunt in prædictis absolvere & dispensare; cui favent *Portell. ver. ord. sac. n.* 14. *Hier. Rod. in comp. resol.* 106. *n.* 26. & *Diana* 3. *p. tract.* 2. *de dub. Regul. resol.* 85. de qua re vide infrà *q.* 25. & *seq.*

Quæst. 13. *An Regularis, qui cum impedimento accedit, censeatur validè ordinatus, si Episcopus protestatur, se non habere intentionem ordinandi accedentes cum impedimento occulto?*

1. SUb distinctione resolve, aut Episcopus habet determinatam intentionem non ordinandi hos, vel illos, ex quo carent Patrimonio, ætate legitima, Dimissoriis & similibus; & sic hi accedentes ad ordinationem, ordines non suscipiunt: nam ex Concilio Nicæno, tria sunt de essentia Sacramenti; nempe intentio ministri, forma, & materia; ergò uno istorum trium deficiente, non conficitur Sacramentum, ut patet de Sacerdote, non habente intentionem consecrandi hostiam: aut D. Episcopus, seu pro eo ejus Fiscalis protestatur in generali, D. Episcopum non habere intentionem ordinandi accedentes cum impedimento occulto, & sic dicendum est, quod hi, non obstante protestatione prædictâ, generaliter factâ, verè ordinantur; nam censetur facta ad terrorem, & non ad alium finem, eò fortiùs, quia in nullo Pontificali jubetur, ut fiat talis protestatio de defectu intentionis: imò potiùs, ut D. Episcopus absolvat ordinandos ab omnibus, à quibus potest, sic item dispenset, ad hoc, ut ritè ordinentur; ut post allegatos advertunt *Diana* 5. *par. tra.* 13. *resol.* 66. *Miscell.* 1. & *Pelliz. tom.* 2. *Manual. tra.* 8. *c.* 2. *sect.* 3. *n.* 184.

2. Nec his nocent *c. neminem, c. Sanctorum* 70. *dist. c. secundum Apostolum, de præbend.* & *c. si Episcopus, eod. tit. in* 6. ubi dicitur, ordinationem promoti absque beneficio aut patrimonio, esse irritam, & nullam; quia intelliguntur, prout dictum est suprà, quoad exercitium, non autem quoad characterem ordinis.

Quæst. 14. *Absolutiones ac dispensationes latæ ante ordinationem à D. Episcopo ordinante, an comprehendant Regulares ordinandos, ibi stantes?*

1. AFfirmativè *Sylv. ver. irregularitas, q.* 9. *n.* 11. *in fin.* cui favet *Lez.* 1. *p. c.* 14. *n.* 22. nam concessa facultate subdito recipiendi ordines ab Episcopo, censentur ei indulta omnia, sine quibus haud potest ritè ordinari, *c. præterea, de off. delegat.* & additur, quod sicut censuræ Episcopi ordinantis extenduntur ad Regulares, ex quo in illo tunc ei subsunt; ita à pari, & absolutiones, & dispensationes ejusdem; cùm utrobique eadem sit ratio, præsertim cum simus in favorabilibus, in quibus fit extensio.

Quæst. 15. *Regulares quonam titulo debeant ordinari?*

1. REspondeo, quod Regulares debent ad sacros ordines promoveri, ad titulum Religiosæ paupertatis, validè & propriè dictæ, non autem ad titulum patrimonii, vel beneficii, aut pensionis, ut mirificè docet noster *S. Ant. Archiep. Florentin.* 3. *p. sum. sub tit.* 15. *c.* 16. *de ord.* §. 9. *de officiis & actibus sing. ordinum, ver. de Subdiacono*, ibi, *& regulariter non debet quis ordinari ad aliquem sacrum ordinem: nisi intitulatus, vel ad aliquod beneficium, vel saltem sufficiens habens patrimonium: & hoc, ne habeat mendicare, & sic Clericus vilescat: Religiosis autem est pro titulo sponsa mendicantibus præcipuè*; Hæc ille, quod est dicere, licet intitulatio requiratur ad sacros ordines suscipiendum, tamen respectu Religiosorum, verè ac validè professorum, sufficit religiosa paupertas, quâ non possunt

prolu-

prohiberi, quin per quæstum publicum valeant victitare. Religio enim à S. Sede approbata, tenetur usque ad mortem suum professum alere, ut dico in *tract. de professione.* Unde censetur professi beneficium perpetuum, & sufficiens patrimonium.

2. Nec his obstat *Decretum c. 2. Trid. sess. 21. de refor.* quo generaliter cavetur, ne quis ordinetur sine beneficio, vel sufficiente patrimonio, quia loquitur de Clericis secularibus, & ad Regulares non extenditur, cum eis ob votum paupertatis, repugnet patrimonium, vel beneficium Ecclesiasticum perpetuum habere, ut benè notat *Lez. 1. p. sum. cap. 14. n. 10.*

3. Nec replices dicendo, quod prædictum Decretum Trid. fuit per Constit. Pii V. incip. *Romanus Pontifex*, quæ est 75. in Bull. Cherub. ad Regulares extensum, ut ibidem est videre, quia fuit extensum quoad pœnas contra illos Religiosos, qui nullo modo professionem emiserunt, vel irritam aut invalidam fecerunt; & tamen Ordines Sacros susceperunt, ut Sacr. Congr. declaravit, quam declarationem referunt *Garzias de Benef. p. 2. c. 5.* ac etiam declaravit Sacra Rot. Rom. in una Urgelensi Canonicatus, 3. Maii 1595. coràm Blanchetto, quam item refert idem *Garzia. cit. loc.* & post ipsum *Sanctarellus var. resolut. q. 49. n. 10. D. Barbos. de off. & Potestate Episcopi allegat. 19. n. 5.* & *Thesaur. de pœnis Eccles. 2. p. prax. ver. Ordines Sacri collati, cap. 11. ver. amplia.*

Quæst. 16. Religiosus invalidè professus, recipiendo Sacros Ordines, an fiat suspensus & irregularis?

1. Respondeo, quod si dictus Religiosus, bonâ fide ignorans nullitatem suæ professionis, recepit Ordines, sicut non peccavit, ob bonam fidem; ita neque aliquam suspensionem incurrit, quæ ut gravis censura, supponit peccatum mortale. *Bordon resolut. 8. n. 22. in fin.* si verò sciens malitiosè ordinatur, non solum peccat mortaliter, verùm etiam fit suspensus, & si in susceptis ministret, fit irregularis; tum quia sic censetur ordinatus sine dimissoriis sui Prælati, qui non potest illas concedere, nisi subdito verè & legitimè professo; tum etiam, quia nulliter professus, per professionem nullam, nullum jus verum acquisivit ad posse ordinari, ad titulum Religiosæ paupertatis; ergò censetur ordinatus sine titulo patrimonii, vel Religionis; tùm item, quia sic promotus incidit in pœnas à Tridentino præscriptas *in cap. 2. sess. 21. de refor.* quæ per Pii V. Constitutionem incip. *Romanus Pontifex*, habent locum in casu posito, ut constat ex Decisis immediatè suprà, & docent *Portell. in Dub. ver. Ordines Sacri, n. 8. Thes. de pœnis Eccles. 2. p. prax. ver. Ordines Sacri Collati c. 11.* ubi *n. 5. §. amplia in fine* dicit, prædictam Pii V. procedere, etiam contra ordinatos, cum dubio de validitate professionis, si verè reperiatur nulla, ad quod allegat Rot. Romanam, *Rod. to. 4. addit. sum. cap. 6. n. 10. cum suo comp. resolut. 106. n. 25. Diana 3. p. tr. 2. de dub. Regul. resol. 113. Bordon. controv. 42. qu. 7. n. 14. & Lezan. 1. p. sum. cap. 14. n. 10. & ver. ordines Sacri n. 17.*

Quæst. 17. An Regulares possint hodie ordinari ante ætatem præscriptam à Trid. in cap. nullus 12. sess. 23. de refor.

1. Respondeo negativè, nam licet olim Regulares per Privil. Innoc. VIII. Minoribus concessum, potuissent de licentia Generalium ac Provincialium ad Presbyteratum promoveri, vigesimo secundo anno completo, *Roder. to. 3. q. 23. ar. 6. & Miranda to. 1. q. 39. ar. 6.* adhuc tamen tam dictum privilegium, quàm omnia alia hujusmodi, reperiuntur extincta *in d. c. nullus 12. sess. 23. Trid. de refor.* ibi, *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, Privil. quibuscunque, quoad hoc penitùs exclusis.*

2. Nec dices, quod privilegia Regularium fuerunt multoties, etiam post Tridentinum confirmata: nam fuerunt semper confirmata cum illa clausula; dummodò Sacris Canonibus & Decretis Conc. Trid. non sint contraria, de qua clausula latè dico *to. 1. p. 1. tr. 11. de confirmat. Privil. q. 14.*

3. Nec replices *ex comp. Societatis Jesu, tit. de Concil. Trid. §. 3.* dicens quod Pius V. sub anno Domini 1566. die verò 13. Martii, concesserit per oraculum vivæ vocis, seu potiùs declaraverit, quod Patres Minores in foro conscientiæ tantùm, possunt uti omnibus gratiis & privilegiis, per antecessores Pontifices sibi concessis, etiam quoad illa, quæ fuerunt abrogata per Concil. Trid. tum etiam, quia dictum oraculum non est authenticum, ut oportet; tum etiam, quia fuit per Sixtum V. revocatum in illa Constit. incip. *Sanctum, & salutare*, quam revocationem Clem VIII. confirmavit Anno Domini 1595. ut constat ex sua Constit. incip. *Romanum Pontificem* edita contra Clericos Simoniacos & malè promotos, & attestantur *Miranda loc. cit. in fine Portell. in dub. ver. Ordines Sacri n. 1. & egomet, ubi suprà q. 17. n. 23.*

Quæst. 18. An Anni requisiti ad suscipiendum sac. Ordines, debeant esse completi, vel sufficiat, si sint inchoati?

1. Respondeo quod satis est, si sint inchoati; nam Trid. ubi suprà exigit solum, ut Ordines Sacri non recipiantur ante ætatem *in d. cap. 12.* præscriptam, ut purà subdiaconatus ante 22. Annum, Diaconatus ante vigesimum quintum, qui autem dictos Ordines suscipiunt in annis 22. 23. & 25. inceptis, non possunt dici ordinati ante ætatem præscriptam, nam ly *ante*, ex vi nominis, excludit inchoationem temporis requisiti *Navar. cap. 25. n. 116.* ubi pro se allegat *cap. cum in cunctis 7. de elect. §. Inferiora.* ibi, *nisi qui jam annum vigesimum quintum attigerit*, quod cap. non censetur per Tridentinum abrogatum ubi suprà; & quamvis regulariter loquendo, tempus positum in accusativo, intelligatur de perfecto secundùm communem intelligentiam Doctorum, hoc tamen fallit, quando versamur in favorabilibus, vel fortior ratio occurrit, ut in casu nostro; nam tempus requisitum ad suscipiendum Sacros Ordines in antiquis Canonibus, ponitur in ablativo, ut liquet in *cap. Generalem 3. de ætat. & qualit. ordin. in Clem.* ubi *glossa in ver. in 18.* dicit, quod sufficit, ut tempus præscriptum sit inceptum, & maximè ad favorem ordinum, *Syl. ver. ætas q. 2. n. 4.*

2. Ad quod item facit, quia in margine *d. cap. nullus, 12. Conc. Trid. sess. 23. de refor.* allegatur *d. cap. Generalem, 3. de ætat. & qualit.* in signum, quod tempus præscriptum ibi à Trident. est intelligendum de tempore incepto secundùm antiqua jura, ut jura juribus correspondeant, & jus antiquum non lædatur.

Quæst. 19. Religiosi, Sacro Ordine ordinati, ante Tempora à jure stabilita, aut ante legitimam ætatem, in quas pœnas incidant?

1. Respondeo, quod promoti ut suprà, sine Canonica dispensatione, sunt ipso jure suspensi ab Ordinum executione, & præsumentes durante suspensione in ordine suscepto ministrare, mox fiunt irregulares, in qua solus Papa dispensat, ut constat ex Bulla Pii II. incip. *cum ex Sacrorum Ordinum collatione*, edita anno Domini 1461.

1461. & est septima inter Bullas ejusdem in Bull. Cherub.

2. Neque his obstat dicere, quod cùm prædicta Bulla Pii II. sit pœnalis, & loquatur expressè de Clericis, non extenditur ad Regulares; sicut Constitutio loquens solùm de Regul. non comprehendit Clericos, quia Sixtus V. in alia sua Constit. incip. *Sanctum & salutare*, quæ in Bull. Cherub. est 91. inter Bull. ejusdem, illam extendit ad omnes Regulares, & liquet ibi, *quemcunque sæcularem, vel cujusvis ordinis aut militiæ Regularem, &c.* & meritò; quia licet quoad alia, quàm maxima sit differentia inter Clericos & Regulares; quando materia inter hos & illos est diversa; at quia materia Ordinum, æqualiter respicit Clericos & Monachos, non est dubitandum, quin Constitutio circumcernens Ordinum susceptionem, æquo modo afficiat Clericos Sæculares & Regulares. Undè illi & hi, nequeunt suscipere Sacros Ordines, extrà tempora ante ætatem legitimam, & sine literis dimissoriis, sine dispensatione Apostolica *Rod. to. 3. q. 23. ar. 6. & 8.* ubi ad alia objecta responder.

Quæst. 20. An Religiosus incurrat suspensionem, si per unam, aut duas horas ante legitimam ætatem, suscipiat Sacros Ordines?

1. Affirmativè *Navar. de ætat. & qualit. ordin. consil. 6. in antiquis* cui favent *Diana, 2. p. Moral. tr. 16. Miscell. resolut. 29. & 5. p. resolut. 17. n. 7. & Lez. 1. p. sum. c. 14. n. 2.* quia parvitas materiæ non habet locum in ætate ad suscipiendum Sacros Ordines, & consequenter defectus unius diei; immò unius horæ vitiat actum, nec obstat illa Regula, *quod parum distat, nihil distare videtur*, quia fallit quando totum præceptum consistit in servanda integra materia; & patet de eo, qui nocte Jovis, statim post signum mediæ noctis ederet carnes, non enim excusaretur à violatione præcepti, ob parvitatem materiæ, & in rei veritate ordinatus, in casu posito, censeretur ordinatus propè ætatem, non autem in legitima ætate, quæ necessariò ad minus debet esse incepta: nec est satis, ut sit propè, ut constat ex decisis.

Quæst. 21. An dies Bissextilis sit computandus in dicta ætate requisita ad suscipiendum Sacros Ordines?

1. Et dico quod sic: tum quia dies illa 25. anni bissextilis, est de integritate illius anni, ex quo est complementum solaris circuli, ut docent *Covar. lib. 4. var. c. 18. Sanch. de Matrim. disput. 24. n. 18.* & alii Doctores communiter, & colligitur *ex cap. quod sicut, de verb. signif. & ex l. 3. §. minorem ff. de Minoribus, & l. cum Bissextus, ff. de verb. signif.* ubi duo dies, pro uno computantur; tum etiam, quia Anni, & dies taxati ab Ecclesia, ad suscipiendum ordines & peragendum similia, sunt computandi secundum ritum & usum Ecclesiæ, quæ negat Annum expletum esse, nisi dicatur bissexto Kalend. id est, die 24. & 25. Februarii, ut ex multis ostendo, *to. 2. p. 4. prax. tract. 9. de Novit. q. 6. & docet Sanch. in sum. lib. 4. cap. 35. n. 3.* unde non approbo, quod dicit *Pelliz. to. 2. sui Manual. tr. 8. cap. 2. sect. 3. sub. n. 170. in fin.* quod scilicet in legitima ætate præscripta à Trid. ad suscipiendum Sacros Ordines, non sunt computandi dies Bissextiles: est enim hoc contra usum & praxim Ecclesiæ.

* * *
* *

Quæst. 22. Si Religiosus bona fide ante legitimam ætatem ordinetur, an det in suspensionem prædictam?

1. Negativè *Navar. to. 4. in cap. accepta, de restit. spoliat. opposit. 8. resol. n. 33.* duciturque ex eo, quod dicta Constitutio Pii II. loquitur contra præsumentes; præsumptio autem includit scientiam, dolum & malitiam, ergò excluso dolo & scientiâ, non est supradictæ suspensioni locus; quod dictum idem Navar. emologat. *in sum. cap. 25. n. 70. in fin.* & repetit *in Consil. 9. de temp. ordin. nu. 3. in antiq.* ubi agit, de quibusdam ante ætatem ordinatis à quodam Protonotario Presbytero, dicente se ad id faciendum habere authoritatem à Papa, qui sub dicto prætextu id publicè fecerat ferè annis 40.

2. Hanc Navar. opinionem sequuntur communiter Doctores maximè *Rod. tom. 3. q. 23. ar. 11. cum suo comp. resol. 106. n. 10. Miranda tom. 1. Manual. quæst. 39. art. 6. in fin. Portell. in dub. ver. Ordines sacri, D. Ricc. 3. par. Decis. Curiæ, decis. 283. & 4. par. dec. 90.* qui pariter negant incurrere pœnas Bullæ Sixti V. incip. *Sanctum & salutare* edita contra malè promotos, Anno Domini 1588. quia redacta fuit à Clem. VIII. ad terminos Sacrorum Canonum dict. Constit. Pii II. & Concil. Trid. ut liquet in ejus Constitutione, quæ incipit *Romanum Pontificem decet*, & est 40. inter ejus Bullas in Bull. Cherub. ubi tamen præservat illam Constitutionem, quoad pœnas inflictas Simoniacè ordinatis & ordinantibus.

3. Non desinam tamen dicere, quod ista opinio Navar. præsupposito ejus fundamento, est certissima, quoad forum conscientiæ: verumtamen quoad forum fori non admittitur: tum quia non licet ignorare, quod communiter ab omnibus scitur; tum etiam, quia ignorantia crassa & affectata, à pœnis non excusat, sed dumtaxat invincibilis, quæ in casu nostro habere locum non potest; etenim si Religiosus iste, de quo agitur, interrogasset, prout tenebatur, sapientiores sui Ordinis, scivisset utique scienda, ad non errandum, prout scitè advertunt *Fusch. de Visitat. lib. 2. c. 28. n. 37. Tolet. in sum. lib. 1. n. 47. & Flav. Cherub. Schol. 2. ad d. Bull. Sixti V.*

4. Quibus adde, prædictum fundamentum Navar. non esse verum, nam Pius II. in dicta Bulla aliter loquitur contra suscipientes Ordines ante ætatem, extrà tempora & sine dimissoriis, & aliter contra administrantes in susceptis: nam quoad suscipientes, non loquitur per illud verbum *præsumo*, & liquet ibi *ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerit promoveri*, at contra administrantes loquitur per illud verbum, *præsumo*: & liquet ibi, *& si in hujusmodi suspensione durante, in eisdem Ordinibus ministrare præsumpserit, eo ipso irregularitatem incurrat*, hæc ibi, ex quibus benè vides, quod in ministrante in susceptis, exigitur temeritas ad incurrendum irregularitatem, non autem in suscipiente ante ætatem, ad suspensionem incurrendum, ut benè advertit *Lez. 1. p. sum. c. 14. n. 4.*

Quæst. 23. An ordinatus malâ fide ante legitimam ætatem, celebrando cum Episcopo ordinante, fiat irregularis?

1. Affirmat *Navar. in Consil. 4. de Cler. excom. ministrant.* quia celebrando cum Episcopo, exercet actum Ordinis cum suspensione, in quam incurrit suscipiendo Presbyteratum malâ fide, & consequenter fit irregularis, juxta dictam Bullam Pii II.

2. Oppositum tamen, quod est de Jure veriùs, tenent multi, quibus adhærent *Diana, 5. p. tr. 10. de suspensione, q. 37. §. notandum, & Lez. 1. p. sum. c. 14. n. 8.* tum quia in illo

illo tunc, quo prædictus Religiosus celebrat, cum Episcopo, ejus ordinatio nondum perfecta est, & consequenter nec suspensio censetur incursa, nam actus ordinationis, non intelligitur completus usque ad finem Missæ, *Avila de Cens. 3. p. de suspensione, disput. 5. Dub. 7. Suar. de Censur. disp. 31. sect. 1. n. 71. & Thes. de pœnis Eccles. 2. p. ver. Ordines ante ætatem, limit. 2. in fin.* tum etiam, quia ita constat ex praxi Cancellariæ, quæ hujusmodi celebrantem non reputat irregularem, *Suar. cit. loc. & Quaran. in sum. ver. ordo.*

3. Quod amplia ad subdiaconum, & Diaconum canentes Epistolam & Evangelium in d. Missa Episcopi, cum utrobique eadem ratio militet, *Peyr. tom. 1. in Constit. 1. Jul. 2. §. 16. n. 23. not. 2. & D. Barbos. post Doctorum collect. in d. cap. 12. Conc. Trid. sess. 23. de refor. n. 7.*

Quæst. 24. An ordinatus ante legitimam ætatem, cùm ad ætatem pervenerit, possit celebrare absque eo, quod absolvatur à suspensione incursa?

1. GRavis est ista quæstio, de qua acriter disceptant Doctores, tùm autem aliorum placitis prætermissis, dic; quod Religiosus prædictus, ubi attigerit ætatem requisitam ad suscipiendum Sacros Ordines, ipso jure censetur restitutus; sic adeò, ut absque alia absolutione possit statim in Ordine suscepto ministrare, prout multis citatis docent *Sot. in 4. distin. 25. q. 1. ar. 2. in fin. Sayr, lib. 4. de Censuris, cap. 14. nu. 15. Miranda tom. 2. Manual. q. 36. ar. 1. Sorbus in comp. ver. Ordines sacri, ver. item notandum, Peyr. to. 1 privil. Const. 1. Pii II. §. 16. sub n. 21. Bordon. resol. 11 n. 28. Bonac. q. 2. de irregul. p. 4. n. 1. §. ex dicendis, Portell. in dub. ver. ord. sac. nu. 12. Thes. de pœn. Eccl. 2. p. ver. Ordines ante ætatem legitimam c. 1. n. 1. Diana 3. p. tra. 4. de Sacram. resol. 182. § notandum, & Lez. ver. irregularitas, nu. 17.* & moventur, tum quia censura proveniens ex defectu ætatis, non est propriè censura, sed impedimentum canonicum, seu defectus conditionis requisitæ, quâ adimpletâ nihil aliud exigitur; tum etiam, quia dicta Bulla Pii II. non videtur inducere aliquod Jus novum, nisi in quantum apponit suspensionem ipso facto, quæ priùs erat ferenda, ut in *c. vel non est compos, de temp. ord. & c. 1. dist. 50.* ergò est intelligenda secundùm jura primæva, hoc est, ut quam ætatem à jure requisitam non habet, sit irregularis ad illos Ordines recipiendos; ergò adventâ legitimâ ætate, cessat hujusmodi irregularitas seu canonicum impedimentum, absque aliquo alio superaddito.

Quæst. 25. An Prælatus Regularis possit subditum absolvere à suspensione contracta ob Ordinem susceptum ante ætatem, & cum illo dispensare, ut dicta dispensatione non obstante, possit in Ordine suscepto ministrare?

1. QUod Prælatus Regularis possit cum suo subdito dispensare in suspensione incursa propter susceptionem Ordinum ante ætatem, constat ex decisis *to. 2. p. 3. tra 11. q. 14. de potest. dispens.* quæ item habent locum, & procedunt ad dispensandum, cum subdito super irregularitate contracta, propter exercitium habitum in Ordinibus malè susceptis, dummodò delictum sit occultum, & simus in foro Animæ, *Vivaldus in suo Candelabro, tract. 15. de Sacram. Ord. tit. de temp. ord. n. 13. § si autem, Portell. in dub. ver. Ordines sacri n. 14. §. an Prælatus Regul. & Peyr. tom. 1. privil. in Constit. 1. Jul. II. §. 16. n. 31.*

2. Quod item Prælatus Regularis nullatenus possit dispensare super ætate cum malè promoto, ut scilicet sublatâ suspensione, exerceat actum Ordinis indebitè suscepti, constat pariter ex ibidem decis. *nu. 6.* ubi *n. 8.* dixi, quod si ita ordinatus sublata suspensione, per absolutionem ausus fuerit exercere suum munus, antequàm assequatur ætatem, non solùm peccat mortaliter, verum etiam incurrit irregularitatem, & videtur malè sentire de authoritate Romani Pontificis; undè ritè potest à S. Officio puniri: Quamobrem benè dicunt *Suar. to. 5. de censur. disp. 29. sect. 2. in fin. Portell. cit. loc. & Lez. in sum. verb. Ordines sacri, n. 15.* quod ordinatus ante legitimam ætatem incurrit duas suspensiones, unam propter delictum, & aliam propter defectum ætatis; etsi absolvitur à prima propter delictum, non ideò absolvitur ab alia propter defectum ætatis, quia hæc est perpetua, & non aliundè sanabilis, nisi per complementum ætatis, vel Papæ dispensationem; ac proindè absolutus à prima, non potest ministrare in illo Ordine indebitè suscepto, donec attingat ætatem, vel à D. Papa dispensetur: quod est valdè notandum, ne contingat errare.

Quæst. 26. An Regulares possint sacris Ordinibus ordinari extra tempora à jure stabilita?

1. SUppono quod Ordines sacri de jure communi, conferendi sunt solùm in Sabbatis Quatuor Temporum, aut Sabbato Sancto, aut Sabbato ante Dominicam Passionis, *c. quotidie, & c. ult. 75. dist. & c. de eo, de temp. ord. & c. ordinationes 8. Conc. Trid. sess. 23. de refor.* nisi super hoc Papa dispenset; *Sanch. opusc. lib. 7. c. 1. dub. 51. Franc. Leo in thesaur fori Eccles. 1. p. c. 4. n. 20. Bonac. de Sacram. disp. 8. q. 1. p. 6. nu. 1. ver. 1. & Aloys. Ricc. in dec. Curiæ Archiep. Neap. 4. p. dec. 93.* ita ut nec per consuetudinem, contrarium induci possit, *cap. 2. de temp. ordin.* & resolvunt *Quarant. in summ. Bull. ver. ordo, ver. ad secundum, & D. Ricc. cit. loc. dec. 43.*

2. Et quæro, an Regulares ad id habeant dispensationem à Papa? affirmative *Rod. tom. 3. q. 23. ar. 5. cum suo comp. resol. 106. n. 7. D. Aug. Barbosa in collect. ad c. 8. Trid. sess. 23. de reform. nu. 4. & 2. p. de potest Episc. alleg. 17. n. 16. P. Diana p. 3. tract. 2. de dub. Regul. resol. 31. Portell. in dub. ver. ordin. sacr. n. 4.* ubi docet de praxi, & multis citatis *Novar. in Luc. Regul. ver. Ordines, nu. 10.* & moventur ex multis privilegiis per eosdem relatis & in partim extensis, & præcipuè ex privileg. Eugenii IV. pro Benedictinis, Alexandri IV. pro Ordine Sancti Hieronymi, apud compendium mendicantium, dummodò tamen fiat Ordinum collatio in tribus Dominicis, vel in festis continuis, vel interpolatis: item ex privileg. à Clem. VIII. concesso Patribus Congregationis S. Joannis Evangelistæ in Portugallia, quod propriis oculis se vidisse testatur *Portell. cit. loc.* item ex privileg. Gregorii XIII. concesso Patribus Jesuitis, incip. *Pium & utile,* quod est 25. inter Bullas ejusdem in Bull. Rodriquez, quo privilegio S. Papa præcipit Ordinariis, ut istos Religiosos Societatis, cum licentia suorum Superiorum ordinent, etiam extrà tempora, in tribus festis continuis, & non servatis interstitiis, & absque ulla Ordinum functione, nec eos inquirant de cantu, officiis, & cæremoniis Ecclesiasticis, vel de proprii Ordinarii licentia & Parochi approbatione invita, &c. ut melius est videre in dicta Bulla.

Quibus jam dictis privilegiis fruuntur Mendicantes, & aliæ Religiones communicantes in privil. nec jam dicta privilegia sunt per Tridentinum revocata in *d. c. 8. sess. 23. de refor.* nec per illam Constitutionem Sixti V. incip. *Sanctum & salutare*, tum quia in d. Cap. Trident. nihil dicitur de prædictis privilegiis, ut erudité advertit *Rod. cit. loc.* tum etiam, quia ita Bulla Sixti V. edita contra malè promotos fuit per Clement. VIII. reducta ad terminos Constit. Pii II. & Conc Trid. ut dictum est suprà;

supra; tum item quia ad tollendum omne dubium id concessit Greg. XIII. prædictis Patribus Societatis Jesu, & Clem. VIII. in Portugallia, quod item extenditur ad omnes communicantes cum illis in privil. tum denique, quia privilegia Mendicantium, & præcipuè Minorum fuerunt confirmata à Clem. VIII. cum illa clausula, *Motu proprio, & ex certa scientia*, quæ clausula habet vim innovandi concessiones & indulta à S. Sede Apostolica revocata, ut dixi in *tract. de clausul. privil.* ergò non est amplius de hac potestate dubitandum.

3. Sed quia hæ dispensationes magnam causam postulant, & illustrissimi locorum Ordinarii timent extrà tempora Regularibus sacros Ordines conferre, hoc in tempore minimè practicantur, & sic recesserunt ab usu, ad quod vide, quæ dicit *Mirand. to. 1. Manual. q. 38. ar. 4. in concl.*

Quæst. 27. An Regulares possint una & eadem die duos sacros Ordines suscipere, sine dispensatione Papæ?

1. NEgativè *Sylv. ver. ordo 2. q. 7.* & est decisio *c. literas 13. de tempor. ordinant.* ubi tam Episcopus conferens, quàm suscipiens duos Ordines sacros, uno die, vel duobus, continuato jejunio, suspenduntur hi ab executione Ordinum; ille verò à potestate conferendi, ibi, *præfatum itaque Bonon. Episcopum (ut puniatur in quo deliquit) à collatione Ordinum, Diaconi scilicet & Presbyterii: alterum verò ab executione officii Sacerdotalis, tamdiu volumus removere suspensos, donec de illis aliter disponamus.*

2. Idipsum reperitur decisum *in c. dilectus 15. eod. tit.* ubi *glossa in verb. nostram*, ait, quod solus Papa super hoc dispensat.

3. Neque his obstat dicere, quod Regulares habent ad hoc privilegium Eugenii IV. concessum Monachis S. Benedicti, præsentibus & futuris, ut omnes, etiam sacros Ordines, una & eadem die suscipere possint, & quilibet Episcopus illos sibi conferre; quia tam dictum privilegium, quàm omnia alia similia, fuerunt per Conc. Trident. revocata *sess. 23. cap. 13. de refor.* ibi, *duo sacri Ordines, non eodem die etiam Regularibus conferantur: privilegiis ac indultis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscunque.*

4. Dixi *sacros Ordines*, nam loquendo de minoribus, integrum est Episcopo, ex rationabili causa, una & eadem die, uni personæ, servatis servandis, omnes minores ordines conferre, ut dicit *glossa in c. de eo, 3. de temp. ordinat. ver. ad minores*, quod colligit ex textu indefinitè loquente, ibi, *licitum est Episcopis, Dominicis & aliis festivis diebus, unum aut duos ad minores Ordines promovere*, & sequitur *Sylv. cit. loc.* ubi dicit, quod Episcopus non potest minores simul cum Subdiaconatu conferre, sine licentia Papæ; secus si scienter aliter faciat, debet deponi; si autem ignoranter, debet privari potestate conferendi talem Ordinem; ad quod allegat *cap. qui in aliquo 51. dist.* & multa alia Jura.

5. Nec dices, quod etiam Ordines minores gradatim suscipiendi sunt; & quod promovendus prius se debet exercere in suscepto, antequam ad alium ascendat, & quod consequenter, etiam ad Ordines minores observanda sunt interstitia, seu spatia & intervalla hac in re à jure statuta; ad quod facit *cap. 11. Trid. sess. 23. de refor.* ibi, *per temporum interstitia*; quia prædicta intelliguntur regulariter loquendo: nam ex rationabili causa, in prædictis interstitiis potest Episcopus dispensare; ut etiam dicitur in *d. cap. Trid.* ibi *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi aliud exposcat, Ugol. de potest. Episcop. c. 26. §. 27. n. 4. Maiolus lib. 3. c. 24. n. 13. D. Barbos. alleg. 11. n. 14. Navar. in sum. c. 25. nu. 71. & D. Ricc. 1. p. prax. decis. 561. in antiq. n. 3. & 2. p. resol. 273.* ubi docet de festis, in quibus conferendi sunt Ordines minores; & ibidem *resol. 274.* ubi ex multis ostendit, quod Episcopus potest in ejus domo conferre minores Ordines.

Quæst. 28. Si Regularis sacr. Ordines suscipiat, prætermissis interstitiis sine licentia Papæ, an incidat in aliquam suspensionem vel irregularitatem?

1. NEgativè *Zerol. 2. p. prax. Episc. ver. ordo § 10. vers. an qui, & Portell. 3. p. casu 40. n. 1.* & meritò, quia licet *Trid. sess. 23. c. 13. & 14.* præcipiat servari interstitia: adhuc tamen nullam pœnam suspensionis, aut irregularitatis imponit contra transgressores, ut ibidem est videre; & additur, quod Regulares ex privilegio Greg. XIII. incip. *Pium & utile* Societatis Patribus, seu Jesuitis concesso, & ad alios extenso, possunt prætermissis interstitiis sacros Ordines suscipere.

2. Et quamvis in dicto privilegio Greg. XIII. concesso Societati, dicatur, *Ne aliæ Religiones illo utantur, seu possent uti*, prædicta tamen clausula non potest aliis nocere, per ea multa, quæ dico *to. 1. p. 1. tract. 7. q. 8. de communicat. privil.* & eò maximè, quia Gregor. XIV. tàm Cisterciensibus, quàm Cruciferis concessit privilegia omnium Ordinum, & in specie, quæ sunt prædictæ Societatis.

3. Neque his potest obstare Constitutio Sixti V. incip. *Ad Romanum Pontificem*, qua ordinati, prætermissis interstitiis, suspenduntur ab exercitio Ordinis suscepti, suspensione reservata Papæ; quia fuit per Clem. VIII. sua Constit. incip. *Romanum Pontificem decet* reducta ad terminos Sacrorum Canonum, Constit. Pii II. & S. Conc. Trid. ut sæpè dictum est suprà.

Quæst. 29. Dispensare in dictis interstitiis, an pertineat ad Prælatum Regularem, respectu sui subditi?

1. ET dico quod non: sed spectat ad Dom. Episcopum ordinantem, ut colligitur ex *Trid. sess. 23. c. 11.* ubi agens de minoribus Ordinibus, postquàm dixit, quod per temporum interstitia Ordines conferantur, subdit; *Nisi aliud Episcopo magis expedire videretur*; ex quibus verbis clarè apparet, quod interstitiorum dispensatio committitur Episcoporum judicio; ad idem faciunt illa verba subsequentia: *Nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.* Idipsum dicitur infrà *c. 13.* loquendo de Diaconatu.

2. Et quamvis in expressis non detur locus conjecturis, adhuc tamen Sac. Cong. ad evitandum omnem scrupulum, declaravit remissionem interstitiorum, etiam quoad Regulares, ex causis tamen à Concilio expressis, faciendam, pertinere ad Episcopum ordinantem, cùm tamen hac de re deberet quoad causas, stare judicio ac testationi Superioris Regularis ordinandi; & referunt *Emment. Bellar. in observ. doctrina ad d. c. 11. Trid. sess. 23. de refor. ver. judicio Episcopi, Steph. Quaranta in sum. Bull. ver. Ordines sacri. D. Genuens. in sua prax. Neapol. c. 83. sub n. 2. §. notandum in noviss. Passarell. in suo comp. privil. fol. mihi 22.* qui de hac re Sac. Congreg. consuluit. *D. Ricc. 1. p. prax. dec. 561. n. 5. in 1. edit. & Mirand. tom. 1. Manual. qu. 38. ar. 7.*

3. Exindè collige, quod cum Prælati Regulares mittunt suos subditos ad Ordines suscipiendos in literis Dimissoriis, si indigeant, tenentur D. Episcopum ordinantem rogare, ut super interstitiis dignetur dispensare ob suæ Ecclesiæ necessitatem & utilitatem, utpotè, quia Sacerdotibus indigent, ad hoc, ut Ecclesiæ serviant, & oneribus Missarum satisfaciant.

Quæst. 30. Regularis promotus per saltum, an sit ipso facto suspensus vel irregularis?

1. ILle dicitur per saltum promotus, qui uno ordine minore, vel duobus omissis accipit majores, vel uno ex majoribus prætermisso, accipit alium superiorem.

2. Et quod iste sic ordinatus, sit ipso jure suspensus ab exercitio ordinis sic malè suscepti tantùm, nec posse ulteriùs promoveri, nisi cum eo dispensetur, prout habetur expresse in *c. tuæ unic. de Clerico per saltum promoto, & in c. qui piè 14. Trid. sess. 23. de reform.* ibi, *cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare*, & docent *Navar. c. 27. n. 242. Suar. tom. 5. de cens. disp. 31. sect. 1. n. 45.* & post Doctorum collectaneum *D. Barbos. alleg. 47. nu. 1.*

3. Si autem in malè suscepto ministraverit, est irregularis, & solus Papa potest cum illo dispensare; *Sayr. lib. 7. c. 10. n. 39. & Layman. lib. 5. de sac. ord. c. 10. n. 9.* & tenetur sub mortali supplere id quod sibi deest, ut expressè dicitur in *cap. sua de Clerico per saltum promoto*, ibi, *ipsum in Diaconum ordinare procures*, & docent *Navar. in Cons. 9. de temp. ordinat. nu. 4. in antiq. Henriquez tom. 2. sum. lib. 14. c. 6. n. 3. Portell. 3. par. casu 41. nu. 3. ad 2. q.* multis citatis *Thes. de pœnis Eccles. ver. ordines per saltum recepti c. 13.* ubi in fine advertit, quod cum promoto per saltum, Sac. Pœnitentiaria non dispensat, nisi quando in occultis periculum adesset gravium scandalorum: nisi dispensaret, & tunc concedit literas ad effectum omissum ordinem recipiendi à quocunque Catholico Antistite, etiam extra tempora, etiam non servatis interstitiis, & absque Dimissoriis proprii Prælati.

Quæst. 31. Ordinatus ordinibus sacris, omissâ tamen primâ tonsurâ & omnibus minoribus; an suscipiat characterem sacrorum ordinum?

1. AFfirmativè *gloss. in d. c. tua, unic. de Clerico per saltum promot. in ver. de Misericordia*, licet enim ordo superior recipi non debeat ante inferiores; si tamen recipiatur, factum tenet *Suar. de Baptis. disp. 11. sect. 3. §. 3. de charactere*, nec dices, quod ordines minores sunt porta ad alios ordines sacros, sicut Baptismus ad cætera Sacramenta, & consequenter sicut carens Baptismo nullum verum suscipit Sacramentum: ita carens minoribus ordinibus, nullum ordinem sacrum verum recipiet, quia falleris in præsupposito, non enim minores ordines sic sunt porta ad majores, sicut Baptismus est porta cæterorum Sacramentorum, quia hoc in nullo textu Juris Canonici reperitur expressum, prout gravissimi Doctores testantur, quos allegat, & sequitur *Portell. 3. p. casu. 41. n. 1.*

Quæst. 32. Conversi Religiosi laici, an possint sine licentia Papæ ordines suscipere?

1. QUod prædicti Religiosi laici, sine speciali licentia Papæ, nequeant ad ordines promoveri, constat ex Decretis Clem. VIII. editis pro instit. Novitiorum, approbatis à Sac. Congreg. jussu Urb. VIII. de quibus latè *to. 2. p. 4. tra. 14. q. 14. & 15. de Conversis*; & fuit meritò ita decretum; tum quia prædicti, ratione status assumpti incompossibilis cum statu & ordine Clericali censentur irregulares, ad quod facit *cap. infames, 6. q. 1.* ubi qui Curiæ serviunt Clericorum, tali scilicet servituti addicti, non possunt promoveri, *cap. 1. & 2. dist. 54.* tum etiam, quia sicut miles ratione juramenti præstiti & assumpti muneris, non potest ad ordines promoveri: ita nec laicus Religiosus, ratione status assumpti, potest ordinibus insigniri, seu initiari.

2. Nec potest superior Prælatus dispensare, sed solus Summus Pontifex, ut dixi *cit. loc.* nam quoad hoc vacant Prælatorum privilegia; quamobrem Religiosi laici, sine licentia Papæ promoti, erunt ejiciendi à statu Clericali, & in ordinem laicorum redigendi & puniendi, ut malè ad ordines Clericales promoti, ut constat ex Bulla Leon. X. quam in partim extendit, *Rod. tom. 1. q. 42. ar. 19. cum suo comp. resol. 86. nu. 3. in fin. & Portell. in dub. ver. Hora Canonica nu. 4.*

Quæst. 33. Religiosus Apostata, si in sua apostasia ordines suscipiat: in quas pœnas dat?

1. DE pœnis apostatarum, & maximè suscipientium ordines in apostasia, latè dixi, *tom. 1. p. 2. tra. 6. q. 20. & 21. de apostatis, & tom. 2. 4. p. tra. de conversis.* de quibus etiam sunt legendi *Collector privileg. ver. laici fratres, n. 4. ver. demum. Sanchez lib. 6. ad Decal. cap. 8. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 3. c. 1. & Thes. de pœnis Eccles. ver. apostasia, c. 2.* quia de re multa dicunt notatu dignissima.

Quæst. 34. Abbas exemptus, an possit suis subditis primam tonsuram, & minores ordines conferre?

1. ET dico quod sic; etiamsi non sit benedictus; dummodò tamen sit Sacerdos, & Jus habeat deferendi Mitram & Baculum, ut expressè dicitur in *c. quoniam, dist. 69. cum contingat, de ætat. & qualit. & c. Abbat. de privil. in 6.* & est manifesta decisio *cap. 10. Trid. sess. 23. de refor.* ubi textus sic loquitur.

2. *Abbatibus ac aliis quibuscunque, quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicujus Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre: nec ipsi Abbates, & alii exempti, aut Collegia, vel Capitula quæcunque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, litteras Dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus ut ab aliis ordinentur, concedant: sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quæ in hujus Sanctæ Synodi Decretis continentur ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existant, pertineant; non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus.* Hæc ibi, interque nota ly, *qui Regularis subditus sibi non sit.*

3. Quia licet quis possit esse subditus Episcopi, ratione domicilii, aut ratione originis vel beneficii adepti; hoc tamen non sufficit ad effectum recipiendi dictos ordines ab Abbatibus, ad præscriptum Trid, sed exigitur ut sit subditus Regularis, hoc est, de Regula Abbatis ordinantis, & professus, ut multis allegatis attestantur *Miranda to. 1. Manual. q. 38. ar. 9. Naldus ver. Abbas, nu. 3. & D. Ricc. 4. p. prax. de potest. Abbat. resol. 579.* & favet *Navar. cons. 22. de temp. ordin. in antiq.* ubi ex dict. textu Trident. colligit, Abbates exemptos esse ordinarios suorum subditorum Regularium, ad quos pertinet subditos ordinare, vel eis Dimissorias concedere.

Quæst. 39. An Abbas prædictus valeat Regularibus sibi non subditis, præfatos ordines conferre habentibus tamen dimissorias sui Prælati?

1. AFfirmativè *Stephanus Quaranta, ver. ordo, in fine ver. Abbates, Azor. 1. p. instit. Moral. lib. 2. cap. 20. q. 7. Cardin. Bellar. in observat. Doctrinæ ad cap. 10. Trid. sess. 23. de refor. ver. Abbates Regulares, Gavantus ver. Abbas, n. 34. Tambur. de Jur. Abbatum, disput. 2. tom. 2. q. 7. Lez. ver. Ordines Sacri, n. 10 Thes. de pœnis Eccles. 2. p. prax. ver. Ordines collati ab Abbate c. 21.* & alii plures per eosdem allegati: dummodò tamen Abbas sit Sacerdos, solemni benedictione benedictus, & Jus habeat ferendi Bacu-

Baculum & Mitram: & moventur, tum quia sicut Episcopus ur... Diœcesis, potest validè conferre ordines in aliena Diœcesi, de consensu tamen Episcopi Loci; ita & Abbas prædictus de consensu dimittentium ad eum, cum utrobique eadem sit ratio, utpote authoritas in ordinante & voluntas Superiorū in ordinandis; tum etiam quia sic fuit pluries à S. Congreg. decisum, ut liquet ex eisdem declarationibus, quas per extensum refert *Quaranta, & D. Bellar. cit. loc.*

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent eruditissimi Doctores, & præsertim *Lud. Miranda, to. 1. q. 38. ar. 9. conclus. 2. Hier. Rod. in sua comp. resolut. 1. n. 21. D. Ricc. 4. p. prax. de potestate Abbatum, resol. 578. Campan. in diver. Jur. Can. Rubr. 6. cap. 2. n. 7. D. Barbos. in collect. ad d. cap. 10. Trid. sess. 23. de refor. multis cit. n. 4. Na... ver. Abbas n. 3. Joan. Maria Navar. in pract. Jur. novi Pontif. conclus. alias 205. sub tit. de ordinibus, n. 1.* ubi latè de potestate Abbatum, & de opinione contraria, item *in sua lucerna Regularium, ver. ordo.* ducunturque ex multis. Primò ex Decreto *cap. 10. Trid. sess. 23. de refor.* quo prohibentur hujusmodi Abbates, cuiquam conferre Ordines, qui Regularis subditus sibi non sit, ut constat ex textu, à quo colligunt, duo copulativè requiri ad hoc, ut Abbas possit conferre dictos Ordines: primum, ut promovendus sit ipsi Abbati subditus: Secundum, quod sit Regularis; hoc est, Professus ejusdem Regulæ Abbatis ordinantis, quorum uno deficiente, deficit potestas ipsius Abbatis ad conferendum prædictos minores ordines.

3. Hinc plura inferunt: Primò Abbates antè dictos non posse conferre Ordines aliis sibi subditis: etiamsi super eos habeant & exerceant ordinariam & Ecclesiasticam jurisdictionem; quia licet hi, ut supponitur, sint subditi, non sunt tamen subditi Regulares, sed sæculares & laici.

4. Secundò, non posse ordinare Regulares Professos alterius Regulæ, quia hi non sunt subditi Regulares ipsius Abbatis ordinantis: nec quidem per dimissorias à suis superioribus obtentas fiunt subditi, & Professi de Regula Abbatis ordinantis. Tertiò, nec posse ordinare proprios Novitios; quia hi, ut dictum est suprà, non sunt verè subditi Regulares.

5. Quartò inferunt, privilegia concessa Abbatibus, *per cap. quoniam distin. 69. & per cap. cùm contingat, de ætat. & qualit. & cap. Abbates, de privil. in 6.* quibus antiquitùs multa poterant, etiam quoad extraneos, hodie per Conc. Trid. ubi suprà, limitata esse ad solos professos sibi subditos & non alios.

6. Nec non moventur ex Decis. Rotæ Romanæ, laudata & approbata à Clem. VIII. quam authenticè refert *Seraph. decis. 82. p. 1.* quam etiam refert *D. Barbos. allegat. 3. num. 11.*

7. Moventur item ex responso à Sac. Congreg. Emin. Purpuratorum, de anno Domini 1593. sub die 3. Novembris, dato Illustrissimo Episcopo Eugubino, quod refert *Campan. in diversorio cit. loc.*

8. Tum item, quia sic eadem Sacra Congregatio Cardin. sub die 27. Januarii, 1631. in facti contingentia declaravit, nempe Thomam Camplens. promotum ab Abbate de Carropoli, Ordinis Cælestini, cum literis dimissorialibus Vicarii Generalis Camplens. eidem Abbati directis, esse malè promotum, atque ideo indigere nova promotione, quam declarationem authenticè refert *D. Barbosa, de Jure Eccles. universali, lib. 1. ca. 33. n. 16. & Novar. cit. loc. lucerna,* ubi subnectunt aliam declarationem Sac. Congregat. Emin. Card. Conc. Trid. interpretum, editam sub die 8. Maii, 1627. qua dicitur, quod *si Abbas cessante privilegio, aliquem tonsuraverit, is talis de novo tonsurandus venit.*

9. Tum tandem, quia novissimè eadem Sac. Congreg. Emin. Card. Conc. Trid. interpretum, in una Cajetan. sub die 23. Novembris 1641. utraque parte informante, ore, & scriptis, ac rationibus hinc inde adductis, maturè perpensis, sic respondit:

Sacra Congregatio censuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares etiam Benedictinos Congregationis Cassinensis, seu alterius Congregationis vel Ordinis etiamsi habentes etiam jura Episcopalia seu quasi Episcopalia, nunquam Mitra & Baculi & benedicendi facultatem primam tonsuram, Minoresque Ordines conferendi non posse ... primam tonsuram, ... Minores Ordines, nisi suis subditis Regularibus conferre, ... autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis vel instituti, etiamsi habeant literas dimissorias suorum superiorum Regularium, & consensum ordinariorum, intra quorum Diœcesium fines ipsi Regulares ordinantur ... multò minus personis sæcularibus etiam habentibus literas Dimissorias à suis Ordinariis, ac propterea inhibuit Archiepiscopis, Episcopis & aliis Prælatis inferioribus, tam sæcularibus quam Regularibus ut in futurum concedere non audeant ... dictas literas Dimissorias hujusmodi Abbatibus directas nec ab istis recipi, quod si secus fiat, tam ordinatos ... quam ordinantes, à Collatione ordinum suspensos ipso jure remanere, præter alias pœnas arbitrio ejusdem Sacræ Congregationis ... tas, quam declarationem Sanctissimus D. N. die 17. Januarii 1642. ad se cum rationibus relatam ... probavit, & ... violabiliter observari jussit. Petrus Aloysius Cardinalis Carrapha, Franciscus Paulutius Sac. Congreg. Secretarius. quam que per extensum, ut jacet, refert ... *P. Lezana in suo Consulto 22. sub n. 26. § ... Quaranta ... n.* 168. his ergò stantibus non est amplius ... locus; sed diligentiæ ad procurandum ... à S. Sede nova & valida privilegia, cum ... maneant omnino extincta.

Quæst. 36. An PP. Dominicani possint suis subditis primam tonsuram, ac Minores Ordines conferre, sicut possunt & valent infideles, ad unitatem fidei conversos, charactere Clericali insignire?

1. Quæstio hæc unum supponit, & aliud quærit: supponit enim ex Privilegio Nicolai III. ... ad *Terras Sanctorum*; licitum esse dictis Patribus prædicare in Terris infidelium & Hæreticorum, & cum eis communicare, & baptizare, & ad fidem recipere Infideles, eosque ad unitatem fidei receptos, charactere clericali insignire; ut melius est videre in dicto Privilegio, quod per extensum habetur in Bull. Rom. ... inter Bullas ejusdem Pontificis, & liquet ibi, *& Proselytos ex vobis ipsos aggregatos possint insignire charactere Clericali &c.*

2. Et quærit, an antedicti Dominicani virtute dicti Privilegii, possint fratres sui Ordinis Minoribus Ordinibus insignire? & dico, quod non; quia d. Privil. non fuit Dominicanis indultum ad favorem suæ Religionis, & utilitatem Professorum ipsius, sed ad favorem & utilitatem conversorum ad Sanctam fidem in ... partibus Orientis, de quibus expressè Papa ... Bullæ, ergò nequit extendi ... Ordinis ... ad non conversos ad fidem: quandoquidem Privilegia, Rescripta, & alia similia, ad ea tantum ... de quibus cogitatum est: *ff. de pact. ... Franc. ... Ilustrationibus cum Aquil. ...* & ita intentio concedentis considerandæ est.

3. Nec replices ... quod ... possint facere ex tot Privilegiis Abbatum Monachalium, ob communicationem Privilegiorum; tum quia Privilegia Abbatum Monachalium sunt personalia & propria, & consé-

co[illegible] extanduntur [illegible] Abb[illegible] [illegible] Ja[illegible] Petr[illegible] Virg[illegible] Apostolorum. [illegible]

Quæst. 37. An P. Generalis Ordinis possit [illegible] subditis in [illegible] dispensare, ad hoc, ut ad sacros Ordines valeant promoveri?

1. N[illegible]
[illegible] sat, [illegible] sint [illegible] cap. [illegible] *dist.* [illegible] *de reso. in fin.* ubi [illegible] C[illegible] [illegible], ex quo censentur [illegible].

2. A[illegible] dispensare ad suscipiendum minores Ordines [illegible] de qua [illegible] ad p[illegible] Vo[illegible] est in con[illegible], de qua re ad orna[illegible] *S. Thom. 4.* [illegible] *n. 27. q. 3. ar. 3. & in* [illegible] *4. ar. 3. Palud. ibid. S.* [illegible] *& Syl. ver. casus,* [illegible]

Quæst. 38. An Dæmoniacus liber factus, valeat [illegible] sine licentia Papæ, ad Sacros Ordines promoveri?

1. N[illegible] *Maritum, & cap. Cle-* [illegible] scandal. & accidental [illegible] d[illegible]; *A*[illegible] 2. & est communis [illegible] *q. 11. p. 11. n. 24.* [illegible] potest tamen ex dis[illegible] dicti Cano[illegible], & loquantur tantum de Sacro Ordine, [illegible] ad casus non expressos, *ux-* [illegible]

2. Amplio, ut Dæmoniacus ex toto liberatus, ex ea[illegible] Ordines susceptos possit [illegible] a Dæmone supra [illegible]. tunc enim Episcopus in u[illegible] potest consentire vel decla[illegible], *cap. commenter, distin.* [illegible] præcipitur: o[illegible] minores, vel majores, [illegible] con[illegible]

Quæst. [illegible] P. Generalis possit in hoc casu, cum [illegible] dispensare in foro externo, ad suscipien-dum [illegible] Ordines?

1. L[illegible] & oc[illegible] cum P. Generalis [illegible] quod potest Episco[illegible] *Episcopi* [illegible] *sess. 24. Con.* [illegible] *q.* [illegible]

2. [illegible] Doctores [illegible] tensum reperitur apud *Confel.* [illegible] 43 [illegible]

ne [illegible] legantur [illegible] *&* [illegible] *Hæc ibi.*

3. Quibus verbis [illegible] lem, ut [illegible] do, quod hæc concessio [illegible] & [illegible] strictione, & consequenter [illegible] externo & interno, *Sot. 4. sent. dist. 22. q.* [illegible] *mus, Sanc. in summ. lib. 6. c. 18. n. 43.* [illegible] *disp. 1. q. 3. Suar. to. 5. de cens. disp.* [illegible] beneficium Principis [illegible] *neficium ff. de const. Principum.*

4. Oppositum tamen, quod [illegible] censeo, tenent alii, ducunturque [illegible] privilegium & similia, cen[illegible] dum in subditorum irregularitatibus [illegible] facto illicito, vel licito, ut in ho[illegible] fectu lenitatis provenient & [illegible] dispensandum in irregularitatibus [illegible] norma defectu de[illegible] iam in lunaticis, morbo caduco [illegible] hujusmodi generis [illegible] sunt alterius generis, & [illegible] ba generalia non intelliguntur [illegible] exprimuntur, per [illegible] *in generali* [illegible] *similiter in* [illegible] *da tom. 2. manual q. 8. ar. 5.* [illegible] *2. cap. 2. n. 2. Candidus tom. 2. de* [illegible] *24. dub. 10. & alii citati.* [illegible] propter scandalum, quod direct[illegible] torietatem dictæ enormitatis, tum [illegible] de corpore vitiatis an sint ex toto l[illegible] quens sint ad ordines promovendi [illegible] latos Regulares, sed ad Sanctā Sedem [illegible] *vitiatus. q. 2.* propè finem, cum [illegible] *ster Candidus, cit. loc. dub. 16. Hier.* [illegible] *nu.* 17. & ita in praxi bis vidi fuisse [illegible]

Quæst. 40. An quis unius Diœcesis possit [illegible] ri ab Episcopo alterius Diœcesis?

1. R Espondeo, quod [illegible] que [illegible] ab Episcopo [illegible] quam tamen [illegible] obstante, [illegible] non [illegible]

2. [illegible] pu Episcopus [illegible] rem suum sibi non subditum [illegible]

mor [illegible] in, & obtentum beneficium confe-rat: & [illegible], quia per [illegible] de servitium, & colla-tionem [illegible], similiaris censetur subditus Episcopi, & [illegible]. Unde requiritur necessario collatio beneficiorum, etiam si [illegible] non indigeat, ut decrevit *Rota Rom. [illegible] dec. 731. in princ. & in fin.* quam refert *Card. Bell. ad d. c. 9. Trid.* non in observatione doctrinæ verbo *Episcopi, in fin.* replicat, quod dixerat Quaranta, quod scilicet subditus qui dicitur, ratione originis, beneficii, & domicilii: & est communis sententia Doctorum, quos allegat, & sequitur *Angelus in sum. ver. Civis, D. Joann. Baptista de Thoro, in supplem. ver. dec. f. p. 1. ver. Civis Neap. & p. 3. Civis Oriundus, & tom. 2. comp. vers. Civitas Neapolitana, & Egomet tom. 2. p. 4. tract. 6. de privil. Nov. u. q. 1. n. 1. & seq.*

3. Quod autem hujusmodi habitationis domicilium contrahatur animo habitandi perpetuò in loco, & non ex diuturna temporis mansione, docet *Panor. in c. nullus de Paroch.* ubi dicit, quod in Juribus Diœcesanis spectamus domicilium, & non habitationem: Unde quoad Sacramenta necessaria, Episcopus studii, erit Judex competens, sed non quoad voluntaria; ex quo infert, quod Scholaris non potest promoveri ad ordines in loco studii, sine licentia sui Episcopi, nam licet in loco studii habeat habitationem, non tamen domicilium, ut dicitur in *l. 2. C. de incol. lib. 10.* & sequitur *Rosell. ver. domicilium.*

4. Animus autem habitandi alicubi perpetuò, multis modis potest attendi, ut si ibi se transtulit cum majori parte fortunarum, si ibi contraxit, & solvat Regia focularia, seu fiscalia, si ibi erit stabilis, & similia, quæ indicant animum ibi perpetuò habitandi.

5. Quapropter in casu posito Illustriss. Episcopus contracti domicilii, ubi sibi per summariam informationem constiterit, præfatum alienigenam domicilium in sua Diœcesi contraxisse, poterit ordinare; cæteris tamen servatis, & si aliàs sit idoneus.

Quæst. 41. Promotus ad sacros ordines, ante ætatem extra tempora, & absque Dimissoriis, quot suspensiones incurrat?

1. RESpondet *P. Navar. cons. ult. de corpore vitiatis*, cui favet *Naldus ver. suspensio, nu. 6. & Henriq. de suspens. c. 52. §. 2.* dicens, quod tot suspensiones incurrit, quot ordines suscipit; & colligitur ex Constitut. Pii II. incip. *Cum ex sacrorum, &c.* quæ quippe Constitutio ad casum nostrum est omnino videnda.

Quæst. 42. Suspensio ab ordine superiore, an includat suspensionem ab ordine minori?

1. NEgative *Henriq. loc. cit. de suspensione, §. solet*, ubi dicit, quod totum oppositum est dicendum; quod scilicet suspensus ab ordine minori, tanquam fundamento, censetur suspensus a majori, nam secum pugnaret, qui diceret quod quis suspensus ab exercitio Subdiaconatus, potest actum facere, etenim ordo Subdiaconatus intrinsecè clauditur in ordine Presbyteratus, ergo ne fateamur repugnantia, dicendum est, quod cum interdicitur minus officium, non potest accedere ad majus, sed è converso; *Naldus ver. suspensio n. 5.*

2. Benè verum est, quod suspensus à minori ordine, si utatur majori, non exinde efficitur irregularis: peccabit tamen utens tali ordine, propter indecentiam, quæ sola sufficit ad constituendum peccatum, cum irrationale sit, ut suspensus à minori ordine, accedat ad exercitium majoris, non propterea incurrit irregularitatem, cum hoc in jure expressum non inveniatur, & irregularitas non incurratur, nisi in casibus à jure expressis, ut ex multis ostendit *Suyr. de censuris, c. 3. de suspensione, n. 3.* & est communis. Cætera autem hujus generis dubia, vide apud præcitatos authores.

TRACTATUS QUARTUS.

DE REGUL. CONFESSAR. SÆCULARIUM.

Quæst. 1. An Regularis possit sæcularium Confessiones Sacramentales excipere?

1. REspondeo posse; dummodò tamen sit Sacerdos, & ab Episcopo loci Jurisdictionem habeat, juxta infrascriptum. Decretum Sact. Conc. Trid. *cap. 15. sess. 23.* Dixi *dummodò sit Sacerdos*; quia laicus nullatenus potest Sacramentum Pœnitentiæ administrare. Unde si auderet uti Sacerdos absolvere, non solùm ipsa absolutio esset nulla, irrita, & vana, ex defectu authoritatis in absolvente: verùm etiam ipsemet absolvens foret irregularis ex *c. ex literis de Clerico non ordinato*; ac etiam uti hæreticus punibilis ex recentioribus Constitutionibus Summorum Pontificum allegatis in Tract. de Confess. Monialium *q. 3.* Non tamen nego, quominus in casu extremæ necessitatis Confessio fieri possit laico; non quidem sacramentaliter, ob prædicta: sed ad majorem humilitatem, & contritionem, & ad placandam iram Dei, & ad redimendam aliquam partem pœnæ, peccatis debitæ; *ad textum cap. qui vult confiteri, 1. de pœnit. dist. 6.* ad quod vide quæ dico in *dict. qu. 3.*

2. Tenor verò præfati Decreti Sac. Conc. Trid. talis est. *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari: nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat; privilegiis, & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Hæc ibi.

Quæst. 2. An Tridentinum, ubi supra, comprehendat Priores, Guardianos, & similes?

1. ET dico, quod sic; ducorque, tum quia licet Concil. Trid. ubi supra, non exigat dict. licentiam ab habentibus Parochiale beneficium: adhuc tamen Prælatura præfatorum Regularium, non est beneficium Parochiale sæcularium, quod postulat Trident. ubi supra. Etenim de substantia approbationis ad absolvendum, est, ut habeat subditos sæculares, quod non potest dici de Prælatura Regularium, tum etiam, quia Trident. ut, loc. nul-

loc. nullum ponit discrimen inter Prælatos prædictos, & alios Regulares. cum ergo lex non distinguat, nec nos distinguere debemus, ut [illegible]; tum item, quia qui se fundat in limitatione, [illegible] probare, ut tradit *Rota Rom. apud Seraph. de[illegible] nu.9.* tum tandem, quia sicut Episcopus [illegible] Directum, [illegible] Prælatus [illegible], [illegible] & perfectionis, qui in Prælatus Regularis [illegible] audire confessiones non subditorum, [illegible] Episcopi [illegible], ut multis probat *Anchar. in Clem. quamvis de foro compet. nu.1. & Gratian. disc. ep. forens. tom. 2. c. 29[illegible]* [illegible] & multo fortius de Prælatis Regularibus & docent *Cardin. de Lugo d[illegible] 21. sect. [illegible] de pœnit. & P. Franciscus [illegible] tract. de exempt. Regul. c. 6. dub. 107. nu. 2.* ubi invehit contra *Fr. [illegible] Manriquez de Regul. male loquentem p. 2. q. [illegible] q. 118.*

Quæst. 3. An dict. Decretum Trid. comprehendat Regulares graduatos, nempe Lectores, Magistros in Sac. Theol. &c.

1. Affirmative decid[illegible] in Bulla Pii V. incip. *Romani Pontificis*, edita de anno 1571. ubi innovando Bullam Leon. X. incip. *Dum intra mentis arcana*, statuit, [illegible] & liquet ibi; *etiam si sint Doctores aut in Theologia de Superiorũ licentia graduati, vel promoti, vel a suis Magistris Generalibus, vel Provincialibus professoribus [illegible] &c.* & docent *Suar. tom. [illegible] 4. Novar. in practica novi Jur. [illegible] l. 2. [illegible] 69. num. 1. & [illegible]* & merito; tum quia non omnes graduati [illegible], quamvis dicantur Doctores [illegible] Doctorem in Theologia [illegible], nec nocet id quod [illegible] *Trid. bi[illegible] ætas idoneus judicetur*, &c. quia hoc refertur ad judicium Episcopi; non autem ad esse graduatum, nec obstat dicere, quod idem Pius V. in præcedenti sua Bulla, incip. *Etsi Mendicantium Ordines*, aliter declaravit; tum quia secundum diversitatem temporum, mutantur Superiorum constitutiones; tum etiam, quia constitutio subsequens corrigit priorem sibi contrariam, tum item, quia prædicta constitutio, *Etsi Mendicantium Ordines*, fuit per Greg. XIII. in sua Bulla, incip. *In tanta negotiorum mole*, revocata; quod non potest dici de prædicta secunda Bulla Pii V. prout Sac. Congreg. declaravit apud *Quaran. ver. Confess.* & merito, quia d. 2. Bulla Pii V. nedum non adversatur, sed potius instragatur Trid. ubi supra.

Quæst. 4. An Regulares possint audire in confessione peccata venialia sæcularium, sine approbatione Episcopi?

1. Negative [illegible] *Gambacurta, de casibus reservatis*, [illegible] confiteri venialia; adhuc tamen [illegible] apta ad Sacramentum [illegible] ad [illegible] formam absolutionis Sacramentalis. [illegible] ante eum tenuerunt *[illegible] de confessionibus [illegible] præcepto Ecclesiæ [illegible]* [illegible] nequaquam accedendum [illegible] sine licentia Episcopi [illegible] sint certe, & [illegible] venialia, [illegible] Confessarium [illegible]

2. Nec [illegible] dicere, quod [illegible] Summo Pontifice, quia in hoc dictum referatur ad Clem. *dudum de sepult.*

non est omnino [illegible] plures [illegible] ceant, dictam Clem. per Trid. [illegible] saltem quoad istam partem [illegible] fraudes, quæ [illegible] possunt [illegible]

Quæst. 5. An Prælatus Regularis possit aliquem [illegible] trem sibi subditum in Parochum designare [illegible] absque approbatione Episcopi, [illegible] diat Parochianorum?

1. Negative [illegible] quia [illegible] Prælatus Regularis [illegible] Parochum designare [illegible] est illum approbare ad [illegible] sæcularium Parochianorum confessiones audiendas. Hoc enim est speciale [illegible] Episcoporum, ut constat ex *Trid. cap. 1[illegible]. sess. 2[illegible]* ibi, *nullum etiam Regularem posse &c.* Quod [illegible] est, ut hujusmodi Regularis exercens curam [illegible] sæcularium, absque prævia, & expressa approbatione Episcopi loci, possit ab eodem rigorose, & [illegible] puniri, cum hoc sit grave delictum circa curam [illegible] rum; ad quod facit Constit. Greg. XV. incip. *[illegible] Dei providentia*, & liquet in ejus §. 4. ibi, *in hujus [illegible] modi curam seu administrationem concernant, [illegible] jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœces[illegible] tanquam Sedis Apostolicæ Delegati plene in [illegible] ciantur.*

Quæst. 6. An Regularis Parochus [illegible] Episcopo, ad Animarum curam [illegible] nexam; si a tali cura, a suo, vel [illegible] moveatur, possit audire confessiones [illegible] absque nova approbatione Episcopi?

1. Negat *Bordonus, 1. p. consf. resol. 7. nu. 4[illegible]* quia Parochus Regularis, non habet [illegible] audiendi confessiones, nisi ex tali officio, quod [illegible] cessante, cessat fundamentum suæ potestatis [illegible]

2. Verumtamen partem affirmativam [illegible] re verior, & communior, tenent *Per[illegible] nu. 22. in addit. ad Constit. Leon. X. & D. [illegible] resol. 192. n. 2.* Ducunturque, tum quia semel [illegible] & approbatus ad curam animarum, non [illegible] iterum examinari, ad quod facit *c. ap accepimus [illegible] tate, & qualit. ordin.* adjuncta *gl[illegible] in ver. reputum* [illegible] cit, *quod qui reputatur dignus in una dignitate, si [illegible] gitur ad alteram; etiam tunc dignus debet reputari* [illegible] dicta remotione ab officio non obstante, [illegible] prætatus Regularis remanet idoneus, & [illegible] ad confessiones audiendas; tum etiam, quia hic Regularis, de quo agitur, fuit approbatus ad confessiones [illegible] nus, quam alii Regulares simpliciter, & [illegible] ponitur. Sed alii Regulares, possunt semper [illegible] confessiones sæcularium illius loci; etiam [illegible] Diœcesi, & iterum redeant, sic pariter, & [illegible] ergo. Tum item, quia dictus Regularis, dicta remotione ab officio Capellaniæ non obstante, virtute Jubilæi potest eligi in Confessarium à quocunque, ut veré approbatus ab Ordinario, ut docent communiter Doctores, quos allegat, & sequitur *Cardinalis de Lugo disp. nu. 2[illegible]. de pœnitent. [illegible]* 1. ergo.

3. Dixi, *à tali cura à suo Superiore am[illegible]* [illegible] Parochus præsentatus ad Ecclesiam [illegible] Regularem, a suo Prælato, possit ab [illegible] Episcopi consensu à dicta cura removeri [illegible] hanc præsentationem non liberatur ab obedientia [illegible] lati, [illegible] *de Regul. [illegible] vers. [illegible]* [illegible] & benè [illegible] Regularis Parochus [illegible] potest [illegible] stratibus [illegible]

[illegible]

committere, ſine expreſſa approbatione Epiſcopi. Quia ei reſiſtit *Trid. cit. loc.* poteſt tamen ex rationabili cauſa, aliorum Sacramentorum vices ſuas alii confratri Sacerdoti ſui ordinis commendare, quia non habet in hoc juris reſiſtentiam, & favet *Fagund. in 2. præcep. Eccleſ. lib. 7. c. 2. nu. 43.*

Quæſt. 7. An Confeſſarii Regulares, de ſola licentia ſui Prælati, & ſine licentia Epiſcopi loci, poſſint audire confeſſiones ſæcularium familiarum, exiſtentium intra ſepta Monaſterii?

1. AFfirmant *Joann. Crucius de ſtatu Relig. lib. 2. c. 6. dub. 1. Peyr. tom. 1. privil. Minim. in Conſtit. 1. Julii II. §. 15. nu. 12. Ceſpedes de exempt. Regul. cap. 6. dub. 125. nu. 4.* & ſequitur probabiliter *Lez. p. 2. ſumm. c. 16. nu. 16.* loquendo tamen de ſæcularibus familiaribus, qui ſunt verè de familia Regularium, & eorum commenſales. Et moventur tum ex *Clem. Religioſi de privil. & exceſſ. privilegiat.* ubi ſub pœna excommunicationis prohibentur Regulares laicis adminiſtrare Sacramenta, ſine ſpeciali licentia loci Ordinarii: exceptis tamen illis, quibus ab Apoſtolica Sede conceſſum eſt, familiaribus ſuis domeſticis miniſtrare, ut conſtat ex §. *ſanè Religioſis illis, &c.* ſed dicti Regulares habent ad hoc privilegium à Sancta Sede ſibi conceſſum; etenim ita conceſſit Auguſtinianis Innoc. VI. Bull. 1. & Carmelitis Sixtus IV. Bull. 37. & Minimis Leo X. Bull. 41. quæ privilegia per extenſum referunt *Peyr. & Ceſpedes cit. loc.* tum etiam ex *Trid. ſeſſ. 24. c. 11. de refor. incip. quoniam privilegia, & exemptiones*, ubi præfata privilegia non fuerunt extincta, ut quidam malè putarunt, ſed fuerunt moderata, ut hi familiares gaudeant privilegiis Regularium, etiam quoad exemptionem ab Ordinario: dummodo tamen morentur intra ſepta, actualiter ſerviant Religioni, & ſub Prælatorum obedientia vivant; aliter foris ſtantes ſubjiciuntur viſitationi, ac correctioni Epiſcopi loci, ut docet *Crucius cit. loc. c. 5. dub. 4. concl. 1.* & liquet in textu, ibi, *ipſis Ordinariis, tanquam Apoſtolicæ Sedis Delegatis, ſubjecti exiſtant, exceptis tamen iis qui prædictis locis, aut militiis actu ſerviunt, & intra eorum ſepta, ac domos reſident, ſubque eorum obedientia (ſupple ſervili) vivunt, &c.* non enim textus poteſt intelligi de obedientia Religioſa, quia ſervitores ſæculares, cum non ſint verè perſonæ Religioſæ, & profeſſionem Religioſam minimè fecerint; non poſſunt obligari ad obedientiam Religioſam, ſed ad obedientiam ſervilem; hoc eſt, ad exequendum ſervitia, & obſequia ſibi impoſita; tum item moventur ex quadam declaratione Emin. Cardin. edita die 14. Auguſti 1568. quæ tempore Greg. XIII. conſulta in dubio propoſito, reſpondet ſub his verbis.

2. *Sacra Congregatio cenſuit, prædictos Religioſos audire poſſe confeſſiones ſæcularium qui ſunt de ſua familia, & continui commenſales: non tamen eorum, qui ſerviunt in eorum Monaſteriis, &c.* & referunt per extenſum noſter *Crucius cit. loc. D. Barboſ. in Coll. Bull. ver. Confeſſarius 1. ad finem, & alleg. 25. n. 65. Rodriq. tom. 2. bull. in Bull. Greg. XIII. in fine, Peyr. Lez. & Ceſped. ubi ſuprà.*

3. Nec obſtat, quod non refertur authenticè, ut oportet, quia ſatis eſt, quod ſit de jure communi infra citando, & bullis prædictis, & infra dicendis; ex quibus collige, duo genera familiarium reperiri in Monaſteriis; unum illorum, qui ſunt de familia, hoc eſt, eorum, qui ordinariè habitant, vivunt, comedunt, bibunt, & dormiunt in Monaſteriis, ſtantque ſub obedientia ſervili Prælatorum Monaſterii, portantque amictum, ſeu veſtimentum ejuſdem coloris, quo utuntur profeſſi Monaſterii, cui actu ſerviunt, uti ſunt Tertiarii, & oblati, ſeu Donati Sancti Dominici, & Sancti Franciſci, qui licet non ſint profeſſi, adhuc tamen ibi ſunt de familia; hoc eſt, viventes, habitantes, & obedientes ſecundum Regulam Sancti Dominici, & Franciſci, &c. & hi abſque ullo ſcrupulo gaudent omnibus privilegiis Religioſorum, quibus actualiter ſerviunt, ut conſtat, ex *d. Clem. Religioſi, § ſanè,* ibi, *ut familiaribus ſuis domeſticis, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint eccleſiaſtica miniſtrare; nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præjudicium generari*, ad quod item facit *textus c. ficut ult. de ver. ſignif. in fine*, ibi, *verè tui Clerici familiares exiſtunt, & in tuis expenſis continuè domeſtici commenſales etiam, ſi quos ex illis aliquando pro tuis gerendis negotiis abeſſe contingat*, hæc ibi, de quibus vide, quæ dico, *tom. 1. prax. p. 1. tract. 4. de extenſione privil. q. 11.*

4. Aliud verò genus eſt eorum familiarium, qui inſerviunt Monaſteriis, ſed non degunt in eis, ſeu inibi non contraxerunt domicilium; ſed ſunt ibi ad tempus, cum ſtipendio; ut Artiſtæ, & ſimiles, & hi quippè non ſunt de familia, ſed ſtipendiis inſerviunt Monaſterio, ut dictũ eſt.

5. Neque his obſtat *Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. de refor.* ubi dicitur, *nullum etiam Regularem poſſe ſæcularium confeſſiones, etiam Sacerdotum audire; niſi ab Epiſcopo ad id idoneus judicatus fuerit*, nam hoc Decretum intelligitur de ſæcularibus extraneis, non autem de ſæcularibus verè familiaribus, qui ſunt in Monaſterio, & habent qualitates prædictas, ad quod facit idem Trid. allegatum ubi ſuprà, quod non poteſt præſumi in dict. locis contraria fateri. Et additur, quod Trid. *cit. loc.* nihil videtur innovaſſe, ſed jus antiquum explicaſſe; *Navar. in comm. 2. de Regul. nu. 14. ver. ad quartam*, facit etiam, quod Trid. ubi ſuprà, tollit tantùm privilegia, ſed non jus commune antiquum, cum hoc ibi non dicat. Sed de jure communi poſſunt Regulares ſuis verè familiaribus Sacramenta adminiſtrare, ut conſtat ex allegatis, & multis firmant *Rodriq. tom. 2. q. 67. de famulis & familiaribus, ar. 1. & Gavant. in Manual. ver. Confeſſarius, n. 259.*

Quæſt. 8. An Confeſſarii Regulares approbati à D. Vicario Urbis, ad Confeſſiones audiendas, debeant extra etiam approbari ab Epiſcopo loci?

1. REſpondeo affirmativè: & moveor ex *d. c. 15. ſeſſ. 23. Trident.* quod loquitur generaliter, & abſolutè, abſque ulla limitatione, nec huic reſolutioni nocet *lex quidam conſulebat, ff. de re judicata*, in qua dicitur, quod qui ſemel per Principem fuerit approbatus, per inferiorem non debet iterum examinari; tum quia procedit in eodem foro; tum etiam, quia in materia Sacramentorum adminiſtrandorum per Sacerdotes, magis ſtandum eſt legi Pontificiæ, quàm Imperiali.

2. Neque his pariter obſtat dicere, quod Regulares communicant in privilegiis, nedum aliorum Religioſorum regularium: verũ etiam in privilegiis omnium Congregationum, ſæcularium, cujuſvis pii loci, prout docent *Peregrin. in compend. privileg. Theatinorum ver. communicatio, & Ceſpedes de exempt. Regul. c. 6. dub. 111.* ſed ita eſt, quod Sacerdotes Congregationis Oratorii Urbis, ibidem per examen approbati ad audiendas confeſſiones, poſſunt ubique, de licentia tamen Ordinariorum locorum, abſque alio examine, eadem facultate uti, & abſolvere ab omnibus caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, & in poſterum reſervandis; exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, ut conſtat ex privilegio eis indulto per Sixtum V. & confirmatum per Greg. XIII. incip. *Decet Romanum Pontificem*, quod per extenſum refert. *Quarant. in ſumm. Bull. ver. Confeſſar. fol. mihi 199.* ubi etiam extendit declarationem Sac. Congreg. & *Nald. ver. Confeſſarius.* Tum quia non omnes admittunt, Regulares communicare in privilegiis Presbyterorum, ſed tantùm Religioſorum; Sed ita

ita est, quod dicta Congregatio Oratorii, non est vera Religio, cum non profiteatur solenniter tria vota Religionis, licet dicti Sacerdotes vivant in communi, instar Regularium; *Peyr. to. 1. privil. Minim. in Constit. 1. Jul. II. §. 36. n. 80.* quod iterum replicat, *tom. 3. c. 12. in addit. ad Constit. 16. alias 26. Urb. VIII. fol. 360. n. 1.* tum etiam, quia dato, & non concesso, quod Regulares communicent in privil. Congregationum pii loci sæcularium, adhuc tamen sumus in decisis; quia hujusmodi privilegia omnia fuerunt abrogata per Urb. VIII. in sua Constit. incip. *Cum sicut accepimus*, quam per extensum refert *Peyr. in d. tom. 3.* & est 92. inter bullas ejusdem Papæ *in 4. tom. bull. Cherub. fol. mihi 418.* & liquet *in §. 1. ibi, nos huic malo opportune providere volentes de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, negotiis Regularium Præpositorum consilio, omnia & singula indulta hujusmodi, audiendi sæcularium Confessiones absque Ordinarii examine, & approbatione, quibusvis Collegiis, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati Jesu, Congregationibus, & Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, necnon Monachorum quorumcunque, etiam S. Benedicti, Cistercensium, & Carthusiensium, ac etiam quibusvis Militiis, etiam Hospitalis S. Joannis, &c. hactenus quandocunque, & qualitercunque ex quavis, etiam de necessitate exprimenda causa, & alias quomodolibet concessa, Apostolica authoritate tenore præsentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus & annullamus, viribusque & effectu evacuamus, ac revocata, cassa, sublata, abrogata, & annullata, viribusque, & effectu vacua esse & fore, nec Religionibus, Societatibus, etiam Societati Jesu Congregationibus, Ordinibus, &c. in posterum ullo modo suffragari, minusque illos, & illas, etiamsi de iis specialis, specifica & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret, indultis hujusmodi uti posse, &c.*

3. Neque his nocet *Joan. Anton. Novar. in 2. p. bull. sub tit. de privil. audiendi confessiones sæcularium, absque approbatione Episcopi loci*, ubi *sub n. 3.* contendit, prædictum privil. Sixti V. concessum Sacerdotibus Oratorii Urbis, non comprehendi sub dict. Bulla revocatoria Urb. VIII. tum quia per diametrum adversatur textui dictæ Bullæ Urb. VIII. qui in ejus proœmio dicit, se revocare omnia indulta contra Trident. *cit. loc.* ne hinc salubertimum S. Concil. Trident. Decretum desuper sancitum, penitus evertatur; Quod Papæ dictum foret frustratorium, si d. privileg. Oratorii, non obstante sua jam dicta revocatione, staret ut priùs; tum etiam, quia loquitur contra §. 1. d. Constit. ibi, *aut aliis quocumque nomine nuncupatis superioribus, & personis quibuscunque etiam quomodolibet exemptis, &c.* standum est ergo jam dicto conciliari statuto, usque dum aliter visum fuerit D. Papæ.

Quæst. 9. An D. Cardinalis possit sibi eligere Confessarium non approbatum ab Episcopo loci?

1. RESpondeo, dicendum esse de Emin. Cardin. cæteris tamen paribus, sicut de Episcopis dictum est; negativè scilicet; tum quia esto, quod D. Cardinalis habeat facultatem eligendi sibi Confessarium: hæc tamen facultas non potest hodie tribuere materiam ei, qui per se est inhabilis, non observata forma textus dicti Concil. Trid. sicut poterat ante Concil., ut voluit *Cardin. Cajet. in sum. cap. 4. de Confess. & potest*, post principium: unde Episcopi, qui ante Concil. poterant sibi eligere Confessorem pro libito, videtur ex dict. textu Trid. prohiberi; tum etiam, quia Privilegium *d. cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiss.* ubi Privilegiatis datur facultas eligendi Confessarium, *ex d cap. Trid.* censetur abrogatum. Etenim *in d. cap.* datur facultas eligendi Confessarium providum & discretum, ut in textu: At non potest hodiè quis dici providus & discretus, neglecto Concilio Trid. ergò; tum tandem, quia ita declaravit Sacra Congreg. Cardin. relata per Cardin. Bellarm. *in d. cap. Trid.* inter declarationes Cardinalium, ad finem, ibi; *item Cardinales non possunt sibi eligere Confessarios, non approbatos, per hoc Decretum, sicut nec Episcopi, non possunt secundum cap. fin. al. de pœnit ut suprà, nec objectiones valent, quia Greg. XIII. sic dixit*, hæc ibi.

Quæst. 10. An Episcopus electus, sed non confirmatus, possit alicui dictam approbationem concedere?

1. ET quidem posse, subditis tamen sibi Sacerdotibus, affirmat *Sotus in 4. sen. dist. 18. q. 4. ar. 3.* & meritò; quia hujusmodi approbatio non spectat ad ordinem, & dignitatem Episcopalem, sed ad potestatem Jurisdictionis, qua fruitur Episcopus jam electus, licet non confirmatus; unde potest, immò debet concedi à Vicario Generali Episcopi, item a Capitulo, Sede vacante, ut infrà dico. Item ab omni alio exercente Jurisdictionem Episcopalem in populum exemptum ab omni jurisdictione Episcopi. *Reginald. in Praxi fori pœnit. lib. 1. nu. 18. Henriquez in sum. lib. 6. c. 6. §. 1. & Navar. in Pract. Juris novi Pontificii de Confess. Sacramentali, concl. 1 alias 68. n. 3.* quamobrem Abbates exercentes Episcopalem jurisdictionem in populum plenè exemptum à potestate Episcopi, possunt hujusmodi approbationem sacerdotibus sibi subditis concedere, *Suar. tom. 4. in 3. p. D. Thom. disp. 28. sect. 5. n. 3. Campan. in diversorio Jur. Can. Rubric. 12. c. 13. n. 66. Molfes. in sum. tom. 1. tr. 7. de pœnit. c. 14. n. 61.*

2. Dixi *subditis tamen sibi*, quia præfata licentia non est concedenda à quovis Episcopo, sed dumtaxat ab Episcopo loci, in quo confessio fit, *Navarr. in Manual. c. 27. n. 266. Ugol. de potestate Episcopi cap. 7. §. 2. num. 8. Gutier. Canon. quæstionum lib. 1. c. 27. n. 6. Campan. l. cit. loc. rubr. 12. c. 16.* & alii ferè infiniti qui dicunt, quod approbatio prædicta fieri debet ab Episcopo ordinario ipsius Confessarii, quos allegant, & sequuntur *Navar. cit. loc. n. 4. Bonac. de Sacram. disput. 5. q. 7. puncto 2. num. 4. & D. Barbosa in d. cap. Trid. in Remiss. sub n. 13. ver. an hæc approbat.* hinc approbatus in una Diœcesi, non censetur approbatus in alia, ad quod *D. Barbos. cit. loc.* refert nedum plures Doctores, verùm etiam declarationem Sacræ Congregationis.

3. Amplia, jam dictam principalem resolutionem adeo esse veram, ut ne quidem Episcopus, vigore Privilegii relati *in cap. fin. de pœnit.* possit sibi eligere Sacerdotem non subditum ad audiendas suas confessiones: nisi prius à proprio Ordinario fuerit approbatus, & admissus ad excipiendum confessiones Sacramentales, ut ex multis ostensum est suprà; ad quod *Galeot. in sua Margarita casuum conscientiæ*, refert, declarationem Sac. Congreg. cujus propria verba refert *D. Aloys. Ricc. 1. p. Prax. decis. 548. in 1. edit. & in 2. resolut. 470.* & quamvis dicta declaratio non sit authentica, adhuc tamen dict. opinionem multis citatis tenet Cardinalis Bellar. *in cit. loc. Trid. in ordine doctrinæ nu. 1.*

4. Amplia item, ut pœnitens, qui virtute Jubilæi, aut alterius Privilegii, facultatem habet eligendi Confessorem approbatum ab Ordinario, non possit eligere Confessorem approbatum ab Episcopo alterius Diœcesis, *Quaranta ver. Confess. Rodriquez in explicat. Bullæ Cruciatæ §. 9. n. 5. & Campan. l. cit. loc. rubr. 12. cap. 13. n. 77.* benè verum est, quod alii tenent contrarium. Verùm ego non recedo ab hac ampliatione; nam pœnitens tenetur sua peccata confiteri sacerdoti existenti in eo territorio, in quo reperitur, quando confiteri vult; etiamsi vagabundus & peregrinus sit; nam etiam hi vagabundi, & peregrini subjiciuntur legibus territorii, in quo sunt, ut multis firmat *Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 7. p. 2. num. 4.* Ille namque

namque appellatur proprius Parochus, quoad sacramentalem Confessionem, in cujus Parochia reperiuntur, nec possunt commodè propriam Patriam adire. *Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 23. n. 12. & Menoch. Consil. 398. nu. 25.*

Quæst. 11. An dicta approbatio ad hoc, ut valeat, fieri debeat in scriptis?

1. NEgat *D. Barbosa cit. loc.* tum quia scriptura non est de forma dictæ approbationis, cum hoc non dicatur in Trid. *ubi suprà*; tum etiam, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; unde si Episcopus videt & tacet, sufficit, quia ratihabitio de præsenti, seu delegatio tacita satis est, *Villalobos tom. 1. tract. 9. & Summa Diana, ver. Confessor, quoad jurisdictionem, nu. 6.* Non potest tamen negari, quin in scriptis obtenta melior sit, ad omnem bonum finem, cùm expressa declaratione, quod hujusmodi Confessario in actu approbationis fuit lecta, & intimata constitutio Greg. XV. contra sollicitantes, juxtà Decretum S. Off. edit. die 3. Octobris 1626. quod refert *Gavant. in Manual. Episc. ver. Confessarius, in addit. num. 3.* & ita in hac Civitate video practicari.

Quæst. 12. An D. Episcopus possit sine examine approbare Regulares ad Confessiones audiendas?

1. AFfirmat *D. Riccius in 2. p. Prax. Aur. Resolut. 21. in fin. cum Barbosa in Coll. ad d. cap. Trid. n. 37.* & meritò, quia examen non est de forma approbationis, nam Tridentinum *cit. loc.* non se restringit ad dictum examen, sed dicit, aut aliàs idoneus judicetur, ut liquet in textu; ergò hujusmodi examen relinquitur prudenti arbitrio Episcopi, dico, *Prudenti arbitrio*, quia si hoc examen omitteret imprudenter, hoc est, sine justa causa, & recto Judicio, peccaret mortaliter, ut tradit *D. Barbosa 2. p. de off. & potest. Episcopi, allegat. 32. nu. 2.* ubi loquitur de dispensat. denunciationum ad contrahendum matrimonium. Item ad interstitia, pro minoribus ordinibus, & similia; sed quia dictum examen, respectu Episcopi, non cadit sub præcepto: censeo, eum posse excusari à mortali, quamvis ejus arbitrium debeat esse rationabile.

Quæst. 13. An dict. Episcopus possit ad examen illos cogere, qui sine examine reperiuntur approbati ad Confessiones audiendas?

1. AFfirmat Doctissimus *Joannes Angelus Bossius, de Triplici Jubilei Privilegio, sect. 3. casu 2. §. 1. n. 39. & seq.* ducitur que ex verbis Constit. Pii V. incip. *Romani Pontificis*, ibi, *Volumus tamen eos, qui ab Episcopo semel in Civitate, vel Diœcesibus suis, prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari*, &c. ergo qui sine prævio examine approbati fuerint, postea examinari poterunt, & consequenter si per illud constiterit, priorem approbationem non fuisse rectè factam, poterit revocari; quod dictum ego intelligo verum, dummodò prior approbatio non fuerit absoluta, & illimitata, quoad tempus. Nam si fuerit sic: non potest, sine justa, & rationabili causa iterum approbari; res enim semel benè judicata, non potest, nec debet, sine nova causa, iterum judicari, eo fortiùs, quia dict. constitut. Pii V. favorabilis est Regularibus, ut liquet ex relatis verbis; ergò non tollit Privilegia Regularibus concessa, si quæ habent circa confessiones: nisi quoad approbationem ab Episcopo. Nam vult omnimodè omnes Regulares, antequam audiant Confessiones, approbatos esse ab Episcopo, quæ quippè approbatio ab Episcopo, haberi potest cum examine, & sine examine; ergo semel illimitatè, & absolutè habita, non potest sine nova causa restringi, vel auferri: alias magna injuria fieret hujusmodi sic absolutè approbato.

2. Confirmatur, & magis declaratur; quia Pius V. in citata sua constit. dat successoribus Episcopis facultatem de novo approbandi Regulares à præcedenti Episcopo approbatos, ibi, *cæterùm poterunt à successore Episcopo, pro majori conscientiæ suæ quiete, si voluerint, examinari*, ergò eam videtur tollere à præcedentibus, supplè, sine justa causa, cum inclusio unius, sit exclusio alterius, ut benè advertit *Cespedes de exempt. Regul. c. 6. dub. 124. sub num. 7.*

3. Et quamvis *Bossius cit. loc.* dicat ibi, *quod si jam absque prævio examine absolute approbatos, & notoriè idoneos, ex malevolentia ad examen Episcopus vocet, animo illos reprobandi, quæ malevolentia si esset nota, tunc ex supradictis putarem, dictos Religiosos absque examine absolutè approbatos, non teneri se offerri ad examen, &c.* hæc ille. Hoc tamen ejus dictum mihi non probatur; tum quia in Prælato Episcopo non debet præsumi malevolentia; tum item quia in dubio, Justitia stat pro Prælato: unde tenemur obedire; tum etiam, quia fieri potest, ut approbatus circa scientiam, sit reprobandus circa prudentiam, ob scilicet ejus malam vitam, vel alias causas, post approbationem detectas, quibus D. Episcopus intendit prudenter occurrere, sub prætextu novi examinis, ad omnem bonum finem, ne vituperetur ministerium nostrum; tum tandem, quia esto, quod Confessarius ex omni parte sit idoneus, & Episcopus malevolus (quod absit,) non exinde fit facultas tali Confessario, ut neglecto hujusmodi Episcopo, possit sæcularium Confessiones ad libitum audire, sed ut possit contra D. Antistitem, coram suo Judice competente, querelam exponere, & de illato gravamine conqueri, & interim abstinere, ut infra, qui enim potestati resistit, Dei ordinationi resistit, & sibi damnationem acquirit, ut aliàs dixi, & hanc opinionem mordicus defendit *Bordon. Decis. 568.* ubi *de Clem. dudum, de sepulturis* multa dicit digna notatu.

Quæst. 14. Si D. Episcopus Regularem idoneum, sine justa causa malevole approbare renuerit, an iste repulsus maneat approbatus, ab ipso Papa, vel ipso Iure?

1. AFfirmant *Navarr. in Manual. cap. 27. miscell. 1. nu. 264. Rodor. tom. 1. q. 59. ar. 1. §. sextò advertendum, Henriquez lib. 3. de pænit. cap. 6. §. 6 Portell. in dub. ver. Confess. Regularis n. 2. Fagundez p. 2. lib. 7. cap. 2. nu. 15. Sanchez de Matrim. lib. 6. disp. 38. n. 20. & alii multi, quos allegat. & sequitur D. Barbosa in d. cap. Trid. in Remiss. sub nu. 13.* & se fundant *in Clem. dudum de sepult.* quam per Trid. ubi supra, non revocari contendunt. Verum ego cum Diana *p. 6. tr. 7. Resol. 60. & doctissimo Suar. tom. 4. in 3. p. D. Tho. disput. 28. sect. 5. nu. 5.* dictam sententiam non approbo, quia, quoad hoc, æstimo dict. Clem. esse revocatam à Trid. ubi supra; unde video praxim Ecclesiæ in contrarium observari: quapropter idoneus, sine causa, aut malevolè ab Episcopo non approbatus, non potest, ut dictum est, immediatè suprà, de se excipere Confessiones Sacramentales, sine approbatione Episcopi loci; quia si hoc faceret, esset punibilis, ut infra dico, sed uti gravatus, poterit appellare ad Archiepiscopum Metropolitanum, vel ad Sac. Congregat., & exinde causæ expeditionem expectare, ut pluries in facti contingentia vidi practicari.

Quæst. 15.

Quæst. 15. An dict. Approbatio possit ad libitum Episcopi restringi, ac limitari ad certum tempus, locum, & genus personarum?

1. DE hac quæstione pro Episcopis egregiè discurrit *Joannes Sanctius in selectis, disp. 28.* per totum: pro Regularibus verò noster *Remigius Scrophæus in suis moralibus, q. 37. ar. 1. & 2.* & quidem eruditè; cui favet *Cespedes de exempt. Regul. cap. 6. dub. 108.* Tu autem resolutivè dic; quod ante dicta approbatio, ex rationabili causa potest restringi ac limitari, ut supra; secùs autem sine causa. Tum quia ita determinatur in Clem. *Dudum de sepult. in 6.* ibi, *quod si fortè jam dicti Prælati, quemquam ex dictis fratribus præsentatis eisdem, ad hujusmodi officium nollent habere, vel non ducerent admittendum; eo amoto, vel sublato, loco ipsius similiter eisdem præsentandum Prælatis, possit & debeat alius subrogari*, hæc ibi, ubi *Glossa in ver. subrogari*, ait; *si non recipiuntur, sed ex justa causa, quia est non qualis supra describitur, nempè prudens, discretus, literatus, &c.* sibi imputent, quia malum elegerunt, si sine causa, succedit Papæ licentia, quod dictum, cùm non adversetur Tridentino, non censetur revocatum ab eodem, ubi supra, *Suar. tom. 4. in 3. p. D. Thom. disp. 28. sect. 7. dub. 6.* & docet *Navar. in Manuali c. 4. de potestate Confess. n. 10. vers. 2. sequitur*, ubi dicit, quod non quicunque est idoneus ad audiendam Confessionem alicujus certæ personæ, vel in aliquo certo loco: ad quod facit quædam declaratio Sac. Congregatio. edita die 2. Julii, anno 1587. quam referunt *Miranda 1. p. Manual. q. 45. Novar. in pract. novi Jur. Pontif. sub tit. de Confess. Sacram. concl. 2. alias 69. & Lezana cit. loc. sub tali tenore.*

2. *Regulares, qui ad Confessiones audiendas Idonei generaliter ab Ordinariis, eorumque examinatoribus reperti & approbati fuerint, generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, admittantur in propria Diœcesi. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperiuntur, si petierint, se admitti, arbitrio ordinariorum relinquitur, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere*, hæc ibi, *Miranda cit. loc.*

3. Ad quod item facit quædam alia declaratio Sacr. Congr. quæ extat tenoris sequentis. *Congregatio Concilii censuit, Regulares ad audiendas in Civitate, & Diœcesi sæcularium Confessiones semel ab Episcopo, prævio examine approbatos, iterum ab eodem Episcopo non esse examinandos, cæterum, à successore posse utique examinari juxtà Constit. Pii V. datam 8. Idus Augusti Pontificatus sui anno 6.* quæ à fæl. recordat. Greg. XIII, non est revocata per reductionem Privilegiorum Regularium ad terminos Conc. Trid.

4. Ad quod item facit quædam alia declaratio Sacr. Congregat. edita sub his præcisis verbis. *Cum Sacra Congregationi Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum innotuerit, Confessarios Regulares graviter conqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, locorumque ordinariis, ab audiendis Confessionibus, quavis de causa discriminatim suspendantur, & propterea sæpè contingere, ut ab eisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, omnibus simul unius Conventus Confessariis Confessiones audiendi facultas adimatur. Illustrissimi ejusdem Sacræ Congreg. Patres rati vix fieri posse, ut hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam submovendam, & quo magis spirituali piarum mentiū consolationi consulatur, statuunt, ac decernunt, Archiep. Episcopus, aliisq; Ordinariis locorum, ad quos Confessarios approbandi Jus spectat; Confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis Confessionibus suspendere post hac minimè licere; nisi ex nova causa, eaque ad Confessiones ipsas pertinente, aut ob non servatum interdictum ab ipsis Ordinariis positum; statuunt insuper eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque ordinarios, Confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius Conventus, Regularibus Confessariis, eadem Sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse, quod quippiam Decretum, ut iidem Illustrissimi Patres opportunum, & necessarium duxerunt, ita inviolabiliter jubent observari. Romæ 20. Novembris 1615. A. Mar. Episcop. Hostien. Cardinalis Gallus V. Theat. Secretarius*, hæc ibi, & referunt *Novar. cit. loc.* cum suo Fratre *in sum. Bull. sub tit. de exempt. Privil. fol. mihi 247.* Quibus adde aliam declarationem Sacræ Congregationis authenticam, quam per extensum refert idem *Joannes Anton. Novar. in 2. p. Bullar. eodem titulo, de exempt. Privil. fol. mihi 288. sub hoc tenore.*

5. *Sacra Congregatio Cardin. negotiis, & Consultationibus Episcoporum, ac Regularium Præposita, censuit, Episcopum quamvis simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione approbaverit Regulares, ad personarum sæcularium confessiones audiendas, posse tamen eosdem si nova causa supervenіat, ut supra, suspendere, ac licentias illis concessas revocare, dummodò hujusmodi confessiones ipsas concernant. Cæterùm si Regulares, cum scandalo, aut aliàs inhonestè vivant, vel aliquod delictum committant, propter quod rationabili judicio Episcopi videantur à Confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam voluit esse oneratam, cum præcipua ministri qualitas sit integritas vitæ, ac morum honestas, utique eam causam ad ministrum Confessionis pertinere; & proinde nihil obstare, quo minus ob eam possit Episcopus Regulares utcunque à semetipso approbatos suspendere, aut repellere à Confessionibus audiendis. Datum Romæ die 30. Augusti 1630. Quam Sac. Congr. sententiam à se relatam approbavit die 31. ejusdem. Fr. A. Cardin. S. Honufrii*, hæc ibi.

6. Et secundum hæc prædicta intellige illud Privilegium Julii II. Minimis concessum, incip. *Pastoralis officii*, quo Regulares habent potestatem audiendi Confessiones extra proprias Ecclesias, etiam in Oratoriis, & Ecclesiis Parochialibus, &c. intellige de licentia tamen Rectorum prædictarum Ecclesiarum, &c. quod Privil. refert *Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 21. §. ver. sed nota*, ubi etiam antecedenter ad prædicta, docuit indicia ad cognoscendum, si Episcopus loci limitat ex justa causa, vel odio, *vers. si autem quæras.* Verùm ego ex prædictis omnibus colligo unum, quod hodiè est indubitatum, quod scilicet, justa causa existente, potest Episcopus Confessariorum Regularium approbationem & jurisdictionem restringere, & limitare ad certum locum, tempus, & genus personarum, approbando scilicet aliquem pro tali oppido, & non pro Civitate, vel pro certo, & determinato tempore, seu ad audiendum Confessiones virorum, non autem fœminarum, &c.

Quæst. 16. An dict. causa, ob quam potest Episcopus approbationem revocare, sit per eum probanda?

1. NEgativa resolutio constat ex immediatè decisis; nam relinquitur prudenti arbitrio Episcoporum, quorum conscientias Sacra Congregatio oneravit, ne facultate sibi tradita, hac in parte abutantur, ut meliùs est videre in præfata, & extensa declaratione Sac. Congreg. edita die 30. Augusti 1630. Quod etiam refert *Gavantus in Manual. Episcop. ver. Confessarius in Addit. n. 1. & 2.*

2. Ad quod item facit authentica responsio ejusdem Sacr. Congregat. adhibita ad duodecimum dubium

bium sibi factum, super constit. Gregor. XV. incip. *inscrutabili*, ubi consulta, an ejusmodi causam Episcopus superioribus Regularibus significare teneatur? Respondet negativè. Sed hoc relinqui arbitrio, & prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam Sacr. Congreg. seriò oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus Rei in districto Dei judicio rationem reddituri.

3. Hinc nullatenus sunt audiendi *Moronus in suis Responsis respons. 29. & Cespedes de exempt. Regul. cap. 6. dub. 115.* dicentes, dictam causam esse probandam per Episcopum, volentem præfatam approbationem revocare; quia lex Imperialis, in qua se fundant, procedit in sæcularibus litigantibus in foro Cæsaris; fallit autem in causa spirituali, in qua proceditur simpliciter, & de plano, secundum statuta Sac. Congregationis approbata à D. Papa, soli facti veritate inspecta, absque tumultu, & figura Judicii.

Quæst. 17. An Confessarius Regularis, habens facultatem ab Episcopo audiendi confessiones in sua Ecclesia, validè absolvat, si illas audiat in aliena Ecclesia?

1. GRavis est quæstio hæc, & pendet ex ea; an illa clausula, (*facimus tibi facultatem audiendi confessiones in Ecclesiis tui Ordinis*) sit taxativa, seu limitativa jurisdictionis, vel potius modalis, seu loci demonstrativa? & quidem modalem esse, & loci demonstrativam, tenent communiter Doctores, quos allegat, & sequitur *Sanch. lib. 3. de Matrim. disput. 34. nu. 2. & seq. & Bordon. 1. p. consf. resol. 36. q. 6.* tum quia Jurisdictio voluntaria in quolibet loco exerceri, & expediri potest per *l. 2. de offic. Proconsul.* ibi, *Omnes Proconsules statim, quod Urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem, non tamen contentiosam, sed voluntariam, &c.* ad quod facit *c. Novit. de offic. legat.* ubi Doctores ibi scribentes, non faciunt vim in eo, quod Jurisdictio exercentis, ordinaria sit; sed quia Jurisdictio voluntaria, cum exerceatur absque contentione, & causæ cognitione, potest ubique exerceri, absque ulla injuria loci Patroni, & sic textus comprehendit Jurisdictionem voluntariam, tam Ordinariam, quàm Delegatam, cum utrobique eadem militet ratio, & ista intelligentia est communis, ut benè notat *Covarr. lib. 3. var. cap. 20. nu. 8.* tum etiam, quia locus & tempus non sunt de substantia hujus judicii, nam cum hoc judicium sit omninò spirituale, ut aliàs dictum est, non potest essentialiter dependere à loco, & tempore materiali; tum etiam, quia privilegium, quod habent Regulares ad confessiones audiendas, est personale, non autem locale, seu reale; ergo sequitur personam quocunque ierit, ut benè advertit *Miranda tom. 1. Manual. q. 45. ar. 14. conc. 3.* tum item, quia ad substantiam hujus Sacramenti Pœnitentiæ, intrinsecè, & necessariè requiruntur claves tantùm, utpotè potestas Ordinis, & Jurisdictionis, quæ per mutationem loci non læduntur intrinsecè; ergo licet Confessarius absolvens in casu posito peccet, & possit puniri, ex quo violat mandatum Episcopi: adhuc tamen absolutio remanet valida per supra allegata.

2. Confirmatur, & magis declaratur; quia limitatio prædicta non apponitur ad auferendum Jurisdictionem extra locum præcisè designatum; sed ad evitandum dissentiones, & rixas inter hujusmodi Confessarios, & Parochos. Unde fit, ut illa clausula, non sit conditio sine qua non, sed modus extrinsecus operandi, seu exercendi Jurisdictionem collatam. Confirmatur etiam, quia multa Jure fieri prohibentur, quæ facta tenent, maximè ubi non reperitur Decretum irritans actum contrarium.

3. Neque his obstat responsio Sac. Congreg. qua dictum fuit, quod Episcopus potest restringere dictos Confessarios minus idoneos, illosque admittere cum limitata facultate temporis, loci, & personarum; tum quia, ut *Bordon. dicit loc. cit.* quoad restrictionem loci, procedit limitatio, non ad auferendam potestatem, sed ad benè esse, & licitam administrationem, ne perturbetur Parochorum, & aliorum Jurisdictio; quæ ratio non militat in restrictione temporis, & personarum; & ideò in his duobus casibus restringitur approbatio, & subsequenter Jurisdictio ulterius non se extendit, neque ad licitè, neque ad validè absolvendum: & subjungit, quod restrictio temporis, & personæ sit necessariò propter Confessarii insufficientiam, ut habeat occasionem addiscendi, quæ respectu loci accidere non possunt. Veruntamen, quia Sacr. Congreg. in dicta sua responsione indistinctè loquitur, quidam cœperunt de prædictis dubitare, an jam dicta limitatio loci sit conditio necessaria, vel potius admonitio extrinseca; de quarum differentia vide *Bonac. de Pœnit. q. 7. p. 4. §. 1. num. 18.*

Quæst. 18. Quanam pœna puniri debeat Regularis Sacerdos, qui absque approbatione Episcopi, confessiones audit?

1. REspondeo, quod debet ad minus suspendi à gradu, potestate, ac jurisdictione habituali recepta in Sacerdotio: ita ut nunquam ea potestas, ac jurisdictio habitualis in actum redigatur, recipiendo actualem jurisdictionem ad confessiones audiendas: nisi fortè talis Sacerdos tantam egerit pœnitentiam, ut ad ipsum gradum restitui mereatur. Ad quod facit *cap. placuit 3. de pœnit. distin. 6.* ubi textus sic loquitur. *Placuit ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti, ad pœnitentiam suscipere sine eius consensu, cui prius se commisit: nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confessus est: qui verò contra hæc statuta facere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit*, hæc ibi. Quæ replicantur in *c. placuit 2. caus. 9. quæst. 2. quod est Urb. II.* ex quibus *Rodriquez tom. 2. quæst. 28. de correct. fratrum, art. 1. in fin.* colligit supradictum Sacerdotem, sivè sit Regularis, sivè sæcularis, posse, saltem ad tempus suspendi à Missa, quæ venit nomine gradus, & subscribunt *Peyr. 3. part. privil. cap. 2. num. 40. in addit. ad Constu. Sixti IV. & Pellizz. tom. 2. Manual. tra. 9. de pœn. cap. 4. sect. 3. q. 4. nu. 183.*

2. Et quod dictum statutum Urban. II. sit latæ sententiæ, docent plures, quos allegat & sequitur *Tiraq. in l. si unquam, n. 148. C. de revocat. donat.* quia hoc verbum *subjaceo*, ex natura sua, non indiget facto hominis ad exequutionem. Verùm contrarium verius censeo, scilicet per dicta verba significari suspensionem, non latam, sed ferendam, arbitrio Judicis: ut dicit *Roder. cit. loc.* & consentiunt *Præpositus in d. cap. placuit, 9. q. 2. in princ. & Navar. in d. c. placuit de pœnit. dist. 6.*

3. Amplia, ut prædictus Sacerdos, de quo agitur, secundum quosdam incurrat excommunicationem *ex Tridentino sess. 22. cap. 11. & ex Bulla Cœnæ, cap. 7.* latam contra usurpantes jurisdictionem pertinentem ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum, seu Ecclesiarum eorumdem: ex quo sibi usurpat jurisdictionem Parochialem, sivè Episcopalem. Sed contrarium rectius est, quia simplex Sacerdos, in casu posito, regulariter loquendo, non censetur sibi usurpare jurisdictionem ordinariã fori pœnitentialis, quæ ad Parochum, vel Episcopum spectat; sed extraordinariam, seu delegatam, quæ ad nullum determinatè pertinet, privativè quoad alios. Unde non continetur in dictis Juribus, ut pluribus firmat *Thesaur. de pœnis Eccl. in ver. usurpatio cap. 3.*

4. Amplia, ut dictus Sacerdos, etiam incurrat in crimen falsi. Unde potest puniri pœna arbitraria, publico judicio, *l. Cornelia de falsis*, sicut punitur, qui fingit se Mi-

se Militem, cum non sit, vel qui usurpat aliquod publicum officium, quod non habet, *l. eos, ff. ad l. Corneliam de falsis*, & docet ibi *Barthol.* sicut etiam si usurpat gradum Doctoratus, quam non habet, ut *Barthol. cit. loc. Fel. in cap. tertio loco, nu. 1. de probat. Bossius in praxi, tit. de falsis, n.* 131. & patet de Clerico exercente actus ordinis, quem non habet *Bald. in l. qui sub prætextu, C. de sacros. Eccles.* & alii plures, quos allegat, & sequitur *D. Ricc. p. 4. decis. Arch. decis. 22. ad finem*, ubi ad intentum multa adunat.

5. Quamobrem condemnatus hoc judicio, erit ipso jure infamis, & consequenter irregularis; *Thes. de pœnis Eccles. 1. p. prax. cap. 33. & 2. p. ver. absolutio cap. 2. ad finem.*

6. Non desinam tamen dicere, quod aliqui, (& forsitan probabilius) tenent, præfatum Sacerdotem, de quo est sermo, non teneri, *l. Cornelia de falsis*, sed de crimine stellionatus, seu extraordinario, quod tenet *Menoch. de arbitr. casu 320. num. 4.* Verumtamen etiam sic damnatus fit infamis, & irregularis.

7. Limita tandem principalem conclusionem in tribus casibus. Primò in articulo mortis, in quo quilibet simplex Sacerdos est idoneus Minister hujus Sacramenti, *ex Trid. sess. 14. cap. 7. de casuum reservat.* ibi, *Atque adeò omnes Sacerdotes, &c.* Secundò quoad confessionem de solis venialibus, secundum quosdam, qui mihi non placent, ut dictum est supra. Tertiò de solis mortalibus jam confessis, & absolutis, quia in his quilibet Sacerdos est idoneus Minister, etiam sine licentia Episcopi, *Bonac. multis allegatis de Sacram. Pœnit. quæst. 7. p. 3. n. 1.*

8. Dixi *Regularis Sacerdos*, quia si non sit sacerdos, & audiat, & absolvat, fit reus pœnarum appositarum in Constit. Gregor. XIII. Clem. VIII. & Urb. VIII. de hac re editis, & relatis in libello attitulato Bullæ, & Decreta recentiora, de quibus *Rodriquez cit. loc. art. 2.* & dictum est hic supra *q. 1.*

Quæst. 19. An Confessarii Regulares suspensi ab Episcopo, ex justa causa, ne Confessiones audiant: sint irregulares, si hac suspensione non obstante Confessiones audiant?

1. Affirmativè dic: tum quia Censura ligatus, per administrationem Sacramenti Pœnitentiæ incurrit irregularitatem, prout incurreret, si alium actum ordinis exerceret, ut docent *Paludanus in 4. sent. distin. 18. q. 4. ver. Quintus effectus, & Sayr. lib. 7. tom. 1. c. 10. n. 8.* Confirmatur, quia absolutio pœnitentis in foro conscientiæ, sicut, & missæ celebratio, sunt actus Ordinis Sacerdotalis, qui nequeunt exerceri, nisi à Sacerdotibus, censuris minimè ligatis; ut aliis citatis, docet *Diana p. 4. tr. 2. de irregul. Portell. in dub. Regul. ver. irregularitas, nu. 13. Henriquez lib. 13. cap. 7. nu. 1. cap. 2. dub. 1. Suar. de censuris, tom. 5. disput. 7. sect. 2. dub. 2.* tum etiam, quia Episcopi hodie per Constitutionem Gregorii XV. incip. *inscrutabili de exempt. Privil.* possunt fulminare censuras in Regulares, dum circa Sacramentorum administrationem delinquunt, non obstantibus Privil. quibus non poterant censuris ligari. Ad quod etiam facit Constitutio Urb. VIII. incip. *Alias à nobis*, quam per extensum refert *Joann. Ant. Novar. 2. p. sum. Bull. tit. de exempt. Privil. fol. mihi 283.* ubi Regularium Privilegia valde nimis exsiccantur.

2. Benè tamen verum est, quod si dicta suspensio ex declaratione Episcopi, sit tantum ablatio facultatis confessiones excipiendi, facta sine causa, ita ut non æstimetur pœna Canonica, sed mera ablatio dictæ facultatis, contrarium dicendum est; quia exercens Jurisdictionem, quam non habet, non incidit in irregularitatem, ut multis allegatis docent *Bonac. de Censuris disput. 7. qu. 3. p. 6. Diana p. 5. de Irregul. tr. 2. resol. 89. & Cespedes de exempt. Regul. cap. 6. dub. 110. n. 7.* at Regularis, in casu posito, exercet Jurisdictionem, quam non habet sine censura, ut supponitur; ergò non incurrit irregularitatem, ad quod dictum potest reduci doctrina *Duardi in Bulla Cœnæ lib. 1. q. 3. n. 124.*

Quæst. 20. An D. Episcopus loci possit suspendere simul omnes Confessores Regulares unius Monasterii sine causa?

1. Negativa Decisio constat ex Decreto Sacr. Congregat. edito die 20. Novembris 1615. quod referunt *Scrofa in moralib. q. 36. ar. 3. n. 7. Laur. Peyr. tom. 1. Privil. in Constit. 2. Sixti IV. n. 45. Alphonsus de Leone. in fine 2. p. de Jubileo fol. 114. Gavantus in Manual. ver. Confessarius num. 23. Lezan. p. 1. sum. cap. 19. n. 9.* & *Cespedes de exempt. Regul. cap. 6. dub. 110. fol. mihi 132.* & habes per extensum hic supra, *q. 15.* quod incipit; *Cum Sac. Congregationi Cardinalium, &c.* & liquet ibi, *sine nova causa*, & infrà ibi, *eadem Sacra Congregatione inconsulta, &c.* ex quo Decreto clarè apparet, hoc, quod quæritur, non posse fieri ab Episcopis locorum. Unde si fiat, putant communiter Doctores, quod Regulares non tenentur obedire, *Peyr. Lezana, Scrofa, Cespedes, & alii cit. loc.* cum in tali casu, Ordinarii excedant limites suæ auctoritatis. Quod præcipuè verum est ex eo, quod Confessores Regulares ad audiendas Confessiones, habent Jurisdictionem, & authoritatem à S. Papa; approbationem tantùm ab Episcopis, ut constat ex Decisis, & decidendis infrà, & docent *Rod. tom. 1. q. 59. art. 1. Suar. in 3. p. D. Thom. tom. 4. disput. 28. sect. 8. dub. 7. Henriquez lib. 7. de pœnit. cap. 6. nu. 4. Peyr. tom. 1. Privil. in Constit. 26. Leonis X. §. 6. n. 7. Zanardus in Directorio Theol. p. 1. c. 24. §. 7.* ubi dicit, quod Episcopi, respectu Regularium, habent tantum examinare, non autem eis Jurisdictionem dare, *Miranda tom. 1. Manual. q. 45. art. 10. concl. 2.* ubi replicat; quod dicit *Zanardus, & Diana 3. p. tr. 2. de dub. Regul. resolut. 22.* verum ego consulo Regularibus, ut in facti contingentia, obediant, & proclament in Sac. Congr. Purpuratorum, ne exinde nascantur scandala. Moveor, tum quia præcitati Doctores loquuntur forsitan de illis Episcopis, qui sine causa, non autem cum causa suspendunt Confessores: tum etiam, quia aliud est loqui de Jure, & aliud de Praxi, quam in casu nostro, video in contrarium observari: tum item, quia nos hodie, plusquam prius tenemur obedire Ordinariis locorum, per Constitutionem Gregor. XV. incip. *Inscrutabili, de exemptorum Privil.* tum item, quia Illustrissimi locorum Ordinarii non tenentur nobis causam significare; sed tantum Sacræ Congregationi, in casu querelæ, & reclamationis.

2. Nec nocet *Cespedes cit. loc.* advertens ex vi præfati Decreti, non posse Episcopos suspendere omnes Confessores Regulares unius Conventus, etiamsi haberent justam causam, inconsultâ Sacra Congregat. nam sine causa (inquit ipse) nec poterant ante suspendere; ergò istud novum Decretum debet addere aliquid aliud præcedentibus Decretis, & non aliud, nisi, *nec etiam cum causa justa*, tum quia non est novum idem Decretum repeti ad majorem stabilitatem; tum etiam, quia ut dictum est, Episcopus non tenetur probare hujusmodi causam ad talem finem, nec nobis illam significare; tum tandem, quia licet hoc ejus dictum possit esse verum, non tamen exinde sit nobis facultas audiendi Confessiones; sed quærelandi Episcopum coram Judice competente, ex quo venit contrà Decretum Sac. Congr. Etenim concessum ad utilitatem animarum, non debet in ipsarum odium retorqueri: volo dicere; quod Sacra Congregatio decrevit prædicta in salutem anima-

animarum, & ad evitandum scandala, ut ibi expresse dicitur, quæ quippè scandala insurgerent cum majori impetu, si Regulares de per se, Sacra Congregat. inconsultâ audirent dictas Confessiones, Episcopo loci neglecto.

Quæst. 21. An D. Episcopus loci possit iterum examinare Confessarium Regularem, qui mutavit Domicilium, & iterum rediit, si ante discessum fuerit simpliciter, & absolutè approbatus?

1. NEgat *Amicus disput. 15. nu. 135. de satisfactione Sacramentali*; nisi fortè ex nova, & rationabili causa, quia sola mutatio Domicilii per aliquod tempus, non est sufficiens causa, quod debeat iterum examinari. Quod dictum ampliat *Bossius de triplici Jubilei privilegio, Roder. in Bull. Cruciata* §. *9. n. 5. Didacus Nugnus in addit. ad 3. p. D. Thom. qu. 8. art. 3. Dub. 1. concl. 2.* etiamsi dictus Confessarius Regularis mutatus, sit Episcopus: quòd tamen limitat *Cespedes de exempt. cit. loc.* nisi fortè novus Episcopus vocaverit Confessores ad examen. Nam tunc tenebitur comparere, non obstante quod fuerit simpliciter approbatus, ut constat ex Bulla Pii V. incip. *Romani Pontificis*, de qua dictum est hic supra, q. 3. & 15.

Quæst. 22. An Cofessarii Regulares semel admissi ab aliquo Episcopo, & Deputati à suo Prælato, ad Prædicandum, & missiones habendum, possint iter agentes in Terris, per quas transeunt, fidelium Confessiones audire, sine licentia Episcopi loci?

1. NEgativè dic: etiam si in locis, per quæ transeunt, non adsint ordinarii, nec Parochi reclament. Etenim standum est Decreto Trid. *cap. 15. sess. 23.* nec nocet dicere, quod Greg. XIII. Societati Jesu indulsit hæc prædicta, de qua concessione, & Privilegio latè *Suar. in 3. p. D. Thom. to. 4. disp. 28. section. 7. n. 13.* & quod dictum Privil. ob communicationem Privilegiorum extenditur ad omnes, qui in Privil. communicant cum illis, *Rodriquez to. 1. q. 59. art. 5. & Miranda to. 1. Manual. q. 54. ar. 4.* tum quia prædictum Privil. fuit oretenus concessum, ut ajunt; & consequenter, hodie nihil operatur, cum oracula censeantur extincta, & præcipuè quæ possunt excitare querelam, & Episcoporum Jurisdictionem turbare, de quorum numero censetur id, de quo agitur, ut docet *Peyr. tom. 1. de subdit. qu. 1. de obedientia, cap. 21. §. 2. vér. An autem*, & egomet multis firmavi, *tom. 1. prax. p. 1. tr. 2. de oracul.* tum etiam quia, esto, quod fuerit in scriptis, & omni solemnitate concessum; adhuc tamen manet extinctum per Constitutionem Urb. VIII. incip. *sicut accepimus*; cujus verba habes supra, & liquet ibi, *etiam Societati Jesu*, ergò expectandum est, usque dum denuò fuerit à S. Papa ad vitam revocatum, & favent *Lezan. p. 1. sum. cap. 19. n. 5. & Novar. 2. p. sum. Bull. sit. de audiendis Confessionibus.*

Quæst. 23. An Confessarius Regularis approbatus ab uno Episcopo, possit à successore iterum examinari, & approbari, vel reprobari?

1. AFfirmativè deciditur in dicta Bulla Pii V. incip. *Romani Pontificis*, & liquet ibi, *volumus tamen eos, qui semel ab Episcopo in Civitate, vel Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterum non examinari: à successore autem Episcopo, pro majori conscientiæ quiete, examinari de novo poterunt.*

2. Quod item declaravit Sac. Congreg. cujus verba habes hic supra *qu. 15.* & etiam refert *Vivaldus in Candel. Aur. 1. p. tit. de Confes. n. 28. Miranda tom. 1. Manual. q. 45. art. 7. Novar. in Practica novi Jur. Pontif. sub tit. de Confess. Sacramentali, conclus. 2. num. 2. & Lezana 1. p. sum. cap. 19. num. 7.*

Quæst. 24. An Confessarii per Episcopum approbati, ipso mortuo, vel amoto, possint, ut prius Confessiones audire, vel potius teneantur iterum se præsentare?

1. SOtus *in 4. sent. dist. 18. q. 4. art. 3. & col. 7.* dicit, satis esse, si semel habeant unius Episcopi facultatem, seu licentiam, ut non teneantur amplius eidem Episcopo, vel alteri præsentari: ad quod allegat extrav. Benedicti XI. incip. *inter cunctas, de Privil.* quæ in hac parte non est revocata, ad quod item facit textus *cap. si cui de preben. in 6. & cap. si super gratia de off. deleg. eod. lib.* ubi dicitur, quod *gratia non expirat per mortem concedentis.* Quod dictum intellige verum, dummodo simpliciter fuerit facta, secus si ad certum tempus concessa sit. Quia elapso tempore præscripto, evanescit, vel si concessio fuerit facta ad beneplacitum, seu voluntatem concedentis, nam beneplacitum per mortem extinguitur, ut firmat textus *cap. si gratiosè*, & docent Doctores ibi scribentes, quibus inhærent *Joan. de la Crux. de statu Relig. lib. 2. c. 3. dub. 1. conclus. 3. verb. ex dictis. Sanchez de Matrim. lib. 8. disput. 28. nu. 8. Graff. 1. p. Decis. Aur. lib. 1. de Potestate Confessarii cap. 13. n. 49. & D. Barbosa in Collect. ad d. cap. Trid. n. 43.* qui docent, quod dicta licentia, seu approbatio nihil aliud est, nisi gratia concessa alicui, per quam sibi licet, quod prius non licebat; & dicitur licentia à liceo, lices, secundum illud Apostoli, *omnia mihi licent*; unde tamquam gratia debet ampliari, juxtà Juris regulam, *Odia in 6.*

Quæst. 25. An Sacerdos non approbatus ab Episcopo, validè confessiones audiat?

1. NEgat *D. Ricc. in 4. p. decis. Cur. Archiep. decis. 22. n. 1.* & meritò; tum quia approbatio Episcopi ad confessiones audiendas, est conditio sine qua non, tum etiam, quia ità expressè dicitur in *cap. 7. sess. 14. Concil. Trid. de Casuum reservat.*, ibi *nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet Jurisdictionem, &c.*

2. Sed quid dicendum, si Sacerdos absolvat, credens, superiorem habere absolutionem ratam de futuro? & quidem invalidè absolvere, docent *Navar. in Manuali cap. 9. nu. 6.* ubi dicit, quod dicta Confessio debet iterari. Nam defectus Potestatis est essentialis, non solum quoad hoc; sed etiam quoad alia omnia, ad quod allegat *l. final. ff. de Jurisdict. omn. Judic. & cap. 2. de Constit. in 6.* & est Decisio Tridentin. *cit. loc.* Nec sufficit ratificatio à proprio Ordinario, quamvis pœnitens hac fiducia fretus, confiteretur, quod id gratum & ratum ille habiturus esset. Quia nulla ratificatio efficere potest, ut sit Sacramentum, quod ab initio non fuit tale, teste *Paludano, in 4. sent. distinct. 17. q. 3.*

3. Secus autem dicendum, si superior, ad quem pertinet facultatem facere, dictam Confessionem ratam habeat de præsenti. *Navar. cit. loc. & in cap. placuit num. 105. Nugnus in Addit. ad 3. p. D. Thom. q. 8. art. 5. dub. 1.* & alii quamplures, quos allegat, & sequitur *D. Barbos. in Collect. ad d. cap. Concil. Trid. num. 42.* quid autem sit ratificatio de præsenti, quid verò de futuro, alibi scripsimus.

Quæst. 26. Si Confessarius sit excommunicatus, vel suspensus, an validè absolvat?

1. NEgativè dic, si tamen sit notoriè excommunicatus, nempè per sententiam, vel si publicè manus violentas injecit in Clericum, ut nulla possit tergiversatione cælari, etiamsi denunciatus non fuerit, ut patet ex extrav. Martini V. incip. *ad evitanda scandala*; secus autem si occultè; quia licet excommunicatus occultè peccet absolvendo, adhuc tamen absolutio est valida, eò quod pia Mater Ecclesia tunc tribuit jurisdictionem, supplendo defectum illius propter existimationem communem, juxtà *l. Barbarius ff. de officio Prætoris*, & docent *Navar. in sum. cap. 9. n. 8. Lez. 1. p. sum. c. 19. nu. 13.* & multis citatis *Thesaur. de pœnis Eccles. 2. p. Praxis, ver. Absolutio, c. 2. vers. limita*, ubi dicit, quod ad validitatem absolutionis sufficit, si Confessarius habeat titulum coloratum, cum communi errore: ut si Parochus erat privatus occultè titulo suo, vel si ejus provisio fuit nulla, ob defectum aliquem occultum, ut ob irregularitatem, vel censuram; tunc enim valet Confessio & absolutio, nec est iteranda: etiam si postea declaretur Confessarius jurisdictione privatus. Ita Innocent. *in cap. Dudum 54. de elect.* & ibi *Glossa. Navar. in cap. Placuit de Pœnit. distin. 61. nu. 180. Sanch. lib. 3. de Matrim. disput. 22. nu. 46. D. Barbos. de potestate Parochi. cap. 9. n. 7. & c. 17. n. 18.* qui cum aliis notant, quod non sufficeret ad validitatem Confessionis, seu Sacramenti Pœnitentiæ communis error, sine titulo colorato, ut si quis falsas approbationis literas confinxisset, & se publicè exposuisset in audiendis Confessionibus; ita tenent communiter Doctores apud *Sanchez, cit. loc. n. 49.* licet contrarium teneant aliqui apud eumdem, & defendit *Genuen. in Praxi Neap. cap. 50. in annot. num. 3.*

2. Hinc ego tunc Regens Generalis studii Civitatis Cosentiæ, cum communi resolvi, actus Sacramentales exercitos ab illo N. Archipresbytero Terræ Mendicini, qui Commissario Illustrissimo Archiepiscopo de Venosa, & Delegato Apostolico, jussu Urbani Papæ VIII. servatis servandis, fuit brachio sæculari traditus, & laqueo suspensus, fuisse validos, ob prædicta, respectu tamen eorum, qui non poterant reiterare, non obstante, quod fuerit postea declaratus jurisdictione carere, & quod nunquam fuerit Sacerdos. *Multa enim Jure fieri prohibentur, quæ facta tenent.* Aderat enim communis error ac titulus coloratus. Etenim ab omnibus putabatur verus Sacerdos & Archipresbyter, & bonus animarum œconomus: licet occultè, ac intrinsecè res aliter se haberet, & à veritate distaret. Parcat illi Deus.

Quæst. 27. An Confessarii Regulares approbati in una Diœcesi, possint subditos illius Diœcesis ubique audire?

1. AFfirmant *Sotus in 4. sent. distin. 18. q. 4. art. 3. col. 8. vers. aliud verò dubium, Ledesma 1. p. sum. de Sacram. Pœnit. c. 12. dub. ult.* & aliis relatis, *Peyr. to. 1. de subd. q. 1. c. 21. §. 2. ver. dico tertiò*, & meritò; tum quia ad id habent speciale Privilegium à Sixto IV. quod per extensum refert *Rodriguez to. 1. q. 60. art. 5. in fin. Miranda to. 1. Manual. q. 45. ar. 14. concl. 3.* & habetur in monumentis ordin. *in 1. Impress. fol. 64. & in 2. fol. 68. conclus. 128. & in supplemento, fol. 96. concl. 335.* & refertur in compendio Privil. Mendican. ver. *Absolutio quoad sæculares*, §. 2. tum etiam, quia Confessarii Regulares æquiparantur Parochis, ut expresè dicitur *in Clem. dudum, de sepult.* At Parochi possunt suos subditos ubicunque repertos, etiam extrà Diœcesim absolvere, ut de communi docent *Syl. ver. Confessor. 1. & Armilla ver. Confessio.* ergò & Confessarii Regulares; tum item, quia jurisdictio voluntaria, etiamsi non sit ordinaria, sed delegata, potest licitè, & validè exerceri extrà territorium delegantis, & committentis, ut unanimiter testantur legistæ ac Canonistæ, nam quæ fiunt in foro Animæ, sine tumultu, & læsione alterius jurisdictionis, possunt ubique exerceri. At talis extat usus Confessionis, præcipuè si exerceatur in loco privato, sine injuria Judicii Judicis alieni territorii. Cur ergò Regulares non poterunt hujusmodi homines à peccatis absolvere?

2. Neque his officit *Syl. Verbo Confessor 1. §. 14. & Confessor 2. §. 4.* dicens, quod in præfata *Clem. Dudum de sepult.* hoc nobis expresè denegatur, ibi, *extrà verò Civitates, & Diœceses, in quibus sunt deputati, non possint illam facultatem exercere.* Quia, ut benè advertit *Sotus cit. loc.* hæc verba ibi subduntur, ne hi, de quibus agitur, putent, se in vim præhabitæ licentiæ unius Diœcesis, posse audire Confessiones omnium hominum cujusvis alterius Diœcesis. Quia hoc falsum est, cum unusquisque Pastor suas debeat oves cognoscere, quod practicatur in casu posito, etiam si confessarius Neapolitanus approbatus ab Emin. Archiepisc. Neapolitano, suos Neapolitanos Pœnitentes audiat extra suum territorium, utporè in Civitate Salerni, quia hi Pœnitentes pertinent ad dictum Emin. ubicunque fuerint: dummodò tamen Neapolitani prædicti non reperiantur extrà territorium Neapolis, cum translatione Domicilii, quia per mutationem Domicilii, pertinent ad Episcopum illius loci, in quo contraxerunt Domicilium, quod tunc intelligitur mutatum, seu translatum, cum quis transfertur de uno loco in alium, cum majori parte fortunarum, & voluntate resoluta inibi perpetuò habitandi, ut alibi scripsimus, & docent *Sanchez de Matrim. lib. 3. disput. 23. & Peyr. cit. loc. ver. limitanda.*

Quæst. 28. An Capitulum, Sede Vacante, possit revocare facultatem, quam habent Regulares audiendi Confessiones sæcularium?

1. ET dico, quod sic: ex justa tamen causa; moveor, quia Capitulum, Sede Vacante, potest omnia exercere, quæ de Jure communi pertinent ad jurisdictionem ordinariam Episcopi: exceptis nonnullis speciatim Jure prohibitis. *D. Barbos. p. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 36. n. 9.* sed D. Episcopus potest ex causa revocare dictam facultatem Regularibus concessam, ut constat ex decisis; ergò & capitulum, Sede vacante, propter dictam rationem.

2. Confirmatur & magis declaratur, quia Capitulum, Sede Vacante potest approbare, & exponere Confessores per Vicarium à se electum; ut docent communiter Doctores, quos refert, & sequitur *D. Barbos. in Collect. ad d. cap. Trid. 15. sess. 23. nu. 28.* ergò ita à pari poterit illos reprobare, & removere ab audientia Confessionum. Hæ namque actiones sunt correlativæ, & ambæ actus jurisdictionis, non autem Ordinis, seu dignitatis Episcopalis, ergo.

3. Nec his obstat Privilegium Dominicanis, ac Franciscanis à Clem. IV. indultum, quod refert *Roder. tom. 1. Bull. pag. mihi 36. & Cessedes de exempt. Regul. cap. 6. dub. 123.* quod est tenoris sequentis.

4. *Clemens Episc. servus servorum Dei. Dilectis Filiis Magistro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum salutem, & Apostolicam Benedictionem, exigentibus vestræ devotionis meritis, votis vestris libenter annuimus, & petitiones vestras, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudimus; ex parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis, quod licet vobis à nonnullis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis. & aliis Ecclesiarum Prælatis audiendi confessiones subditorum suorum, nec non prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis*

pietatis opera commutandi in suis Civitatibus, & Diœcesibus licentia sit concessa, quia tamen ipsis Prælatis decedentibus uti licentia hujusmodi Ecclesiis sic vacantibus dubitatis, nobis humiliter supplicatis, ut providere vobis super hoc paterna diligentia curaremus. Vestris igitur supplicationibus inclinati, præsentium vobis authoritate concedimus, ut in hujusmodi casu possitis uti tamdiu liberè prædicta licentia, donec viduatis Ecclesiis provisum fuerit de Pastore. Nulli ergo, &c. Datum Perusii 17. Kalen. Julii, Pontificatus nostri anno primo. Quia aut tale Privilegium censetur revocatum per Tridentinum *cit. loc.* aut est intelligendum secundùm distinctionem prædictam.

5. Nec replices, dicendo, quod *Trid. cit. loc.* debet intelligi de prima approbatione, quam debent Regulares habere ab Episcopo, non obstantibus quibuscunque Privil. quia si hoc esset verum, sequeretur, quod Regularis, semel approbatus ad Confessiones, non posset denuò examinari ab Episcopo successore, quod est contra Constit. Pii V. incip. *Romani Pontificis*, de qua dictum est suprà, ergo debet intelligi de approbatione à quocunque Ordinario, & consequenter etiam à Capitulo, Sede Vacante, quod venit nomine Ordinarii, cùm succedat in omni ordinaria jurisdictione Episcopi, paucis exceptis, ut dictum est suprà.

Quæst. 29. An Confessarius Regularis, ultrà approbationem Episcopi, opus habeat licentia sui Prælati; ad hoc, ut ritè, & validè possit sæcularium confessiones audire?

1. Affirmativè *S. Thom. quodl. 12. art. 31. S. Anton. in 3. p. summ. tit. 17. cap. 7. post. Palud. in 4. sent. dist. 17. q. 3. Navar. in manuali cap. 4. de potestate Confess. n. 4. Graff. 1. par. decis. aur. lib. 1. cap. 15. nu. 87. Miranda 1. p. Manual. q. 45. ar. 11. Peyr. tom. 1. de subdit. q. 1. c. 21. & Lez. 1. p. sum. cap. 19. n. 12.* & moventur ex eo, quod Religiosus per votum obedientiæ adeò fit alterius juris, ut non amplius ipse habeat velle, neque nolle, ut dicitur in *cap. si Religiosus, de elect. in 6.* quod dictum verum intelligit *Navar. cit. loc.* in illo Religioso, cui aliquo statuto suæ Religionis, vel mandato sui Superioris est negata facultas audiendi confessiones; non autem de aliis: sed ita est, quod in omnibus Religionibus bene ordinatis, habetur tale statutum, ut cunctis patet. In meo enim Ordine habetur in *cap. 13. sex. 1. lit. A. § potissimè fol. 40. in fine.* ubi dicitur, quod Confessores, tam sæcularium, quam fratrum debent approbari à Patrum Concilio, & P. Provinciali pro tempore: non est ergo necessaria dicta limitatio Navarri contra nostrum Paludanum.

2. Quod adeò verum est, ut dictus Regularis, nec quidem à venialibus, neque à mortalibus aliàs ritè confessis, licitè, id est, sine peccato, possit absolvere absque sui Prælati licentia, prout nec etiam potest absolvere eum, qui haberet diploma Apostolicum ad eligendum sibi Confessorem: nisi fortè in illo expressè nominaretur, quia in tali casu, non solùm posset absolvere sine licentia Prælati; verùm etiam illo contradicente, etenim stante præcepto Papæ; cessat cujusvis alterius Superioris mandatum. *Sylv. ver. Confess. 1. q. 5. num. 5. in principio. & Sot. in 4. sent. distinct. 18. qu. 4. art. 4.* & ratio eadem est; quia scilicet Religiosus professus non est sui, sed alterius juris, nec reperitur aliquod tempus, in quo non possit à suo Superiore aliter occupari, ergo &c.

3. Benè tamen verum est, quod regulariter loquendo, prædictæ confessiones factæ Regulari approbato ab Ordinario, absque proprii Prælati licentia, sunt validæ, ut infrà dico, licet ille graviter peccet; & debeat puniri, tum quia hic reperitur totum illud, quod requiritur ad validè Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, utpotè potestas ordinis, & jurisdictionis; tum etiam, quia *Trid. cit. loc.* ad idoneitatem Confessarii sæcularium non exigit licentiam Prælati Regularis, sed illam ad benè esse aliàs supponit.

4. Dixi, *quod graviter peccat, & debet puniri*, quia in re gravi votum obedientiæ violat; *Rodriquez tom. 1. qu. 60. art. 3. Miranda. cit. loc. & D. Campanil. in suo divers. Jur. Can. Rubr. 12. cap. 13. n. 59. & 60.*

5. Dixi *Regulariter loquendo*, quia si in Religione sit receptum Breve Julii III. concessum P. Generali Ordinis Prædicatorum, quo hujusmodi licentiæ, ac immunitates fratribus concessæ sine licentia Prælati revocantur, est de re considerandum: unde iterum quæro.

Quæst. 30. An dictæ confessiones factæ Regularibus, non approbatis à suis Superioribus: approbatis tamen ab Episcopo loci, sint validæ, & firmæ; vel potius reiterandæ?

1. Sunt qui dicunt, esse irritas, nullas, & consequenter iterandas. Et moventur, tum quia non est verosimile, nec præsumendum, quod Episcopus velit dare suam authoritatem, & jurisdictionem Sacerdoti Regulari, non exposito per suum Prælatum, cùm hoc sit contra Clement. *Dudum de sepult. in 6.* in qua expressè dicitur, quod Confessores Regulares, ad finem audiendi confessiones Sacramentales sæcularium, debent præsentari per ipsorum Superiores, & non aliter; quæ quippè Clement. quoad hoc non fuit revocata per *Trident. citat. loco*; tum etiam, quia exclusa approbatione proprii Prælati, dicta facultas censetur facta non subdito, stante exemptione Regul. & consequenter est nulla; ergo. Confirmatur, sicut Episcopus non potest concedere Indulgentias sibi non subdito; ita à pari non potest dictam licentiam concedere exemptis Regularibus, nam utrobique eadem ratio militat. Tum tandem, quia ex Decreto, & Constitutione Julii III. hæ facultates ab Episcopis datæ fratribus, absque licentia ipsorum Superiorum, sunt irritæ, nullæ, & cassæ; & consequenter Regulares audientes sæcularium confessiones, in casu posito, censentur audire sine approbatione Episcopi, & perinde nulliter audiunt, ut constat ex dicta Constit. Jul. III. expedita ad instantiam P. Generalis Ordinis Prædicatorum, quæ habetur in nostro Bullario Stephan. Ususmaris, & liquet ibi. *Nec non omnes & singulas immunitates, & à præceptis, ac ab obedientia suorum Prælatorum, & alias exemptiones personales, & absque suorum Superiorum licentia, Confessores eligendi, tam Sæcularium, quam Regularium confessiones audiendi, & aliàs similes facultates, & gratias, &c. absque tui, aut Superiorum suorum consensu concessas, &c. dicta authoritate Apostolica, revocamus, cassamus, &c. etsi quas de cætero similes, aut dissimiles facultates, exemptiones, & gratias absque tuo, & dicti pro tempore, &c.* ex quibus apparet in dicta Constit. adesse decretum irritans actum contrarium, etiam de futuro. Quod valdè urget in casu nostro: Unde *Miranda 1. p. Manual. q. 45. art. 12. concl. 1.* dicit, prædictam Bullam Julii III. extendi ad omnes Regulares, ob communicationem privilegiorum, & consequenter nulliter audiunt sine proprii Prælati licentia; nisi fortè prædictum privilegium apud eos non reperiatur receptum, vel noluerint eo uti, cùm unusquisque possit liberè suo juri renunciare, maximè quando renunciatio non cadit in præjudicium cæterorum, quod item fatetur *Lezana 1. p. summ. cap. 19. num. 12.*

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent communiter Doctores, tum quia, ut dictum est supra, in hoc casu reperitur totum illud, quod necessariò requiritur ad integritatem Sacramenti Pœnitentiæ, potestas scilicet ordinis, & jurisdictionis *Peyr. 1. par. de subd. quæst. 1. cap. 21. conclus. 2.* tum etiam, quia Concil. Trident. ubi supra, *cap. 15. sess. 23.* talis approbationis non

meminit; sed solùm approbationis ab Episcopo fiendæ tum item, quia cùm Episcopi possint facultatem audiendi confessiones suorum subditorum viris idoneis delegare independenter ab omni alio, aliàs subderentur illis; ergo ut illam conferant Regularibus idoneis repertis, non indigent alterius consensu. Sed Regularis tenetur illam sibi delegatam facultatem minimè exercere, sine prævia licentia sui Prælati, ergo aliter audiens fit punibilis, absque tamen læsione absolutionis adhibitæ. Verum *Lezana ver. Confessarius Regularis* limitat hæc prædicta: dummodò in Religionibus non sit receptum præfatum privilegium Julii III. quia Regulares non possunt uti dicta facultate, nec licitè, nec validè contra suorum Superiorum voluntatem, quod totum intellige verum, si sæcularibus notum sit Breve jam dictum, ac præceptum Superioris inhibentis suo subdito, dicta facultate uti, nam si sæcularis in spretum hujus præcepti accedat ad Regularem, eumque soliciter suas confessiones audire, cooperatur crimini alieno: imò est causa efficiens, & sufficiens ad peccandum mortaliter, & consequenter ipsemet mortaliter peccat. Unde tenetur dictam suam confessionem iterare, ex quo posuit obicem, & non integrè fuit confessus. At si sæcularis ignoranter, ac simpliciter accedat ad eum, qui in Confessionali omnibus stat expositus, non peccat, nec tenetur aliud indagare, nec occulta investigare; cum autem sciverit, quod fuit confessus Sacerdoti non habenti authoritatem, tenetur reiterare, & legitimo, ac idoneo Confessori confiteri.

Quæst. 31. Quænam sint privilegia Regularibus concessa ad audiendum sæcularium confessiones?

1. ET quidem multa fuere olim privilegia Regularibus concessa, quibus possent confessiones sæcularium audire, eosque absolvere in forma Ecclesiæ. Etenim primum omnium fuit illud, quod nobis concessit Alexander IV. circa annum Domini 1260. quod refertur in Monumentis Ordinum, *fol. 66. in 1. impress. & in Compend. privil. Mendican. vers. Absolutio quoad sæculares*, §. 1. quod postmodum confirmavit Urbanus IV. & Clemens IV. ejusdem Urbani successor, de quo privilegio eruditè multa loquitur *Sotus in 4. sent. dist. 18. q. 4. art. 3.* Post hæc aliud privilegium nobis concessit Bonifac. VIII. in Extravaganti, quæ incipit, *Super Cathedram de sepult.* quo Regularibus copiosissimam facultatem facit audiendi confessiones sæcularium, cum hac conditione, ut Prælati Religiosorum Mendicantium, præsentarent Episcopis prius ad id Sacerdotes, quos idoneos judicarent, quibus & ipsi facultatem facerent, tum prædicandi, tum confessiones prædictas audiendi: illis tamen facere renuentibus, ipse Summus Pontifex in dicta extravaganti prædictis Regularibus indulsit, ut eo nihilominus non obstante idipsum possint efficere. Verùm quia prædictum privilegium multas excitavit quærelas inter Presbyteros, Prælatos, & Fratres. Benedictus XI. successor prædictorum, qui fuit Frater Petrus de Tarantasia, Ordinis Prædicatorum, in alia Extravaganti, quæ incipit, *Inter cunctas, de privil.* revocata prædicta moderatione Bonifacii, amplissimam potestatem præbuit dictis Mendicantibus prædicandi, & audiendi confessiones sæcularium, nulla facta coram Episcopis præsentatione, neque ab eis aliqua petita licentia: Verùm Clemens V. ejus successor, volens hoc inconveniens evitare in Concilio Viennensi, in *Clementina dudum de sepulturis*, ubi prædicta narrantur, revocavit dictum privilegium Benedicti XI. & renovavit illud Bonifacii VIII. quo, ut dictum est, præcipiebatur, ut Confessores, & Prædicatores prædictis coram Episcopis præsentarentur, & præsentatione facta ab eisdem humiliter, & omni prævia reverentia peterent licentiam, & approbationem ad prædicta; quæ quippe licentia, seu approbatio, si sine ulla ratione eisdem denegaretur, ipsemet Summus Pontifex, authoritate Apostolica, facultatem illis facit, ut virtute sui Decreti, & Clementinæ prædictæ prædicare possent, & fidelium confessiones audire, ut constat ex textu. Hæc olim usque ad tempora Sacri Concil. Trident. cujus Decretum *cap. 15. sess. 23.* observatur hodie in cunctis Ecclesiis fidelium, ut praxis ipsa docet.

Quæst. 32. An dicta Clementina dudum de sepulturis, censeatur abrogata à Tridentino loc. cit.?

1. SUnt qui affirmant, & moventur, tum ex illo verbo textus *d. cap. 15. sess. 23. Tridentini*, ibi, *Nullum etiam Regularem, &c.* quod verbum ibi superfluè, ac inutiliter poneretur, si *d. Clem. dudum*, minimè revocaretur. Ad quid enim hujusmodi repetitio? tum etiam, quia Trident. est quædam lex generalis posterior ad *d. Clemen. dudum de sepult.* lex autem posterior corrigit priorem, *c. licet de Constit. in 6.* tum item, quia Trident. in *d. cap.* dicit, *non obstantibus privilegiis, &c.* ergo novum jus instituit.

2. His tamen non obstantibus, dicendum est, quod prædicta Clementina per Tridentinum ubi supra, non revocatur, sed confirmatur, & ampliatur, & in melius commutatur quoad substantiam; & præcipuè quoad præsentationem Confessorum faciendam per ipsorum Superiores, & licentiam obtinendam ab Episcopis locorum. Etenim, ut constat ex verbis dicti *Cap. Trident.* mutatur forma, seu modus præsentandi Confessores, sed non abrogatur dicta præsentatio facienda per Superiores Religionum, nec approbatio per Episcopum loci facienda, tum etiam, quia Clementina prædicta non est privilegium, sed jus commune, vel privilegium insertum in corpore juris communis, quod nequit revocari, nisi in specie revocetur, ut liquet ex allegatis in *tract. de revocat. privileg.* tum item, quia in margine *d. cap. Concil. Trid.* citatur *d. Clement. dudum de sepult.* in signum, quod *d. cap. Trident.* correspondet dictæ Clementinæ, & quod dicta Clementina est pars principalis dicti Cap. Tridentini, & docent *Navarr. in manuali cap. 27 nu. 264. in fine, in primo Miscell.* ubi latè de hac re, *Rodriquez tom. 1. qu. 59. art. 2. Miranda 1. p. Manual qu. 45 art. 6. D. Ricc. 4. p. decis. Curiæ Archiep. dec. 22. num. 8. & 9.*

3. Nec his obstat dicere, quod in dicta Clement. sancitur, quod si Episcopus ex odio, vel sine rationabili causa, repellat dictos Confessores sibi præsentatos, poterunt hi, Pontificia authoritate sæcularium confessiones excipere, non obstante Episcopi repulsa; quia, ut eleganter advertit *Navarr. cit. loc.* hoc non est juri communi dissonum, nam in *cap. licet, de Regul.* dicitur, quod si Regularis petens licentiam humiliter transeundi in strictiorem Religionem, ea sibi sine justâ causâ, negatâ, habetur pro concessa, & in *cap. primum de suppl. neglig. Prælat.* dicitur, quod si Abbas bis, & tertiò humiliter requisitus benedicere, sine justa causa recusaverit Religiosum benedicere, habetur ipso jure pro benedicto; & addit, quod hoc ipsum implicitè continetur in Tridentino. Tum quia est de jure communi, quod ibi per Tridentinum non abrogatur; tum etiam quia si Episcopus loci malevolè, (quod absit) repellat idoneos Regulares sibi præsentatos ad finem prædictum, hi poterunt appellare, & ut læsi in suis juribus, quærelam exponere coram ejus Judice competente.

4. Nec item nocent objecta in contrarium, non primum; nam illud verbum fuit appositum ad majorem claritatem, ad ostendendum, quod dictum Decretum Trid. non solùm comprehendebat Sacerdotes sæculares, sed etiam Regulares; nec quidem secundum, quia non est alienū à jure, quod leges posteriores explicentur per

per priores, juxtà *l. sed & posteriores ff. de legibus*, & additur, quòd quamvis Concilium Tridentinum sit quædam lex posterior, adhuc tamen non revocat leges communes, nec privilegia inserta in Corpore Juris, nisi expressè dicat.

Quæst. 33. An Iurisdictio Regularium sit à D. Papa, vel potiùs ab Episcopo Loci, ad finem ministrandi Sacramentum Pœnitentiæ?

1. RESpondeo, quod est à Papa, seu à Jure communi Canonico, dependenter tamen ab Episcopo loci, ut constat ex Decretis, & Constitutionibus Apostolicis allegatis, & infrà allegandis. Papa enim est fons & caput omnium Jurisdictionum Prælatorum Ecclesiæ, secundùm illud Christi dictum: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; ergo à S. Papa, tanquam à capite, fluunt jurisdictiones in cæteros Ecclesiasticos, tanquam in ejus membra.

2. Nec obstat dicere, quòd Episcopi habent ex institutione Christi Domini jurisdictionem in Ecclesiis suis, secundùm illud Actuum Apostol. 20. ubi dicitur: *Posuit vos Spiritus Sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei*, quia verum est, quòd Christus posuit Episcopos in Ecclesiis suis, non tamen ut ejus Vicarios, sed ut Ordinarios locorum; volo dicere, quòd posuit illos in Ecclesia ordine Monarchico, hoc est, dependenter à Papa, adeò ut jurisdictio Episcopi sit de jure divino, & de jure humano. De jure divino, quia Christus instituit, ut à Summo Pontifice derivetur ad alios Episcopos, quadam naturali sequela sui officii; est autem de jure humano, quia non est immediatè à Christo Domino, sed à Summo Pontifice; nam Christus illam confert medio Summo Pontifice, à quo ut dictum est, fluunt jurisdictiones Ecclesiasticæ, tanquam à capite in membra; quo fit, ut jurisdictio Episcoporum sit à Papa, & jurisdictio Parochorum sit ab Episcopis, & jurisdictio Regularium à Pontificibus; Papa ergo approbat Episcopos, & Regulares, ut eruditè multis probat noster *Remigius Stropha in suis Moral. q. 36. art. 5. n. 6.*

3. Dixi, *dependenter tamen ab Episcopo loci*, quia omnes Sacerdotes Regulares, sive ipsorum jurisdictio sit à Papa, sive à jure, tum ante Concilium Trident. tum etiam post Concilium indigebant, & indigent aliqua approbatione Episcopi Ordinarii, ut liquet ex allegatis suprà, & docent communiter Doctores, quos allegat & sequitur *Suar. tom. 4. in 3. p. D. Thom. disp. 28. sect. 2. n. 3.* ac proinde ex probabili causa potest abbreviari, prorogari, restringi, & limitari per Ordinarios locorum, ad certum tempus, locum, & genus personarum, ut dictum est suprà, & docent *Rodriquez q. 59. ar. 8. Gutier. Canon. q. lib. 1. c. 27.* & est res indubitata ex communi praxi hujus regni.

Quæst. 34. An Confessarii Regulares possint quoscunque ad se accedentes audire, sive sint in loco habitantes, sive extranei, & forenses?

1. ET quidem posse, certum est, tum ex dictis, tum ex Bulla 22. Eugenii IV. apud Bull. *Rodriquez fol. 106. incip. commissum*, & liquet ibi, *Quorumcunque fidelium utriusque sexus confiteri sibi volentium*. Item ex Bulla 2. Nicolai V. Cistercienfibus concessa, apud eundem *fol. 116. incip. Scimus*, & liquet ibi, *Omnes quarumcunque Diœcesum, & in illos extraneos, & forenses*. Item ex Bulla 12. Sixti IV. Minoribus de Observantia concessa, apud eundem *fol. 146. incip. Vestris*. Item ex Bulla nostris Prædicatoribus concessa ab eodem Sixto, incip. *Apostolicæ*, & est 6. apud Confectium, *fol. 79.* Item ex Bulla Religioni Tertii Ordinis S. Francisci concessa ab eodem, incip. *Sedes Apostolica*, & liquet ibi, *Omnes, & singulas personas utriusque sexus, ad eos, pro confessione, & pœnitentia accedentes*, & est in Bullario ejusdem Ordinis *fol. 47.* Item ex Bulla 3. Pauli III. Jesuitis concessa, incip. *Cùm inter*, & est apud Confect. *fol. 184.* Item ex Bulla Pauli IV. Monialibus concessa, incip. *ex Clementi*, apud *Confect. 190.* & similibus, quas in partem extendit noster *Festius in 2. p. summarii nostrarum Constit. c. 68. fol. mihi 197.* ubi ad ipsarum majorem claritatem multa dicit notatu dignissima, & præcipuè, quòd Fratres, ut possint uti dictis Bullis, ultrà licentiam proprii Prælati, debent esse Confessores approbati ab Episcopo loci, secus in virtute privilegiorum nihil hodie possunt.

2. Amplia, ut prædicti possint præfatorum ad se accedentium Confessiones audire, etiam extrà proprias Ecclesias; ut constat ex dictis Bullis, & clariùs ex Bulla Pii IV. incip. *Cùm sicut exponi, &c.* & liquet ibi, *Confessiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extrà domos, & habitacula eorumdem Fratrum audire, &c.* quam dictionem (*ubilibet*) intellige cum grano salis, non quòd Confessarius admissus hîc Neapoli, cum sola approbatione hujus Eminent. Ordinarii, possit audire in omnibus aliis Diœcesibus Confessiones Parochianorum illarum, sine licentia Episcopi loci, quia hoc falsissimum est; cùm necessariò exigatur approbatio Episcopi loci, in quo Confessiones audiuntur, ut dictum est suprà. Sed intellige, quòd hîc Confessarius Neapoli approbatus, potest audire Confessiones ubilibet, hoc est in omni loco & territorio, spectante ad hanc Neapolitanam Diœcesim, & quòd potest audire confessiones quorumcumque ad se accedentium, in qualibet Ecclesia, & loco honesto hujus Diœcesis; unde Salernitani, cùm fuerint hîc Neapoli, poterint validè confiteri Confessoribus hujus Civitatis, tùm quia exteri & peregrini, regulariter loquendo, subjiciuntur legibus territorii, in quo sua peccata confitentur; tum etiam, quia locus & tempus non sunt de substantia hujus judicii, quod cùm sit omnino spirituale, non potest dependere à loco, & tempore corporali, ut infrà clariùs dicetur.

3. Amplia, ut dicti Confessarii ab Ordinario loci absolutè approbati, possint dictas Confessiones audire, etiam contradicente Parocho, ut constat ex Bulla Alexandri, incip. *Cùm olim*, & liquet ibi, *audire confessiones, Sacerdotum Parochialium assensu minimè requisito*; & est 24. inter Bullas ejusdem in Bullario Roder. ac item ex Bulla Clement. IV. Minoribus concessa, incip. *Quidam temerè, &c.* & liquet ibi, *aliorum inferiorum Prælatorum, & Rectorum Ecclesiarum, ac Sacerdotum Parochialium assensu nullatenus requisito*, & est 10. inter Bullas ejusdem in dicta Bull. Roder. quæ tamen privilegia intellige procedere, & habere locum, quando Regulares in propriis Ecclesiis audiunt confessiones; nam in alienis Ecclesiis requiritur consensus Rectorum illarum, non quòd hic consensus sit de substantia ad validam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, sed tantùm ad licitum usum, ne fortè exinde nascantur scandala, & Confessarius peccet, ut multis firmat *Bordon. 2. p. consil. resolut. 56. q. 33. fol. 170.*

Quæst. 35. An Confessarii Regulares approbati ab Episcopo absolutè, possint à Parochis impediri, ne in domibus ægrotantium Confessiones audiant, etiamsi ab illis ad hoc accersiti fuerint?

1. NEgativè dic, tum quia approbatio simpliciter facta ab Episcopo, non subditur jurisdictioni Parochi, tum etiam, quia jurisdictio audiendi Confessiones, respectu Regularium, est à jure communi,

ad utilitatem & favorem animarum sæcularium, nihilque exigit, nisi approbationem Episcopi, *ad textum cap. 15. sess. 23. Trid. de Refor.* ubi nihil dicitur de Parochis; tum item, quia fieri potest, ut ægrotus pœnitens sit inimicus, vel odiosus Parocho, vel non ità benè affectus, ut erga Regulares: ergo satis est, ut hujusmodi Confessores Regulares, qui in domibus laicorum ex causa confessiones audiunt, statim Parochum teneantur admonere, & fidem auditæ Confessionis pro medico adveniente relinquere, prout Sacra Congregatio declaravit die 2 Julii 1587. *apud Quarantam in Summa Bullar. ver. Privil. Regul. & Lez. 1. p. sum. cap. 19. n. 31.* ubi immediatè refert decretum, & praxim per Confessores observandam in Civit. Romæ.

Quæst. 36. An Confessarii Regulares possint virtute Privilegiorum absolvere sæculares pœnitentes à casibus Episcopis reservatis?

1. Respondeo, quòd nec sæculares, neque Regulares Confessarii, etiam virtute quorumcunque Privilegiorum, possunt absolvere pœnitentes sæculares nec intrà, nec extra Italiam, à casibus Episcopo loci reservatis, propter decreta, & declarationes Sac. Congregat. authenticè, ac solemniter factas; quæ, & quas per extensum habes *tom. 2. Prax. p. 3. tr. 9. de Potestate dispens. & absolv. sub q. 17. fol. 196. & in libello attitulato Bullæ, & Decreta recentiora, pag. 189. & 199.* & præcipuè in mandato Clem. VIII. de anno 1601. & liquet ibi, *tam sæcularibus, quàm Regularibus extra Urbem degentibus, ad Confessiones audiendas approbatis, &c. ne quis eorum, sub prætextu Privil. &c. ab ullo ex casibus clarè, vel dubiè in Bulla die Cœnæ Domini legi solita contentis, vel aliàs quomodocunque Sedi Apostolicæ reservatis, &c. nec etiam à casibus, quos Ordinarii locorum hactenus reservarunt, vel in posterum sibi reservabunt, &c. nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum nova, vel speciali Sanctitatis Suæ, aut suorum successorum, vel ordinariorum, quoad casus ab ipsis reservatos respectivè, impetrata in scriptis licentia, &c.* quod Decretum ob rationabiles causas fuit postea ab eadem Sacra Congregat. jussu ejusdem Papæ Clementis moderatum, & declaratum in anno subsequenti 1602. quod item per extensum habes ubi suprà, adeò ut absolutio nequeat dumtaxat dari in his casibus, qui exprimuntur ibi, videlicet, *sub ejusdem prohibitione illos tantùm in posterum comprehendi casus, qui in Bulla die Cœnæ Domini legi consueta, continentur. Prætereà violationis immunitatis Ecclesiarum in terminis Constitutionis fœl. recor. Greg. XIV. quæ incip. Cùm alias nonnulli. Violationes clausuræ monialium ad malum finem. Provocantium, & pugnantium in duello, juxta Decretum Sac. Concil. Trid. & Constit. fœl. recor. Gregor. Papæ XIII. incip. Ad tollendam: injicientium violentas manus in Clericos, juxtà Can. si quis suadente diabolo, & c. 17. q. 4. ac juris dispositionem. Simonia realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarii locorum sibi reservarunt, vel in posterum reservabunt, in quibus omnibus, (supple septem) enumeratis casibus dumtaxat, & sublata etiam pœnâ inhabilitatis audiendi confessiones, eadem Sacr. Congregat. vult, & mandat dictum Decretum in sua firmitate & pristino robore permanere, &c.*

2. Quibus ad intentum adstipulatur illud aliud Decretum Sacr. Congreg. editum jussu Urbani VIII. die 17 Novembris 1628. quod similiter per extensum habes *cit. loc.* praxis, in quo confirmantur Decreta Clem. VIII. & Pauli V. & liquet ibi, *Nec extra Italiam, &c.* quod verbum fuit superadditum ad majorem declarationem præcedentium Decretorum; nam Regulares, nec quidem ante hoc Decretum jussu Urbani VIII. editum, poterant extrà Italiam absolvere à reservatis Episcopo loci, & Papæ, ut suprà, quia prædictum Decretum Clem. VIII. loquitur generaliter, & absolutè, nec ibidem apponuntur illæ Clausulæ, quæ solent apponi à Summis Pontificibus, volentibus suas Constitutiones solùm in Italia obligare, ergo.

3. Quibus item adde, quòd cùm in dictis Decretis dicitur, quòd Regulares in vim suorum Privilegiorum nequeant absolvere à casibus Episcopo loci reservatis, non debet intelligi de casibus, qui de jure dicuntur, & sunt Episcopis reservati, de quibus immediatè infrà, sed de iis, qui expressè, & in specie ab eisdem Episcopis locorum reservantur, quod diligenter adverte, ne in praxi contingat errare, ut benè notant *Ludov. à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ, disp. 1. c. 3. dub. 5. Lez. ver. casus n. 5. & Cespedes de exempt. Regul. c. 6. dub. 112. n. 2. in fin.*

4. Quibus item ad praxim adde, quòd ista verba apposita in dicto Decreto Urbani VIII. scilicet *ab aliis verò casibus, &c.* faciunt hunc sensum, quòd scilicet Confessores hodie nec intra, nec extra Italiam possunt absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, & loci Ordinario reservatis: quò verò ad alios quinque casus expressos in Decreto Clem. VIII. Confessores extrà Italiam existentes, possunt absolvere, si habeant facultatem absolvendi, prout videtur annuere *D. Barbos. cap. 15. de offic. & Potestate Parochi in fin.* cum aliis per me allegatis *cit. loc.* Praxis.

Quæst. 37. An D. Episcopus loci possit sibi reservare plures casus respectu Regularium, quàm Parochorum?

1. Sapientissimus *Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 4. disp. 29. sect. 4. n. 5. & Bordon. 1. p. Consil. resolut. 6. q. 15.* absolutè negant, & moventur, tum quia Regulares per Clem. *Dudum de sepult.* sunt æquales Parochis; ergò non possunt magis coarctari in reservatione quàm ipsi Parochi, aliàs videretur acceptio personarum, quæ reprobatur in Regula Juris 12. *in 6. cap. Novit. de Jud.* Justitia enim distributiva postulat, ut æqualiter utriusque generis Confessarii tractentur; tum etiam, quia diversitas circa eamdem rem indicanda non est, *l. eum, qui ades, §. de usu. cap. tum item;* quia Episcopus aliter faciens, fieret odiosus, ergo.

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent multi, quos sequitur *Cespedes de Exemp. Regul. c. 6. dub. 114. n. 3.* ducunturque, tum quia licèt Regulares sint æquales Parochis, quoad jus commune, non tamen quoad jus Episcopale, volo dicere, quòd tam Regulares, quàm Parochi, à jure habent potestatem absolvendi, dependenter tamen ab Episcopis locorum, ut dictum est suprà: ista autem dependentia seu approbatio fienda ab Episcopo, est arbitraria, arbitrio tamen prudenti, & regulato, ergò Episcopus secundùm diversitatem meritorum Confessariorum, poterit suam jurisdictionem impertire absque ulla exceptione personali. Acceptio enim committitur in re communi, cunctis æqualiter debita, vel supponit æqualitatem meritorum; unde S. Augustinus in Regula ad Fratres, loquendo de re communi dividenda, dicit, *Non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed unicuique, prout unicuique opus fuerit,* tum etiam, quia jurisdictio Episcopalis, quoad administrationem Sacramentorum, est delegabilis secundùm dictum arbitrium Episcopi; ergo concedendo per epichejam, plus uni Confessario, quàm alteri, nullam injustitiam committit, sed utitur jure suo: nunquid non potest dominus de re sua facere quidquid voluerit, præcipuè quando prudenter agit? Tum item, quia sicut Episcopus potest restringere, & limitare facultatem audiendi Confessiones ad certum tempus, locum,

cum, & genus personarum, cum causa tamen, ut dictum est supra: ità à pari, poterit majorem authoritatem concedere uni, quàm alteri, ut praxis ipsa docet. Solent enim Episcopi instituere aliquem idoneum, ac prudentem in Confessarium ad absolvendum à reservatis, quod non expedit cunctis aliis indulgere.

3. Benè verum est, quòd ad evitandum scandala, & privatorum odia, Episcopus debet oretenus, vel clandestinis literis hanc jurisdictionem impertire, hinc non approbo *Peyr. dicentem, tom. 1. q.1.c.21. §.2. cum suo Trimarcho*, quòd dum Episcopus in aliquibus solemnitatibus concedit facultatem Parochis absolvendi à sibi reservatis, intelligitur eamdem jurisdictionem Regularibus concedere; tum quia causa limitata limitatum producit effectum, *l. in agris de acquirend. rerum domin.* sed gratia est tantùm pro Curato; ergo non extenditur ad Regulares; tum etiam, quia gratia hæc, respectu Episcopi, est odiosa, cùm vulneret jus speciale ipsius, strictè accipienda est, adeò ut non excedat ipsos Curatos, *cap. 1. de filiis Presbyter. & Regula 28. in 6. odia.*

4. Dices, Episcopus non est Dominus reservationis, ergò sicut non potest reservare plures casus respectu Regularium, quàm Parochorum, ità non poterit magis uni, quàm alteri concedere: verumtamen petis principium, & falleris in illatione consequentiæ; etenim Episcopus per edictum publicum, ne exinde veniant scandala, non debet plures casus reservare, respectu Regularium, quàm respectu Parrochorum; at quoad facultatem absolvendi à reservatis, oretenus vel privatis literis faciendam, benè poterit, non solùm cum causa, ut omnes contendunt, sed etiam ex charitate, quæ urget Episcopos magis ergà suos Parochos, quàm Regulares; ergo saltem sub titulo charitatis, & non titulo justitiæ poterit hæc peragere, *Bordon. 1. p. Consil. resolut. 6. num. 22. & Cespedes cit. loc. dub. 115.*

Quæst. 38. Quot & quinam sint casus de jure, vel de consuetudine Episcopo reservati?

1. Circa hanc quæstionem non conveniunt Doctores; nam quidam dicunt, quòd sunt quinque, quos colligunt ex extravaganti *inter cunctas, de Privil.* primus est, quando delictum habet ex jure annexam publicam pœnitentiam. Secundus, quando habet annexam excommunicationem majorem. Tertius, quando habet annexam irregularitatem. Quartus est, peccatum incendiarii. Quintus blasphemia publica, de quibus *S. Anton. 3. p. tit. 12. c. 11. Syl. ver. casus, q. 2. Glossa in Clem. dudum de sepult. § sta' nimus. Miranda 1. p. Manual. q. 46. art. 2.* & aliis citatis *Navar. in sum. c. 27. de Reg. Confessariorum, n. 262.*

2. *Suarez verò tom. 4. in 3. p. D. Thom. disp. 29. sect. 3. n. 6.* dicit, quòd seclusa consuetudine, ex solo jure communi, nullum peccatum est Episcopis reservatum, & probat discurrendo per omnes dictos casus, & in specie, quia dicta extravagans *inter cunctas*, est revocata per Clem. *Dudum de sepult.* ibi, *Nos autem omninò cessantes*, sed hoc non est verum, quia in dicta Clem. *Dudum* non revocatur extravagans Bonifacii VIII. immò illa ibi confirmatur; sed revocatur extravagans Benedicti IX. & liquet in textu, sed quidquid sit de hac revocatione, certum est, quòd in jure expressum nullum peccatum reperitur Episcopo reservatum, sed illi casus, qui à Summistis dicuntur à jure Episcopis reservati, non dicuntur à jure reservati, quasi quòd sic in jure reperiatur expressum, quia nullus textus reperitur, qui hoc dicat, sed dicuntur reservati à jure consuetudinis, quia fortè antiquitùs de communi consuetudine, reservabantur ab omnibus Episcopis, ut multis probat *Lud. à Cruce in exposit. Bullæ Cruciatæ, disp. 1. c. 3. dub. 2. & Lez. ver. casus reservati, n. 2.*

3. Sunt tamen qui dicunt, unum solum casum esse de jure Episcopis reservatum, nempe abortum, qui licèt ex Constit. Sixti V. esset Papalis, verùm Gregor. XIV. fecit illum Episcopalem, dum præcepit, quòd in illum cadentem solùm absolvere possit Confessarius ad hos casus specialiter per loci Ordin. deputatus. *Lez. cit. loc. n. 4.*

4. De consuetudine autem regulariter loquendo, reservantur Episcopis locorum alii quinque casus. Primus est, homicidium voluntarium, aut realis membri abscissio. Secundus est crimen falsi, quando quis vitiat literas, vel scripturas, vel dat falsum testimonium, aut tacet veritatem coram Judice. Tertius est violatio immunitatis Ecclesiæ, sed hodie iste casus est Papalis. Quartus est, sortilegium, vel Divinatio. Quintus est peccatum retinendi sibi aliena incerta.

5. Dixi *regulariter loquendo*, quia de hac re non potest tradi certa Regula; nam Episcopi reservant sibi, & de facto possunt sibi reservare alios casus, qui magis videntur necessarii pro sua Diœcesi in salutem animarum; prout benè dicit *Peyr. tom. 1. privil. in constit. Pyrrhi, §. 8. n. 37.* ubi de re nostra late: ex quibus omnibus collige, quòd dicta Decreta Sacr. Congreg. de non absolvendo à casibus reservatis Episcopo loci, sunt intelligenda de casibus, qui de facto & expressè reservantur loci Ordinario, non autem de illis, qui de jure forsitan possint Episcopis competere, ut dictum est.

Quæst. 39. An Confessarii Regulares possint in vim privilegiorum absolvere pœnitentes laicos à censuris Episcopis reservatis?

1. Negativa resolutio est omninò certa, & manifesta ex Decreto Sacr. Congreg. jussu Pauli V. edito, sub die 7. Januarii, 1617. quod per extensum habes *tom. 2. Prax. p. 3. tr. 9. sub q. 17.* & liquet ibi, *ut nulli ex Sacerdotibus prædictis, quibuscunque Privilegiis, & indultis, ac facultatibus suffulti, ab excommunicationibus, vel casibus eisdem Ordinariis, vel Sedi Apostolicæ reservatis, tam ad forum contentiosum eorumdem Ordinariorum deductis, quàm non deductis, præterquam in mortis articulo absolvere audeant, vel præsumant, sub eisdem censuris & pœnis eo ipso, & absque declaratione incurrendis mandat*, & præcipit; hæc ibi, contra quæ non potest habere locum *Duardus in lib. 3. in Bullam Cœnæ, §. 2. q. 1. n. 31. & 32.* nec *Megala*, quam refert *Diana p. 3. tr. 2. de dub. regul. resolut. 23.*

Quæst. 40. Quidnam possint Confessarii Regulares circa suos laicos pœnitentes, approbati tamen ab Episcopo loci?

1. Et quidem primò possunt absolvere ab omnibus casibus, qui Summo Pontifici, Episcopis, & aliis Superioribus reservati non fuerint, quia ex Regula Juris, *in cap. Nuper de sent. excom. & cap. at si Clerici, de judic.* quæ specialiter non reservantur, jure concessa censentur, *Miranda to. 1. Manual. qu. 46. art. 2. paulo ante concl.* amplia, ut etiam possint absolvere ab omni minore excommunicatione, cùm hoc minus sit, quàm absolvere à mortalibus, quod possunt facere. *Navar. in Manual. cap. 27. n. 25. de Censuris Ecclesiæ in fin.* ad quod allegat *cap. placuit, de Pœnit. dist. 6.* similiter possunt absolvere ab omni excommunicatione, etiam majore, non reservata tamen propter eamdem rationem, *Corneyo 2. tom. in 3. p. D. Thom. tr. 5. de excom. disp. 11. dub. 1.* loquens de excommunicatione juris nemini reservata: ubi tamen affert aliquas exceptiones, nunquam tamen possunt dispensare in irregularitate aliqua, secluso speciali Privilegio, quale est illud Sixti IV. Minimis concessum, quod refertur

fertur à Cafarub. *in Compend. ver. absolutio quoad sæculares* 1. *n.* 2. sed adverte, quòd hoc Privilegium non est in usu, & recessit à Praxi, *Portell. ver. Confessio, n.* 33. quia irregularitas omnis de jure communi tollitur sola Papæ dispensatione, exceptis illis, quæ Episcopis & Prælatis Regularium quoad suos subditos conceduntur, *Sylv. ver. dispensatio* 9. *q.* 10. *Navar. in Manual. c.* 27. *n.* 254. & *Suar. tom.* 5. *de censuris, disp.* 41. *de Irregularitate sect.* 3. unde nec prædicti possunt dispensare in irregularitatibus, propter privilegium Pauli III. Jesuitis concessum, quo Confessarii possunt absolvere à pœnis Ecclesiasticis, ut ibi meliùs est videre, quod refertur in Compend. Privil. dictæ Societatis, *ver. Commutat. vot.* §. 1. quia licèt aliquæ irregularitates sint pœnæ Ecclesiasticæ, ut sunt illæ, quæ incurruntur celebrando cum censuris, tamen secundùm stylum Curiæ, (qui in his legem facit) sub generali clausula absolvendi à pœnis, non venit irregularitas, sicut nec depositio, neque degradatio, *Suar. tom.* 4. *de Relig. tr.* 10. *lib.* 9. *c.* 4. *nu.* 43. benè tamen possunt ab interdicto personali particulari non reservato, ob antè dictam rationem desumptam *ex cap. Nuper, de sent. excommunicat.* cum illis tamen conditionibus, ut putà satisfactionis, juramenti, vel cautionis de jure necessariis, ut docent *Suar. to.* 5. *de Censuris, disp.* 38. *sect.* 2. *Corneyo cit. loc. de interdicto,* & *Lez. ver. Confessarius Regularis.* An prædicti valeant adhibere in vim Bullæ Cruciatæ, in facti contingentia attentè consideranda est Bulla, & scribentes in ea.

2. Secundò, prædicti Confessarii, si fuerint Delegati ab Episcopo loci, possunt in suos pœnitentes totum illud, quod in eosdem potest Episcopus, in vim *c.* 6. *Conc. Trid. sess.* 24. *de reformat. incip. Liceat Episcopis,* cujus formalia verba sunt hæc:

Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum. Hæc ibi.

3. Circa quæ adverte ly *Delicto*, & dices, ergo ex vi hujus Decreti nequeunt hujusmodi Confessarii dispensare super irregularitate aliunde, quàm ex delicto provenientе; neque super illegitimitate, licèt occulta sit, quia illegitimè nasci, non est delictum nascentis. Unde non possunt filios spurios, aut bastardos legitimare. *Navarr. in Manual. cap.* 27. *n.* 194. & 201. & post allegatos *D. August. Barbosa in Collect. ad d. cap Trid. n.* 27. Item advertе ly *occultum,* quod hîc censetur illud, quod non est notorium apud omnes, etsi possit probari per aliquos testes: sufficit enim non esse divulgatum, seu famosum, & quòd possit aliqua tergiversatione celari, *Navarr. cit. loc. n.* 154. & alii ferè infiniti, quos refert & sequitur *D. Barbos. cit. loc. nu.* 29. Unde delictum publicum in uno loco, at occultum in alio loco, in quo non sit spes, ut publicetur, subjicitur facultati Episcopi loci, in quo est occultum, & petitur absolutio. *Avila de censuris p.* 2. *c.* 7. *disp.* 1. *q.* 11. *dub.* 11. *conclus.* 3. *Sanchez in sum. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 10. & *Duard. in Bull. Cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 11. *n.* 10.

4. Item adverte, *deductis ad forum contentiosum;* quòd secundùm aliquos illud delictum dicitur deductum ad forum contentiosum, ubi statim fuerit denunciatum, vel per accusationem delatum coram legitimo Judice, & exinde subsecuta citatio, à qua incipit judicium ad terminos, §. *final. instit. de pœna temerè litigantium, Glossa in rubr. cap. de in jus voc. vidos,* & docent *D. Ricc.* 1. *p. praxis, decis.* 522. *in* 1. *edit.* & *resol.* 449. *in* 2. *Marcell. Vulpe in praxi c.* 44. *n.* 10. *in fin.* & *Sanch. in sum. to.* 1. *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 20.

5. Verùm secundùm alios, & quidem probabiliùs, tunc delictum dicetur deductum ad forum contentiosum, ubi lis contestata fuerit; prout eruditè docet *D. Barbos. p.* 2. *de potest. Episc. alleg.* 39. *n.* 29. & meritò, tum quia forum contentiosum dici non potest, nisi inter partes super delicto commisso contendatur, negando, vel confitendo, quo actu, litis contestatio etiam in criminalibus inducitur; tum etiam, quia forum contentiosum est idem quod judicium; sed judicium non est perfectum usque ad litis contestationem, ergo; tum item, quia forum contentiosum non differt à lite mota, quia idem est in foro contendere, quod in eo litem movere; at lis mota dicitur, postquam litis contestatio facta fuerit, ut probat *textus cap. ex parte* 30. *de verb. signif.* & resolvunt *Maranta de ordinat. Judic. p.* 5. *tit.* & *omnia fiant durante instantia, nu.* 64. *Surd. de aliment. tit.* 5. *q.* 8. *n.* 4. & *Gavant. in Manual. ver. absolutio, n.* 12.

6. Dixi, *si fuerint Delegati,* quia facultas dicti Decreti Tridentini est per Episcopum delegabilis, etiam præscindendo à reservatis, quæ nunquam intelliguntur concessa, nisi in specie concedantur; tum quia annexa est dignitati, & officio Episcopali, & consequenter censetur ordinaria; tum etiam, quia ità probat usus, praxis, & communis consuetudo, quæ est optima legum interpres. *Suar. tom.* 5. *de Censur. disp.* 41. *sect.* 1. *n.* 8. *Duard. in Bull. Cœnæ lib.* 3. §. 2. *q.* 11. *n.* 34. & *Gavant. cit. loc. ver. Absolutio, n.* 10. Cætera verò, quæ possent pertinere ad præcitatum Decretum Trid. vide apud *Dianam p.* 7. *tr.* 2. *de Potestate Episcopi,* ubi de annexis, & exinde emergentibus eleganter loquitur, qui tamen est cum cautela legendus, *p.* 3. *Moral. tr.* 2. *de dub. Regul. resolut.* 13. *ver. nota quarto,* ubi ex *Sanchez tom.* 1. *ad decal. lib.* 4. *c.* 54. *n.* 28. & *Marullo disp.* 1. *c.* 2. *diff.* 11. *n.* 540. dicit, prædictos Confessarios Regulares, gaudentes præfato Privilegio Pauli III. vel alio simili, non obstantibus dictis Decretis Clem. VIII. Pauli V. & Urb. VIII. suprà relatis, posse absolvere, etiam à casibus ibi exceptis: immò ab omnibus casibus Papalibus, quando sunt occulti, eò quòd prædicti casus, cum occulti sunt, non sunt Papales, sed Episcopales, utpotè commissi Episcopis ex Concil. Trid. *cit. loc. sess.* 24. *de refor.* quia hoc non solùm est contra mentem summorum Pontificum, in dictis Decretis expressam, sed etiam per diametrum opponitur textui primi Decreti Clem. VIII. ibi, *nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, &c.* sed exceptio firmat Regulam in contrarium, ergo sublato mortis articulo, in omni alio casu occulto, vel publico ad absolvendum à prædictis exceptis, necessariò exigitur licentia reservantis, nec ex eo, quòd casus Papales committantur Episcopis, quando sunt occulti, desinunt esse Papales; nam Episcopus à prædictis absolvit, tanquam Delegatus à Papa: ad quod item facit, quòd abortus ex Const. Sixti V. erat casus Papalis, & licèt Greg. XIII. illum fecerit Episcopalem, adhuc tamen mandavit, ut à nemine possit absolvi, nisi per Confessarium, per loci Ordinarium, ad hos casus specialiter deputatum, ut dictum est suprà, ergo debet attendi mens Romani Pontificis in dictis Decretis expressa, dum ea nobis aliàs non apparet.

7. Tertiò prædicti Confessarii Regulares, qui communicant in Privilegiis cum Jesuitis, virtute dicti Privilegii Pauli III. possunt absolvere à quibusvis pœnis Ecclesiasticis, prout sunt privationes, inhabilitates, incapacitates, & similes, quæ in Constitutionibus Summorum Pontificum apponi solent, contra transgressores illarum: quod intellige probabiliter verum, & quoad forum occultum conscientiæ, prout attestantur *Sanchez lib.* 6. *sum. c.* 15. *n.* 78. *in fin.* & *Faustus de Pauper. Religios. lib.* 8.

lib.8.*q*.232. quia oppositum, quod est de jure verius, tenent *Suarez to*. 4. *de Relig*. *tr*.10.*lib*.9.*c*.2.*n*.49. *& Lez. ver. Confess. Reg.* qui de hoc privilegio loquentes, dicunt, quòd hujusmodi pœnæ non tolluntur per absolutionem, sed per dispensationem: quibus adde, quòd absolutio adhibita in foro poli, non potest præjudicare judicio fori contentiosi: unde absolutus, seu dispensatus secretò in foro animæ, potest servatis servandis, in foro externo puniri, & condemnari.

8. Quartò dicti Confessarii, virtute privilegiorum, & præcipuè præfati Pauli III. possunt commutare quæcunque suorum pœnitentium vota in alia pietatis opera, toties quoties devotioni prædictorum videbitur expedire: exceptis tamen illis quinque, de jure Papæ reservatis, prout sunt vota peregrinationis ultràmarinæ, Visitationis liminum Apostolorum Petri & Pauli, in Compostella, & Castitatis, ac Religionis; ut expressè dicitur in extrav. incip. *etsi Dominici, la seconda, in 6. inter communes, de pœnit. & remiss.* quæ quippe limitatio reperitur in dicto privilegio Pauli III. ad quod per extensum refert alia privilegia *Roder. tom*. 1. *q*.63. *art*. 3. *& sequen.*

9. Nec his possunt obstare prærecensita Decreta Sacr. Congreg. jussu Clem. VIII. Pauli V. & Urb. VIII. edita, quia facultas commutandi vota, non comprehenditur in prædictis Decretis, sed remansit, ut priùs; tum quia prædicta Decreta loquuntur de non absolvendo à casibus Bullæ Cœnæ, & locorum Episcopis reservatis; sed nomine casus, vel censuræ non veniunt vota, nec eorum commutatio vel dispensatio, ut communis sententia docet cum *Armilla ver. casus, nu*.1. *Rodriquez to*.1 *q*.15.*art*.6.*& Navar. in sum. cap*.12.*n*.39. tum etiam, quia in dicto Decreto fit tantùm sermo de absolutione; commutatio autem, vel dispensatio votorum, non est absolutio: tum item, quia dicta Decreta, respectu Regularium, sunt odiosa, in quibus non fit extensio, ergo; & docent *Miranda in Manual*.1.*p*.*q*.47.*ar*.2. ubi extendit Decretum Clem. VIII. *Zinard*. 1.*p*.*sua sum in mat. de voto*, & aliis allegatis *Peyr. to*.1. *de subd*.*q*.1.*c*.21.§.1. *ver. circa autem commutationem, & Lezan. ver. Confessarius Regul*.*n*.14.

10. Quintò possunt dicti Confessarii Regulares dispensare in voto, nunquam dispensationem petendi, vel petita vel obtenta non utendi; tum quia hoc votum, non est de exceptis; tum etiam, quia Episcopus potest dispensare in hoc voto, ergò & Regulares; nam ubi possunt dispensare Episcopi de jure communi, possunt & Regulares, approbati tamen à suis Superioribus.

11. Dixi, *de jure communi*; quia non possunt Regulares in his, quæ sunt de jure speciali reservati Episcopis; etenim in his videtur electa industria personæ, de quibus *Sot. lib*.1.*de Just*.*q*.*ult*.*ar*.*ult*. *Navar. in sum*.*c*.12.*n*.76. & post allegatos *Rodriquez tom*.1.*q*.63.*n*.6.

6. Sextò possunt dicti Regulares, approbati tamen à suis Superioribus, dispensare cum sæcularibus, ad petendum debitum, si post emissum votum castitatis, de facto contraxerint, per privilegium Pii V. quod refertur in Comp. Privil. Societatis JESU, *ver. dispensatio*, §. 9. & multis firmat *Roder. tom*.1. *qu* 63. *art*. 2. ubi ad intentum multa colligit, *Vrvaldus in Candelabro aureo de Sacram. Matrim. nu*.141. *Mirand. to*.1. *Manual*. *q*.47. *art*.2. *& Sanchez lib*.8.*de Matrim. disp*.16.*n*.3. *& in Decal. lib*. 4.*cap*.47.*nu*.10. ubi subjungit, Regulares posse cum istis dispensare, etiam ante consummatum matrimonium; ad quod allegat *Sayr. in Clave Regia, lib*. 6. *c*. 11. Veruntamen *Azor*.1.*p*.*instit. moral. lib*.11.*cap*.19. *q*.20. *tenet contrarium.*

13. Septimò, possunt dispensare inter Conjuges, quorum alter cum alterius consanguinea adulterium commisit, ad petendum debitum ex Privil. Martini V. quod refert *Sayr. in Clavi Regia, lib*.6. *cap*.11. *nu*.98. *& Miranda* 1.*p*. *Manual*. *q*.47. *art*.1. ubi de incestuosis multa adunat.

14. Octavò, possunt dispensare in votis pœnalibus; sunt enim quidam, qui vovent sub pœnâ jejunare, ut putà, non jejunando, se obligant solvere centum, & quid simile. *Rodriq. cit. loc. art*.7. *& Miranda cit. loc. art*.6.

15. Nonò, possunt dicti Confessores aperire literas Domini Papæ, & juxtà illarum tenores, ut Magistri in Sacra Theologia dispensare, de licentia tamen suorum Superiorum, ut immediatè infrà clariùs habes.

16. Decimò, possunt dispensare in juramentis, seu juramenta commutare, ex justa tamen causa, ex privilegio Pauli III. ut multis firmat *Miranda cit. loc. art*. 5. & *Peyr. cit. loc.* ubi in *vers. quæres primò*, dicit, quòd in dictis Confessariis non requiritur specialis licentia Superiorum ad hoc, ut possint uti facultate prædicta ad dispensandum, & commutandum, sed sufficit generalis illis data ad confessiones audiendas.

Quæst. 41. *An Confessarii Regulares possint uti dicta facultate circa vota pœnitentium, si Episcopus loci sibi reservet commutationem & dispensationem votorum?*

1. SUnt, qui negant, stantibus Decretis Sacræ Congregationis præcitatis & suprà relatis, quibus Regulares prohibentur absolvere à casibus loci Episcopo reservatis.

2. Verùm affirmativa sententia verior est, tum quia dispensatio, & votorum commutatio non venit nomine casus, ut dictum est suprà; tum etiam, quia Episcopus per dicta verba non reservat sibi commutationem votorum, sed per illa vult significare, commutationem votorum pertinere ad suam jurisdictionem. Unde hujusmodi jurisdictionem non sibi reservat, respectu Regularium privilegiatorum, sed respectu eorum, qui ad hoc non sunt privilegiati, prout benè advertit *Peyr. tom*.1. *de subd*.*q*.1.*c*.21.§.1.*in fin. vers. Ad secundum respondeo.*

Quæst. 42. *An Confessarii Regulares simplices, hoc est, non Magistri, nec Lectores in Sacra Theologia, possint virtute privilegiorum aperire literas Sacræ Pœnitentiariæ; & juxtà ipsarum tenorem dispensare, ut Magistri in Sacra Theologia?*

1. AFfirmant *Sanchez lib*. 8. *de Matrim. disp*.34. *Rodriquez tom*.1. *q*.46. *de Confessariis quoad facultatem dispensandi. art*.8. *cum Compend. resol*.32. §. *de Confessarius quoad dispensandum, nu*.34. *Portell. in dub. ver. Confessor aperiens literas Papæ, Peyr. de subd*.*q*.1. *cap*.21. §. 3. *Pasqualig. dec*.414. *Doctissimus & celebris Pyrrhus in sua praxi dispensation. Apostol. lib*.7.*c*.4. *n*.68. *& seq. & Bordon. controv*.27. *de Confessione, & Confessariis, q*.11. *nu*. 41. Duabus tamen conditionibus copulativè concurrentibus, quarum prima est, ut sint Confessores ab Episcopo loci approbati: secunda, ut ad aperiendum dictas literas Apostolicas, sint ab ipsorum Generalibus specialiter designati. & moventur ex privilegio Gregorii XIII. Jesuitis concesso, incip. *Exposuisti nobis fecisti*, quod refertur in Compendio Societatis Jesu, *tit. Confessarius*, §. 3. & extenditur ab eruditissimo *Corrado cit. loc. fol. mihi* 347. & liquet ibi, *Nos idcircò tuis, in hac parte supplicationibus inclinati, Presbyteris Societatis hujusmodi, per te, vel tibi subordinatos illius Superiores, de tua licentia designandis, & ab Ordinariis locorum approbatis, vel approbandis, etiamsi Magisterii vel Doctoratus, aut aliis gradibus insigniti non sint, literas hujusmodi aperiendi, confessionibusque fidelium,* ad

ad ipsos recurrentium; auditis, & imposita salutari, in illis expressa, vel de jure infligenda pœnitentia, absolvendi, ac in foro conscientiæ, quoscunque sibi verbo, vel scriptis commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum injunctiones excipiendi, & exequendi licentiam, & facultatem: tenore præsentium concedimus, & impartimur, non obstantibus, &c. Hæc ibi, quæ extenduntur ad omnes alios Generales Ordinum, qui cum dictis Jesuitis communicant in Privilegiis.

2. Ex quibus suprà allegatis plura collige. Primò, quòd Provinciales non possunt deputare simplices Confessarios ad aperiendum literas Papales, nisi hoc expressè habeant à P. Generali Ordinis; secus quidquid egerint circa hoc, erit irritum & inane propter defectum authoritatis, *Roder. cit. loc.* ubi advertit, quòd Generales in hac designatione debent esse oculati, & maximè circumspecti, ne tam grave negotium indoctis committatur. Secundò, quòd Confessarius ab Ordinario solùm admissus pro masculis, non potest aperire literas pro fœminis expeditas; quia cùm debeat absolvere in foro pœnitentiali tantùm, & respectu fœminarum authoritatem non habeat, literæ prædictæ non censentur tali Confessario directæ, nec præfatum privilegium de eo loqui, ut benè advertit *Bordon. cit. loc. n.* 50. Verùm præsupposito, quòd dictus Confessarius non debeat absolvere, sed dispensare in foro pœnitentiali, poterit procedere opinio *Sanchez cit. loc. num.* 15. ubi dicit, quòd approbatus ab Ordinario pro masculis tantùm, poterit dispensare cum fœminis.

3. Sed quid dicendum, si Regularis prohibitus à suo Superiore cum clausula irritante, vel sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, audire confessiones sæcularium, de facto aperiat dictas literas sibi per laicum præsentatas, cùm sit Doctor, & ab Episcopo loci ordinario minimè reprobatus?

4. Respondeo, quòd hujusmodi Doctor, seu Magister in Sac. Theologia, invalidè absolvit, atque dispensat, cùm prohibitus à suo Superiore cum tali clausula, careat potestate excipiendi Confessiones sæcularium, nec est verosimile, Emin. Cardin. Pœnitentiarium velle dirigere suas literas impedito à suo Superiore, cùm talis præsumitur esse mens Prælati, qualis de jure esse debeat, *Bald. in l. ex facto. ff. de vulg. & pupillis,* quòd autem Superior possit hoc munus audiendi Confessiones suis subditis interdicere, non cadit in utrum, ut constat ex suprà decisis, & firmat *Navar. in sua Lucer. Regul. ver. Generales.*

5. Sed pone, quòd dictæ literæ fuerint uni Confessario præsentatæ, qui recusèt munus obire, ex quo pensat, quòd sint subreptitiæ, & similes, potestne alius pro earundem executione adiri, primâ præsentatione, & literarum aperturâ non obstante? Affirmant *Sanchez cit. loc. n.* 18. *& disp.* 27. *nu.* 38. *& Corradus cit. loc. n.* 73. etiam sine consensu Confessarii primò electi, quia cùm ea commissio facta sit pro foro conscientiæ, sequitur ejus fori naturam, ut non adstringatur pœnitens acquiescere sententiæ unius Confessoris, sed possit alium adire, si Confessarius primò electus noluerit sententiam mutare, nec nocet *Navar. cons.* 8. *de Offic. Judic. Delegat.* dicens, quòd jurisdictio delegata non potest prorogari de persona in personam ad partis judicium, *c. 1. de Offic. Deleg.* quia jurisdictio in casu posito non prorogatur, nec extenditur ad judicium partis, sed ad judicium Delegantis, cujus mens talis est, ut probat praxis, & stylus dictæ Pœnitentiariæ, ut notant præcit. Doctor.

6. Dixi in quæsito, *virtute Privilegiorum,* quia de communi Praxi, & regulariter loquendo, dictæ literæ solent expediri sub tali tenore: *Discreto Confessori Magistro in Sac. Theologia, vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo.*

7. Ad quorum verborum intelligentiam adverte, quòd nomine Magistri in Sac. Theologia non solùm veniunt, qui in aliqua Universitate receperunt insignia Doctoratus in Theologia, sed etiam illi, qui ex statutis sui Ordinis instituuntur à suis Superioribus in Magistros, seu Lectores Sac. Theologiæ, tam speculativæ, quàm moralis, quovis nomine appellentur, per examen tamen approbatis, juxta suæ Religionis statuta, licèt actu non fungantur officio Lectoris; tum quia ratio, ob quam hæ literæ diriguntur ad Magistros in Sac. Theol. & Doctores Decretorum, est, quia hi præ aliis præsumuntur docti, & sufficientes ad exercendum hoc munus, de qua sufficientia & doctrina fit publicum documentum seu instrumentum per eos, qui ad gradum illos promoverunt; sed non minus Doctor censendus est institutus Lector, seu Magister in Ordine per Superiores suæ Religionis, quàm Doctor creatus in aliqua Universitate, cùm utrobique fiat ad finem rigorosum examen, & sit potestas doctorandi; ergo his & illis moderatoribus æqua fides adhibenda est, nisi temerariè loqui velimus; tum etiam, quia sicut in *Trid. sess.* 22. *c.* 2. pro assumendis ad Ecclesias Cathedrales Episcopos, *sess.* 23. *c.* 18. pro Scholasticis Cathedralium, *sess.* 24. *c.* 8. pro Pœnitentiario Cathedralis, *sess.* 24. *c.* 16. pro Vicariis Generalibus instituendis, æquiparantur Doctores actu, & Licentiati; item Magistri licentiati, seu Doctorati, sive in Universitate, sive in Academia, ità à pari dicendum est in casu nostro, comparandos esse Magistros, sive sint Universitatis, sive alicujus Academiæ Regularis. Collegia enim & Capitula, seu Congregationes Regularium, secundùm rem, & ex parte rei, sunt Academiæ, & Universitates Religiosorum, ut benè advertit *Bordon. cit. loc. n.* 47. ergo hujusmodi dispensationes & absolutiones in foro conscientiæ, cæteris paribus, poterint expedire Regulares, qui juxta suorum Ordinum instituta, fruuntur Privilegiis Magistri, sive sint Licentiati, seu Baccalaurei ordinarii, sive dicantur Jubilati, ut in Ordine Minorum, sive actu Magistri in sua Religione, quod nota diligenter contra *Sanchez, citata disp.* 54. *n.* 9. & contra *Portellum cit. loc. n.* 3. qui ex Sanchez idem dicit, verùm meo judicio, contra favorem animarum, quòd scilicet Doctores in aliqua Universitate duntaxat possunt dictas literas aperire.

Quæst. 43. *An Confessarii Regulares possint virtute Privilegiorum absolvere ab excommunicatione ob duellum incursa?*

1. Negativa responsio est notissima ex Decretis Sacr. Congreg. editis de anno 1601. & 1602. jussu Clem. VIII. relatis suprà, & extensis *tom.* 2. *Prax. p.* 3. *tr.* 11. *sub q.* 17. *fol.* 196. unde non est audiendus *Hurtadus de Mandozza in* 2. 2. *disp.* 170. *sect.* 21. §. 201. dicens, Patres Societatis Jesu posse supradictam excommunicationem absolvere, ob privilegia dictæ Societatis, quia loquitur expressè, & per diametrum contra prædicta Decreta, ubi in Decret. jussu Clem. VIII. editis 9 Januarii, 1601. & die 26 Novembris, 1602. in specie fuerunt nominati Religiosi dictæ Societatis, ne virtute Privilegiorum absolverent à censura duelli, incursa in terminis Concil. Trid. & Constitutionis Gregor. XIII. incip. *Ad tollendum;* quod procedit maximè in nostra Italia, secus extra Italiam, ut dicitur in præcitatis Decretis. Unde teste *Lezana verb. Duellum, n.* 13. Sacr. Congreg. Regul. die 14 Septembris 1635. præcepit cuidam P. Theatino, ut redderet rationem, qua authoritate absolvisset quosdam duellantes à casu duelli, & excommunicatione illi annexa, juxta dictam Constit. Gregor. XIII. & Clem. VIII. nec pariter audiendi sunt, qui cum *Diana p.* 5. *tr.* 14. *Miscell. resol.* 103. dicunt, posse, quando casus fuerit occul-

occultus, per Decretum Concil. Trid. *c. 6.* incip. *Liceat Episcopis, sess. 24. de Reform.* quod nec censetur abrogatum in dicta Constit. Gregor. XIII. tum quia, ut supra dictum est, hoc est contra mentem Summorum Pontificum, ut constat ex praxi, & stylo Sacr. Congreg. quæ in casu duelli etiam occulti vult consuli, & facultatem facere; tum etiam, quia adversatur textui præfati Decreti Clem. VIII. ibi, *nullo casu, etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo*, ergò excepto mortis articulo, S. Sedes consulenda est. Ad quorum majorem claritatem placet quærere.

Quæst. 44. An provocantes se ad duellum sint excommunicati, pugnâ non sequutâ?

1. SUnt qui negant cum *Bordon. dec. 84.* ducunturque ex multis; tum quia excommunicatio lata ob aliquod crimen, non incurritur, nisi secuto effectu, ut omnes docent; tum etiam ex *Trid. sess. 25. c. 19.* ibi, *qui verò pugnam commiserint*, tum item ex dicta Constit. Gregor. XIII. incip. *Ad tollendum*, ubi nihil diversum habetur à Trid. *cit. loc.* & liquet ibi, *Monomachiam commiserint*; in casu autem posito, illi Monomachiam non commiserunt, sed voluerunt committere, ergo tum tandem ex Constit. Clem. VIII. incip. *Illius vices*, ubi nihil tacitè, nec expressè additur Trid. *cit. loc.* ergo.

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent *Naldus ver. Duellum, n. 6. & Diana multis citatis p. 5. moral. tr. 14. miscell. resolut.* 102. *& Lez. ver. Duellum, n. 11.* tum quia hoc probat Praxis, & Stylus Curiæ, qui in hoc legem facit; tum etiam, quia hoc firmat clausula apposita in fine dictæ Constit. Gregor. XIII. ibi, *etiamsi illi, qui ad locum designatum pugnaturi accesserint, impediti non commiserint, &c.* quæ quippe clausula, cùm sit in fine Constit. refertur ad omnia præcedentia, quamvis alii dicant referri ad solos socios, quod non placet, cùm in his & illis eadem sit ratio; immò fortior in principalibus, quàm in sociis accessoriis; tum item, quia licèt excommunicatio imposita à Trident. & Greg. XIII. nulli reservata sit, adhuc tamen imposita à Clem. VIII. est Papæ reservata, & liquet ibi, *excommunicationis absolutionem ab alio, quàm à nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, &c. nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibusvis personis Ecclesiasticis cujuscunque Ordinis, aut militiæ, status, aut gradus, aut conditionis existentibus*; tum tandem, quia dicta Constitutio Gregor. XIII. extendit excommunicationem à Pio IV. impositam, etiam ad duella privata, at illa excommunicatio Pii IV. est Papæ reservata, ergo non est de resolutione dubitandum.

Quæst. 45. An Confessarius Regularibus integrum sit, suis pœnitentibus pro satisfactione culparum Missas injungere?

1. REspondeo, quòd integrum est Confessario, pro pœnitentia peccatorum imponere Missas, sicut orationes, & alia pietatis opera; sed prudenter, ne exinde scilicet nascatur scandalum, ut si pœnitens putet hoc sibi fuisse adjunctum propter avaritiam Sacerdotis. Unde prudens Confessarius debet in tali casu mittere pœnitentem in Ecclesiam alterius Ordinis, pro celebratione Missarum, & nunquam ipse acceptare onus celebrandi, ne hoc sibi imputetur ad avaritiam, non tamen esset condemnandus, si cessante scandalo, in eleemosynam Missam acciperet, illamque traderet Prælato Monasterii, cum onere faciendi celebrare, *Syl. ver. Decima, n. 6.*

2. Non potest tamen Religiosus eleemosynas acceptas pro celebratione Missarum sibi retinere, etiamsi ad hoc habeat à suo Prælato generalem licentiam retinendi eleemosynas sibi provenientes ex administratione Sacramenti Pœnitentiæ, tum quia in generali concessione non ea veniunt, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus, *juxta jur. Regul. in generali in 6.* tum quia non potest subditus de per se, & absque licentia sui Prælati satisfacere pro Missis ita receptis, cùm hoc pertineat ad Officium Prælati, apud quem est Conventus administratio. Unde secus faciens, tanquam fur, & proprietarius, poterit condemnari: si tamen de hoc fuerit convictus, ut latè dico in Tractatu de celebrat. Missarum, & esto quòd Religiosus subditus habeat licentiam à suo Prælato celebrandi unam, vel duas Missas pro parentibus, vel amicis suis, non potest loco earum Missas celebrare pro iis, à quibus stipendium accepit, tum quia hoc est contra mentem concedentis, tum etiam, quia aliud est loqui de Missa, quæ debetur titulo Justitiæ, & aliud de ea, quæ celebratur ex charitate, ut liquet ex decisis *cit. loc.*

3. Quòd autem dictus Regularis sine onere Missarum possit licitè eleemosynam sibi à pœnitente elargitam accipere de licentia generali sui Prælati, non cadit sub dubio, sive parva, sive magna sit, non ratione confessionis, quia hoc foret simoniacum, sed per modum eleemosynæ datæ intuitu incommoditatis, & laboris, quem patitur Confessarius in administratione Sacramenti; ita tamen, ut sit promptus administrare dictum Sacramentum tam dantibus, quàm non dantibus, adeò ut donatio & elargitio sit subsequens ad prædicta, & se habeat merè per accidens, ducorque ex illo *Luc. 10. Dignus est operarius mercede sua. Et Corinth. 9.* ibi, *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, cum altari participant.* Verùm Confessarius Dominicanus tenetur circa hoc observare statutum insertum in nostris Constit. *distinct. 2. ca. 2. de Prædicatoribus, ad text. 3. sub lit. E. fol. 166. col. 3. in fin.* ibi, *statuitur, ut cùm in actu Confessionis, vel proximo, pœnitens eleemosynam dare voluerit, eam non accipiat Confessarius, sed ei significet, reponendam esse in communi Arca Ecclesiæ, & qui contra hoc fecerit, sit ipso facto privatus per triennium, &c.* Cætera verò dubia vide apud præcitatos Authores, qui de re nostra disertè loquuntur.

***

TRACTATUS V.

DE CONFESSARIIS REGULARIUM.

Quæst. 1. Confessarius Regularium à quonam sit instituendus?

1. Respondeo, quòd debet institui à suis Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem in utroque foro subditorum; nam habens hujusmodi jurisdictionem, potest eam alteri delegare, quia Judex ordinarius est, ut dico *to. 2. p. 3. tr. 10. q. 3. & 5.* Unde P. Generalis potest instituere Confessarium pro toto suo Ordine, P. Provincialis pro tota sua Provincia, & Prior Conventualis pro toto suo Conventu: dummodo tamen propriis statutis non repugnet: ad quod facit illud privilegium, quod dicitur Mare Magnum, quod respectu hujus quæsiti adhuc viget, cùm quoad hoc non sit contrarium Decretis Sac. Concil. Trid. ut infrà magis patebit, & favet nostra Constit. *distinct. 1. de Novit. cap. 14. lit. C. ver. doceat eos confiteri, fol. 49. col. 2.*

2. Dixi, *dummodo propriis statutis non repugnet*, quia etiam circa hoc observanda sunt propria statuta, quamobrem Guardiani propter eorum statuta in propriis Conventibus Confessores non instituunt, sed eorum P. Provincialis, *Portell. in dub. ver. Confessor erga Fratres, n. 11. & Longus Capucc. 1. p. sect. 1. ar. 21. in fin. ver. idem videtur dicendum.*

Quæst. 2. Confessor Regularium an indigeat approbatione D. Episcopi loci, ad effectum audiendi Confessiones Sacramentales Religiosorum sui Ordinis?

1. Respondeo negativè, sufficit enim, quòd approbetur à proprio Prælato sui Ordinis, ut dictum est suprà; nec nocet Decretum *cap. quamvis Presbyteri, sess. 23. Conc. Trid. de refor.* quia ibi Concilium loquitur d. Regul. ad effectum audiendi Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, non autem Regularium sui Ordinis; nam quoad hoc Tridentinum non innovavit jus commune antiquum; unde sicut ante Tridentinum hujusmodi Confessor, de quo agitur, non egebat licentia Episcopi ad audientiam Confessionum Fratrum sui Ordinis, ita nec modò illa indiget post ipsum Tridentinum, ut notant *Suar. tom. 4. de pænit. disp. 28. sect. 1. num. 4. & sect. 4. n. 5. in princ. Miranda tom. 1. Manual. qu. 45. art. 15. concl. 2. Molfes. in sum. Theol. Moral. tr. 7. c. 14. n. 60. D. Barbos. allegat. 25. n. 45. & in Collect. ad d. cap. Trid. n. 9.* & liquet ex textu, ibi, *nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi, &c.* quæ omnia ad sæculares tantùm referuntur, & non ad Regulares.

2. Hoc tamen dictum limita hodie quoad Moniales Regulares, etiam immediatè subjectas ipsis Regularibus, qui ob Constitutionem Greg. XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, non possunt illarum Confessiones audire sine speciali approbatione Episcopi loci, ut dixi *inf. de Confess. Monial.*

3. Item limita quoad Fratres Jesuatos, qui ex Pauli V. Decreto debent examinari ab Ordinario, ad hoc, ut possint audire Confessiones suorum Religiosorum, & docet de praxi *Pelliz. to. 2. Manual. tr. 8. cap. 2. sect. 1. q. 1. n. 1. in fin.*

4. Item limita quoad Fratres Piarum Scholarum, qui pariter indigent approbatione Episcopi loci, ad effectum excipiendi Confessiones Fratrum sui Ordinis; (hi namque hodie ex Decreto Urbani VIII. subjiciuntur locorum Ordinariis) sicut cæteri Clerici sæculares, absque ulla exemptione.

Quæst. 3. Confessarius Regularium quonam modo instituendus sit?

1. Respondeo, quòd Confessarii tam Religiosorum, quàm extraneorum instituendi sunt secundum propria Instituta, approbata à S. Sede, & secundùm Decreta Sac. Concil. Trid.

2. In meo namque Ordine, *distinct. 2. c. 12. de Prædicat. text. 1. fol. 160.* de his Confessoribus multa sanciuntur, quæ forsitan in cæteris non inveniuntur; nam *ibid. col. 3.* dicitur, *Confessiones audire non permittatur aliquis, qui non sit maturæ ætatis, & maxima diligentia adhibeatur in eorum examine, & cit. loc. text. 3. lit. A. fol. 161. col. 2.* habetur, *Confessiones sæcularium nullus audiet, nisi à quinque Examinatoribus, at ubi tot non suppetunt idonei fratres, saltem à tribus aptus & idoneus fuerit judicatus, qui quidem Examinatores, excluso quolibet particulari affectu, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ineptos reprobare, &c. & ibidem lit. B. col. 3.* dicitur, *Confessiones nullus permittatur audire, nisi in vita, moribus, & scientia approbatus, maturus, discretus, securus, & casibus, & Sedi Apostolicæ, & Episcopis reservatis eruditus*, quod dictum inter nos observatur, etiam respectu Confessionum Religiosorum nostri Ordinis, ad quod facit Privilegium nobis, & Minoribus concessum à Benedicto XI. ex Ordine nostro assumpto, ubi ponit conditiones Confessorum his verbis:

3. *Quare decernimus, ut Magister & Minister Generalis Priores, & Ministri Provinciales, Ordinis Prædicatorum, & Minorum, vel eorum Vicarii, de Discretorum consilio, ad tam salubre officium, scil. audiendi Confessiones, divina scientia doctos, discretione vigentes, vitâ approbatos, & expertos moribus eligant, & assumant, alioquin strictam reddent in futuro examine rationem*, hæc ibi, de quibus laté noster *Festus 2. p. sum. c. 63. fol. mihi 181.*

Quæst. 4. Religiosi subditi an teneantur suis prælatis confiteri?

1. Respondeo affirmativè, loquendo tamen de jure communi, & servata Constit. Clem. VIII. de qua immediatè infrà; nam quilibet subditus tenetur confiteri suo proprio Sacerdoti, vel Confessario, vel alteri de illius licentia, ut probat *tex. cap. omnis, 12. de pænit. & remiss.* sed nomine proprii Sacerdotis, venit etiam P. Generalis in tota sua Religione, P. Provincialis in tota sua Provincia, & Prior Conventualis in toto suo Conventu; etenim sicut Archiepiscopus, Episcopus, & Parochus per electionem ad ipsorum Prælaturas habent ordinariam potestatem, & totalem jurisdictio-

dictionem in universos sibi subditos, in utroque foro; dependenter tamen à Papa, ità cæteris paribus P. Generalis, pro totâ sua Religione, P. Provincialis pro totâ sua Provincia, & P. Prior pro toto suo Conventu, per electionem ad hujusmodi dignitatem, habent plenam & ordinariam potestatem super omnes Religiosos sibi subditos, respectivè tamen, ut dictum est *hic suprà, q.1.*

2. Ergo nulli prædictorum subditorum integrum est confiteri, nisi suo Patri Generali, vel Provinciali, aut Priori, vel deputatis ab eisdem, aliter magna illis irrogaretur injuria, *Bonac. de pœnit. disp.5.q.7.p.5.§.1.n.1. in fin. Bordon. tom.1. var. resol.2.q.12. & egomet 5.p. prax. tr.10.q.8.*

3. Et constat ex suprà decisis, & maximè ex Privilegio nobis concesso ab Alexandro IV. quod refert noster *Festus in sum. nostrarum Constit. 2.p.c.62. de Confess. Fratrum*, & liquet ibi.

Cùm Magister, & Priores Ordinis Prædicatorum, more periti Medici sciunt infundere vinum & oleum vulneribus sauciatis; authoritate præsentium inhibemus vobis Fratribus dicti Ordinis, ne aliquis vestrûm aliis, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis urgente periculo, nisi forsitan Magister Ordinis, aut Prior alicui fratri suo licentiam dederit, fratri alteri ejusdem Ordinis confitendi, hæc ibi.

4. Idem nobis concessit Sixtus IV. in Mari Magno ex Privil. concesso à Jul. II. Ordini Minimorum, relato inter nostra Privilegia *fol. 231.* & liquet ibi, *præterea caveatur, ne quis fratrum hujus Ordinis Confessiones audiat absque licentia vel permissione Correctoris Generalis, aut vigilis, sive Provincialium, vel eorum vices gerentium*, hæc ibi.

5. Ad quod facit Benedictus XI. in sua *Extrav. Comm.* incip. *inter cunctas, de privil.* ubi concedendo facultatem Regularibus audiendi Confessiones sæcularium, subnectit hæc verba: *Non Religiosos, qui secundùm statuta suorum Ordinum propriis Prælatis confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur*, hæc ibi, quæ etiam per extensum refert *Gloss. in Clem. Dudum, de sepulturis in 6.* de quibus omnibus videndi sunt *Rod. tom. 1.q.62. ar.4. Peyr. to.1. de subd. q.1.c.21. ver. dico nono*, ubi in partem extendit Mare Magnum Minim. quod item integrè ponit *to.1. privil. in Constit. 2. Jul. 2. & Festus cit. loc.*

Quæst. 5. An Prælatus Regularis possit subditos adstringere ad sibi confitendum?

1. RÉspondeo negativè; tum quia actus hominis ad hoc, ut sit meritorius, debet esse ab omni coactione absolutus, secus quoad meritum nihil operatur. Libertas enim est radix meriti; tum etiam, quia confessio inducta est à Christo Domino ad utilitatem pœnitentium, ut scilicet possint itâ meliùs in vita spirituali dirigi, & proficere; ergo non debet ita practicari, ut cedat in eorumdem detrimentum & destructionem, ut dicit *Sacr. Concil. Trid. sess.14. cap.7.* tum etiam, quia ità reperitur sancitum in Constit. Clem. VIII. edita pro casuum reservat. quam per extensum refert *Stephan. Quaranta vers. casus reservati, fol. mihi 154. Sorb. in addit. ad compend. vers. absolutio ordinaria quoad fratres, in §.12. fol. mihi 21. & egomet in partem tom.2.p.3. tract. 10. q.23.* & Sacra Congregatio Concilii, jussu Urban. VIII. de anno 1624. approbavit, & innovavit, ut infra dico, & liquet ibi, *Non liceat Superioribus, &c.* ad quorum intelligentiam plura oportet notare.

2. Primò, quòd dicta Constitutio loquitur, ut dixi suprà, de Superioribus indefinitè, ac proinde comprehendit omnes Superiores, tam majores, quàm minores.

3. Secundò, quòd licèt Prælati Regulares possint sibi aliquos casus reservare, ut dictum est suprà; nihilominus Religiosi subditi non tenentur illis confiteri, etiamsi habeant reservata; regulariter tamen loquendo, tum quia privilegia, quibus subditi astringebantur suis Prælatis confiteri, jam per dictam Constitutionem Clement. VIII. remanent extincta; tum etiam, quia ipsi Prælati tenentur in singulis domibus deputare duos, tres, aut plures Confessores, qui à non reservatis, & à reservatis absolvant, ut dicitur in dicta Constit. secùs peccarent mortaliter; tum quia textus loquitur, per illud verbum *non liceat*, quod est præceptivum, & sufficiens ad inducendam gravem obligationem, cùm simus in materia gravi, nempe Sacramenti Pœnitentiæ; tum etiam, quia Prælatus hujusmodi ex justitia tenetur hanc facultatem delegare; cùm sit obligatus subditorum salutem prospicere, & se patrem ostendere, & fidelem dispensatorem potestatis sibi commissæ, ut docet *S. Thom. in 4. sent. distinct.17.q.3.ar.3. & q.4. ad sextum*, ubi sic ait, *peccare Superiorem, qui præstat se in hoc difficilem, quia multi sunt adeò infirmi, quòd potiùs sine Confessione morerentur, quam tale peccatum tali Sacerdoti confiteantur. Unde illi, qui sunt nimis soliciti, ut conscientias subditorum per confessiones sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsi.* Hæc ille.

4. Dixi *regulariter loquendo*, nam in quibusdam casibus potest justè Superior hanc facultatem denegare, nempe ob bonum proximi, ut si peccatum sit tale, ut vergat in perniciem aliorum, vel si sit tale, ut ei nemo, excepto Superiore, sciat remedium adhibere, aut ob bonum ipsius pœnitentis, ut si cognoscat exinde accipere occasionem perseverandi in peccato, ob scilicet spem facultatis faciliter obtinendæ; in his casibus non tenentur licentiam concedere, quandoquidem Superior magis tenetur providere communi, quàm particulari bono, *Sot. in 4. dist.18.q.2. art.5. Bonac. de pœnit. disp.5.q.7.p.5. §.2. num.19. Barthol. à S. Fausto de casib. reserv. lib.8.q.15. & Doctissimus P. Magist. Candidus to.2. disquisit. moral. 24. ar.68. Cardin. Lugo de Sacram. Pœnit. disp.20. nu.41.* & secundùm hoc debet intelligi illud verbum Clement. VIII. ubi suprà, ibi, *Nisi quando aliquod peccatum reservatum admiserint, &c.*

Quæst. 6. Sed quid dicendum, si Superior Prælatus recuset dictam facultatem concedere?

1. RÉspondeo, quòd Confessarii in tali casu possunt licitè illa vice, etiam facultate non obtentâ, Religiosos pœnitentes à reservatis absolvere, absque onere se præsentandi Prælato, quia authoritate Papæ in tali casu absolvunt; & habetur expressè in calce dictæ Constit. Clem. VIII. editæ super casuum reservatione, anno 1593. approbata tamen & innovata ab Urbano VIII. post ejus Constit. 25. to. 4. *Bull. Cherub. fol. mihi 274.* ubi leguntur hæc præcisa verba:

Sanctitas sua deinceps declaravit & declarat, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casûs alicujus reservati facultatem petentibus Superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice pœnitentes Regulares, etiam non obtenta facultate absolvere. Hæc ibi. Et fuit hæc declaratio adhibita ad tollendam imprudentiam Superiorum recusantium facultatem facere. Unde immeritò *Alphonsus de Leone tom.2. de offic. & potest. Confess. recollect. 6. n.178.* de dicta declaratione dubitavit.

2. Dixi, *sine onere se præsentandi Prælato*, quia in casu posito, non solùm judicandum est de Superiore, ac si esset absens, & quòd consequenter ipsi pœnitenti desit copia Confessarii, ut dicit *Sotus in 4. sent. dist.18. & Victoria in sum. cap.4. n.145. de Confess.* sed etiam, quia S. Papa hoc concessit in salutem animarum absolutè.

Quæst. 7. An autem pro illa vice intelligatur pro una vice tantùm, an verò toties, quoties dicta facultas petitur à Confessario, & denegatur à Superiore?

1. ET quòd secundo modo intelligatur, valde inclinat *Diana 3.p.tract.2.resol.126. & Pelliz.tom.2. Manual.tr.8.cap.2.sect.2.q.13.sub n.60.* ubi latè de re, & ad objecta respondet.

Quæst. 8. An Prælatus possit taxare pœnitentiam à Confessario imponendam pœnitenti?

1. AFfirmativè deciditur in dicta Constitutione Clement. VIII. edita super casuum reservatione, & liquet ibi, *Licebit tamen Superioribus, &c.* quod procedit nedum respectu casuum reservatorum, verùm etiam respectu non reservatorum: ad hoc enim Superior jus habet, & potestatem; est namque in illa causa Judex ordinarius. Unde sicut potest eam non committere, ità si eam committit, præscribere potest modum, taxando pœnam ferendam, ad quod facit nostra Constitutio *in fin. Prologi, fol.10.col.3.& 4.* ubi reperitur extensa præfata Bulla Clem. VIII. super casuum reservatione.

2. Et de facto priscis temporibus in Ecclesia observabantur Canones pœnitentiales, in quibus erant taxatæ pœnitentiæ imponendæ pro gravibus delictis, de quibus multa loquitur *Gratianus in 2. p. Decreti cap. latorem 15.16. & 17.caus.33.q.2. & Faustus de casibus reserv.lib.8.q.16. & Longus Capuc.eod.tit.1.p.sect.1.art.19.* inultis cit.

Quæst. 9. An Prælati Regulares possint suis subditis concedere facultatem eligendi sibi Confessarium extraneum, qui eos nedum extra Ordinem, verùm etiam intra propriam clausuram possit audire, & à peccato absolvere?

1. AFfirmant *Molina tom.4. de Just. disp.61. num.3. Sanch in sum.lib.4.c.39.nu.28. Diana 3.p.tract.2. in dub.Regul.resol.2. Bordon.1.p.var.resolut.22.q.11.nu.23. & resol.24.q.3.nu 6.in fin. & Pellizz.tom.2.sui Manual. de facultate audiendi confessiones Regul.tract.8.cap.1.sect.1. q.2.num.3.* dicuntque prædictam eorum sententiam esse notoriam & indubitatam; tum quia Superiores prædicti habent super suos subditos potestatem jurisdictionis ordinariam, maximè in administratione Sacramentorum; hæc autem potestas ordinaria est delegabilis, juxta *textum cap. his, quibus ex officio, 20. de officio Judicis ordinarii*, etiam quibuscunque extraneis indifferenter, dummodò sint capaces exercendi jurisdictionem delegatam, & velint ipsam acceptare; est enim gratiosa & voluntaria, ut probat *text. c. omnis utriusque sexus, 12. de pœnit. & remiss.* ubi dicitur, quòd proprius Sacerdos potest dare licentiam suo subdito, ut alieno Sacerdoti confiteatur; ergo & Prælatus Regularis; est enim sui subditi proprius Sacerdos, ut dictum est hîc suprà; tum etiam, quia Religiosi præcipuè in receptione Sacramenti Pœnitentiæ sunt subjecti suis Superioribus, ut constat ex multis Bullis, quas refero hîc infrà *qu. 12.* ergo in eorum potestate extat, illos subjicere huic, vel illi Sacerdoti, delegando facultatem.

2. Verumtamen ego prædictam sententiam sic absolutè non admitto, sed cum illo addito, *dummodò id, quod dicitur, propriis Institutis non repugnet*; tum quia unusquisque Religiosus tenetur in hoc præcipuè suum servare statutum, quod maximè in hac parte semper reperitur approbatum, & confirmatum à S. Papa, ut ex multis ostendi *tom.1.p.1.tract.de confirmat. privil. & docet Suar.tom.4. de Relig.lib.2.cap.16.nu.12.* tum item, quia nobis Dominicanis hoc expresè prohibetur in Mari Magno, à Sixto IV. nobismet concesso, quod per extensum refert *Joan.Bapt.Confectus fol.mihi 43.* & habetur in nostro Bullar. *fol. 43.* & liquet ibi, *inhibemus insuper universis fratribus Ordinis vestri, ne aliqui eorum alis, quàm Prælatis suis peccata sua confiteri præsumant, nisi necessitatis urgente articulo, vel nisi forsan Magister, vel Prior proprius alicui fratri dederit, fratri alteri ejusdem Ordinis licentiam confitendi.* Hæc ibi. Ex quibus clarè apparet, Priores nostri Ordinis nequaquam posse extraneo Confessori hujusmodi confessionum audientiam committere, nisi in causa necessitatis extremæ, in quo Confessor extraneus sic admissus, censetur habere facultatem à S. Papa, qui in similibus casibus suam censetur delegasse authoritatem cunctis Sacerdotibus in universum, in salutem animarum sibi commissarum; est enim Papa proprius Sacerdos omnium Christi-fidelium, ad quem pertinet providere suis ovibus in omni tempore, occasione, & loco.

3. Hinc in nostris Constit. *distinct. 1.c.14. de Novit. fol.49.col.3.* in principio dicitur, quòd Prior fratri suo subdito concedere potest, ut etiam confiteatur Priori, vel fratri alterius Conventus, aliàs legitimo ad confessiones audiendas, sed non Sacerdoti alterius Religionis; ergo multò minus Sacerdoti sæculari, quod adeo verum est, ut nec ipse Pater Generalis possit sine legitima causa fratribus licentiam dare, ut confiteantur Sacerdoti sæculari, nisi fortè deficiente copiâ Confessoris Ordinis nostri, ut ibidem subjungitur, & expressè dicitur *col. 4.* ibi, *Denunciamus omnibus fratribus, renunciasse nos Privilegiis omnibus, præsertim quoad illud, quòd spectat ad fratrum Confessiones, supple, alterius Ordinis audiendas.* Hæc ibi, ad quod facit id, quod dicitur *in §. circa potestatem, de officio Magistri Ordinis fol.33. in fin. Constit.*

4. Neque his obstat prima ratio superiùs adducta; tum quia jurisdictio ordinaria non extenditur ultrà proprios subditos, à quibus exordium accepit, ut dictum est suprà; tum etiam, quia allegatum ibi jus commune limitatur per jura specialia, seu propria statuta approbata & confirmata à Papa, nec quidem nocet ratio secunda, quia mens Sum. Pontif. nunquam fuit submittere Religiosos subditos suis Prælatis, ad disponendum de illis adversus propria statuta. Unde Benedictus XI. *in sua extrav. comm.* incip. *inter cunctas, de Privil.* concedendo facultatem Religiosis audiendi Confessiones sæcularium, excepit Religiosos, ibi, *non Religiosos, qui secundum statuta suorum Ordinum, suis Prælatis tenentur confiteri*, quod dictum, ut jacet, replicat *Gloss. in Clem. dudum, de sepul. in ver. volentium*, ut dixi hîc suprà *q. 4. §. ad quod facit.*

Quæst. 10. Regularis eligens sibi Confessarium de licentia Prælati, an valeat ab eo absolvi ab omnibus casibus, à quibus potest Prælatus virtute Privilegiorum?

1. AFfirmativè *Navar.in Manual.c.27.n.261. ver.undecimò dico, & Rod.tom.1.q.26.art.27.* si tamen Superior concedens licentiam, det facultatem futuro Confessario absolvendi eligentem ab omnibus, hoc tantùm vel illo peccato excepto, quia exceptio firmat Regulam in omnibus aliis non exceptis, *argum. cap. Dominus, 7.32.q.7.* secus autem dicendum, si nec signis, neque verbis, suam intentionem expressit absolvendi à reservatis & specialibus peccatis, sed tantùm verbis generalibus sit usus, cùm in generali confessione non veniant casus speciales, ut sæpè dico, & expresè habetur *in cap. si Episcopus, de pœnit. in 6.*

Quæst. 11.

Quæst. 11. ***An Regulares subditi possint de licentia sui Prælati se subjicere Episcopo loci, in quo degunt, ad hoc, ut ab eo dispensentur, vel absolvantur à casibus, in quibus nequeunt à suis Prælatis absolvi, & dispensari?***

1. GRavis est ista quæstio, circa quam variant Doctores; verumtamen decisio pendet ex illa, an dicti Regulares exempti possint renunciare privilegio suæ exemptionis? Ad quam negativè respondent quamplures Doctores eruditissimi, quos refero *tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 13. *de exempt. Relig. q.* 10. ex eo, quia sicut Clericus non potest renunciare privilegio suæ exemptionis, in præjudicium sui Episcopi, *cap. cum tempore in fin. de arbitris.* & *cap. significasti, de foro compet.* ità Regulares sine licentia Papæ, cui ipsimet immediatè subjiciuntur, nequeunt suæ exemptioni renunciare, *cap. si Papa, de Privil. in* 6. quod item expresè colligitur *ex Clem. penult. de sent. excomm.* ubi S. Papa concedens Episcopo absolutionem fratrum Minorum ab excommunicatione contracta ob violationem præcepti ibi expressi, inquit, *authoritate Apostolica fungi volumus in hac parte*, ergo exclusa dicta authoritate Apostolicâ, nequibat Episcopus prædictos Religiosos excommunicatos absolvere, & non ob aliud, nisi ob eorundem fratrum exemptionem, ut dicit *gloss. ibidem.*

2. Id ipsum indubitanter infertur ex *cap. Religioso, de sent. excom. in* 6. ubi tanquam quid speciale conceditur Episcopo absolutio Religiosi excommunicati ob Clerici percussionem, ne cogatur vagari, ergo in cæteris casibus, in quibus non militat prædicta ratio vagandi, nequit Episcopus absolvere & dispensare.

3. Hanc verò sententiam limitant, multis citatis *Syl. ver. absolutio*, 5. *n.* 2. §. *quo verò ad exempt. in fin.* & *Sanch. in sum. lib.* 4. *cap.* 59. *n.* 32. dicuntque procedere de rigore juris communis, quoad forum contentiosum; secus autem quoad forum conscientiæ, tum quia licèt exemptio non solùm concernat favorem exempti, verùm etiam Papæ eximentis, cùm ipse per illam sibi immediatè exemptos subjiciat, nihilominus regulariter primò & principaliter dicti Religiosi reperiuntur exempti in suum privatum favorem, ut scilicet quietiùs Deo serviant; at unusquisque potest renunciare suo proprio favori, ergo; tum etiam, quia non est æquum, ut hi per exemptionem fiant deterioris conditionis, quàm non exempti, in spectantibus ad quietem animi, ad quam omnis Religio ordinatur, ad finem Deo quietiùs & expeditiùs serviendi; tum item, quia absolvens Regulares in casu posito, non absolvit authoritate sibi delegata à Prælato Regulari, licentiante subditos, sed à S. Papa, ut liquet *ex Concil. Trid. sess.* 24. *c.* 6. *de refor.* & docet *Navar. lib.* 1. *cons. sub tit. de offic. Ordinarii, cons.* 8. *n.* 22. *in p. edit. in* 2. *vero lib.* 5. *sub tit. de pænit.* & *remiss. cons.* 31. *n* 2. ubi ait, hanc fuisse opinionem Federici Senensis, & *Rod. tom.* 1. *q.* 59. *art.* 9. *in fin.* §. *sed contra*, ait, quòd Religiosus in hoc casu non renunciat privilegio suæ exemptionis, sed Episcopus utitur jure suo, & idem dicit *tom.* 2. *q.* 63. *art.* 10. & *in* 1. *p. sum. cap.* 150. *in novis de hæresi, quoad absolutionem, nu.* 2. *cui favent Bonac. in* 2. *præcepto Decal. de dispensatione voti,* §. 4. *p.* 7. *de pænit. disp.* 5. *q.* 7. *p.* 4. §. 1. *n.* 26. & *de Censur. in com. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 2. *n.* 5. §. *quarto quartò,* & *Bordon.* 1. *p. var. resol.* 34. *q.* 4. *n.* 20. ad quæ faciunt privilegia Gregorii IX. & Eugenii IV. quorum meminit *P. Anton. de Corduba in annot. quoad* §. 1. *in fin. ver. absolutio ordinaria quoad fratres, in comp. Privil. Mendic.* quibus privilegiis contendunt Regulares, posse se in suum favorem locorum Ordinariis subjicere.

4. His tamen non obstantibus, egò prædictam limitationem non admitto, nisi in casu necessitatis, & deficientibus Superioribus proprii Ordinis, & moveor, tum quia Prælati Regulares hodie habent in suos subditos potestatem ordinariam, & jurisdictionem quasi Episcopalem; unde possunt in illos totum illud, quod possunt Episcopi in Clericos sibi subjectos, ut multis probò *tom.* 2. *p.* 3. *de potest. ue Prælat. Regul. tr.* 10. *q.* 3. immò & majorem, ut constat ex decisis, *ibid. q.* 6. & 7. ubi etiam ex multis ostendo, dispositionem Conc. Trid. *sess.* 24. *cap. liceat*, 6. *de refor.* extendi pariter ad Prælatos Regulares, ergo inutile foret adire Episcopos pro dispensatione ab occultis suspensionibus, & irregularitatibus, vel pro absolutione à casibus Papalibus, quoad forum conscientiæ, dum quod quæritur, intus habetur, frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora, & æquè bene; tum etiam, quia dicti Prælati sine legitima causa prohibentur licentiare subditos ad se confitendum extrà Religionem, ut constat ex decis. hîc supra, *q.* 10. tum item, quia omnes Prælati extranei, cujuscunque sint status, exceptis pœnitentiariis S. Papæ, exemptorum Religiosorum confessiones prohibentur accipere, ut liquet ex tot privilegiis hîc suprà extensis, *q.* 12. tum denique, quia ità docuit *S. Anton. Archiepiscopus Florentinus in* 3. *p. tit.* 24. *cap. ult.* §. 1. *ver.* & *nota*, ubi ità præcisè loquitur:

5. *In casu, quo Regularis excommunicatus non haberet Prælatum, qui esset Sacerdos, vel si esset defunctus ipse Prælatus, vel excommunicatus, ad Diœcesanum recurrendum est, secundùm Hostiensem*, hæc ille, quod dictum amplectitur *Syl. ver. Apostasia, q.* 8. *n.* 11. *ad finem*, ubi hæc ait, *super exemptum nullam habet Episcopus authoritatem, nisi fortè in foro conscientiæ absolutio in defectu Prælati concedenda sit*, hæc ille, quibus favent *Miranda tom.* 2. *Manual. q.* 7. *art.* 2. *conclus.* 2. *ad finem. Megal. lib.* 1. *c.* 13. *n.* 10. *Portell. ver. Episcopus, in addit. n.* 4. *in fin. Hier. Rod. in comp. resol.* 3. *n.* 15. ubi inquit, quòd deficiente proprio Prælato, potest Regularis in casu necessitatis per epicheiam, seu de æquitate absolvi ab Episcopo ab omnibus, à quibus potest ipse Episcopus absolvere suos subditos, quod priùs latè docuit *Suar. to.* 2. *de Relig. lib.* 6. *de irritatione, dispensatione,* & *commutatione voti, cap.* 11. *n.* 7. ubi allegando pro se *Panor. in cap. significasti de foro compet. n.* 11. dicit, hanc opinionem esse juri consonam; tum quia exemptio non est favor Religiosi, sed Religionis, cui non potest Religiosus subditus renunciare, ut dicitur in *d. cap. significasti, de foro compet.* tum etiam, quia per exemptionem aufertur jus Episcopo, & confertur Prælato Religionis, aut Papæ, quam postea Papa inferior sua voluntate mutare non potest: ergo.

6. Neque his obstat *cap. luminoso* 6. 18. *q.* 2. ubi à S. Papa deciditur, Episcopum loci ordinarium de licentia Abbatis posse exercere jurisdictionem, etiam strepitosam in Monasterio, quia hodie tale Jus non potest habere locum ob tot privilegia Mendicantium, quibus Religiosi Mendicantes reperiuntur exempti universaliter, & omninò à potestate & jurisdictione Episcoporum; de quibus latè *tom.* 1. *p.* 2. *tr.* 13.

7. Id ipsum dicitur ad privilegium Gregorii IX. & Eug. IV. superiùs allegatum; nam Gregor. IX. & Eug. IV. prædicta privilegia nobis concesserunt, quando Ordo Mendicantium non habebat tot privilegia, & Prælati Regulares non habebant tantam authoritatem, quantam habent hodie.

* * *

Quæst. 12. An Regulares subditi possint absque licentia sui Prælati eligere sibi Confessarium, eique ut libet, peccata confiteri?

1. RESpondeo negativè, quia quilibet doli capax, tenetur confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri, de ejus licentia, ut expressè dicitur *in cap. omnis 12. de pœnit. & remiss.* ad quod etiam facit *cap. adjecimus, 16. q. 1. §. ecce in hoc capite,* ubi expressè dicitur, quòd nulli Sacerdotum licet alterius Parochianum ligare, vel absolvere, & *cap. placuit 3. de pœnit. dist. 7.* ubi clarè habetur, quòd nulli Sacerdotum liceat quemlibet suscipere sine ejus consensu, cui priùs se commisit, quandoquidem oves propriæ pascendæ sunt à proprio Pastore, & regimen servi incumbit proprio Domino, *ff. leg. 1. §. si servus,* secus illis fieret injuria, perturbarentur Parochiæ, & diceretur eis, tu quis es, qui alienum servum dijudicas?

2. Proprius autem Sacerdos quoad Regulares, ut dictum est suprà, extant P. Generalis, Provincialis, Prior Conventualis, & similes ejusdem Ordinis, quos Prælatus major constituit pro audientia Confessionum subditorum, *Barthol. à S. Fausto, to. 3. de Ministro Sacram. Pœnit. lib. 6. q. 73. & Lez. 1. p. sum. cap. 19. n. 19.* quamobrem Religiosi non possunt confiteri alteri, nisi suis Prælatis, aut designatis ab ipsis, cùm reliqui in eos jurisdictionem non habeant, *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 16. n. 1. & Lez. 2. p. sum. cap. 18. n. 26.*

3. Nec dices, prædictam resolutionem esse veram de jure communi, secus autem de speciali, cùm Religiosus per multa privilegia, & præcipuè per Bullam Cruciatæ possit eligere Confessorem approbatum, quem voluerit, etiam invito & non consentiente suo Prælato, quia licèt dicta Bulla sit favorabilis in favorem animarum indulta, & loquatur generaliter de omnibus Christi-fidelibus, & consequenter videatur loqui de Regularibus.

4. Nihilominus fuit, quoad Regulares per Romanos Pontifices revocata, & ad favorem superiorum Mendicantium, per speciale privilegium limitata, prout pro Minoribus fecit Leo X. & refertur *in supplem. Ordin. concess. 144. & 168.* & Pius V. pro Prædicatoribus, & refertur à *Sorbo Capucc. in fin. Compendii Privil. Ordin. Minorum, & à Rod. post expositionem Bullæ Cruciatæ,* & Alexander VI. pro Cistercientibus, & refertur in eorum Compendio, ver. *Cruciata,* & Greg. XIII. pro Jesuitis in Bulla *de usu facultatum,* & refertur *à Roder. tom. 1. q. 62. art. 4.*

5. Neque his obstat dicere, prædictos Pontifices potuisse revocare priores Bullas, vel restringere, quas ipsi concedebant, non tamen potuisse ligare manus posteriorum Pontificum, qui dictã Bullam Cruciatæ absque ulla limitatione concesserunt, quia etiã posteriores Pontifices illam promulgarunt, cùm illa clausula restrictiva, ut liquet, ibi, *exceptis tamen, quæ concessa sunt Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum Fratres, &c.* quæ exceptio cùm sit generalis, cadit non tantùm in Indulgentias, ut quidam malè putarunt, sed etiam absolutè in omnes gratias, & facultates in Bulla concessas; nam clausula generalis in fine Constitutionis posita, & verbis generalibus expressa, refertur ad omnia præcedentia, ut constat ex multis, quæ refero *tom. 1. p. 1. tr. 9. de clausul. in Reg. referendi clausulas ad disposita, n. 1.* & docet *Suar. cit. loc. n. 4.* & ad majorem claritatem.

6. Clemens Papa VIII. ad instantiam Carmelitarum hoc expressè declaravit, sua Constit. incip. *Romani Pontificis,* edita de anno 1599. & liquet ibi, *talem concessionem S. Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessorem, & absolvendi à casibus reservatis cum Fratribus, & Sororibus Monialibus, omnibus prædictis scilicet Carmelitarum, ac aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, cujusvis instituti Mendicantium, & non Mendicantium tam Provinciæ Hispaniæ, quàm extrà eam ubilibet, locum minime habere, neque censeri, sed nostræ intentionis existere, quod iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint, Apostolica authoritate, tenore præsentium, perpetuò declaramus,* hæc ibi, quam Bullam per extensum habes *to. 3. Bull. Cherub. pag. 89. & in nostris Constit. distin. 1. cap. 14. de Novit. lit. C. fol. 49. col. 4. sub §. nos denunciamus.*

7. Urbanus denique VIII. anno 1630. die 19. Jun. sua Constit. incip. *Speculã militantis Ecclesiæ, &c.* ad eundem bonum finem prædictam Constit. Clem. VIII. innovavit pro Ordine nostro, ac aliis omnibus, & ex motu proprio ampliavit, & est 105. inter Bullas ejusdem Papæ, *in 4. tom. Bull. Cherub. pag. mihi 438.* & liquet *in §. 1.* ibi, *nos præmissis, quantum nobis ex alto conceditur obviare, & salubriter, tam eorumdem Fratrum Prædicatorum, & B. Mariæ de Monte Carmelo Religiosorum, quam & quorumcumque aliorum, cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti etiam speciali mentione, & nota dignorum, utriusque sexus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, statui, atque directioni, & aliorum Christifidelium saluti consulere volentes, præfatæque Clementis prædecessoris declarationi inhærentes, illamque tenore præsentium innovantes, & quatenus opus sit, ampliantes, motu proprio, & ex certa scientia, matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, concessionem S. Cruciatæ, quæ respectu facultatis hujusmodi, etiam laicis, & Clericis sæcularibus cujuscunque status, gradus, qualitatis, & conditionis, etiam speciali nota dignis, quoad casus reservatos, etiam in Bulla Cœnæ Domini, (hæresi excepta) contentos, non nisi in conscientiæ, non autem in foro externo suffragatur, aliorumque indultorum hujusmodi, quantum ad prædictum articulum eligendi Confessarium, & absolvendi à prædictis casibus reservatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, cum Fratribus, & Monialibus prædictis Fratrum Prædicatorum, & aliorum quorumcumque Ordinum, & Congregationum, Societatisque, & Instituti prædictorum Mendicantium, & non Mendicantium, tam Provinciæ Hispaniæ, quàm extra eam, ubilibet constitutorum, locum minime habuisse, neque habere, nec in illis ullo modo suffragari potuisse, neque posse, sed nostræ intentionis fuisse, & esse, quod iidem Fratres, & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionis administrationem, ordinariæ dispositioni suorum Prælatorum, & Sedi Apostolicæ, quoad sibi reservata subjecti sint, eorumdem tenore præsentium perpetuò declaramus, &c.* hæc ibi.

8. Hinc benè infertur, Fratres nostros non posse sua peccata ulli Sacerdoti, etiam Ordinis nostri, absque suorum Superiorum licentia confiteri, ut per Bullã declaratum fuit à nostratibus, & habetur expressè *cit. nostrarum Constit. lit. C. fol. 49. col. 1. in fin.*

9. Nec non exinde eorum sententia exploditur, qui autumant, Religiosum unius Religionis, per jurisdictionem sibi delegatam à Papa, ad absolvendum generaliter omnes confluentes ad se, posse absolvere pœnitentem alterius Religionis, etiam sine licentia suorum Superiorum, ex quo nullus Religiosus est exemptus à jurisdictione Pontificis, & dum concedit illi jurisdictionem audiendi Confessiones quorumcumque Religiosorum ad se venientium, & pœnitens impedimentum non habet, videtur concedere, ut etiam sine voluntate suorum Prælatorum possit absolvere.

10. Tum quia generalis concessio debet intelligi, secluso præjudicio juris tertii, *cap. quamvis, de rescriptis in 6.* tum etiam, quia Romani Pontifices concedentes Religiosis præfatam jurisdictionem, nunquam intellexerunt, nec intelligunt, nisi exprimant, illis concedere facul-

facultatem audiendi Confessionem Religiosorum, invitis eorum Prælatis, secundum quod Clem. VIII. & Urb. VIII. ubi suprà, expressè declararunt, nam quæ à Deo, vel ejus Vicario sunt, ordinata sunt, *Lex.1.p.cap.19. num.26.* unde Religiosus accedens ad Confessarium, sine licentia sui Superioris, dicitur verè habere impedimentum absolvendi passivè, & ponere obicem Sacramento pœnitentiæ: proindè arguens fallitur in præsupposito.

11. Nec nobis objicies dicendo, quod sicut non potest Parochus prohibere subdito suo, ne Religioso Prælato confiteatur, ut docet *Glos. in Clem. dudum de sepult. in casu in fin.* ita à pari, Prior, qui in sua Ecclesia correspondet Parocho, non potest, &c. vel à pari erit dicendum, Regulares, ut supra, privilegiatos, non posse laicas personas valide audire, & absolvere, invitis eorum Parochis, & Episcopis, quod est contra glossam; ubi supra, *ver. volentium*, nam aliud est loqui, de statu Religioso, & aliud de statu laicali, etenim non est tanta dependentia voluntatis laici, à suo Episcopo, vel Parocho, quanta est voluntatis Religiosi, à suo Prælato, nec etiam est tam necessaria subordinatio hominis sæcularis, ad suum superiorem, quanta est Monachi ad suum Abbatem, nec tanta intima cognitio exigitur in superiore, quantam Regularis Prælatus debet habere, de suo subdito, teste *Glossa cit. loc.* quamobrem; à diversis non fit illatio.

12. Nec ab his recedas, ob *P. Dianam, qui 1.p. Moral. tr.11. de Bulla Cruciata, §. quid ego sentiam*, dicit, opinionem Rod. & aliorum dicentium, Regulares, sine licentia suorum Prælatorum, virtute Bullæ Cruciatæ, posse eligere Confessorem, extra ordinem, & ab illo absolvi à peccatis, etiam reservatis, & censuris, etiam non obstante dict. declaratione, & Constit. Clem. VIII. facta ad instantiam Procuratoris Generalis Ordinis Carmelitarum, quod item repetit *in 3.p. tract.2. de dub. Regul. resolut. 94.* quia visa dict. Bulla Urb. VIII. mutavit sententiam, dicitque illam suam primam opinionem, non esse amplius probabilem, *in additionibus secundis resol. 9.*

Quæst. 13. Regularis existens in Conventu, ubi nullus reperitur Sacerdos sui Ordinis: nisi quidam sibi male affectus, vel suspectus, de revelatione Confessionis, an possit eligere sibi extraneum?

1. Respondent nonnulli, posse etiam sine licentia Prælati: ducunturque *ex c. placuit 3. de pœnit. dist.6.* ubi leguntur hæc propria verba.

2. *Nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam suscipere, sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confessus est*, hæc ibi, ex quibus ibi, *Glos. in ver. pro ignorantia ejus, authoritate hujus Canonis, potest ire ad alium, sine licentia proprii Presbyteri, &c.* quod dictum, de ignorantia proprii Sacerdotis *Hostiens. & plures alii scribentes in d. cap.* extendunt ad alios casus, ut puta, si sit omninò indiscretus, sollicitator ad malum, vel inimicus, vel revelator confessionum, & sic de aliis, quibus potest imminere periculum famæ, vitæ, vel honoris ipsius pœnitentis.

3. Verumtamen *Syl. ver. Confessor, 1. q.6. num.6.* dicit, quod in tali casu de quo agitur, non potest eligere extraneum, sine licentia sui Prælati, eò fortius, quia supponitur existere intra claustra, è quibus non licet exire, sine licentia Prælati, & movetur ex textu *cap. omnis de pœnit.* ubi dicitur, *quod quando Pœnitens ex justa causa, voluerit alteri confiteri, licentiam petat à proprio Sacerdote: secus autem invalide confitetur*, per quem textum reformatur prædictum *cap. placuit, de pœnit. dist.6.* quibus additur; quod si necessitas urgeat celebrandi, & dictus superior non possit adiri, in tali casu, contritionem habeat de peccatis suis, & quamprimum suo confiteatur legitimo Confessori, juxta *cap.7. Conc. Trid. sess.13. de præparatione, ut dignè quis Eucharistiam recipiat.*

Quæst. 14. Prior unius Monasterii, an possit audire Confessiones sui subditi, dum reperitur in alieno Monasterio, sine licentia Superioris loci?

1. Affirmativè dic, quia Pœnitentia est de jurisdictione voluntaria, *ff. de offic. proc. l.2.* ac proindè de loco, nihil exprimitur *in cap. omnis, de pœnit. & remiss.* unde potest exerceri intrà, vel extra territorium, quia in his, quæ fiunt sine strepitu Judicii, nullius territorium læditur *argum. cap. ultim. de offic. legat.* quod dictum *Syl. ver. Confessio, 1. num.12. q.14.* limitat procedere in eis, qui habent Jurisdictionem ordinariam, non autem delegatam. Verum servata proportione, habet locum etiam in delegata, ut benè notat *Sot. 4. sent. dist.18. qu.4. art.4. §. aliud verò dub. & noster Ledesma, 2.p. 4. qu.5. art.7. dub.9.* propter identitatem rationis, quia scil. Jurisdictio prædicta ordinatur ad personas, & non ad locum.

2. Hinc si Confessarius Eminent. & Reverendiss. Card. Archiepiscopi hujus Civit. Neapolis, habeat jurisdictionem in omnes ejus subditos, potest absolvere quemlibet illorum, etiamsi ambo extra Diœcesim inveniantur, quia illa circumstantia loci, nihil refert ad hoc Sacramentum pœnitentiæ, non enim dat, aut tollit Jurisdictionem: nisi fortè alicujus loci speciale Privilegium reperiatur in contrarium, ut constat ex supra notatis.

Quæst. 15. An Priores Conventuum, & similes Superiores Religionum, possint sibi ut libet, eligere Confessarium, etiam non approbatum à suo legitimo Superiore?

1. Prætermissis aliorum placitis, *S. Ant. in 1.p. sui defecerunt, cap. 2. Petrus de Palud. in 4. sentent. dist.17. Syl. ver. Confessor. 1. num.8. q.8. Rosell. ver. Confessio. 3. §.37. ver. absolutio, nu.5. & ver. Prælati exempti. Sot. in 4. senten. distin.18. q.4. ar.2. ver. similiter. Nugnus in 3.p. tom.2. q.8. art. 5.* Omnesque alii Dominicani, quibus favent *Rod. tom.1. q.20. ar.28. cum suo compend. resolut.32. § de Confessariis, quoad absolutionem Fratrum, Miranda, tom.2. Manual. q.33. ar.6. Suar. tom.4. in 3.p. D. Thom. disput.27. sect. 2. n.9. Molfes. 1.p. sum. tract.7. c.15. n.7. & 42. Long. Capuc. de cas. reserv. 1.p. sect.1. ar.1. nu.2. Peyr. tom.2. de Prælat. q.1. c. 4. §. 4. n.80. Faustus to.3. lib.6. de Ministro Sac. pœnit. q.78. §. sed nota*, & multis allegatis, *Bordon. 1.p. var. resol. 34. q. 10.* respondent ad quæsitum affirmativè: dummodò tamen Confessor eligendus, sit ad minus simplex Sacerdos, non suspensus, nec excommunicatus, neque interdictus; qui tamen sciat ligare, & solvere, investigando diligenter qualitates criminis, & personæ, ut dicitur in *cap. qui velit 12. de pœnit. & remiss.* ibi, *Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more periti Medici superfundat Vinum & Oleum vulneribus sauciatis, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei consilium, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo, ad salvandum ægrotum.* Hæc ibi.

2. Et moventur ex eo, quia omnes prædicti, censentur Prælati, ut constat ex decisis, hic supra; omnis autem Prælatus Religionis exemptæ, potest ad libitum, sibi eligere Confessarium; etiam à Prælato Superiore non deputatum, ut clarè habetur in *cap. ne pro dilatione 16. eod. tit. de pœnit. & remiss.* ubi habentur hæc propria verba.

Ne pro dilatione pœnitentiæ, periculum immineat Animarum;

marum; permittimus Episcopis, & aliis Superioribus, necnon Minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum, & discretum sibi possint eligere Confessarium. Hæc ibi.

3. Amplia, ut hi prædicti possint, ut supra, sibi eligere Confessorem, non solum dum sunt in proprio loco, utpotè, Prior in proprio Conventu, & Provincialis in propria Provincia; verum etiam dum fuerint hospites in aliena Provincia; tum quia, cum prædicta Constitutio, non limitet, nec nos limitare debemus; & præcipuè cum sit gratiosa, & favorabilis, & consequenter amplianda, & non restringenda; juxta juris regulam, *Odia*; tum etiam, quia dum Prælati Regulares peregrinantur de licentia suorum Superiorum, non sunt inferioris conditionis, quàm sint sui subditi: sed hi existentes extra Conventum, possunt sibi Confessarium eligere, ut constat ex *d. cap.* ergo; tum item, quia prædictum privilegium durat, durante dignitate, & exemptione Prælati; & desinit, desinentibus illis. Dignitas autem, & exemptio, non amittitur per mutationem loci, *Sylv. cit. loc.*

4. Amplia, ut prædictum privilegium eligendi sibi Confessorem, ut supra, non finiatur, unica vice, sed durat, ut dictum est, durante Prælatura, & exemptione. Unde una vice possunt eligere unum, & alia vice, alium, quem maluerint etiam in fraudem, propter eandem rationem, *Sylv. cit. loc. Nugnus in addit. qu. 8. art. 5. Sayr. de pœnit. cap. 22. num. 1.* & multis citatis, *Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 7. p. 3. q. 2. n. 2.*

5. Amplia, ut dict. Prælati, vigore *d. cap. final. de pœnit.* possint eligere in Confessorem simplicem Sacerdotem sui Ordinis, etiam hospitem, & peregrinum; etiam præsente Confessario à P. Generali, vel Provinciali approbato, per ea multa, quæ refert *Peyr. cit. loc. num.* 87. quod intelligo verum; dummodo Religio ipsorum non habeat privilegium confitendi Confessario à Prælato Superiori assignato, *Suar. tom. 4. 3. p. D. Thom. disp. 27. sect. 2. num.* 10.

6. Limita tamen, prædictum privilegium non habere locum tempore Jubilæi; ad quod lucrandum dicti Prælati tenentur confiteri non secundùm dispositionem *d. cap. final. de pœnit. & remiss.* sed juxta diploma S. Papæ, nempè Confessario approbato ab Ordinario, ut docent supradicti Doctores.

7. Limita secundò in Priorissa Monialium, quæ licet sit exempta, non est tamen Prælata propriè dicta cum non habeat potestatem clavium in foro Animæ. Etenim Prælatus hic, de quo agitur in *d. cap. final. de pœnit.* debet illa duo copulativè habere, nempè exemptionem, & jurisdictionem in utroque foro; quamobrem, etiam Religiosus subditus, qui Priori subest, non potest dici Prælatus, licet sit exemptus.

8. Limita tertiò, ut dict. Prælati inferiores vigore *d. c. ne pro dilatione, de pœnit. & remiss.* nequeant eligere extraneum, sed Sacerdotem sui Ordinis; supposita tamen copia Sacerdotis sui Ordinis, & exclusis casibus necessitatis, prout infrà dico de fratribus itinerantibus, prout ex multis ostendit *Bordon. cit. loc. num. 31. ver. quod debeat eligere*, & maximè si id eis sit à Const. prohibitum. *sum. cap. 18. num. 81. Lez. 1. p.* tum quia non est major ratio, cur Superiores, in vim privilegii, possint eligere extraneum in dict. casibus, & non possint hoc facere subditi itinerantes? cum in utroque privilegio, par sit dispositio Sacerdotis eligendi: imò amplior pro itinerantibus, ergo sicut dicti non possunt, quando habent copiam Sacerdotis sui Ordinis, ut dicitur in privilegio nobis concesso ab Innoc. VII. incip. *Pervenit*, cujus propria verba habes infrà *quæst.* 19. ità & isti, de quibus agitur; tum etiam, quia intentio Papæ est, ut omnes, etiam Generalis ipse, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, subjecti sint Sacerdotibus intra Religionem, nullo obstante privilegio, ut constat ex Constit. Clement. VIII. & Urb. VIII. quorum propria verba habes hic supra *quæst.* 12.

9. Tum item, quia ita inolevit praxis omnium Religionum, ut unusquisque scil. Religiosus confiteatur Sacerdotibus, idoneis tamen: tum denique, quia Prælati tenentur dare bonum exemplum suis subditis: quod enim agitur à Prælatis, facilè trahitur à subditis in exemplum, ut expresè dicitur in *cap. Magno, 7. de voto*, ergo, ne subditi, exemplo Prælatorum, in ruinam Regularis disciplinæ, solicitentur extraneis confiteri, dicendum est, prædictos Prælatos, vi dicti privilegii, non posse, nec debere, extraneis confiteri: salvis tamen casibus necessitatis, ut dictum est supra, aliàs periret Regularis disciplina, & confunderetur Monachorum Ordo.

10. Neque his nocet *P. Diana 3. p. tract. 2. de dub. Regul. resol. 1. & 2.* ubi, longa manu, tenens oppositum, pro se citat *Villalob. & Mirand. tom. 2. Manual. quæst. 19. art. 5. & quæst. 53. ar. 6.* quia hi Doctores, nec implicitè, nec explicitè dicunt Prælatos posse, vi *d. cap. ne pro dilatione*, eligere extraneum, quando habent copiam Sacerdotis sui Ordinis, ut constat ex lectura eorumdem, tum etiam, quia confundit privilegium peregrinationis, cum dicto privilegio Juris communis, supra extensi, & positi ad instantiam Prælatorum, tum etiam, quia *dict. cap. ne pro dilatione*, nullum verbum facit, de eligendo extraneo, sed potius de eligendo Confessorem sui Ordinis, quod potest colligi ex illis verbis, *ut etiam præter sui Superioris licentiam:* licentia enim Superioris, refertur ad subditos, non autem ad extraneos, ex quibus item excluditur *Faustus tom. 3. lib. 9. quæst.* 91.

11. Sed dices, Cur Gregorius Papa, ubi supra, concessit dict. privilegium Prælatis, & non Religiosis subditis?

12. Respondet *D. Thom. in 4. sent. distin. 17.* quia Prælatis incumbit dispensare Sacramenta; Ideò mundi esse debent, quam rationem *Armilla cit. loc.* lætanter amplectitur.

Quæst. 16. An dicti Priores, eligentes sibi Confessarios, possint ab eisdem absolvi à reservatis suis Provincialibus?

1. Negativè *Emmanuel. Rod. tom. 1. quæst. 21. art. 8. cum suo compend. resol. 32. de Confess. num. 22. Longus Capucc. 1. p. de casib. reservatis, sect. 1. art. 21. Peyr. multis citatis, tom. 2. de Prælat. quæst. 1. cap. 4. §. 4. num. 81. ver. sed dubitabis in fin. & Lez. ver. Confessarius Regul. num. 11.* & quidem meritò, quia hoc non potest colligi ex *d. cap. final. de pœnit. & remiss.* nec ex alio nobis facto ad eligendum Confessarium; sed potius oppositum; cum in generali concessione illa non veniant, quæ non esset quis in specie verisimiliter concessurus, ut dicitur in *Juris Regula* 88. & habetur expresè in *cap. si Episcopus 12. de pœnit. & remiss. in 6.* ubi habentur hæc propria verba.

2. *Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessorem, ille, quem is elegerit, in casibus, qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam habet pœnitus potestatem*, hæc ibi, ubi *glossa, & in citata Juris Regula*, multa dicit.

3. Verum si ipsi Prælati, qui hujusmodi Confessores eligunt, habent facultatem absolvendi suos subditos à casibus reservatis Provincialibus, possunt utique etiam ab eisdem reservatis absolvi, nam Confessores, ut supra electi, possunt absolvere ab omnibus à quibus hi Prælati eligentes, possunt suos subditos absolvere, ut constat ex Mari magno Jul. II. Minimis concesso; incip. *Virtute conspicuos*, §. 29. ibi, *fratres etiam vestri dicti Ordinis, quos ipsi hujusmodi Superiores habuerint pro tempore in Confessores absolvendi ipsos Superiores, ab excessibus, & censu-*

censuris, nisi talia forent, &c. & docet *Peyr.* multis allegatis ubi supra.

4. Quod dictum intellige verum; quando facultas data Prioribus ad absolvendum suos subditos, non est restricta, & limitata ad subditos tantùm, nam in tali casu, Prior, cum non sit subditus, non potest passivè tali authoritate uti; secus autem si facultas data ad absolvendum, vel dispensandum, est libera, *Longus Capuc. cit. loc. n. 1. in fin.* & ita intelligendum est illud dictum famosum, quod scilicet *Prælati totum illud possunt, erga se, quod possunt erga subditos*; cum ipsi non sint inferioris conditionis, quam subditi; secus benè fuisset provisum subditis, & malè Superioribus, quod non est dicendum; *Syl. ver. Confessor. 1. num. 9.* & constat ex prædicto Mari magno Jul. II. §. 9.

5. Amplia prædictam resolutionem procedere, etiam si dicti Confessarii eligantur, virtute Bullæ Cruciatæ; nam prædicta Bulla, quoad istum articulum, non habet locum, ut dictum est supra.

6. An autem procedat tempore Jubilæi? Respondeo, quod diligenter inspiciendum est Papæ diploma, nam si ibidem hoc Papa expresse concedat, prout regulariter facere solet, non est de re dubitandum, nam S. Papa omnia potest, ut sæpè dico.

Quæst. 17. Confessarius electus à Priore, majori excommunicatione ligato, an possit eidem beneficium absolutionis conferre?

1. ET dico, quod sic, quia Confessarius hujusmodi sumit authoritatem, non ab eligente, sed à Canone committente; quandoquidem, ut pluries dico, Priores in suis Conventibus, & in eorum absentia Suppriores, & eorum Vicarii, omnes Fratres nostri Ordinis, ad eorum Conventus declinantes, ab omnibus peccatis & censuris, tam à jure, quàm ab homine, generaliter prolatis, & Sedi Apostolicæ specialiter non reservatis, possunt absolvere, ac etiam eis Sacramentum Eucharistiæ & Unctionis administrare, ut constat ex Mari magno Clement. IV. nobis indulto, & habetur expresè in Prologo nostrarum Constit. *fol. 4. col. 3. ver. item declaramus*; sed totum id, quod hi Priores possunt in suos subditos, valent, & hi, erga illos, si in ipsorum Confessores eligantur, ut dictum est immediatè suprà, ergo si superior aliquis percusserit suum subditum, potest ipse percutiens absolvi ab alio subdito suo, electo ab ipso in Confessorem, *Rod. tom. 1. quæst. 26. art. 12. in fin. ver. adverte.*

2. Amplia, ut, ob causam necessitatis extremæ, si subditus, & Prælatus, ad invicem se percusserint, & in Conventu non sit aliquis, qui eos possit absolvere; possunt ad invicem se absolvere, prout docent quamplures Doctores, quos allegant & sequuntur *Rodor. cit. loc. Passerell. in Privil. notab. 35. in fine, & Peyr. tom. 1. de subdit. quæst. 1. cap. 4. §. 4. num. 82. ver. dubitabis*, quia licet excommunicatus, per Capitulum *audivimus*, 24. *quæst.* 1. non possit alium excommunicatum à majori excommunicatione absolvere, in casu tamen necessitatis potest; nam necessitas legem non habet, ut dicitur *in cap. Discipulos 26. de Consecrat. dist. 5.* ubi *Glossa in ver. fama*, ait, quod necessitas famis excusat à furto; & magis expresè legitur *in cap. quod non est licitum 4. de Reg. Juris*, ad quæ vide, quæ dico in *tr. variar. quæst. 84. & seq.*

* * *
* *

Quæst. 18. Regulares hospites, & Peregrini, cuinam tenentur de Iure confiteri?

1. REspondeo, quòd hi de Jure communi, debent confiteri ei, qui in loco, in quo reperiuntur, habet jurisdictionem ordinariam vel delegatam, ad absolvendum omnes existentes in illo loco; nam Peregrinus eò ipso, quod accedit aliquò, per accessum incipit obligari legi territorii perpetuò, si accedat cum animo ibi permanendi perpetuò, transeunter, vel ad breve tempus, si cum tali voluntate fiat accessus, & sic obligatio, seu subjectio territorii, erit transiens, vel permanens, eo modo, quo fuerit Peregrinorum mora, prout dixi, *tom. 1. p. 1. tr. 1. de leg. qu. 5. nu. 14. in fin.* sed fideles, de Jure communi Canonico, tenentur confiteri proprio loci Parocho, vel alii de licentia illius, ut probat *Textus cap. omnis, de pænit. & remiss.* ergò.

2. Dixi *de Jure communi*, quia Religiosi, etiam quoad hoc, multa habent Privilegia, & specialia statuta, juxta quæ regi debent, & gubernari, de quibus infrà immediatè dico.

3. Verumtamen, ut pressius loquar, sub distinctione resolvo quæsitum, aut Religiosus Peregrinus fert secum Socium ejusdem Ordinis Idoneum ad Confessiones audiendas, & sic tenetur suo Socio confiteri, & non alteri, quia hæc censetur esse voluntas mittentis, saltem interpretativè, hoc enim dictat recta ratio, & communis consuetudo Religiosorum.

4. Aut Religiosus Peregrinus reperitur in aliquo Conventu sui Ordinis, & tunc, regulariter loquendo, tenetur confiteri Prælato illius Monasterii, vel alteri ab illo licentiam habenti; quia eò ipso, quod ingreditur dict. Conventum, intelligitur ibidem contraxisse domicilium, saltem ad breve tempus, & consequenter efficitur de jurisdictione Prioris illius Conventus, cui tanquam loci ordinario, in omnibus tenetur subesse, uti unus de familia, pro eo tempore, quo ibi moratur, quod totum in mea Religione est omninò indubitatum, ut clarè legitur *in distin. 2. cap. 13. de Itinerantibus, tex. 4. fol. 168. lit. G.* & docent *Suar. tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. cap. 17. Lez. 1. p. sum. cap. 18. num. 27. in fin. & Novar. in Luc. Regul. ver. hospites num. 3.* ubi subjungit, quod si Religiosus hospes habeat à suo proprio Prælato facultatem confitendi cui voluerit, poterit id agere in Conventu alterius Ordinis, non autem sui, & merito, quia facultas data ad eligendum Confessarium, censetur facta juxta propria statuta & privilegia, nempè in casibus necessitatis, & quando deest copia Confessarii proprii Ordinis, ad quorum majorem claritatem iterum quæro.

Quæst. 19. Religiosi itinerantes, an possint quibuscunque Confessariis Religiosis, aut Sæcularibus, confiteri?

1. REspondeo affirmativè, de licentia tamen suorum superiorum, & dummodo desit eis Confessarius sui Ordinis; secus invalidè confitentur, exceptis tamen casibus necessitatis, ut constat ex Constit. Innoc. VII. incip. *pervenit*, & liquet ibi, *nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, fratribus hujusmodi, quos pro tempore, ut fertur itinerare, & per eorum superiores mitti, contigerit, ut si aliquem Presbyterum idoneum ex professoribus dict. Ordinis habere non possint, quemlibet alium idoneum, & discretum Religiosum, vel sæcularem in eorum Confessores eligere valeant*, hæc ibi, & habetur per extensum apud *Confectium, fol. mihi 26. & Festum 2. p. sum. nostrarum Const. cap. 26. sub tit. de Confess.*

2. Idipsum fuit item nobis in specie concessum, per Sixtum IV. quod pariter habetur apud *d. Confectium*

fol.

fol. mihi 65. & in monumentis Ordinum, & refertur in comp. Privil. fratrum Minorum, ver. *absolutio ordinaria ad fratres* §. 35. & liquet ibi, *quod possit concedere fratribus suis, ut dum itineraverint, vel fuerint extra Conventus suos dumtaxat, valeant confiteri quibuscunque Sacerdotibus Regularibus, vel sæcularibus, & quod similiter possint facere ipsi Prælati*, hæc ibi.

3. Hoc idem Privilegium nobis, & Minoribus concessit Leo X. & refertur in eod. comp. Privil. Mendicant. ubi supra, ibi, *quod fratres Prædicatores, vel alii fratres, quando sunt extra Conventum, & non possunt habere copiam Sacerdotis, qui non habent proprium Confessorem, possunt confiteri peccata sua alteri Religioso alterius ordinis, vel Presbytero sæculari: dummodo hoc fiat sine fraude, & dicant Prælato suo*, hæc ibi, & alia hujus generis privilegia referunt, *Rod. tom. 1. q. 62. ar. 4. & 5. cum suo comp. resolut. 32. nu. 22. Miranda tom. 2. Manual. qu. 33. ar. 6. Laur. Peyr. tom. 1. de subdito, q. 1. cap. 21. ver. dico septimo, & Bordon. 1. p. var. resol. 34. n. 2.*

4. Dixi *de licentia tamen suorum superiorum*, quia, ut dictum est supra, de Jure unusquisque tenetur confiteri proprio Sacerdoti, vel alieno de licentia illius; ut clarè dicitur, *in cap. omnis de pœnit. & remiss. & cap. si Episc. eod. tit. in 6.*

Quæst. 20. *An hi fratres itinerantes, virtute dict. licentiæ, a suis Prælatis generaliter factæ, possint à se electis Confessariis absolvi à reservatis?*

1. ET dico quod non, salvis tamen particularibus statutis, & moveor, tum *ex cap. si Episc. 2. de pœnit. in 6.* ubi expressè dicitur, quod casus reservati, non veniunt in generali concessione, nisi in specie concedantur; tum item *ex cap. consulti sumus, is, de procurat.* tum etiam, ex *Juris Regula* 81. *in 6.* ubi dicitur, quod casus speciales, non veniunt in concessione generali, nisi exprimantur: tum denique quia rationabiliter præsumitur nullum Prælatum reperiri, qui suis subditis concedat authoritatem confitendi reservata extra Religionem, & præsertim Clericis sæcularibus; cum exindè Religio sæpe infametur, & Regularis disciplina contemnatur, *Sot. lib. 1. de Just. quæst. 7. art. 2. & Medina 1. 2. quest. 97. art. 7.*

2. Neque his potest obstare privilegium Innoc. VII. Dominicanis, ubi suprà concessum, quo hujusmodi itinerantes, in defectu confessoris sui Ordinis, possunt sibi eligere quemcumque alium idoneum Religiosum, vel sæcularem confessarium, à quo possunt absolvi à quocunque crimine; de quo non sit S. Sedes consulenda; quæ utique non est consulenda de casibus reservatis à Prælatis Regularibus, tum quia mens Papæ non fuit restringere authoritatem superiorum Regularium, ut sibi casus, respectu peregrinantium, reservare non possint; cùm hoc sit Jus antiquum; à quo non est recedendum sine expressa & speciali licentia Papæ; Jus enim tertii per generalem concessionem Papæ, nunquam intelligitur abrogatum, nisi in specie abrogetur, ut probat *textus cap. Pastoralis, de Priv.* ibi, *nisi forte in Indulgentia Summi Pontificis id contineatur expressum*, sed Innoc. VII. ubi supra, nec alius Papa successor, hoc expressit; immò totum contrarium declararunt, ut constat ex declarat. seu Constit. Clem. VIII. & Urban. VIII. quas habes hic supra *qu.* 15. *&* 16. & additur, quod sicut, dict. Innoc. VII. in dict. privil. prohibuit absolutionem à casibus reservatis S. Sedi, ita etiam illam censetur vetare à casibus reservatis in Religione; prout ex multis ostendunt *Megal. lib. 1. cap. 10. nu. 14. & Bordon. 1. p. var. resol. 34. q. 5. n. 25.*

3. Nec quidem his nocet privilegium Innoc. VIII. quo item nobis Dominicanis concessit, ut extra Monasterium Ordinis existentes, de licentia superiorum possint confiteri cuivis Regulari, vel sæculari Sacerdoti, & à quocunque casu reservato absolvi, sicut à Confessariis Ordinis, & refertur in *comp. Cistercienfium, ver. Confessor.* §. 15.

4. Quia Confessarii Ordinis, non possunt absolvere à reservatis, nisi juxta modum à superiore præscriptum; ergò neque alii extra Monasterium, ab his, de quibus agitur, electi. *Rod. to. 1. quæst. 20. art. 27. cum suo comp. resolut. 31. num. 22. & Miranda tom. 2. Manual. quæst. 33. artic. 6.*

5. Dixi *salvis tamen particularibus statutis*, quia de hac re non potest assignari certa regula; sed observanda sunt propria statuta, à S. Papa approbata, & confirmata: statuta autem Religiosorum sunt diversa, prout sunt diversæ Religiones; nam quædam prohibent casus reservatos, extra ordinem committi, *Ant. Cord. in cap. 7. Regul. S. Franc. quæst. 3. & Rod. tom. 1. quæst. 62. art. 5.* quædam verò admittunt, in casu posito, Religiosos posse absolvi cum conditione tamen se præsentandi propriis Prælatis, quædam item patiuntur suos Religiosos in hoc posse confiteri, instar sæcularium, qui itinerando, etiamsi habeant casus reservatos, possunt absolvi à confessariis illius loci, ad quem accedunt, secundùm probabiliorem opinionem, dummodo in illo loco, in quo confitentur, non reperiantur reservati, etenim peregrini absolvendi sunt secundùm legem loci, in quo morantur, *Card. Cajet. ver. absolutio, Navar. in sum. cap. 27. num. 275. Molfes. tr. 7. cap. 21. num. 53. & Bonac. multis citatis, de pœnit. disput. 5. quæst. 7. pu. 5. §. 2.*

6. Et quamvis propria statuta, non permittant casus reservatos, extra Religionem committi; adhuc tamen advertant Prælati, quod moraliter loquendo, non potest negari, quin necessarium sit, ut etiam in hac parte his Religiosis consulatur, nam si fratres hi peregrini sint Sacerdotes, quotidie ferè Confessore indigent, cum frequenter debeant celebrare, aut coguntur per plures dies abstinere, quod non poterit eis non esse molestum, aut nocivum, maximè si ex celebratione Missarum vivant, aut exinde ad minus scandalum nascatur.

7. Si autem fratres Sacerdotes non sint, etiam expedit, ut sæpius communicent; quandoquidem repugnat Religiosæ prudentiæ eos cogere, ut abstineant à communione, usque dum non fuerint in Monasterio; quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur & Animæ suæ detrimentum patiatur? quamobrem non sint duri, nec difficiles Prælati, in tali licentia concedenda; aliàs ipsi videant, an fabricent sibi gehennam? *Longus Capucc. 1. p. de casib. reserv. sect. 3. art. 5. in fin. & Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. cap. 19.*

Quæst. 21. *An dict. licentia debeat esse expressa, vel sufficiat, si sit tacita, præsumpta interpretativa, & virtualis?*

1. SUnt qui dicunt, quod debet esse expressa, & se fundant in *d. c. omnis utriusque sexus, de pœnit.* ibi, *prius licentiam postulet, & obtineat*, quod verbum non potest referri ad licentiam tacitam, seu præsumptam.

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent *S. Anton. 3. p. sum. tit. 24. cap. final.* §. 1. *Sylv. ver. Confessor. 1. quæst. 6. dict.* 8. §. *si Sacerdos non proprius in fin. Sanch. lib. 4. sum. cap. 39. n. 35. Miranda to. 2. q. 33. ar. 6. & Graff. de casibus lib. 2. cap. 34.* tùm quia concedens facultatem peregrinandi, censetur omnia concedere, sine quibus peregrinatio commodè fieri non potest, *argum. cap. præterea 5. cap. prudentiam 21.* §. *sexta, de off. delegat.* sed non potest Religiosus extra manere, seu itinerare commodè, & ut Re-

t Religiosum decet, qui Sacramenta frequentare de-et, sine electione Confessarii; ergo præsumendum est, ujusmodi facultatem illi concedi, & fieri in licentia ma-iendi, vel peregrinandi extra septa; tum etiam, quia Re-giosus non est deterioris conditionis, quam sit sæcula-is, ut patet ad sensum: sed sæcularis itinerans, de licentia roprii Sacerdotis præsumitur hanc facultatem habere i licentia peregrinandi, ut multis probat *Sylv. ver. Con-essor.* 1. *num.* 10. *qu.* 11. *paulo post princip.* ibi, *quia dando li-entiam peregrinandi, vel hujusmodi, dat licentiam, provi-endi Animæ suæ, omni modo meliori, quo potest: alioquin rret mentis iniquæ*; & *Navar. tom.* 3. *distin.* 6. *de pœnit. nu.* 2. §. *infertur*, ergo idem quod prius, tum item, quia di-ta privilegia nobis concessa, nihil dicunt de licentia ex-ressa; sed tantùm petunt licentiam, quæ sive sit tacita, ivè expressa, licentia est, & ubi lex non distinguit, nec ios distinguere debemus.

Quæst. 22. *Fratres itinerantes, habentes tamen licentiam à suis Prælatis eligendi Confessarium quemcumque voluerint, an vi dictæ licentiæ valeant eligere simplicem Sacerdotem à nullo approbatum?*

1. SApientissimus *Navarr. in sum. cap.* 4. *nu.* 6. §. *porrò in fin. cap. placuit, de pœnit. distin.* 6. *nu.* 28. *Sot. in* 4. *sent. distin.* 18. *qu.* 4. *ar.* 2. *Sorbus Capucc. in suis addit. & annot. in compend. privil. ver. absolutio ordinaria; quoad fratres, & Bordon.* 1. *p. variar. resolut.* 34. *nu.* 1. *& seq.* dicunt, quod sic: dummodo tamen in contrarium non adsit aliquod statutum, vel ordinatio Religionis; & moventur ex multis ibidem expressis. Verumtamen præsuppositis in contrarium Regulæ statutis, negant communiter Doctores, quibus adhærent *Miranda tom.* 2. *Manual. q.* 33. *ar.* 6. *conclus.* 1. *prope finem Portell. in dub. ver. Confessor erga fratres, n.* 14. §. *Regularis extra Conventum, Peyr. tom.* 1. *de subd. q.* 1. *cap.* 21. *vers. dico* 6. *Longus Capacc.* 1. *p. sect.* 1. *ar.* 25. *nu.* 2. §. *sed revera*, & magis amplè infra *sect.* 3. *art.* 15. *& Pellizz. tom.* 2. *Manual. tract.* 8. *cap.* 2. *sect.* 1. *q.* 8. *n.* 10. *& q.* 9. *nu.* 11. ducunturque ex multis. Primò quia in omnibus prædictis privilegiis eligendi Confessorem, habetur, ut Confessarius eligendus sit idoneus, & discretus; nunquam verò dicetur idoneus, secundùm Religiosorum statuta, nisi sit à suo legitimo Superiore approbatus; nam cum Religiosus, per votum obedientiæ, non habeat velle, & nolle, & factus sit alterius juris, ut dicitur in *cap. si Religiosus* 27. *de elect. in* 6. benè sequitur, quod quamvis sit Sacerdos discretus & prudens, adhuc tamen, sine sui Prælati licentia, non potest, neque Regularium sui Ordinis, nec alterius, neque sæcularium confessiones excipere, excepto mortis articulo, in quo habet potestatem, saltem tacitam à S. Papa, ut dictum est supra, & docent *S. Anton.* 3. *p. tit.* 17. *cap.* 7. *Trid. sess.* 14. *cap.* 7. *de casuum reserv. in fin. & Festus in sum. Conf.* 2. *p. cap.* 62. *de Confessariis fratrum*; quod adeò verum est, ut neque à venialibus, neque mortalibus, aliàs ritè confessis licitè, hoc est, sine peccato, possit absolvere, sine sui Prælati licentia, *Sylv. ver. Confessor.* 1. *q.* 5. *n.* 5. *Sot. in* 4. *sentent. & Peyr. cit. loc.*

2. Secundò, quia dict. statutum, quo Regulares prohibentur, sine licentia sui Prælati, etiam Religiosorum sui Ordinis confessiones sacramentales audire, reperitur in omni Religione bene ordinata, in Ordine enim Minorum, nullus censetur Confessor idoneus, quin prius fuerit approbatus à suis Superioribus, *Rod. tom.* 1. *q.* 21. *ar.* 3. *& Portell. cit. loc. nu.* 11. quod in meo Ordine est indubitatum, ut constat, *distin.* 2. *cap.* 12. *de Prædicat. fol.* 161. *col.* 2. *in fin.* ubi authoritate Apostolica statutum est, cum robore perpetuæ Constitutionis, ut nullus admittatur ad audientiam confessionum, tam Fratrum, quàm Sæcularium, nisi per quinque examinatores fuerit approbatus; & *distin.* 1. *de Novit. cap.* 14. *lit. C. fol.* 49. *col.* 3. dicitur, quod Prior nostri Ordinis, potest etiam ex legitima causa, Fratribus licentiam dare, ut confiteantur, etiam Sacerdoti Sæculari, vel Regulari, aliàs legitimè exposito alterius Ordinis, quando copiam Confessoris Ordinis nostri habere non posset, de qua re latè *Festus in sum.* 2. *p. cap.* 63. *de Confess. Fratrum fol.* 188.

3. Tertiò, quia mens Summorum Pontificum concedentium prædicta privilegia eligendi Confessarium, in casu posito, nunquam fuit eximere quoad istum articulum, Religiosos subditos à subordinatione, & obedientia suorum Prælatorum, ut ipsimet se declararunt ubi supra *quæst.* 12. ergo sicut per dicta privilegia, nunquam subditis fuit integrum, independenter à suis Prælatis, eligere sibi Confessarium; ita à pari, & Confessor electus in vim dict. privil. non poterit independenter à suo Prælato, se eligentis, confessiones excipere; cum utrobique eadem sit ratio, nempè voti obedientiæ, & ne proprio Prælato fiat injuria.

Quæst. 23. *Si hi prædicti, absque licentia sui Prælati, confiteantur Regulari approbato ab Episcopo loci tantùm: suntne ipsorum confessiones validæ?*

1. AFfirmant *Peyr. cit. loc. vers. dico secundo*, cum præcitatis *ubi supra*, quia in hoc casu reperitur totum illud, quod requiritur ad validè absolvendum: nempè potestas Ordinis, quia Confessarius, ut supponitur, Sacerdos est; & potestas jurisdictionis, quia institutus est ad excipiendum confessiones omnium ad se venientium, ergo.

2. Non potest tamen negari, *subjungit ipse*, quin sic confitentes peccent, & sint graviter puniendi; tum quia agunt contra voluntatem sui Superioris, qui regulariter vult, suos subditos confiteri suo legitimo Confessori, nempè Regulari; excepto casu necessitatis; tum etiam, quia faciunt contra statutum sui Ordinis, quod hic supponitur adesse, vel saltem contra consuetudinem suæ Religionis, an autem hoc peccatum sit mortale, aut veniale? judicandum est ex propriis statutis, an scilicet obligent ad solam pœnam, vel ad culpam, & pœnam simul: vel ex aliis circumstantiis, loci scil. temporis, & personæ.

3. Verumtamen, his prætermissis, in mea Religione, prædicta absolutio facta à Sacerdotibus, non habentibus licentiam sui Prælati ad audiendam Confessiones Sacramentales sui Pœnitentis, est nulla, ob defectum authoritatis eligendi Confessarium, extra casum necessitatis, sine licentia sui Prælati, ut constat ex privilegio Julii III. nobis indulto, quod per extensum habetur in nostro Bullario *Usumaris, fol.* 212. & refertur à *Miranda, tom.* 1. *Manual. quæst.* 45. *ar.* 12. *& Rod. tom.* 1. *quæst.* 60. *ar.* 1. ad quod facit declaratio Clem. VIII. & Urban. VIII. quorum propria verba habes hic suprà *qu.* 12. quod æstimo procedere in omnibus aliis Religionibus, tum ob communicationem privil. tum quia dict. declaratio Clem. VIII. & Urban. VIII. extenditur indifferenter ad omnes, ut patet ex litera.

4. Confirmatur, quia antedictus Confessarius, in casu posito, à nemine habet facultatem absolvendi Regularem exemptum; nam non à Canone committente, non ab eligente, ergo sine authoritate absolvit, sicut sine authoritate eligitur, & sic irritus est actus.

5. Amplia, ut idem procedat, si Regularis sit prohibitus ex suo statuto confessiones audire, sine licentia sui Prælati; & nihilominus Pœnitens sciens talem prohibitionem, illum Religiosum adit; & sic eum inducit ad peccatum mortale, & consequenter, cum ponat obicem

gratiæ

gratiæ Sacramenti Pœnitentiæ, erit ejus absolutio nulla, ut dictum est supra, & multis firmat *Peyr. tom.1. de subdito, quæst.1. cap.21. §. secundus casus est, fol. mihi 71. col. 2.*

Quæst. 24. Si duo Sacerdotes Regulares, quorum neuter est Confessarius fratrum, nec ab Episcopo approbatus, sint insimul itinerantes, & adinvicem confiteantur; suntnè ipsorum confessiones validæ?

1. NEgativè *Rod. tom.1. qu.62. ar.4. in fine, Suar. tom. de pœnit. disp.28. sect.4. nu.5. noster Crucius in epit. privil. lib.1. cap.6. § nota idoneum, & Vega Minimus in sum.1. p. ver. Confessor,* & moventur, quia Regulares, nec quidem itinerantes, excepto casu necessitatis, possunt fratribus sui Ordinis confiteri, sine licentia sui Prælati, ex quo non sunt sui, sed alterius juris, ad quod facit *cap. omnis de pœnit. & remiss.* necnon, & privilegia alia multa superius allegata, per quæ prohibentur Regulares alteri confiteri, & alterius confessiones excipere sine licentia proprii Prælati, ergo ad casum positum necessitate excepta, non sufficit licentia Prælati mittentis dict. fratres ad peregrinandum, sed etiam requiritur licentia Prælati Confessarii ad confessiones audiendum.

2. Oppositum tamen, quod æstimo verius, si propriis statutis non repugnet, tenent idem *Vega, cit. loc. casu 3.* ubi implicitè corrigit, quod prius dixerat in casu secundo *Graf. tom.2. consil. lib.5. de pœnit. & remiss. consil.2. diff. 2. nu.1. & seq. Peyr. tom.1. de subd. qu.1. cap.21. ver. dico 8. & Bordon. 1. p. var. resol.34. qu.1. nu.4.* ubi dicit, hoc suum dictum procedere, etiam si dict. itinerantes possint eligere extraneum approbatum, & moventur ex multis. Primò, quia Prælatus dans licentiam, seu transmittens prædictos suos Sacerdotes simplices ad peragendum aliquod negotium, extra septa, censetur illis omnia dare, quæ ad tale iter necessaria sunt, & præcipuè quoad Sacramentum pœnitentiæ, ut dicitur *in cap. præterea, de off. & potest. ut Jud. delegat.* ibi, *quia ex eo, quod causa sibi committitur. super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam accipit potestatem,* hæc ibi, ubi *Glossa in ver. ex eo,* ait, *quod concesso principali, conceditur accessorium, & Navar. cons.12. de elect. n.3.* ait, *quod illi, cui conceditur aliquid, concessum videtur id, quod sine illo fieri nequit: immò, & quod fieri potest sine illo, sed non ita commodè,* ad quod probandum jura allegat.

3. Secundò, quia eo ipso, quod dict. Sacerdos Socius itineris, assumitur ab alio socio, ad excipiendum ejus Confessionem, intelligitur in ejus Confessorem electus, virtute prædictorum privil. etenim hi Confessores, tunc censentur institui, & habilitari ad excipiendum hujusmodi peregrinorum Confessiones, cum ab eisdem eliguntur in eorum Confessores, aliàs si dict. Sacerdotes tenerentur eligere extraneum, nimis fatigarentur circa Sacramentum pœnitentiæ.

4. Benè verum est, quod hujusmodi itinerantes, esto, quod eis Regula non resistat, non possunt se invicem absolvere à casibus reservatis, nam, ut dictum est supra, in generali concessione non veniunt casus speciales: nisi fortè id facerent per ratihabitionem de præsenti, quam sufficere ad validè, & licitè absolvendum, ait *Syl. ver. Confessor, 1. q.6. dict.8.*

5. Ratihabitio verò de præsenti, hæc est, scio quod meus Prælatus est contentus, ut ego nunc absolvam hunc mihi subjectum à reservatis, & hoc, vel per amicitiam, & familiaritatem, quæ est inter nos, vel per ea, quæ ex ipsius mente aliàs cognovi: Ratihabitio verò de futuro, hæc est, scio, quod meus Prælatus erit contentus de hac absolutione, & hæc non erit sufficiens ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, cum enim hoc Sacramentum, tunc conferat effectum suum, quando applicatur absolutio, quæ quoad sui validitatem, non potest pendere à futura ratihabitione, cum ratihabitio de futuro nequeat confirmare hoc Sacramentum, si sit nullum, ob deficientiam Jurisdictionis: ergo ad hoc, ut inferat effectum suum validum, tunc, cum applicatur; debent concurrere omnia, quæ sunt de essentia hujus Sacramenti, quorum unum extat jurisdictio Sacerdotis, quæ per ratihabitionem de præsenti, censetur adesse; cum aliàs hujusmodi ratihabitio censeatur & dicatur consensus interpretativus, qui utique sufficit ad validè absolvendum, ut dictum est supra, & docent *Sot. in 4. sent. dist. in. 18. q. ar.3. Emmanuel Sà in suis Aphorismis ut. absolutio, Lopez de casib. reser. 1. p. sect.2. ar.10. & Peyr. in loc. §. nisi fortè.*

6. Nec his nocet *Portell. in dub. ver. Confessor erga fratres num.14.* ubi ait, hanc secundam opinionem in sua Religione non practicari; tum quia in ea frequenter sunt egressus similium fratrum Sacerdotum simplicium, tum etiam, quia Guardianus apud Minores non potest facere cum sua licentia Confessores fratrum, sed id facit solus Provincialis, ut liquet ex eorum institutis: quia nos loquimur regulariter, & præcisis statutis, quæ huic nostræ resolutioni possint officere.

Quæst. 25. An regularis Peregrinans, cum suo Confessario, possit eidem confiteri in Monasterio Ordinis, per quæ transit, esto, quod ibi diutius commoretur?

1. SOtus *in 4. sent. dist.18. qu.4. art.3.* ubi quærit, utrum licitum sit alteri, quam proprio Sacerdoti, ex [illegible] vel mandato superioris, confiteri? *§. aliud vero dub.* dicit, quod sic, etiam sine licentia superioris loci, quia jurisdictio, quæ absque strepitu judicii exercetur, potest exerceri, etiam extra Diœcesim, *cap. ult. de offic. deleg.* Confessarius autem audiens, & absolvens pœnitentem sibi alias commissum, exercet jurisdictionem, sine strepitu & figura Judicii; ergo.

2. Quod dictum ego intelligo verum, dummodo Peregrinantes redituri sint ad Monasterium, à quo discesserunt, secus autem, tum quia Religiosus peregrinans nunquam dicitur vagari extra suam Diœcesim suæ Religionis, cum Religio non claudatur certis terminis localibus alicujus certæ Diœcesis, ut patet ad sensum, & consequenter semper pertinet ad actualem jurisdictionem Prælati primi Monasterii; tum etiam, quia dum redituri sunt ad Monasterium, à quo discesserunt, censentur subditi Prioris Prælati, *Suar. tom.4. de Relig. tr. [illegible] cap.17. n.2.* & patet de Parocho absolvente suos Parochianos in aliena terra.

3. Dixi *secus, si non essent amplius redituri ad d. Monasterium,* quia sic desinerent esse Peregrini. & censentur domicilium mutasse.

4. Non desinam tamen dicere, quod hujusmodi Peregrinus, in casu posito potest & Confessario sibi designato à suo Prælato confiteri, nec non, & alteri Sacerdoti, de licentia illius superioris, qui præest Domui, ubi reperitur; tum jure hospitii seu Domicilii contra[illegible], licet ad breve tempus; tum etiam, quia in tali casu censetur subesse duobus Prælatis, seu habere duo domicilia, non privativè, at cumulativè. *Navar. in cap. placuit, de pœnit. distin.6. n.77.* & alii plures, quos sequitur *Suar. disp.[illegible] de pœnit. sect.2. nu.5. & Henriquez lib.6. cap.7. n.3.* quod totum intellige procedere de Jure communi; secus, si aliàs disponerent propria statuta approbata à S. Sede.

Quæst. 26.

Quæst. 26. An Regulares, ad lucrandum Iubilæum, teneantur eligere Confessorem ab Episcopo loci approbatum?

1. ET dico, quod non, sed sufficit, quod, cæteris concurrentibus, eligant confessorem sui Ordinis, à suo tamen superiore legitime admissum: nec his nocent illa verba, quæ in Bulla Jubilæi exprimuntur nempè, *ut possit eligere Confessarium approbatum ab Ordinario*, tum quia, sicut nomine Ordinarii, respectu sæcularium, venit Episcopus loci; ita respectu Religiosorum, venit Prælatus Regularis, ut constat ex Decisis hic supra q. 2. tum etiam, quia prædicta verba non apponuntur privativè quoad Prælatos Regulares: hoc enim foret privare Religiosos Jure suo confitendi, scilicet Confessori legitimo sui Ordinis: sed apponuntur potius cumulativè, in favorem ipsius Religiosi pœnitentis, hoc est, si noluerit confiteri Sacerdoti approbato à suo Prælato, ut tenebatur antea, modò possit confiteri approbato ab Episcopo; aliàs sequeretur multos Religiosos privari fructu Jubilæi, cum multa extent Monasteria, in quibus nullus Confessarius ab Episcopo loci approbatus, reperitur; ut saltem sequeretur Religiosum cogi è claustro exire, ad reperiendum sibi Confessorem ab Episcopo approbatum, quod non videtur dicendum secundum piam mentem S. Papæ, qui vult omnes Oves sui Jubilæi fructus lucrari, & gratiarum participes fieri, absque ulla gravi molestia, ut benè advertit *Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. num. 25. in fin. ver. mihi vero.*

2. Ad quod facit declaratio Greg. XIII. qui declaravit, tempore Jubilæi, posse Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab ordinario ad audiendas confessiones, ibi, *in Bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audiunt Confessiones, non autem de ordinario pœnitentium*, hæc ille, inter quæ verba, expende quæso, ly *posse*, non enim dixit teneri, quia fortè Regulares, Jubilæi tempore, possunt, ut libet, sua peccata confiteri Confessori approbato à suo Prælato Regulari, aut Confessario approbato ab Episcopo loci Ordinario, quod eis vigore Jubilæi censetur indultum, ad favorem animarum, *Bordon. tom. 1. var. resolut. 34. quæst. 18. num. 45.*

3. Verum adverte, quod quamvis hi Religiosi possint Jubilæi tempore, confiteri Confessario approbato ab Episcopo loci Ordinario, adhuc tamen tenentur petere licentiam à suis Prælatis, prout idem Greg. XIII. ad instantiam Societatis Jesu, sub his præcisis verbis, declaravit, *non fuisse, nec unquam esse Mentis suæ, aut Sedis Apostolicæ, ut personæ Societatis Jesu absque Superiorum licentia, mantur facultatibus, quæ in Jubilæis, & Bullis Cruciatæ, ac aliis indultis Apostolicis, communitatibus, aut personis, seu locis pias concessa sunt aut in posterum concedentur, non obstante, quod in ipsis exprese indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, hujusmodi facultatibus uti possint*, hæc ille, quæ per extensum refert *Rodr. tom. 1. q. 62. ar. 4.* & noster *Festus in sum. Const. 2. p. c. 62. de Confess. Fratrum.*

4. Ad quod item facit constitutio Clem. VIII. edita pro Carmel. die 3. Novembris 1599. & ad omnes Regulares extensa per Urb. VIII. quam habes hic supra q. 12.

5. Ex quibus clarè apparet, quod Regulares, nec quidem tempore Jubilæi, possunt extraneo Confessori confiteri nisi de licentia suorum Prælatorum, secus Jubilæum non lucrantur, quod dictum immeritò negarunt *Suar. de pœnit. disp. 26. sect. 6. nu. 11. Bordon. cit. loc. & Pellitz. tom. 2. Manual. tr. 8. cap. 2. sect. 1. q. 3.* prout ex multis ostendit *D. Barb. in collect. Doctor. ad cap. 15. Conc. Trid. sess. 23. de ref. num. 12. & Hier. Rodr. in suo comp. resolut. 31. nu. 26.*

Quæst. 27. An Novitii itinerantes, possint sibi eligere extraneum Confessarium?

1. ET quidem posse, certum est, dummodo sint in via, de licentia sui Prælati, & desit eis copia Confessorii proprii Ordinis tum quia in favorabilibus gaudent privilegiis professorum, ut ex multis dixi, *tom. 2. p. 4. tract. 6. q. 1. & 2.* tum etiam, quia Privilegia relata superius, indifferenter loquuntur de fratribus peregrinantibus, non distinguendo inter professos, & non professos, fratres autem, sive sint Novitii, sive professi, adhuc tamen nequeunt iter arripere, absque licentia proprii Superioris, ergo.

Quæst. 28. Sed quid dicendum, si in via, vel in Monasterio eligant, sine sui Prælati licentia, confitenturne validè?

1. AFfirmativè dic: dummodo eligat unum, de approbatis ab Episcopo loci, vel generali e à S. Papa, tum quia Novitii, secundum substantiam, & ex parte rei sunt sæculares. Unde possunt confiteri quando, & quibus tenentur alii laici; tum etiam, quia non sunt in Monasterio cum obligatione observandi Regulam, vel præcepta Prælatorum, nisi ex quadam decentia, & urbanitate, prout docent, *Armilla, ver. Novit. Syl. ver. Relig. 5. §. 6. D. Ricc. 4. p. prax. resol. 241.* & sequitur *Anton. Diana 1. p. tr. 6. de paup. Relig. resolut. 27.* & luculenter *3. p. tr. 2. de Dub. Regul. resol. 4. §. sed contrariam Sententiam.*

2. Nec dices, quod Novitii, toto tempore Novitiatus, sunt commissi jurisdictioni Religionis, quia hoc est verum, sed non cum exclusione ab alia præcedenti jurisdictione. Unde possunt abire, & retrò aspicere, *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. tr. 8. c. 19. n. 11. in fin.*

3. Nec replices dicendo, quod Novitius censetur mutasse Domicilium, territorium, præsertim quoad ea, quæ spectant ad Sacramentum pœnitentiæ, *Syl. ver. Domicilium, & Tiraquellus de utroque retractu 1. p. glos. 8. n. 23. & 25.* quia licet Novitius per susceptionem habitus, mutet aliquo modo Domicilium, non tamen omnino amittendo primum: nam per ingressum Religionis acquisivit Domicilium, sive quasi Domicilium in Religione, non tamen absolutè, & immutabiliter, adeo, ut non possit recedere, si velit, & in primum abire, nec repugnat habere duo Domicilia, & maximè unum domicilium, ut communiter docent Doctores in materia pœnitentiæ, ubi quærunt, habens duo Domicilia, unum in æstate, alterum verò hyeme, cuinam tenetur confiteri?

4. Nec dices, quod fieri non potest, ut quis simul habeat duos ordinarios Pastores, ad invicem minimè subordinatos in hoc foro, sub prætextu, quod hoc repugnet debito ordini, & confusionem inferat, quia, ut dictum est supra, non implicat, nec est inconveniens, neque impossibile, habere duo Domicilia simul: dummodo quis, utroque simul, in eodem tempore, non utatur, *Suar. loc. cit.* ergo assumptum est verum.

5. Neque his tandem nocent Decreta Clem. VIII. edita pro Novitiis, per extensum relata, *tom. 2. p. 4. tr. 2.* ubi *in §. quilibet Novit.* habentur hæc verba: *Ipsi autem Magistri soli Novitiorum, Confessiones audiendi cura committatur* tum quia prædicta verba multis modis explicantur, prout refert *Diana cit. loc. & egomet ubi suprà tr. 6. q. 2. n. 4.* tum etiam, quia illa dictio *soli*, non sumitur taxativè; sed signanter *argum. c. 1. 32. q. 3.* ubi glossa dictionem *solus*, explicat præcipuè, quod ad caput nostrum, est dicere, si aliqui Sacerdotes deputandi sunt in-

ni Confessores Novitiorum, debet præcipuè deputari ipsorum Magister, *Bordon.1.p.resolut.34.q.15.nu.38.*

6. Dixi *valide*, sed non licite, quia, ut dixi *in d.4.p.* in tenentur cavere omne scandalum, & custodire Decreta Papæ, & suorum Superiorum, cum sint in Novitiatu, ut probentur, alias debent habitu privari, & à Religione expelli.

Quæst. 29. An legatus de latere possit Regularibus exemptis facultatem dare, ut valeant sibi eligere Confessorem, etiam non approbatum a Prælato sui Ordinis?

1. Affirmative dic, in sua tamen Provincia, quia hujusmodi legatus in sua Provincia est judex Ordinarius, & proprius Episcopus Regularium, etiam exemptorum, ut constat ex ipsius literis patentibus, sed certum est, quemlibet Ordinarium posse suis subditis concedere facultatem alteri confitendi, juxta textum *cap. omnis, de pœnit. & rem. ff.* & docent Canonistæ scribentes, tam *in d. cap.* quam *in cap. quod translationem, 4. de off. delegat.* quibus adhæret *Syl. ver. Confessor.1.q.1. Navar. in cap. placuit, de pœnit. distin.6.nu.62. Sanch. de Matrim. tom.1. disp. 28. Molfes. in sum. ver. absolutio a peccatis, n.10. & Naldus in sum. ver. delegat. n.8.*

2. Quod dictum ampliat *Suar. lib.8. de legib. c.26. nu. 15.* dicitque Regulares posse uti tali facultate, etiam extra Provinciam legati concedentis, eamque durare perpetuo, cum sit privilegium personale, quod afficit personam, eamque comitatur quocunque ierit, & habeat rationem gratiæ factæ, quæ non spirat, mortuo concedente, vel amoto ab officio, quod verum intelligit *Fulbucc. tr.8.n.238.* si dict. facultas sint concessa indefinitè.

3. An verò dict. Legatus de latere, possit dictam facultatem concedere, etiam Religioso habenti Domicilium extra illius Provinciam, qui ad hunc effectum tantum illi se subjicit, sicut potest absolvere ab excommunicatione contracta, ob percussionem Clerici, quoscunque Clericos accedentes ad se, extra suam provinciam, ut notat *Glossa cap. excommunicati q. de offic. Delegati, ver. mittetur,* ubi dicit, *quod hoc introductum est in favorem animarum, ut periculum moræ vitetur,* ad quod multa adunat, *in ver. commissum:*

4. Et dico quod non, quia hujusmodi legatus suam potestatem non exercet, nisi in sua provincia, quæ ei decreta est, ut dicit *Glos. cit. loc.* ad quod allegat multa Jura, nec casus allegatus extenditur, cum specialis sit, ut habetur *in d. cap. quod translationem 4. eod. tit.* ubi *Glossa in ver. ...vata,* quærit, an dict. Delegatus possit de causis exemptorum cognoscere?

Quæst. 30. An Regularis habens à Superiore sui Monasterii facultatem confitendi certo Sacerdoti, si inde discedat alibi fixurus Domicilium, possit eidem confiteri, rediens post longum tempus ad idem Monasterium?

1. Affirmative dic, sive Prælatus illius Monasterii sit ille met, qui facultatem concesserat, sive alius; dummodo tamen dicta facultas fuerit ei concessa indefinite, & à legitimo superiore, & non fuerit revocata, ut patet de Cive Neapolitano, qui etsi fuerit absens per longum tempus, ubi tamen redit in eandem Civitatem, potest licite confiteri illi, cui & ante discessum poterat; durante tamen auctoritate sui Prioris Confessarii.

2. Dixi *sive Prælatus ... Monasterii sit idem, sive alius,* quia licet personæ ... diversæ, adhuc tamen Officium est unum, & idem, unde ad effectum audiendi Confessiones omnium venientium ad se, sufficit, ut in audiente sit ... cedente expedita voluntas.

Quæst. 31. Religiosus, qui de licentia sui Prælati petit aliquem locum, statim reversis, an ... itinere possit Sacramentaliter confiteri cuique voluerit?

1. Affirmat *Pelliz. tom. 2. Manual. tract. ... q.10.nu.15. ver. addo Religiosum.* ... non habuerit explicitam intentionem ... facultatem, sciens, & putans ipsum statim ... & movetur ex eo, quod Prælatus in hoc casu ... noluisse privare Religiosum subditum ... Sacramentali; nec pro eo brevi tempore, quo ... turus, cum posset evenire, quod eo tempore ... Confessione; neque Prælatus censetur ... tionem, saltem virtualem de præsenti, quia ... recessum à Conventu; quæ intentio sub... ctum ego admitto, concurrente tamen gravi ... confitendi Sacramentaliter, addo, quod ... vi, & vera necessitate, nec est opus licentia ... ut sæpe dictum est, necessitas legem non habet ... men sublatâ, standum est propriis statutis, ... peregrinandi, de quibus late supra dictum est.

Quæst. 32. An Fratres hujus Conventus S. ... Salutis Provinciæ Calab possint, excepta peregrinatione, confiteri Confessariis S. ... Provinciæ Regni, vel alius, sine licentia sui Prælati?

1. Portell. in dub. ver. Confessor erga Religiosos ... *fin. & Faustus, de Ministro Sacramenti ... q.94. & 95.* respondent ad quæsitum affirmative ... modò tamen id admittat consuetudo pro... vincialia statuta in contrarium non proclament ... tuta provincialia sunt statuta Ordinis ab ... sa, & approbata, ducuntur que ex eo; quia ... do, per se sumpta non possit tribuere facultatem ... Confessarium independenter à proprio Prælato ... hoc adversetur Juri communi, & tot ... Summ. Pontificum, de quibus hic supra *q.* ... nus potest esse testis sufficiens facultatis tacitè ... propriis Pastoribus, & nunquam revocatæ, ... implicitum consensum perseverantis.

2. Hinc plura inferunt. Primo, quod ... consuetudine, si duo Curati se invicem audiunt, ... vant, absque speciali licentia Episcopi, valide ... quia prædicta inducta consuetudo satis ... consensum superiorum & non esse revocatum ... *4. de pœnit. disp. 27. section. 3. & Molfes. tract.* ... quod intellige verum, si dicta consuetudo fuerit ... tolerata ab Episcopo loci Ordinario, cui forte ... tia, ut infra dicitur.

3. Secundò si duo vel plures laici, subditi unius Parochiæ, confiteantur Confessoribus alterius Parochiæ ... nè, & secure confitentur. Cæteri tamen ... bus, ob paritatem ejusdem rationis, nempe ... citi, explicati per inductam consuetudinem ... docet *Henriq. lib.3. de pœnit. cap.8. n.2*

4. Tertiò subditi unius Episcopi ... fitentur Confessariis alterius Episcopi ... luntate proprii Episcopi, & Parochi ... introductum, ut subditi unius Diœcesis ... Diœcesi sua peccata confiteri

5. Ego autem prædictam ... giosorum, hic absolute non ... tis in contrarium: nisi forte ... na fides, aut juris ignorantia invincibilis ...

ei repugnat textus cap. *si Episcopus 2. de pœnit. & remiss. in 6.* ibi, *nulla quoque potest consuetudine introduci, quod aliquis præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, & ligare.* Hæc ibi, & rationem assignat ibi *Glossa in ver. consuetudine*; tum etiam, quia consuetudo ab hominibus introducta, ad hoc, ut legem abroget, exigit, ut reperiatur introducta de scientia, & tolerantia ejus, cui præjudicat, ut dictum est supra, & docent *D. Thom. 2. 2. q. 97. ar. 3. ad tertium, Syl. ver. consuetudo, qu. 3. Sot. lib. 1. de Just. q. 7. ar. 2.* & alii plures, quos retuli, *tom. 1. p. 1. prax. tract. 1. de leg. q. 23. nu. 3.* ergo illi subditi, qui vafrè, & furtim hinc recedunt, ad foris extraneo Confessori confitendum, fabricant in gehennam, & tenentur confiteri; tum item, quia ex sola taciturnitate Prælati, non potest inferri tacitus consensus; etenim interdum Superior tacet, ob timorem, vel ad evitandum majus malum, aut ob verecundiam, & similia, quæ non sunt approbativa actus, sed dissimulativa; quæ tacitum consensum non inducunt, ut ibidem dico; tum denique, quia rationes adductæ non convincunt; tum quia loquuntur de laicis, qui non ita subjiciuntur Episcopis locorum, sicut Regulares suis Prælatis; nec item Episcopi tenentur tantam exquisitam cognitionem, quantam tenentur habere Prælati Regulares de suis subditis, quibus omnibus additur, quod subditi unius Episcopi, tutè confitentur Confessariis alterius Episcopi, non ob tacitum præsumptum consensum Episcopi loci, à quo recedunt, ut ipsi contendunt; sed ob consensum Episcopi loci, ad quem accedunt, ob mutationem, & acquisitionem novi domicilii, ob quam domicilii mutationem, etiam ad breve tempus contracti, judicandi sunt secundùm leges loci, in quo inveniuntur; ergo excepta peregrinatione, & rationabili causa peregrinandi, ad justum Prælati consensum, recurrendum est: non tamen nego, quod si aliquis, ex justa causa debeat in aliena Ecclesia celebrare ibique reperiatur paratus ad Missitandum, & Populus ad ejus Missam audiendum, sitque mortali peccato obnoxius, sine tamen copia proprii Confessoris, & sine gravi incommodo, ad proprium Confessorem sui Ordinis regredi non valeat, tunc potest confiteri extraneo, nam in defectu proprii Sacerdotis, subintrat casus necessitatis, ob quam mihi integrum extat, extraneo confiteri, tum quia necessitas legem non habet, *cap. quanto, de consuet.* tum etiam, quia necessitas illicitum, licitum facit, *cap. 4. de Regul. jur.*

Quæst. 33. Profugus, seu Apostata, an possit uti privilegio peregrinorum?

1. Negativè dic, tum quia Apostata, durante ejus Apostasia, non gaudet privilegiis suæ Religionis, ut dictum est *tom. 1. par. 2. tract. 6. q. 20.* tum etiam, quia prædictum privilegium eligendi sibi Confessarium, conceditur tantummodo peregrinantibus de licentia suorum Superiorum: hi autem Apostatæ, & fugitivi discurrunt, & vagantur invitis Superioribus.

2. Hanc tamen negativam resolutionem limita, non procedere in Religioso justè appellante, vel recurrente ad suum Superiorem; tum quia appellatio est omnibus Regularibus licita, supposito tamen gravamine, ut dico *tom. 1. p. 2. tract. 10. q. 12.* tum etiam, quia justè recurrens ad suum Superiorem, censetur habere licentiam, saltem tacitam, ab eodem, ad quem recurrit *argum. c. 18. de Regul.* ubi licentia legitimè petita, licet non concessa, habetur pro obtenta; tum item, quia licentia non est necessaria in iis, quæ aliàs sunt concessa, *argum. cap. 2. de tempor. ordin. in 6.* ubi *Glossa in ver. licentia*, ad hoc allegat multa jura.

3. Nec his officit *cap. 4. Conc. Trid. sess. 25. de Regul.* ubi dicitur, quod non liceat Regularibus à suis Conventibus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos accedendi, nisi ab eis missi, aut vocati fuerint, quia dict. Cap. Triden. debet intelligi de accessu illegitimo. *Navarr. tom. 2. de Regul. nu. 61. & comm. 3. nu. 31. & de appell. cons. 4. Bordon. 1. p. var. resol. 34. q. 8. n. 16. & Egomet. cit. loc. de appell.*

Quæst. 34. An Regulares possint liberè confiteri Pœnitentiariis dict. Papæ?

1. Affirmant *Peyr. tom. 1. privil. in Constit. 2. Jul. II. §. 25. nu. 62. in fin.* quia Papa est supremus Prælatus omnium Regularium: unde potest suis Pœnitentiariis authoritatem concedere super illos, sicut de facto, quoad hoc concedit, & tribuit, ut experientia ipsa testatur; quia videmus Romæ Regulares diversorum Ordinum indiscriminatim dictis Pœnitentiariis confiteri, scientibus, & non reclamantibus Regularibus Prælatis.

Quæst. 35. AEquites S. Ioannis, S. Iacobi, & similes, an possint confiteri Sacerdoti non approbato ab Illustrissimo Ordinario?

1. Doctissimus *P. Joann. Sancius in suis selectis disp. 49.* ubi quærit, an Regulares indigeant approbatione Episcopi, ut validè possint recipere aliorum Regul. confessiones, *Bordon. 1. p. consil. resolut. 36. q. 26. nu. 70. D. Ricc. in praxi, par. 4. resolut. 170. nu. 2. Novar. in tract. de elect. & variat. fori, q. 69. nu. 23. sect. 2. D. Barbos. in collect. ad cap. 15. Trid. sess. 23. n. 10. & Pelliz. tom. 2. Manual. tract. 8. cap. 2. sect. 1. q. 16. nu. 26.* dicunt, quod possunt confiteri cùm Regulari Sacerdote, à suo tantùm Superiore approbato, sicut possunt alii Regulares, ducunturque præcipuè *Bordon. cit. loc.* ex eo, quod hujusmodi approbatio Episcopalis requiritur solum pro audiendis confessionibus personarum sæcularium: præfati autem Milites non sunt sæculares, neque sub eo nomine veniunt in favorabilibus, aut odiosis; & consequenter non comprehenduntur in Decreto, *Trid. 15. sess. 23. de refor.* quod procedit, etiam si non sint vere Religiosi, quia quoquo modo sint Religiosi, gaudent privilegiis propriorum Religiosorum, gaudent enim privilegiis fori, & Canonis, testibus Doctoribus præcitatis, quibus inhæret *Diana 1. p. tract. 2. de immunit. resolut. 72.* & in alio eodem præcedenti *tract. resol. 49.* & sunt exempti à Jurisdictione Episcopi, sicut cæteri Regulares, exceptis quibusdam casibus, quatenus gerunt vicem personæ publicæ apud sæculares, *Rodriquez tom. 2. q. 59. ar. 5. §. 2.* ergo gaudent privilegio confitendi non approbatis ab Episcopo; sufficit ergo, quod confiteantur juxtà Decreta suarum Regularum, quod etiam tenet idem *Diana 3. p. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 30.*

2. Oppositum tamen, quod est in praxi verius, tenet idem *P. Diana part. 8. Moral. tract. Miscel. resolut. 96. in fine*, ubi conqueritur de *Bordono* dicente in *cit. resol. Dianam* sequi opinionem *Bordoni*, quia hoc non dicit, at refert alios, sententiam *Bordoni* sequentes, licet ipse *Diana* illam non sequatur, unde iterum protestatur standum esse consuetudini, quam dicit esse in contrarium, ex quo videt illos Milites, quoad receptionem Sacramentorum, dependere ab Ordinariis locorum, & favet *D. Alex. Sperell. 1. p. decis. 2. nu. 123.* ubi in fine dicit, Sacr. Congreg. Contrariam opinionem non admittere.

* *
*

Quæst. 36. An Religiosi B. Joannis à Deo, Vulgò dicti, Buonfratelli, possint in suis Hospitalibus excipere confessiones Infirmorum ibi degentium, sine Ordinarii approbatione?

1. Affirmat *Bordon. 1. p consil. resolut. 36. q. 21. nu. 63.* ex eo, quod supponit dictos infirmos esse de familia prædictorum Religiosorum, ad quod firmandum multa refert, per quæ ostendit, quod omnes de familia Religiosorum, quoad Sacramenta subduntur Prælatis Regularibus, juxta *Trid. c. 11. sess. 23. de Regul.*

2. Verumtamen *P. Raphael. Aversa de Sacramento Pœnit. q. 16. & Diana p. 8. tract. 7. Miscell. resolut. 95. in fine*, refellunt dict. opinionem *Bordoni*; & meritò, quia ut decisum refert *D. Barbos. alleg. 25. n. 46.* & alii plures, quibus favet *Gavantus in Manuali Episcop. ver. Confessarius, nu. 25. & 26.* Prælati Regulares, seu alii Religiosi non approbati ab Episcopo, non possunt audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, lato modo sumpta, & serviunt Monasterio: secùs, si verè sunt de familia, & continui commensales: hoc autem non potest prædictis infirmis applicari: ergo abstinendum est ab opinione Bordoni.

Quæst. 37. Religiosus à P. Generali Ordin. institutus pro audientia confessionum fratrum, an possit excipere confessiones omnium fratrum ejusdem Ordinis ubicunque degentium, eosque absolvere à reservatis?

1. Respondeo affirmativè: dummodo hic institutus sit idoneus, & ad id, quod quæritur authoritatem habeat à dict. instituente; moveor, quia sicut absolutio reservatorum impendi potest, non solùm ab Episcopo, qui illa peccata reservavit: verùm etiam à Summo Pontifice, qui in toto orbe potest totum illud quod potest Episcopus in sua Diœcesi & nobiliori modo: sic cæteris paribus, dicendum est de P. Generali alicujus Ordinis, respectu casuum reservatorum à Provincialibus, & Prioribus ejusdem Ordinis: etenim in subalternatis facultatibus, quod fit ab inferiori potestate, fieri potest à Superiori, nam quidquid potest virtus inferior, potest superior, & nobiliori modo, ut constat ex numeris, & docent *Rodr. tom. 1. q. 21. ar. 3. Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 7. p. 11. §. 2. & Lez. ver. Confessor Regul. n. 19.*

2. Verum quoad hoc attendenda est facultas indulta, & modus, & qualitas reservatorum, nam interdum sola peccata reservantur: interdum verò, cum censura: sic pariter facultas interdum datur ad absolvendum à peccatis tantùm, sæpè autem à peccatis, & censuris, de quibus invisendi sunt *Navarr. in summ. cap. 27. nu. 261. Suar. de pœnit. disp. 29. sect. 2. n. 21. & Sanch. in decal. lib. 2. c. 8. n. 5.*

Quæst. 38. Si Religiosus extra Conventum existat, cum omnimoda necessitate celebrandi, & non habeat copiam Confessarii sui Ordinis, an possit absolvi à reservatis per Confessarium extraneum Regularem, vel Sæcularem approbatum, vi facultatis passivæ sibi generaliter factæ à suo Prælato?

1. Negativè *Rodriq. & Miranda ubi supra*, dicuntque hujusmodi Religiosum posse celebrare, absque propria confessione Sacramentali, & addunt *Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. de præparatione adhibenda ad dignè celebrandum*, sibi in tali casu minimè adversari, quia ibidem Trident. hæc verba subjungit: *modò non desit illis copia Confessoris, quod si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur*, hæc ibi. Sed ita est, (dicunt ipsi) quod Religiosus in casu posito reperitur in necessitate urgente, eique deest copia Confessoris sui Ordinis, ergo absque prævia confessione illius peccati reservati, poterit celebrare, dummodo ad præscriptum sac. Conc. *ubi supra*, contritionem habeat; & quamprimum confiteatur.

2. *Portell. vero in dub. ver. Confessor. erga Religiosos, §. 2.* ait, quod in tali casu, potest à reservatis absolvi; etiam à Clerico sæculari, & valet absolutio, ita, ut non indigeat alio recursu, quia licet licentia sibi facta à suo Prælato sit generalis: nihilominus data dicta hypothesi, ad dignè celebrandum censetur etiam specialis; quam opinionem *Hier. Rodr. in comp. resolut. 32. de Confess. quoad absolutionem fratrum, nu. 23. in fin.* piam existimat, & valde probabilem cum sit in favorem Animarum, & jugum confessionis faciat suave, & leve, quod multis citans, sequitur *Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 3. num. 6.* cum obligatione tamen adeundi Superiorem, pro absolutione directa à reservatis: supponit enim pœnitentem in casu posito, fuisse à reservatis indirectè absolutum.

5. Verumtamen prædicta opinio Portelli potest multis modis placere, & examinari, nam casus reservati cessant, & tolluntur multifariè. Primò ob mortem reservantis, *Lez. 1. p. summ. cap. 19.* quod intelligo procedere de casibus per simplicem ordinationem, & ab homine reservatis; secùs si reserventur à Synodo, vel per Constitutionem, aut statutum, quia hi censentur reservati à jure, & consequenter durant etiam post mortem legislatoris, *Zerol. in prax. ver. casus, nu. 16.* Secundò si reservans renunciat officio, vel privatur illo, aut suspenditur, vel declaratur excommunicatus, *Naldus in summ. eod. ver. n. 20.* Tertiò authoritate illius Prælati, qui eos reservavit, quia qui potest condere legem, potest & illam auferre. Quartò mutatione domicilii, habentis casum, & peccatum reservatum; unde qui commisit peccatum reservatum in una Provincia, vel in uno Conventu, & transeat in aliam Provinciam, vel alium Conventum, ubi talis casus non est reservatus, dum ibi moratur, cessat reservatio casus, & ibi potest absolvi à quocunque Confessore, tum quia Reus judicari debet juxtà leges, & consuetudines loci, in quo reperitur; tum etiam, quia pia consuetudine introductum est, ut unusquisque absolvi possit ab omnibus, à quibus possunt absolvi incolæ, *Portell. & Lez. cit. loc. & Suar. de pœnit. disput. 30. sect. 1. n. 4.*

Quæst. 39. Fratres itinerantes, an possint per Confessarios Conventus, ad quem declinant, absolvi à casibus reservatis Prælato Monasterii à quo recesserunt?

1. Affirmativa responsio constat ex decisis immediatè supra, dummodo scilicet illimet casus, ibidem non reperiantur reservati, etenim ut sæpè dictum est, Religiosi Peregrini debent judicari secundum leges loci, in quo morantur; & constat ex Mari magno Sixti IV. incip. *Regimini Universali*, & habetur in *distin. 1. nostrarum Constit. cap. 14. de Novit. fol. 49. col. 2. lit. C.* ibi, *quilibet tamen Prior in suo Conventu, cum habeat jurisdictionem quasi Episcopalem, potest quemcumque fratrem Ordinis nostri, etiam hospitem ad suum Conventum venientem, à quocunque peccato, & ab omni sententia Juris, & Judicis generaliter, & non in particulari, prolata, absolvere, &c.*

* * *

Quæst.

Quæst. 40. Sed quid dicendum, si data opera, idest in fraudem iter arripiant, nè scilicet internè cognoscantur in proprio Monasterio, absolvuntur nè validè?

1. RESpondeo, quod in tali casu nulla est absolutio; ducorque ex multis; primò, quia fraus, & dolus nemini debent patrocinari, ut probat *textus cap. Sedes Apostolica 11, de rescriptis*, ibi, *quia fraus, & dolus ei patrocinari non debent, tanquam mendax precator careat pœnitus impetratis*, hæc ibi, ubi *Glos. in ver. dolus*, ad id multa cumulat. Secundo, quia privilegium datum peregrinantibus, non extenditur ad vagantes præcisè, ut illo utantur, nam privilegium non extenditur de persona ad personam, etiam ob identitatem rationis, ut dico *tom. 1. p. 1. tr. 3. q. 4. nu. 8. & tract. 6. q. 1. num. 5.* tum item, quia ita declararunt Sixtus IV. in privilegio dato peregrinantibus, relato per *Confectum in collect. lit. Apost. fol. mihi 65.* ibi, *solummodo tamen cum itineraverint*, & Leo X. ibi, *dummodo, sine fraude fiat, & dicatur Prælato suo*; de quibus dictum est hic supra *qu. 12.* tum tandem, quia ita expressè dicitur in nostris Constit. *distin. 1. de Novit. c. 14. fol. 49. col. 4.* ibi, *Hac tamen conditione, ut talis confessio, sine fraude fiat, & Prælato significetur.*

2. Et quamvis *P. noster Candidus, tom. 2. disquisit. 24. ar. 57. dub. 4. & 6.* dicat, prædictos Confessarios Religiosorum, posse absolvere, etiam hospites Religiosos, venientes ad ipsorum Provinciam, vel Conventum, à casibus reservatis à Prælatis ipsorum fratrum venientium ad illos, etiamsi data opera, & industria ad illos accessissent.

3. Nihilominus non placet, quia se fundat in privileg. concessis à Gregor. XI. pro Fratribus Prædicatoribus, & à Clement. IV. pro Minoribus, & à Sixto IV. pro Carmelitis, quæ tamen hoc non dicunt, ut ex eorumdem lectura apparet, nam loquuntur de casibus ante ingressum Religionis, & extra Religionem reservatis: & estò, quod possint extendi ad casus intra Religionem reservatos; ea tamen, ut legenti est videre, non conceduntur, nisi Prælatis, & iis, quibus ipsi id commiserint; non enim privilegium illud Greg. XI. dicit (prout idem P. Candidus ibi refert, errore tamen Typographi) *Concedimus Magistro Generali, & singulis Prioribus Provincialibus, & Conventualibus fratribus ejusdem Ordinis, &c.*

4. Sed vera litera ita loquitur, *sed Magister quoque & singuli Priores Provinciales, & Conventuales vices eorum gerentes in Provinciis, ac locis sibi commissis, prædictis fratribus constitutis ibidem, necnon, & fratribus aliis ejusdem Ordinis, interdum ad eos declinantibus undecunque absolutione, ac dispensatione indigentibus, absolutionis, & dispensationis beneficium valeant impartiri*, hæc ibi, & ita habet ipsa Bulla *in Bull. Rodr. tom. 2. in Sixto IV. Bull. 33. num. 14. fol. mihi 167.* in impressione Veneta, de Anno 1611. & apud *Confect. fol. mihi 49.* in impress. Veneta, de Anno 1607. idem dicit Bull. Clem. IV. apud eundem *Rodr. to. 1. q. 20. ar. 1.* & Bull. Sixti IV. quam refert *Lez. 1. p. sum. cap. 18. nu. 23.*

5. Quapropter Religiosi Confessarii Religiosorum, non habentes talem commissionem à suis Prælatis, non possunt ullo modo à reservatis absolvere, nec hospites, neque domesticos; quod totum etiam supponunt Pius V. Greg. XIII. Clemens VIII. Urb. VIII. qui multoties dixerunt Religiosos, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, esse subjectos dispositioni suorum Prælatorum; unde Clem. VIII. ad majorem claritatem prædictorum, statuit in Decretis, pro reservatione casuum Religiosorum, ut Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, & plures Confessarios, pro subditorum numero majori, vel minori, qui à non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, de quibus dictum est supra *qu. 6.*

Quæst. 41. Sed quid dicendum, de Concionatoribus, vel aliis consultò confessionem differentibus ad tempus Quadragesimæ, vel ad aliud tempus, quo extra Conventum manere debent, absolvuntur nè validè?

1. ET dico, quod sic: tum quia dum hi, pro objecto primario, intendunt exire à Claustro ad prædicandum, vel ad aliud virtuosum, & honestum negotium peragendum, dum actu sunt extra Monasterium, censentur verè Peregrini; ergo licitè possunt uti Peregrinorum privilegio; tum etiam, quia Leo X. id ubi supra, in specie prædictis Prædicatoribus concessit; tum item, quia sicut validè eligit Confessarium peccans sub spe veniæ, & absolutionis recipiendarum, virtute alicujus Bullæ, vel Jubilæi concedentis electionem Confessarii, ut multis firmat *Beja. p. 2. casu 29.* ita à pari, dictus Concionator, vel alius differendo confiteri, validè eligit Confessarium.

2. Neque his nocent, quæ supra immediatè dicta sunt de fraude, & dolo, quia tunc fraus & dolus nequeunt peregrinantibus patrocinari, quando assumitur iter primariò, & de per se, causa confessionis, & non peregrinationis, in præsenti verò casu, iter de directo assumitur ad concionandum; accessoriè tamen, seu consequenter aggreditur ad eligendum Confessarium, quandoquidem licet fraus immediatè non possit alicui prodesse, mediatè tamen, & per accidens, potest; Teste *Navarr. cons. 6. de convers. conjugat. ad primum*, ubi dicit, quod in spiritualibus, nec dolus, nec falsa persuasio vitiat actum, secus autem in temporalibus; dummodo, supple, fraus primariò non assumatur; ad quod facit *cap. constitut. 5. 2. c. q. 3.* ubi *Glos. in ver. cogantur*, dicit, quod est mirum, quod in spiritualibus contractus dolo initus, teneat; ad quod allegat *cap. veniens 16. de convers. conjugat.* ubi *Glos. in ver. captiosè*, idem repetit, unde *Bordon. cit. loc.* dicit, quod iter susceptum, alio fine, quam confitendi, est sufficiens titulus eligendi Confessarium.

Quæst. 15. Confessarius, qui petiit facultatem absolvendi à reservatis, pro uno Religioso subdito; an possit ex vi talis licentiæ concessæ, ipsemet petens absolvi?

1. DOctissimus *P. Laur. Peyr. tom. 3. privil. cap. 12. nu. 6.* dicit, quod sic: si tamen is, de quo agitur, petivit sub generali sermone verborum, ut si v. g. dicat, est quidam ex nostris, qui vestra eget potestate, placet ne, mihi illam concedere? quandoquidem sub generali sermone verborum, comprehenditur ipsemet loquens; *l. Paulus respondit, §. final. ff. de pignor.* secùs autem, si facultatem petiit his verbis, rogo te, ut des mihi tuam authoritatem pro quadam persona nostri Ordinis, sic enim petens, videtur seipsum excludere.

2. Verùm ego dico, quod id pendet omninò ex intentione & consuetudine, quam habent concedentes talem facultatem; ac proinde illa est omninò attendenda, nam qui petit à Sac. Pœnitentiaria pro uno indigente facultate, ad faciendum se absolvere, pro una vice, ex vi horum verborum, ipsemet pœnitens non censetur exclusus. Unde *Bordon. 1. p. resolut. 39. q. 24. nu. 63. & Diana p. 3. to. 2. de dub. Regul. resolut. 126. & tract. 4. de Sacram. resolut. 142.* ajunt, Confessarium petentem facultatem reservatorum, pro una persona, posse etiam uti pro sua; nisi fortè Confessarius sit moraliter certus, Superiorem intendere ei solùm dare facultatem activam, tunc enim cognosceretur limitata facultas ad activam tantùm, nec potest contra talem cognitionem agi; nisi imprudenter, & inutiliter.

3. Nec obstat dicere, quod petitio, & concessio per verba

verba generalia, secundùm communem sensum, concipiuntur de utraque facultate, activa scilicet, & passiva, quia specialis sensus moralis certitudinis, derogat communi sensui, nec urget illa *Juris Regula*, 57. *in* 6. qua dicitur, *contra eum, qui legem dicere potuit, apertius est interpretatio facienda*, quia id non habet locum in gratiis, & privilegiis, sed in contractibus tantùm, ut benè ibidem dicit *Gloss.* ubi de tacita, & expressa voluntate multa notat, & in fine subnectit, *De legibus non est dictum, quia in eis nihil est obscurum, vel ambiguum; si autem ambiguitas videretur in eis esse, recurritur ad concedentem, quia ille solus interpretari potest, qui & concedere.* Hæc ibi.

Quæst. 43. *Confessarius, qui petiit facultatem absolvendi Regularem subditum à reservatis; an vi talis licentiæ possit illum absolvere, etiam à reservatis commissis post dict. obtentam licentiam?*

1. SApientissimus *Martinus Bonac. de legib. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 7. § 1. *nu.* 11. & *Diana p.* 4. *tract.* 4. *resol.* 109. aliis relatis, respondent ad quæsitum affirmativè, ducunturque ex eo, quia petitio, & concessio tacitè intelligitur de similibus casibus, qui post dictam concessionem, bona fide, subjiciuntur clavibus, quod dictum ampliando *Joan. Præpositus in* 3. *p. q.* 9. *de reserv. casib. dub.* 3. *nu.* 22. dicit procedere, etiamsi petens facultatem dixisset, non subesse periculum relabendi, quia hoc ejus dicto non obstante, facta est concessio absolutè, ac independenter ab eo, quod non relaberetur, neque petens id bona fide, Prælatum decepit.

2. Ampliant alii, prædictam facultatem obtentam pro Titio, posse suffragari pro Cajo; tum quia quotiescunque expressa in petitione facultatis reservatorum pro Titio, militant pro Cajo, & idem est finis concedendi dict. facultatem pro uno, ac pro alio; & superior, qui illam concessit de facto pro Titio, concessisset etiam pro Cajo, facultas videtur extendi ad utrumque, cum præsertim in hoc casu, mens non supplicantis, sed concedentis attendi debeat, ut in similibus docet *Jason. in l. Gallus, in* 1 *lect.* § . *idem credendum. ff. de libert. & posthum.* tum quia hic agitur de gratia facienda, cum Confessario detur facultas absolvendi hunc, vel illum, & gratia facienda sit latè interpretanda; ad quæ videnda sunt allegata per *D. Ang. Barbos.* 3. *p. de off. & potest. Episcop. allegat.* 52. *num.* 9. oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent *Beja, p.* 3. *casu* 10. *Homobonus, tract.* 10. *exam. cap.* 4. *qu.* 10. *respons.* 4. & alii plures, quos allegat, & sequitur *Pelliz. to.* 2. *Manual. de facult. absolvendi Regul. à reserv. tr.* 8. *cap.* 2. *sess.* 1. *q.* 19. *n.* 74. tum quia actus agentium, ultra intentionem eorum, non operantur, *l. non omnis ff. si cert. pet.* Confessarius autem petens facultatem reservatorum pro Titio, suam intentionem specificavit ad Titium, ergò; tum etiam, quia superior concedens reservata, intendit facere gratiam, juxta petitionem sibi factam, cum Princeps soleat se accommodare precibus porrectis, *l. si preces ff. de leg. cap. inter dilectos*, § . *cæterum, de fide instrum.* ubi *Glossa in ver. petitionis*, ait, responsum conformari petitioni; sed petitio facta est præcisè pro Titio, ut supponitur; ergo facultas pro eo solum indulta censetur; tum item, quia parum refert, quod simus in gratia impetranda, & quod exprimatur nomen appellatum, aut proprium, si ex aliis circumstantiis constet de re ipsa, ejusque qualitate, ut Decius communiter receptus docet *in cap. qui Abbas*, *de offic. deleg.* tum item, quia limitata impetratio illimitatum nequit producere effectum, *argum. l. in Agris, ff. de acquir. rer. Dom.* tum etiam, quia facta restricta ad unum, nequeunt ampliari ad alium, *argum. cap. si de verb. signif.* & *l. rem legatam ff. de redim. leg.* tum etiam, quia recurrere ad bonam fidem absolventis, vel confitentis, vel præsumptam voluntatem concedentis, est egredi limites casus positi, in quo facultas concessa, per se tantum sumpta, debet expendi, & non ad ea quæ sunt per accidens.

Quæst. 44. *Regularis Delegatus ad absolvendum à reservatis in ordine, an possit ad talem actum subdelegare?*

1. AFfirmativè dic, si is, de quo fit sermo, reperiatur delegatus ad universitatem casuum, quia sic censetur quasi ordinarius; cui integrum est in aliquo casu particulari suam authoritatem subdelegare, ut docent *Gloss. in cap. cum causa, ver. Delegatus, de appellat. Sorb. in comp. ver. absolutio ordinaria quoad fratres in fin. Portell. in dub. ver. casus reser. Rodr. tom.* 1. *q.* 21. *ar.* 9. *D. Ricc.* 1. *p. prax. dec.* 621 *in fin. Miranda to.* 2. *Manual. q.* 34 *ar.* 14. & *Pey. to.* 2. *Privil. in Constit.* 10. *Urb. VIII. nu.* 14. & magis latè *in to.* 2. *de Prælat. q.* 3. *cap.* 2. *nu.* 27. *not.* 12.

2. Secùs autem dicendum, si sit delegatus ad absolvendum in aliquo casu particulari, *l. à Judice, C. de Jud.* & *cap. final.* 43. *de offic. deleg. in fin.* ibi, *nulli cui commissum, &c.*

Quæst. 45. *Regularis, qui à legitimo Superiore obtinuit facultatem absolvendi à reservatis in Ordine, an ea uti possit, mortuo superiore concedente, aut amoto ab officio?*

1. AFfirmativè dic, si ei facultas fuit absolutè concessa, absque ulla limitatione, sic enim censetur gratia facta, quæ non expirat morte concedentis; per ea multa, quæ dico *tom.* 1. *par.* 1. *tract.* 12. *qu.* 5. *n.* 3. & patet de Confessariis fratrum absolutè institutis à Provinciali pro tempore, qui quippe mortuo Provinciali, vel amoto ab officio, perseverant audire Religiosorum Confessiones.

Quæst. 46. *Regulares instituti ad absolvendum à reservatis, an possint ab illis absolvere, si habeant censuram annexam?*

1. REspondeo posse; nisi aliter Prælatus se explicet; tum quia favores sunt ampliandi, ut sæpe dictum est; tum etiam, quia aliàs illa facultas foret inutilis; tum item, quia concesso principali, id est, casu, intelligitur concessum accessorium, id est, censura; tum tandem, quia talis est praxis Religionis, ut docent, *Suar. de cens. disp. n.* 7. *sect.* 4. *n.* 13. *Navar. in sum. cap.* 27. *n.* 261. & *Portell. in dub. ver. casus reser. n.* 3. & est communis, maximè si Prælatus alicui concedat totam suam facultatem, tunc enim sic institutus, potest totum, & omne, quod potest Prælatus, tam quoad absolvendum à peccatis, quam à censuris, & similibus, quæ cadunt sub potestate Prælati.

Quæst. 47. *An Regularis Delegatus eadem authoritate, quam habet ad absolvendum à reservatis, possit passive uti, alteri scilicet eam delegare, ut ipsummet delegantem absolvat?*

1. ET dico quod sic, si tamen sit delegatus ad universitatem casuum reservatorum; tum quia sic institutus censetur quasi ordinarius, cui integrum est subdelegare, ut dictum est hic supra, *q.* 44. tum etiam, quia dedecet illum sitire, qui potum alii elargitur; tum item, quia hujusmodi delegatus non est inferioris conditionis, quàm cæteri sibi subditi; ergo quod potest

potest erga illos, poterit erga se; tum tandem, quia talem præsumitur esse voluntatem majorum Prælatorum, qui scientes hanc doctrinam, eam tolerando approbant: secùs autem si foret delegatus in aliquo casu particulari, pro una vice tantùm: sic enim non poest ad sui beneficium subdelegare; quia in tali casu censetur delegatus activè quoad alios, & non passivè quoad se, quod est valde diversum, & à diversis non fit illatio, *l. Papinianus, ff. de Minor.* & docent præcitati Doctores, quibus adstipulantur *D. Cajet. 1, 2. q. 96. ar. 5. in fin. Graff. in Append. ad lib. 1. cap. 7. num. 45. & Pelliz. to. 2. Manual. tract. 8. cap. 2. sect. 1. q. 20. n. 72.*

Quæst. 48. *An Regulares teneantur confiteri peccata venialia?*

1. RESpondeo negativè; tum quia per venialia à gratia Dei non excludimur; tum etiam, quia venialia multis aliis modis expiari possunt, & quidem tolluntur per Confessionem generalem spontè factam, dicendo: Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ semper Virgini, &c. Item per tunsionem pectoris; nam devotè palmis pectora tundere, signum contritionis extat, maximè si ad tunsionem adjungatur, peccavi Domine, miserere mei, item per Aquam benedictam; item per Orationem; item per benedictionem Sacerdotis, aut Prælati: item per Sanctissimam Altaris Communionem, quæ efficaciter sanat, nedum à venialibus, verum etiam & à reatu pœnæ mortalium; item per dimissionem & indulgentiam injuriarum; item per Unctionem Sancti Olei; item per levem pœnam spontè assumptam; item per compassionem & eleemosynam, quæ fit egenis, ad quorum faciliorem memoriam, hos versus tene mente & memoriæ manda:

Confiteor, tundo, respergor, conteror, oro,
Signor, edo, dono, per quæ venialia pono,
Unctio, pœna levis, compassio, quæ fit egenis.

2. Tum item, quia venialia sine specialissima gratia Dei nequeunt evitari, quin in die multoties committantur; tum denique, quia tam magnè jugiter crescunt & augentur, ut vix possint explicari, ut docet Angelicus Doctor, *S. Thomas in 4. sent. distin. 16. q. 2. ar. 2. q. 3. ad tertium*, ubi hæc formalia verba profert: *Generalia & levia, quæ non possunt specialiter explicari, sicut sunt cogitationes otiosæ, negligentia & pigritia circa orationem, amissio temporis, distractio cordis, dicendo horas Canonicas, vel orando, ingratitudo beneficiorum Dei, superflua cura de corpore & de rebus temporalibus, perturbationes leves contra proximum, judicium leve alieni cordis, non contentari de omnibus, quæ Deus facit, aut fieri permittit, & his similia, quæ licet sint inevitabilia ab anima infirma, non possunt in numero declarari, sed potiùs expedit ea quotidie delere cum lachrymis, aut per infirmitatem recognoscere, & in humilitate debita permanere,* hæc ille.

3. Et quamvis peccata venialia sint facilis remissionis, & multifariam multisque modis possint expiari, & non cadant sub præcepto Sacramentaliter confitendi, nihilominus fugienda sunt, & omni studio & diligentiâ evitanda; etenim viam aperiunt ad mortale, refrigerant Christi fideles in amore Dei, eorumque animas impediunt, ne volent, & ne ad religiosam perfectionem tendant; cumque possint esse sufficiens materia Confessionis, non erit nobis inutile hujusmodi venialia confiteri, prout viri timoratæ conscientiæ passim faciunt, qui culpam agnoscunt, ubi culpa non est, & hæc est vera & indubitata decisio Sac. Concil. Trid. *sess. 14. cap. 6. de Confessione*, ubi sic loquitur; *nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, tametsi rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem, in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt,* ad quod faciunt ea multa, quæ Angelicus Doctor docet *3. p. de Sacram. q. 37. aliàs 6. ar. 3.*

Quæst. 49. *Quibusnam in casibus dicendum sit, Regularem non habere copiam Confessarii?*

1. ET quidem primus est; quandò absolutè deest, qui possit Confessionem audire; Secundus, quando, & si adsit Sacerdos, tamen non est ab Ordinario approbatus. Tertius, quando etiamsi adsit Confessarius approbatus, est tamen excommunicatus vitandus. Quartus, quando pœnitens timet eum Sacerdotem approbatum, qui solus est, sibi non servaturum sigillum Confessionis, aut gravem injuriam illaturum, si apud eum confiteatur; quia nemo tenetur cum tali periculo sua peccata confiteri: nam in concursu duarum legum, quæ simul observari nequeunt, standum est potiori, & inferior recedere debet; sed ita est, quod lex de confitendo ante communionem, est inferior & debilior lege vetante injustum nocumentum alteri, vel sibi inferre, aut occasionem inferendi dare, quia est divina positiva, cùm hæc sit divina naturalis, ita *Sotus in 4. sent. dist. 18. q. 2. ar. 4. Navar. in sum. cap. 7. n. 6. & Suar. de pœnit. disp. 66. sect. 4.* quæ sunt valdè observanda; pro bona intelligentia suprà narratorum.

Quæst. 50. *Quidnam possint prædicti Confessores Regularium, ad absolvendum Religiosos à peccatis & censuris?*

1. RESpondeo, quod prædicti Confessarii, approbati tamen à suis Prælatis latis, possunt Religiosos sibi commissos absolvere ab omni peccato & censura, non reservatis, etenim casus non reservati, censentur commissi cuilibet habenti authoritatem ordinariam, vel delegatam, ut probat *textus cap. nuper 29. de sent. excomm.* ibi, *quia tamen conditor Canonis, ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi,* hæc ibi, ex quibus ibi, *Glossa in ver. retinuit,* infert, Episcopos posse dispensare, ubi specialiter dispensatio non est inhibita; à casibus autem superioribus suis reservatis, nunquam possunt absolvere, nisi ab eisdem specialem habeant facultatem: nam ut sæpè dictum est, in generali concessione non veniunt casus speciales, aliàs nullius momenti foret reservatio casuum.

Quæst. 51. *Sed quid dicendum de casibus reservatis à Iure, vel à S. Papa, possuntne ab his absolvere?*

1. RESpondeo, quod quantum ad hoc, sunt privilegia Religionis diligenter attendenda; nam si privilegium reperiatur nobis concessum ad absolvendum à prædictis casibus sæculares vel extraneos, non poterunt eo uti erga fratres, idem dic, si privilegium prædictam facultatem concedit Confessariis approbatis ab Episcopis: hi namque, de quibus agitur, talem facultatem & approbationem ab Episcopis non habent, ergò.

2. Si autem Religio aliquod habeat Privilegium absolvendi à prædictis casibus generaliter loquens de omnibus Confessariis approbatis ab Ordinariis, & de potestate absolvendi omnes Christi fideles indifferenter; videtur posse illo uti, ad absolutionem Religiosorum, quia versamur in gratiosis, quæ nisi aliundè reperiantur restricta & limitata, extenduntur & ampliantur, præcipuè ad favorem animarum, *Lez. ver. Confess. Regul. n. 11. in fin.*

3. Hinc quidam probabiliter dicunt, prædictos Confessores in Ordine ad Religiosos sibi commissos, posse uti Privilegio Pauli III. Jesuitis concesso; ex eo, quia in dicto privilegio nulla reperitur limitatio aut restrictio, sed generalis concessio pro Præsbyteris Societatis, & pro quibuscunque fidelibus ad eos accedentibus, & pro quibuscunque casibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ut melius est videre in dicta Bulla, quæ incipit, *cum inter cunctas*, quam per extensum refert *Casarubeus in comp. Privil. Mendic. ver. motus proprius fol. mihi* 545. in impress. Veneta, de anno 1617. *Rod. tom. 2. sui Bull.* & est septima inter Bullas ejusdem Pontificis, cujus verba ferè omnia examinat idem *Rod. 3. p. q. 32. ar. 5. & q. 20. ar. 1. & 2. & q. 60. ar. 7. & 8. q. 61. ar. 5. & q. 63. ar. 4. & q. 42. ar. 1. & 2. & q. 56. ar. 3. & 4.* & liquet ibi, *nec non illis ex vobis, qui Praesbyteri fuerint, quorumcunque utriusque sexus Christi fidelium, ad vos undecunque accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis ipsos & eorum singulos, ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcunque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus, sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, (exceptis contentis in Bulla, in die Cœnæ Domini solita est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, nec non vota quæcunque per eos pro tempore emissa (ultramarinis, visitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum de urbe, ac Sancti Jacobi in Compostella, nec non Religionis & Castitatis votis dumtaxat exceptis,) in alia pietatis opera commutandi, &c.* hæc ibi, quâ quidem Bullâ ob communicationem privilegiorum uti possunt omnes Mendicantes, ut idem *Rod.* testatur *in exposit. Bullæ Cruciatæ, & Casarub. cit. loc. d. Bull.*

4. Dixi, *probabiliter dicunt*, quia reverà isthæc Bulla fuit Jesuitis concessa à Paulo III. in Ordine ad sæculares existentes in sæculo, non autem in Ordine ad Religiosos sibi subditos in Religione, ut ex textu apparet, & ex multis ostendit *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 9. tr. 10. cap. 2. n. 1. in fin.* ubi dicit, prædictam Bullam fuisse sibi concessam ante Concil. Trid. ac proindè Sacerdotes Societatis, tunc temporis ad prædicta exequendum, non indigebant approbatione D. Episcopi loci, nunc verò bene indigent, cùm subsint dispositioni Conc. Trid. *sess. 23. cap. 15. de reform.* & addit *n. 2.* quod prædicti Societatis Confessarii, ultra licentiam Ordinarii, egent licentiâ sui Prælati, secùs peccant etsi eorum absolutio & votorum commutatio aliàs valida foret, & ita tenent *Rod. in addit. sum. Moral. tom. 4. cap. 12. concl. 2. & Portell. in dub. ver. Confessor erga fratres, n. 16.* ubi subjungit: *proindè videat Confessor Regularis quid possit erga suos fratres, juxtà sua Privilegia, vel Regulam, vel statutum.*

5. *Rod. verò tom. 1. q. 62. ar. 6.* dicit, quod Confessor Regularis per privilegium Sixti IV. Mendicantibus concessum, & ibi extensum, potest semel in vita & in articulo mortis absolvere suos pœnitentes ab omnibus casibus & peccatis plenariè, nullo casu excepto cum omnimoda authoritate, ac dispensare cum illis in omni irregularitate, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, & Bigamia, & mutilatione membri, cui etiam favet *Portell. cit. loc. n. 16.*

6. Verùm *Lez. ubi suprà n. 18.* inquit, quod hodie prædictum privilegium Sixti IV. non valet: tum quia fuit concessum oraculo vivæ vocis, & oracula per Bullam Greg. XV. fuerunt abrogata, tum etiam, quia prædictum oraculum non fuit authenticum, ut constat ex Casarubeo, qui illud refert *in comp. privil. Mendic. ver. absolutio extraordinaria, quoad fratres, n. 5.* ubi notat illud, *ò parvo*, ad demonstrandum, quod apud ipsum oracula tali ò *parvo* signata, non fuerunt authentica.

7. Veruntamen præfatum *Lez.* dictum, ob multa mihi non arridet, tum quia oracula pro foro conscientiæ non intelliguntur revocata per ea, quæ dico *to. 1. p. 1. tra. 16. de revocat. oracul. q. 8.* & favent *Portell. in responsis in casu ultim. & Peyr. tom. 3. privil. in addit. ad Constit. Urban. VII. cap. 12. nu. 1. in fin.* tum etiam, quia oracula edita ab Officialibus Papæ, Conservatoribus Religionum, vel à Generalibus Ordinum, non censentur revocata, ut patet ex decisis, *cit. loc. q. 1. nu. 4. & q. 11. & 12.* tum item, quia oracula, quæ non sunt alteri præjudicialia, prout sunt hæc, de quibus est sermo, etiam hodie vigent, per ea, quæ dico *tom. 2. p. 3. tract. 11. de potest. dispensandi & absolvendi, q. 9. nu. 3.* & favet *Bordon. 1. p. var. resolut. 13. n. 14.* tum tandem, quia etiam oracula non authentica, per tot cofirmationes privilegiorum à Romanis Pontificibus factas, fuerunt nedum confirmata, verùm etiam in privilegium translata, ut dixi *tom. 1. part. 1. tract. 2. de confirmat. privileg.*

8. Miranda verò eruditissimus Alumnus Ordinis Minorum, *tom. 2. Manual. q. 33. ar. 8. & 9.* ait, quod prædicti Confessores, quater in anno possunt Religiosos sibi pœnitentes absolvere plenariè ab omnibus peccatis, & censuris modo prædicto, & movetur ex quadam concessione facta Monialibus S. Claræ à Leone X. quæ habetur in supplemento Ordinis, *fol. 93. conclus. 290.* & refertur à *Casarubeo in compend. privil. ver. absolutio extraordinaria quoad fratres, §. 7.* in cujus fine ita legitur. *Et insuper placuit suæ Sanctitati, de benignitate Apostolica pietatis concedere facultatem earum Confessoribus, de licentia Prælatorum easdem audientibus, quod ea plenitudine eas absolvant, & illi status innocentiæ restituant, quomodo sua Sanctitas faceret, si ipsamet in sua confessione auscultaret peccata.* Hæc ibi, quæ quidem concessio magna est, ipsaque fruuntur omnes Mendicantes, qui habent privilegium communicationis, ut idem *Miranda* ibi testatur, & sequitur *Portell. cit. loc. n. 25. in fine.*

9. Amplia, ut prædicti Confessores, ex concessione ejusdem Leon. X. facta eisdem Monialibus S. Claræ, possint suos Religiosos pœnitentes, præter quatuor dies prædictos, etiam absolvere modo, quo suprà, in omnibus diebus Domini Sabbaot, & B. Mariæ semper Virginis, ac Sancti Dominici, & S. Catharinæ de Senis, &c. *Miranda cit. loc.*

10. Item possunt prædicti Confessores, deputati erga Religiosos suos pœnitentes, agere totum illud, quod possunt eorum Prælati, vi Decreti *Concil. Trid. sess. 24. cap. liceat, 6. de refor.* exceptâ tamen hæresi: prout multis firmavi, *tom. 2. p. 3. tra. 10. de potest. Prælat. q. 7.* ubi ad hoc etiam habes declarationem, & extensionem per Pium V. nobis factam.

Quæst. 52. Quidnam possint Superiores Regulares erga suos subditos ad finem absolvendi, aut dispensandi in casibus Papalibus?

1. De potestate Prælatorum Regularium ergà suos subditos, latè dixi *tom. 2. p. 3. tract. 11.* per totum, & præcipuè *q. 8. & seq.* & etiam ad finem absolvendi à peccatis & censuris; nec non dispensandi super defectibus & irregularitatibus, *q. 17. 18. & 19.* quibus addenda sunt nostræ Religionis privilegia; nam Innoc. IV. suo privil. 23. concedit Magistro Ordinis & Provincialibus nostris, ut infrà.

2. *Nos itaque authoritate præsentium facultatem concedimus, ut singuli vestrum in propriis Provinciis sibi commissis fratribus ibidem constitutis, absolutione & dispensatione indigentibus, sive priusquam Ordinem intraverint, sive post, in casibus excesserint memoratis (scilicet quibus annexa est censura excommunicationis & nota irregularitatis) de Consilio discretorum fratrum vestrorum, qui literati sunt & Deum timentes, impartiri valeant beneficium absolutionis, & dispensare cum eis, juxta formam Archiepiscopis & Episcopis à* S. Se-

S. Sede Apostolica traditam: nisi adeò fuerit gravis & enormis excessus, ut meritò sint ad Sedem Apostolicam destinandi.

3. Idem de verbo ad verbum confirmavit Alexander IV. in suo privileg. 25. nec non Greg. XI. in Bulla relata à Sixto IV. in Mari magno, ubi eandem authoritatem concessam Magistro Ordinis & Provincialibus, extendit ad Priores Conventuales & eorum vices gerentes; & addit facultatem absolvendi à casibus, quibus nedum annexa est censura excommunicationis, sed etiam suspensionis & interdicti.

4. Sixtus IV. in Mari magno prædictam relatam Constitutionem Greg. XI. approbat & addit ea, quæ sequuntur.

5. *Quia sæpè revocatur in dubium, qui sint meritò ad Sedem Apostolicam destinandi, ut absolventium ac dispensantium, nec non absolvendorum & dispensandorum puritati conscientiæ consulamus, declaramus Hæreticos, Schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse meritò ad Sedem Apostolicam destinandos, &c.*

Et quia idem Sixtus IV. in Bulla, quæ dicitur aurea, restrinxit prædictam facultatem, ità ut ea solùm uti possint Magister Ordinis, & ejus Vicarius, ac illi quibus duxerit committendum, ideò aliam Constitutionem ipsemet Sixtus IV. promulgavit, quæ est ultima in nostro Bullario ibi.

6. *Dilectis filiis Vicariis fratrum observantiæ Hispaniæ, & Lombardiæ, Ordinis Prædicatorum, ac omnibus Prioribus & vicegerentibus eorundem fratrum salutem, &c. Volentes vestræ quieti consulere, supplicationibus inclinati, vobis & cuilibet vestrum facultatem & potestatem concedimus absolvendi & dispensandi cum fratribus, sicuti aliàs ex privil. quod dicitur Mare magnum, poteratis, antequam Bulla aurea emanasset, illa cæterisque contrariis non obstantibus, &c.*

7. Leo X. in privilegio 5. directo Generalibus Ordinis Mendicantium ita loquitur. *Nos cupientes fratres potiùs in suis Claustris Deo pro peccatis sacrificium offerre, quàm cum periculo animarum, & scandalo per longinqua itinera discurrere, vestris supplicationibus inclinati, vobis concedimus, & vobis per obitum, aut per amotionem à Generalatu absolutis, Vicariis vestris pro tempore, ac illis quibus vos specialiter duxeritis esse concedendum subditos vestros, ab omnibus & singulis casibus & censuris, secundùm declarationem Julii II. prædecessoris nostri, absolvere possitis, non obstantibus restrictionibus, reservationibus, & ordinationibus Apostolicis super his in Concil. Lateranensi factis, quibus quoad præmissa derogamus, &c.* Ad quorum omnium expressiorem claritatem iterum quæro.

Quæst. 53. An Prælati Regulares valeant suos subditos absolvere ab hæresi, occulta tamen, & in foro conscientiæ?

1. Responsio affirmativa constat ex decisis *to. 2. p. 3. tract. 11. de potest. dispens. & absolvendi, q. 18.* ubi ad intentum plura habes; quibus adde, quod Prælati Regulares erga suos, possunt totum illud, quod possunt dicti Episcopi erga suos subditos, vigore Decreti *cap. 6. Concil. Trid. sess. 24. de refor.* quod totum ad majorem certitudinem declaravit, & ad nos Dominicanos, & consequenter ad omnes nobiscum communicantes in privilegiis, extendit Pius V. sua Constit. incip. *Rom. Pontif.* quam per extensum habes, citato loco praxis, *tract. 10. q. 7. nu. 11.*

2. Nec obstat dicere, quod prædicta extensio fuerit revocata à Gregor. XIII. quando omnia privilegia à Pio V. nobis concessa, adversantia Tridentino, ad Terminos Concilii Tridentini reduxit: etenim isthæc concessio non adversatur Sac Concil. Trid. nec fuit nova concessio, sed ejusdem Concil. Tridentini interpretatio, ut constat ex illo verbo, *ne Regulares sint deterioris conditionis, &c.* item ex illo verbo, *Declaramus, &c.* qui enim declarat, nihil de novo dicit *Festus in summ. nostrarum Constit. 2. p. cap. 65. fol. mihi 149. & Egomet dixi cit. loc. 3. p. prax.*

3. Quibus tandem pro Coronide prædictorum omnium, addendum est privilegium à Jul. II. Cardinali Cajetano, tunc temporis Generali Magistro concessum, quo dictis Superioribus fit facultas absolvendi suos subditos ab omnibus casibus Papalibus, etiam Bullæ Cœnæ, occultis tamen & in foro conscientiæ tantùm, ut constat ex illo, quod est tenoris sequentis:

4. *Exponi nobis fecisti, quod Sixtus IV. prædecessor noster declaravit, in quibus casibus sit recurrendum ad Sedem Apostolicam, pro absolutione & dispensatione à censuris, & irregularitate &c. super fratres tuos, nihilominùs propter clausulas derogatorias positas in Bulla Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur, dubitas facultatem Ordini concessam esse ademptam, &c. Nos igitur volentes tollere occasionem vagandi, attendentes multa contineri in prædicta declaratione, quæ etiam in Bulla Cœnæ Domini habentur, decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione Sixti IV. concessa est potestas absolvendi & dispensandi, licitè possint perpetuis futuris temporibus absolvere, & dispensare ab omnibus & singulis, ac si prædicta Bulla Cœnæ, facta non fuisset, nec fieret, præterquam à conspiratione in Pontificem Romanum, & ab illis, propter quæ Sixtus IV. declarando voluit, ad dictam Sedem meritò esse recurrendum, &c.*

5. Nec obstat dicere, quod prædictum privilegium, & similia hujus generis per clausulas derogatorias Bullæ Cœnæ, quæ quotannis apponuntur & leguntur, censentur revocata & abrogata; tùm quia in generali revocatione privilegiorum absolvendi à casibus Papæ reservatis, non comprehenduntur ea, quæ expressè absolutionem casuum dictæ Bullæ Cœnæ concedunt: nisi de iis fiat expressa mentio, hoc modo videlicet, quod dicti Prælati Regulares, per nullum privilegium possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ; etiamsi in iis authoritas ad eorum absolutionem concedatur; quod hucusque factum non est, ut docent *Rod. tom. 1. q. 20. ar. 9. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 2. num. 3. Peyr. tom. 1. privileg. in Const. Sixti IV. §. 6. nu. 10. Portell. in dub. ver. Abbas, nu. 12. P. Bannus in 2. p. Theolog. Moral. de censuris, disp. 3. tract. 2. q. 26. P. Sanctorus Melfiensis in suis Moralibus, cap. 2. statuto 14. & aliis citatis, Pelliz. to. 3. Manual. tract. 8. cap. 2. sect. 2. q. 1. nu. 33.* tum etiam, quia prædicta privilegia hanc absolutionem concedentia, sunt maximè favorabilia, & nulli præjudicium præferunt nisi concedenti; ergò sunt largè interpretanda per ea, quæ docet *Gutier. lib. 2. pract. quæst. q. 975. nu. 3.* tùm item, quia ratio, quæ movet Summos Pontifices ad hanc authoritatem Prælatis Religiosorum concedendam, in Ordine ad suos subditos, fuit ad tollendum eorum vagationes, & ad illorum quieti consulendum, ut colligitur ex eisdem privilegiis, nec non ex *cap. singula, de præbend. in 6. & cap. ut periculosa, ne Clerici vel Monachi in 6.* Sed hæ rationes movere debent, non minus Pontifices præsentes, qui non sunt minùs Patres, & pii Superiores Religiosorum, quàm illi præteriti, ergò cùm claré de eorum mente non constet, dicendum est, hucusque non revocasse præfata privilegia.

6. Neque his nocent *P. Diana 3. p. tract. 2. resolut. 72. & 8. p. tract. 7. Miscell. resolut. 50. & P. Franciscus Bordonus 1. p. resolut. 128. q. 1. num. 5. & in decisionibus Miscell. decis. 5.* quia ambo se fundant in Decreto Sacr. Congregat. jussu Urban. VIII. Romæ edito, die 17. Novembris

bris 1628. quod nullatenus loquitur de privileg. Prælat. Regularium, ad finem absolvendi Regulares subditos; sed ad finem absolvendi sæculares laicos, ut constat ex lectura ejusdem, ac etiam ex decisis *tom. 2. p. 3. tract. 11. de potestate absolvendi, q. 17.* ubi per extensum habes supradictum Decretum, & alia edita jussu Clem. VIII. & Pauli V. Unde *P. Baunius cit. loc. de censuris, q. 26.* dicit quod opinio Dianæ authoritati Prælatorum apprimè præjudicat, & eorum subditos privat necessario ad salutem remedio, & *P. Sanctor. cit. loc.* ait, quod opinio Bordon. nullâ ratione fulcitur.

TRACTATUS SEXTUS.

DE PRÆDICATORIBUS.

Quæst. 1. Prædicatio quid sit?

1. RESpondeo cum *Sylver. Prædicatio n. 1.* quod est sermo publicus, habens certam formam ex consuetudine introductam, utpote quod fiat in Ambone, divisus in duas partes cum benedictione in fine, sive quod Concionator habeat gradum distinctum quoad locum, utputa, quod stet in pulpito, communi loco designato ad publicas Conciones; quod invocet Spiritum Sanctum, salutet Beatissimam Virginem Mariam, & quod sumat Thema ex Evangelio currenti, vel ex alio loco sacræ Scripturæ, & benedicat populum in fine.

2. Dicitur *Sermo publicus*, ad differentiam exhortationum, quæ fiunt in scholis disciplinatorum, & Ecclesiis Monialium januis tamen clausis: nec non sermonum, qui fiunt in Refectoriis Religiosorum, vel aliquando in Ecclesiis solùm per quartam partem horæ, cùm à Patre Societatis recitatur Rosarium B.M.V. vel fit simile spirituale exercitium.

3. Dicitur *secundùm formam ex consuetudine introductam*, quia nullam habet à jure formam præscriptam, sed ex usu & hominum consuetudine, ad quod facit *S. Thom. Quolib. 12. ar. 28.* ibi, *Prædicatio autem est exhortatio & doctrina, si sit publica, respiciens totam Ecclesiam*, & id, quod dicit *Tabien. ver. prædicare, n. 1. Armilla eod. tit. & Lezana ver. concionari n. 2.*

Quæst. 2. An prædicatio sit licita in Ecclesia Dei?

1. AFfirmativè *S. Thom. 2.2. q. 188. ar. 4. ad quintum*, & liquet, tum ex parte populi; nam cum homo constet ex anima & corpore, indiget cibo spirituali pro anima, & materiali pro corpore, ut expressè dicitur in *cap. inter cætera, is, de officio Jud. Ordin.* ibi, *sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei*, tum etiam ex parte Ministri, ut dicitur *in d. cap. inter cætera, & Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform.* ibi, *non minus necessaria est Prædicatio Evangelii, quam lectio, & sess. 24. cap. 4. de Reform.* ibi, *quò frequentius possit ad fidelium salutem exerceri.*

2. Hanc necessitatem agnoscentes Christi Discipuli, satiùs & commodiùs duxerunt vacare Prædicationi verbi Dei, quàm ministrare mensis, *Actuum Apostol. 9.* & meritò, quia propositio Verbi Dei, est post Baptismum inter cætera ad salutem magis necessaria, ut dicitur *in d. cap. de off. Jud. Ordin.* ibi, *Inter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, Pabulum Verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium.*

****

Quæst. 3. Quibusnam liceat prædicare?

1. REspondet *S. Thom. in 4. sent. distin. 19. q. 2. de correptione fraterna ar. 2. ad quartum*, quod non licet alicui prædicare, nisi officium Prælationis habeat, vel ex auctoritate alicujus Prælatiam habentis, juxtà illud *Roman. X. quomodò prædicabunt, nisi mittantur*; & *in Quolib. 12. ar. 28.* dicit, (*quod nullus quantumcunque scientiæ magnæ, vel quantumcumque Sanctitatis; nisi missus à Deo, vel à Prælato, prædicare potest, quia nullum agens natum est agere, nisi suprà debitam materiam; prædicatio autem est exhortatio, & doctrina si sit publica respiciens totam Ecclesiam, & cura publica Ecclesiæ commissa est Prælatis, & ideò nullus debet aliquid exercere, quod requirat authoritatem publicam, nisi authoritate Prælati*, hæc ille.

2. Hinc plura inferuntur, Primò, quod munus prædicandi, primò, & principaliter spectat ad Papam; tum quia est summus & supremus Prælatus omnium Prælatorum Ecclesiæ, cui ex speciali Dei providentia commissum est generale, & speciale gubernium omnium Christi fidelium: tum etiam, quia ipse est successor Petri & Christi Vicarius, seu Vicegerens Dei incarnati, qui in ultimis tribus annis quotidiè docebat in templo, misitque discipulos suos in universum mundum prædicare Evangelum omni creaturæ, *Lucæ 1. & Matth. cap. 10.* ad quod facit, *cap. in memoriam distin. 19.*

3. Secundò infertur Prædicationem spectare ad Episcopos locorum, qui successerunt in locum Apostolorum, qui negligentes subministrare populo Verbum Dei per se, vel per alium, divinæ subjacent ultioni, ut expressè dicitur *in cap. inter cætera in fin. de off. Jud. ord.* & liquet ibi, *si quis autem hoc adimplere neglexerit, Divinæ subjaceat ultioni*, hæc ibi, quæ verba important peccatum mortale, etenim si Pater denegans alimenta filiis, dicitur graviter delinquere; *l. vel necare, ff. de alimentis præstandis*, eò fortiùs delinquit Prælatus denegans pabulum spirituale, quod est potiùs & melius pro salute animarum, ut docent *S. Thom. 2.2. q. 188. ar. 4.* & postillantes *in d. cap. inter cætera, D. Ricciull. in suis Lucubrat. lib. 5. cap. 1. n. 11.* & firmat *tex. cap. 2. sess. de reform.* ibi, *hoc est præcipuum Episcoporum munus, &c.* & repetitur *sess. 24. cap. 4. de reform.* ibi, *Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, &c.*

4. Tertiò infertur, dictam Prædicationem spectare ad eos omnes, qui ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel ex commissione Episcoporum intrà Diœceses suas commissum est tale munus exercere, juxta textum *d. cap. inter cætera de off. Jud. ordin.* ibi, *Ut Episcopi viros idoneos ad Sanctæ Prædicationis officium, salubriter exequendum assumant, &c.* & *Clem. Dudum de sepult.* ibi, *in Ecclesiis, aut Parochialibus Fratres illi nullatenùs audeant prædicare, nisi fratres prædicti &c.* ad quæ faciunt allegata per *D. Thom. 3. p. q. 71. ar. 4. in respons. ad tertium*, ibi, *secunda est instructio,*

tio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter se debet habere in susceptione Sacramentorum, & pertinet secundariò quidem ad ministros, principaliter autem ad Sacerdotes. Quarta est instructio de profundis mysteriis fidei, & perfectione Christianæ vitæ, & hæc ex officio pertinet ad Episcopos, hæc ille.

Quæst. 4. *An officium prædicandi possit demandari quibuscunque personis?*

1. QUæstio hæc unum supponit, & aliud quærit, supponit enim in prædicatione duo contineri, facultatem prædicandi scilicet, & actum Prædicationis, facultas est annexa curæ animarum, *cap. inter cætera, de officio Jud. Ordin. & Clem. Dudum de sepult. cap. Episcopus nullum, distin.* 88. *Trid. cap. 2. sess. 5. de Reform. & cap. 4. sess. 24. de Reform.* adeò, ut eo ipso, quo quis adipiscitur curam animarum, sortiatur facultatem prædicandi, *cap. quod Dei timorem in fin. de statu Monach.* & hoc ideo, quia facultas prædicandi emanat à jurisdictione; quam quis habet super animas fidelium, ut eruditè docet *S. Tho. in Quodlib 12 ar. 28.* & multis firmat *Navar. conf. 7. de off. delegat.* Actus verò prædicandi jure proprio, semper supponit jurisdictionem *ex d. cap. inter cætera,* cum aliis allegatis; potest tamen demandari personæ nullam jurisdictionem habenti, ut infrà immediatè dico: dummodò sit persona idonea ad prædicandum. Unde *S. Thom. in 4. sent. dist. 19. q. 2. ar. 2. ad quartum* dicit, quod munus prædicandi potest alicui convenire ex officio Prælationis, hoc est, de per se, ex quo intrinsecè continetur in Prælatione: alio modo ex officio ministerii, hoc est, per accidens, sicut Magister in Theologia docet ex ministerio sibi commisso.

2. Quæstio ergò est, an seclusâ facultate prædicandi, possit actus, seu exercitium Prædicationis committi quibuscunque personis.

3. *Emin. Cajet.* 2. 2. *q.* 187. *ar.* 1. §. *ad hoc dicitur,* existimat, hunc actum, seu hoc munus prædicandi, non posse demandari, nisi solis Præsbyteris, & Diaconis, quod intellige regulariter, de praxi scilicet & usu Ecclesiæ, ut infrà. Verùm noster *Sotus in 4. sent. distin. 91. ar. 6. & Suar. tom. 4. de Relig. lib. 6. c. 1. n. 12.* tenent contrarium; ex quo nullibi legitur, quod nullus nequeat prædicare, Prælatis & Diaconis exceptis: immò *in cap. prætereà de ætat. & qualit.* dicitur, quod subdiaconus potest assumi ad Parochialem Ecclesiam; at eo ipso, quo quis assumitur ad Parochiam, sortitur facultatem prædicandi, *cap. quod Dei timorem, de statu Monach.* ergò non solùm Diaconus, sed etiam subdiaconus potest de Jure assumi ad prædicandum, de per se, hoc est, præsupposito quod fuerit Parochus. Confirmatur, quia in ordinatione Diaconi non fit mentio aliqua de prædicatione, sed de lectione Evangelii in Ecclesia, *cap. 1. §. ad Diacon. 25. distin.* & constat ex *Pontificali Roman. sub Rubr. de Ordine Diaconatus,* & liquet ibi, *Accipe potestatem legendi Evangelia in Ecclesia S. Dei,* sed legere Evangelium & prædicare sunt diversa; quia illud est merè ordinis, *cap. 1. distin. 25. & cap. 2. dist. 92.* hoc autem est simplicis ministerii, *cap. final. in fin. de off. delegati,* ad quod facit Constit. Gregor. XIII. qua concessit Jesuitis, ut ipsorum fratribus, etiam non in sacris, sit integrum prædicare, ergò Religiosi tonsurati tantùm, in vim dictæ Constit. Gregorii XIII. possunt prædicare, de qua Constit. latè *Suar. cit. loc.*

4. Verùm potest dici, quod Cajetanus non dissentit ab his; qui licet loquantur de jure; Cajet. autem loquitur de praxi Ecclesiæ, nam Ecclesia nulli actum prædicationis committit nisi Sacerdotibus, vel Diaconis, seclusâ tamen absolutâ potestate Papæ. Quamobrem illi superiùs objecta intrinsecè non nocent; etenim ibidem Cajet. expressè dicit, quod cum prædicare non sit actus ordinis, potest consequenter omnibus demandari; idoneis tamen. Non gravabor tamen dicere, quod ad defensionem doctrinæ D. Thomæ dicentis, quod Prælatus prædicans in peccato mortali, peccat mortaliter: respondendo Cajet. ad partis instantiam, qua contendit non peccare mortaliter, ex quo prædicare non est actus Ordinis, subjungit, quod licet prædicare non sit actus Ordinis de per se, ex commissione tamen & praxi Ecclesiæ, est quid connexum actui Ordinis, & sic peccat mortaliter, quia violat communem ritum & praxim Ecclesiæ, & liquet ibi, *Sed quia tamen Ecclesiastica lege, supple exorta ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ talem actum prædicandi in pompa solemni in loco publico, cum lineo superpelliceo, sonatis Campanis, cum stola in collo, & benedictione in fine, non solet committere nisi Prælatis vel Diaconis,* & favet *Syl. ver. Prædicatio, q. 1.* ibi, *nisi Diacono per Episcopum committatur.*

Quæst. 5. *An Laicus possit prædicare ex dispensatione Apostolica?*

1. AFfirmat *Sylv. ver. Prædicatio, q. 1.* ibi, *non licet prædicare Laico, supple de per se, cap. sicut de uno de Haret. secùs autem ex commissione & delegatione Papæ;* & favet *Suar. to. 4. de Relig. lib. 9. cap. 1. num. 12.* & est communis; quia prædicatio non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, ut dictum est hic suprà *q.* 4.

2. Ea autem, quæ sunt jurisdictionis Ecclesiasticæ, possunt à Summo Pontifice demandari, etiam laico, *S. Thom. 2. 2. q. 187. ar. 1 in fin. corp.* ad quod item facit; quia Sacri Canones, non tam improbant prædicationem in laico, quam præsumptionem prædicandi de per se, ut constat ex *d. cap. sicut in uno de Hæreticis, & cap. cùm ex injuncta, & c. excommunicamus, §. quia verò,* ibi, *officium prædicationis usurpare præsumpserint eod. tit.* quæ verba important actum factum propriâ authoritate, ab eo, qui authoritatem non habet, ut post allegatos docet *D. Riccius l. lucubrat. Eccles. lib. 5. c. 9. n. 8.*

3. Amplia, ut nec qui diceret se missum à Deo, sit admittendus, nisi probet, sicut se probavit Moyses miraculo, *cap. cum ex adjuncto de Haret. & cap. reverà dist. 2. de consecr. & docet Syl. cit. loc. q. 1. in fin.*

4. An autem laicus possit prædicare de sola licentia Episcopi? affirmat *Glos. in cap. bona verb. præter Romanum, distin 96.* contrarium autem tenet *Suar. cit. loc. nu.* 10. Verùm *D. Ricc. cit. loc.* non aufert posse, seu facultatem ab Episcopis; sed existimat hujusmodi licentiam in laicis habere quandam indecentiam; tum quia teste *S. Thom. in 3. p. q. 71. ar. ult. & in 4. sent. distin. 19. q. 2. ar. 2.* Prædicatio versatur circa rudimenta fidei, ejusque profunda mysteria, de quibus dissere te proprium est Episcoporum & Sacerdotum; tum etiam, quia Laici ordinariè non sunt in sapientia versati, ut possit eis publica doctrina committi, ergò

Quæst. 6. *An fœminæ possit committi officium prædicationis?*

1. REspondeo negativè, regulariter tamen loquendo. Moveor, tum quia *Apostol. 1. Corinth. cap. 14.* jubet mulieres in Ecclesia tacere. Et ad *Timoth.* 2. eas docere non permittit; tum etiam ex *cap. mulier 29. distin.* 23. ubi textus ait, *Mulier quamvis docta & sancta, viros in Conventu docere non præsumat, & ex cap. Mulierem 17. 33. q. 5.* ubi sunt hæc formalia verba: *Mulierem constat subjectam dominio viri esse, & nullam authoritatem habere, nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, nec judicare &c.* Ad quod idem facit *cap. nova. 10. de pænit. & remiss.* ubi dicitur, *quod mulieres publicè prædicare absonum*

&

& absurdum est; non quod hoc munus sit intrinsecè malum; sed quia munus publicè prædicandi est valdè indecens mulieri, & sexu fœmineo alienum & extraneum, ut ex multis colligit *glos. in d. c. nova in ver. prædicare.*

2. Sed adverte, quod aliud est prædicare publicè in Ecclesia; & aliud privatè ad domesticos suos, intra parietes suæ habitationis. Unde Abbatissa absque ullo scrupulo, potest ad suas Moniales sermones spirituales habere, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 187. ar. 2. in solut.* quia in his privatis sermonibus cessant rationes, ob quas interdictum est mulieribus publicè in Ecclesia prædicare.

3. Dixi *regulariter loquendo*, quia in casu vero & gravi, ex dispensatione D. Papæ, licet eis publicè prædicare, ut docet *Glossa in d. cap. mulier 29. dist. 23.* & patet de nostra Seraphica S. Catharina Senensi, quæ jussu Summorum Pontificum, coràm Emin. Purpuratis multoties prædicavit.

Quæst. 7. An Populus possit cogi ad audiendum verbum Dei?

1. ET dico quod sic: non tamen per censuras, sed aliquo efficaci sermone, ut declaravit Sac. Congr. Episcoporum, die 15. Maii 1583. rescribens Episcopo Larienti, & Vicario Apostolico Florentino, teste *D. Ricciullo lucubrat. Eccles. lib. 5. cap. 1. nu. 15.* quæ etsi non referatur authenticè, non ideò est contemnenda, cùm constet de ejus die, & tempore, & persona, ad cujus instantiam facta fuit; ad quod facit *Trid. cap. 4. sess. 4. de reform.* ubi respectu puerorũ tantùm potest fulminari censura, si recusent fidei rudimenta addiscere; ad quod item facit illud *Lucæ 4. ibi, Exi cito in plateas, & vicos Civitatis, & pauperes & debiles & cæcos & claudos introduc in domum meam, &c.*

2. Hinc S. Sedes in terris Christianorum, in quibus extant Sinagogæ, Judæos compellit prædicationibus interesse semel in hebdomada ex Constit. Gregor. XIII. incip. *Sancta Mater Ecclesia,* & est 92. inter Bullas ejusdem in novo Bullario Cherubini.

3. Ad partes etiam Infidelium Prædicatores mittit, etiam suis sumptibus, ut omnes gentes trahat ad veritatem fidei, *cap. quàm sit laudabile de Judæis,* ut constat ex *Constit. Greg. XIII. 26. §. 8.* & docet de praxi *Peritissimus D. Clemens Galanus Surrentinus Theatin Neap. in 1. p. conciliat. Eccles. Armenæ cum Ecclesia Romana,* ubi de hujusmodi missionibus multa narrat digna notatu.

Quæst. 8. Prædicator quot conditiones debeat habere ad dignè prædicandum?

1. REspondeo, quod debet primò interiùs habere dilectionem ardentem, qua salutem Animarum in omnibus suis actionibus & studiis principaliter intendat. Secundò debet exteriùs habere conversationem relucentem, vita scilicet & honestate morum, ut suo exemplo Populum ædificet. Tertiò debet habere scientiam, & cognitionem scripturarum competentem, adeò ut magis utilia, quàm curiosa doceat, ut expresè dicitur in nostris *Constit. dist. 2. cap. 12. de prædicat. tex. 1. sub lit. A. fol. 160. col. 4. ibi, Prædicator imprimis, ut dignè prædicet, &c.*

2. Sed dices, quantam puritatem debet habere Prædicator, ad hoc, ut dignè prædicet? Et dico, quod hoc potest colligi ex doctrina *D. Thom. 4. sent. distin. 19. q. 2. ar. 2. quæstiuncula 2. ad quartum,* ubi hæc aurea verba profert

3. *Docere Sacram Scripturam dupliciter contingit. Uno modo ex officio Prælationis, sicut, qui prædicat docet; non enim licet alicui prædicare; nisi officiũ Prælationis habeat: vel ex authoritate alicujus Prlationem habentis, Rom. 10. quomodò prædicabunt, nisi mittantur; alio modo ex of[illegible] gisterii: sicut Magistri Theol. docent. dicunt ergo [illegible] quod ille, qui primo modo docet peccat m[illegible] cato mortali notorio, non autem ille, qui secundo m[illegible] Sed hoc est falsum, quia eorum, qui docent scripturam [illegible] dem finis & eorum, qui sacram scripturam ediderunt [illegible] de cum ad hoc ordinetur scriptura editio, ut ad vi[illegible] nam perveniat, ut patet Joan. 10. quicunque impe[illegible] doctrina docendo, peccat; impedit autem qui sacram [illegible] ram in peccato docet quia ore suo profitetur nosse D[illegible] ctis autem negat. & dicendum, quod illè, qui est [illegible] notorio peccat; sive sic, sive sic doceat: sed ille, qui est [illegible] occulto peccat, si primo modo doceat, non autem [illegible]*

4. Et licet *S. Thom.* videatur oppositum [illegible] fraternè corrigente *2. 2. q. 33. ar. 5.* & de ind[illegible] *ar. 2.* aliter tamen dicendum est de Prædicat[illegible] Unde *Cajet 2. 2. q. 187. ar. 1. & 3. p. q. 64 ar.* [illegible] *sione ad primum,* dicit actum prædicationis esse [illegible] ro actuum consecratorum, quos supra dixi [illegible] posse in peccato mortali, sine novo peccato [illegible] ctus ad quem Minister consecratur; nam ej[illegible] ex officio est Episcopus primariò, secundariò [illegible]

5. Nec obstat, hunc actum esse annexum [illegible] tio ex institutione Ecclesiæ; quia hoc ponit di[illegible] in origine à divina institutione, non autem in [illegible] ne; quia etiam institutio Ecclesiæ obligat ad [illegible] quod dictum Cajetani amplectitur noster *Festi[illegible] constit. de Prædicat. officio cap. 55. fol. 175. in fin.* [illegible] intellige præfatam doctrinam Cajetani, secund[illegible] gata hic suprà *qu. 4.*

6. Alii tamen loquendo de probitate P[illegible] dicunt, quod sufficit, si contra ejus mores nihil [illegible] tur, ut probat *tex. extrav. unic. §. verùm de Relig.* [illegible] bi, *Nec ulla super his est, aut fuit hactenùs mo[illegible] tra eos; nam cum in dubio quilibet præsumatur [illegible] vel de præsump. eo ipso, quo non probatur malus,* [illegible] *nus, l. meritò, ff. pro socio.*

7. Si verò roges, quanta debeat esse scienti[illegible] prædicandum? Dico, quod de hac re non [illegible] certa regula; cùm loco, tempori, & personis d[illegible] proportionata; sunt enim, qui ad illuminandos [illegible] & Hæreticos confutandos mittuntur; & hi d[illegible] potentes in opere & sermone, *cap. inter cæter.* [illegible] *ordin.* Alii tamen assumuntur ad viam perfecti[illegible] gendam, & hi debent habere efficaciam ser[illegible] qua immediatè infrà. Alii tandem mittuntur [illegible] erudiendam, & in his minor doctrina & perfe[illegible] gitur; in omnibus autem quoad doctrinam [illegible] cesse est, ut fidei dogmata & moralis doctrinæ [illegible] absque periculo erroris tradere possint, *Suar.* [illegible] *Relig. lib. 9. cap. 1. n. 20.*

8. Debet item Concionator ultrà prædict[illegible] tatem aliorum habere efficaciam loquendi & [illegible] cacia tria attendere: Primò quidem ut in[illegible] struat, quod fit dum aliquis loquitur, ut doce[illegible] dò, ut moveat affectum, quod fit dum aliquis l[illegible] ut delectet, non propter favorem suum, sed ut h[illegible] alliciantur ad libenter audiendum verbum Dei. T[illegible] ut animam flectat ad adimplendum ea, quæ doc[illegible] fit, dum aliquis sic loquitur, ut moveat: unde d[illegible] quod sermo Dei debet esse animatus, & quod t[illegible] actus prædicationis, docere, delectare & mo[illegible] docet expresè *S. Thom. 2. 2. q. 177. ar. 1. in c.* [illegible] *Utrum in sermone consistat aliqua gratia gratis* [illegible] Cajetanus loquendo de effectibus hujusm[illegible] dicit, quod quamvis hæc tria prædicta effect[illegible] esse ex arte humana, adhuc tamen Concio[illegible] illi habere à Spiritu Sancto, juxta verbum Ap[illegible] *illi per Spiritum datur sermo sapientiæ. ad* [illegible] *dificandi in membris Christi, in quo omn[illegible]*

constructa crescit in templum Sanctum in Domino. Unde idem Apostolus dicebat. *Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:* Hinc quidem fit, ut Prædicatoribus deficientibus à proprio principio, & proprio fine, & toto nisu quærentibus habere gratiam, ut in multitudine magna audiatur, impedimentum ponatur divinæ largitati, ad influxum gratiarum, quod est valde notandum ab his, qui de cœlo loquuntur, & terrena meditantur.

Quæst. 9. An prædicans in peccato mortali, peccet mortaliter?

1. AFfirmat *S. Thom. in 4. sent. distin. 19. q. 2. de correptione fraterna, ar. 2. ad 4.* si tamen incontritus prædicet; quod item replicat 2. 2. *q. 187. ar. 1. in princ. corp.* & movetur; tum quia prædicans in peccato mortali, sive prædicet ex officio Prælationis, sive ex officio ministerii, sive in peccato notorio, sive occulto; semper agit contra finem prædicationis, cujus est procurare, ut peccatores ad vitam æternam perveniant; tùm etiam, quia quantum est ex parte sua, contemptibile facit verbum Dei & nullius æstimationis; dum ore se profitetur nosse Deum, factis autem negat; & sic mentitur in re gravi; tum etiam, quia sic agit contra illud Dei dictum peccatori in *Psalm. 49. Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, existimasti iniquè, quod ero tui similis?* Supple docens bona, & faciens mala, quæ quippe existimatio est peccatum mortale; ergò sic prædicans, peccat mortaliter.

2. Hanc opinionem tenet *Card. Cajet. in cit. loc 2. 2. in princ. ar. & 3. p. q. 64. ar. 6. §. in responsione ad 1. & in summula ver. Prædicatorum peccata, §. 1.* ubi dicit, quod sic prædicans, facit injuriam prædicationi Christi, quod tamen verum intelligit in eo, qui sic indignè prædicat, ut prædicatione tanquàm declamatione abutatur, secùs autem, qui prædicat indignus, non ut prædicet indignus, sed vellet prædicare mundus, licet per accidens, ex humana passione & incuria indignus prædicet: & sic suam declaravit sententiam, quam priùs tenuit in præcitatis locis; & sequuntur *Navarr. in Manuali, cap. 25. de peccatis Prædicatorum, nu. 141. ver. secundò peccat, & Armill. ver. prædicare, n. 3.*

3. Neque his obstat *Sotus in 4. sent. distin. 1. q. 5. ar. 6. Medina C. de pœnit. tract. 1. q. 5.* & alii plures dicentes, quod non peccat, ex quo prædicare non est actus Ordinis sacri, qui solus est prohibitus fieri in peccato mortali, ut docet *S. Thom. in 3. p. cit. loc.* quia, ut dicit *Cajet. in prædicto loco 2. 2. & 3. p.* saltem de lege Ecclesiastica, seu de usu & praxi Ecclesiæ, est munus annexum Ordini sacro, & præcipuè consecrationi Episcopi & Sacerdotis: unde prædicare præcipuè convenit Episcopis. Secundò Sacerdotibus. Et tertiò Diaconis; quod dictum intellige de prædicatione in pompa Ecclesiæ, ut dictum est suprà, *qu. 4.* Hinc ad minùs prædicans in mortali, peccabit venialiter, si incontritus prædicet; est enim hujusmodi actio valde gravis, in qua operatur homo, ut organum Spiritus Sancti, & exindè oriatur scandalum, ita ut Auditores, saltem mentaliter ei dicant, hic labiis Deum honorat, factis autem negat, vel si dicant, hic benè dicit, sed non facit; væ illi, per quem scandalum venit, hoc est, ex his circumstantiis, utique peccabit mortaliter.

* * *
* *

Quæst. 10. An Parochi teneantur in Ecclesiis prædicare, quando & quomodo?

1. AFfirmativè deciditur *in cap. 2. sess. 5. Concil. Trid. de reform.* ibi, *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, Ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis: docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat: ut pœnam æternam evadere & cœlestem gloriam consequi valeant.* Hæc ibi. Et meritò; quia prædicare est pars curæ & de necessariis ad salutem, ut dictum est hic suprà, *q. 2.*

2. An autem Parochus volens prædicta facere, possit ab Episcopo impediri? Et dico quod non, regulariter tamen loquendo; quia nemo potest impediri ad exercendum officium suum, ad quod de jure tenetur: at vigore jam dicti Decreti Sac. Concil. Trident. Parochi tenentur, ut suprà prædicare; ergò impediri non possunt, ut docent *Armend. in Addit. ad legem Navarri, lib. 4. tit. 30. & D. Barbos. de potest. Episc. alleg. 76. nu. 9.* quod dictum habet locum, etiamsi Parochi concio fiat eâ horâ, quâ Episcopus prædicat, vel prædicare faciat solemniter coràm se, ut in facti contingentia respondit Sacra Congregatio Episcoporum, die 20. Februarii 1601. rescribens Episcopo Comensi, teste *D. Ricciull. lucubrat. Ecclesi. lib. 5. cap. 6. n. 2.*

3. Dixi *regulariter loquendo*, quia si Parochus esset indiscretus, aut si ex ejus prædicatione possent scandala oriri, in tali casu posset impediri ut probat *tex. Clem. 2. dudum de sepult.* ubi Episcopus potest mandare, ut in Ecclesiis Parochialibus prædicetur per Regulares, etiam invitis Parochis, & favet eruditissimus *D. Ricciull. cit loc. n. 5.*

Quæst. 11. An habens curam Animarum, teneatur petere licentiam ab Episcopo prædicandi in sua propria Parochia?

1. NEgativè dic: quia eo ipso, quo quis est provisus de Parochia; tenetur ad prædicationem ex officio, ut firmat *cap. inter cætera, de off. Jud. ordin. & Trid. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* & consequenter censetur approbatus ad omnia, quæ pertinent ad exercitium curæ Animarum, *argum. l. 2. de jurisd. omn. Jud.* & docet *D. Ricciul. cit. loc. cap. 12. nu. 5.* non tamen nego, quo minùs Parochus, volens prædicare in Adventu aut Quadragesima, in sua Ecclesia, teneatur ex urbanitate & decentia, benedictionem petere ab Ordinario loci, ut illius perplexitas evitetur, & sciat omnes prædicantes in sua Diœcesi.

2. Sed adverte, quod Parocho per seipsum concionanti in sua Parochia, non licet petere eleemosynam solitam dari Prædicatoribus ab Universitate electis sub prætextu cujuscunque paupertatis, ut decisum refert *D. Barbosa in Collect. ad dict. cap. 2. sess. 5. Trid. de Reform. n. 15.*

Quæst. 12. An Parochus solus possit Regularibus dare licentiam prædicandi in sua Parochia, semel, bis vel ter, inscio loci Episcopo?

1. QUod Parochi, & alii habentes curam animarum, possint concedere licentiã prædicandi in sua Parochia, approbatis tamen ab Ordinario, non cadit sub dubio, ut ex Sacra Congregatione decisum refert *D. Ricc.* 1. p.

1. p. decis. 755. in 1. edit. & D. Ricciull. lucubrat Eccles. lib. 5. cap. 12. nu 8. sed dubium est in non approbatis ab Ordinario? ad quod dubium respondent affirmativè *Innoc. III. in cap. cùm ab Ecclesiarum de offic. ordin. Hostiens.* ibidem, *Henriquez lib. 7. de Indulgen. cap. 16. ad finem*, *Miranda 1. p. Manual. q. 50. ar. 4.* & favet Doctissimus *D. Ricciull. cit. loc.* dummodò tamen Prædicator, cui fit hujusmodi facultas, sit per transitum in illa Parochia, insignis, doctus & notus tali Parocho, & moventur; tum quia in tali casu præsupponitur licentia tacita & interpretativa Episcopi, quam exigit *Trid. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de refor.* & docet *Lez. 1. p. summ. cap. 20. nu. 4.* tum etiam, quia Parochus in casu posito non contradicit Trident. *cit. loc.* propter parvitatem materiæ; quia ibi datur Episcopis facultas universalis & perpetua, quod est quid diversum à casu posito. *Cesped. de exempt. Regul. cap. 10. dub. 197. nu. 2.* sed non placet ob Constit. Gregorii XV. incip. *Inscrutabilis*, quæ huic limitationi resistit; tum item ex privilegio Gregorii XIII. qui concessit Societati Jesu, quod hujusmodi sacræ & utilissimæ Religionis Prædicatores, à suis Superioribus approbati, quandocunque sive mari, sive terra iter faciunt, possint, non repugnantibus Parochis, verbum Dei prædicare: dummodò id faciant in oppidis, aut locis, in quibus Ordinarii non existunt: cujus privilegii propria verba refert *Rodriquez tom. 3. q. 32. ar. 6. in fin.* ubi dicit, extendi ad omnes communicantes cum dicta Religione in privil. & hanc rationem ex privilegio amplectitur *D. Barbosa. in allegat. 76. nu. 25.* quibus ego addo, quod dato tali privilegio & admisso, quod non sit revocatum per dictam Constitutionem Gregorii XV incip. *Inscrutabili Dei providentiâ.* superflua est licentia Parochi: dummodò non contradicat, ut dicitur in dicto privilegio. Item additur, quod stante dicto privilegio, poterunt prædicare non solùm bis vel ter, verùm & semper. Verumtamen ego censeo, ob dictam Constitutionem Gregorii XV. hodie vacare, & nihil succi habere: ideoque in casu posito procedendum est cum magna cautela; quia hinc Tridentinum, illinc dicta Constitutio Gregorii XV. urget & clamat.

Quæst. 13. An Prælati Regulares habeant facultatem destinandi Prædicatores ad concionandum extrà sua Monasteria?

1. ET dico quod sic: concurrentibus tamen licentia Episcopi loci, in quo est prædicandum & idoneitate destinandorum; ducorque, tum quia Martinus IV. hæc nobis infrà scripta concessit.

Tibi filii Magister per te, vobis verò Provincialibus cum diffinitoribus Capituli Provincialis, plenam damus & concedimus authoritate præsentium, facultatem, committendi Fratribus vestri Ordinis, in sacra pagina eruditis & approbatis à vobis, prædicationis officium, districtiùs inhibentes, ne quis eos in exercitio, sive executione officiorum suorum, quomodolibet audeat impedire, &c.

2. Benedictus XI. idem concedit in suo privilegio 2. sub tali tenore. *Quare decernimus, ut Magister Generalis & Priores Provinciales, ac eorum Vicarii, de discretorum Concilio, ad tam salubre officium prædicandi, Fratres Divinâ scientiâ doctos, discretione vigentes, vitâ probatos, & expertos moribus, eligant & assumant, &c.*

3. Gregorius XIII. in sua Bulla 29. apud Roder. Societati Jesu hanc amplam gratiam concessit, quæ ob communicationem privil. extenditur ad omnes Regulares communicantes cum illis in privil. ut dictum est.

Nos igitur, &c. præsentium tenore declaramus, ut unicuique vestrum, etiam ad sacros Ordines non promotis, primâque tonsurâ tantùm insignitis, à proposito tamen approbatis, prædicationis munus ad Populum exercere posse liceat, districtiùs inhibentes universis locorum Ordinariis & aliis quacunque dignitate fulgentibus, ne vos in hujusmodi impedire aut molestare audeant. Hæc ibi, quæ cum supra narratis extendit noster *Festus in sum. Constit. c. 56. de Prædicatorum institutione, fol. 176.*

4. Dixi *concurrente licentia Episcopi loci*, quia hodie prædicta privilegia reperiuntur limitata per Decret. Concil. Trident. *sess. 5. cap. 2. de Reform. & sess. 24. cap. 4. de Reform.* quæ ita loquuntur.

5. *Regulares verò cujuscunque Ordinis: nisi à suis Superioribus, de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia personaliter se coràm Episcopo præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultrà licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint: ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.* Hæc ibi, & subsequentia *in c. 4. sess. 24. de Reform.*

6. *Nullus autem sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat*, hæc ibi, quæ cum majori emphasi reconfirmantur & stabiliuntur in dictâ Constitutione Gregorii XV. incip. *Inscrutabili Dei.*

7. Dixi, *& Idoneitate*; quia superiores in ordine nostro non possunt permittere juvenes non Sacerdotes ad prædicandum; etiam in villulis infrà ætatem viginti quinque annorum, & Romæ 1569. & Barcinonæ 1574. dicitur, *nullus mittatur ad prædicandum, nisi sit Sacerdos & per Biennium Theologiam audierit, etiam in oppidis*, ad quod facit *S. Thom. 3. p. qu. 76. ar. 1. ad primum*, ubi dicit, quod ad Diaconum pertinet recitare Evangelium in Ecclesia per modum Cathechizantis, sed docere & exponere Evangelium, pertinet propriè ex authoritate ad Episcopum, ex commissione verò ad Sacerdotem.

8. Hinc Romæ 1589. authoritate Apostolicâ ordinatum fuit sub præcepto formali, & pœna excommunicationis, ut nullus titulo aut officio prædicationis donetur, seu Prædicator instituatur: nisi saltem per integrum triennium Theologiam audierit, & per quinque deputatos examinatores, qui & ipsum concionantem audierint, ut nedum in literis & moribus, verùm etiam in aptitudine prædicandi judicium facere possint, cui ordinationi additum fuit Romæ 1601. & Vallisoleti, ut Prædicatores approbentur per vota secreta, & alia hujus generis refert prædictus noster *Festus in cap. 56. de* Prædicatorum institutione, quæ sunt notatu dignissima.

Quæst. 14. An Regulares possint prædicare sine licentia suorum Prælatorum?

1. DIvus Thomas in *Quolib. 12. ar. 28.* respondet negativè, & movetur ex illo *Apostoli ad Rom. 10. quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* quod dictum dicit habere locum in omni Regulari, etiamsi sit magnæ scientiæ vel quantumcunque Sanctitatis, ad quod item facit statutum Concilii Lateranensis, sub Innocentio III. quod habetur *in cap. excommunicamus, §. quia verò nonnulli 13. de Hæret.* ibi, *omnes qui prohibiti, vel non missi, præter authoritatem, Apostolicæ Sede vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodetur; & nisi quantociùs resipuerint, alia competenti pœna plectantur*, supple, *cum Glossa ibidem, prout Superiori visum fuerit.*

2. Hoc idem statuit Concilium Lateranense, sub Leone X. *sess. 11.* & novissimè *Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform.* ibi, *Regulares verò cujuscunque Ordinis: nisi à suis Supe-*

Superioribus, de vita, moribus & scientia examinati ac approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, &c. quod dictum reconfirmatur, *sess.* 24. *c.* 4. *de Refor.* ibi, *nullus autem, &c.*

3. Nec obstat dicere, quod prædicare est bonum aliis facere, sed ita est, quod debemus bonum operari ad omnes, teste Apostolo *ad Galat.* 6. ergò quia etsi unicuique liceat facere bonum sibi proportionatum, prædicare tamen non est omnibus proportionatum: unde necessariò requiritur approbatio superiorum, ne quis sub specie pietatis mortem inferat, ut docet *S. Thom. cit. loc.* & habetur *in textu d.* §. *quia verò nonnulli de Haret.*

4. Advertant tamen Prælati Regulares quod peccant mortaliter, si subditos ignorantes, & non idoneos ad concionandum licentient, tum propter abusum potestatis, tum etiam, quia violant Constitutionem Leonis X. incip. *supernæ Maiestatis*, & liquet ibi, *nullus ad hoc munus admittatur; nisi priùs per superiorem suum respectivè diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus,) ac morum honestate, doctrina, vitæ probitate, prudentia, &c.*

Quæst. 15. An Prædicatores sive sint Regulares, sive sæculares, peccent mortaliter & possint puniri, si prædicent sine licentia suorum Superiorum?

1. Affirmativa sententia apud me est indubitata: tum quia Prædicantes sine licentia sui Superioris, agunt contra illud Apostoli, *ad Rom.* 10. *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* tum quia hi in casu posito possunt excommunicari *ex cap. excommunicamus; de Haret.* excommunicatio autem secundùm communem sententiam, supponit peccatum mortale, ergò, tum item, quia agunt contra Decretum *cap.* 2. *Trid. sess.* 5. *de Refor.* cujus verba habes suprà per extensum *q.* 13. ergò aliter prædicantes, non solùm peccant mortaliter, verùm etiam possunt puniri pœna falsi, & uti violatores constitutionum Apostolicarum, & usurpatores alieni juris; tum tandem, quia ita statuit Leo X. in sua Bulla, edita in Concilio Lateranensi, incip. *Sacro approbante Concilio*, quam per extensum refert *Quaranta, ver. Prædicator*, ubi sic Prædicantes, ipso facto excommunicantur Papali excommunicatione D. Papæ reservatæ. ibi, *si quis autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, ultra pœnas contra tales à jure statutas, excommunicationis etiam sententiam, quæ non nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, eos incurrere volumus, & ut eorum exemplo, alii attentare similia minimè audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuò decernimus*, hæc ibi.

2. Ex quibus *Peyr. tom.* 1. *de subd. q.* 1. *cap.* 22. *vers. circa primum*, colligit, prædicantes sine licentia suorum Prælatorum, ultra peccatum mortale, esse ipso jure excommunicatos Papali excommunicatione, quod replicat *tom.* 3. *Privil. cap.* 2. *n.* 16.

3. Verùm non placet, quia *in dicto capitulo excommunicamus, de Haret.* excommunicatio non infligitur ipso jure, sed est comminatoria, & dicta Bulla Leonis X. non comprehendit prædicantes sine licentia suorum superiorum; sed prædicantes tempus determinatum, & certum futurorum malorum, & alia dissona Scripturæ Sacræ, & similia ibi contenta, inter quæ non reperitur id quod quæritur, ut constat ex lectura ejusdem Constitutionis & additur, quod quæd peccatū, possunt excusari à mortali propter parvitatem materiæ, ut si semel prædicent, vel innixi altari sermonem habeant. *Diana* 8. *p. tract.* 7. *Miscell. Resol.* 11. *in fin.* de quâ re legendi sunt *Cardin. Caiet. in sum. ver. Prædicatorum peccata in princip. Armill. ver. prædicare, Navar. in sum. latina cap.* 25. *n.* 141. & *Lezana ver. concionari, n.* 10. ubi ex multis ostendit, quod Regularis prædicans sine licentia sui superioris, non efficitur irregularis, quia non exercet actum Ordinis, & sic corrigit quod priùs dixerat, 1. *p. sum. cap.* 20. *n.* 1. ubi fuit secutus opinionem Peyrini.

Quæst. 16. An Regulares non approbati à suis Prælatis, possint approbari ab Episcopo loci, ad prædicandum in sua Diœcesi?

1. Negativè *R dor. tom.* 3. *q.* 32. *ar.* 5. *in fin.* & est decisio Conc. Lateranensis celebrati sub Leone X. *sess.* 11. *de modo prædicandi*, & *Conc. Trid. sess.* 5. *cap.* 2. *de Reform.* §. *si quæ verò, in fin.* quamobrem, si Ordinarius loci, licentiet Regularem ad prædicandum in sua Diœcesi, non priùs approbatum à suo Regulari Prælato, censetur, quod absit, usurpator alterius Juris, & violator Decretorum Conciliorum universalium, & consequenter valde reprehensibilis.

Quæst. 17. An Regulares prædicantes in suis vel alienis Ecclesiis, sine licentia vel benedictione Episcopi, possint ab eodem puniri?

1. Affirmativè deciditur in Constit. Gregor. XV. incip. *Inscrutabili Dei providentia de exempt. Privil.* quæ est 18. inter Bullas ejusdem in Bull. Cherub. *to.* 4. ubi in §. 6. hæc præcisa verba leguntur.

Ac demum habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis Delegatus, authoritatem coercendi ac puniendi quoscunque exemptos, tam sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint, ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea, quoquomodo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extrà visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis Delegati procedere omnemque jurisdictionem exercere liberè & licitè valeant. Hæc ibi.

2. Nec obstat, nec potest obstare *Diana* 7. *p. tr.* 12. *Miscell. Resol.* 25. dicens, dictam Constit. Gregorii XV. fuisse revocatam ab Urbano VIII. per aliam suam Constitutionem editam die 13. Maii 1625. ad instantiam omnium Regularium Hispaniæ, sub tali tenore:

3. *Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam, aliàs à nobis emanarunt litteræ tenoris sequentis, videlicet à tergo, dilecto filio nostro Balthasari S. R. E. Presbytero Cardinali de Sandaval nuncupato, Ecclesiæ ex concessione & dispensatione Apostolica præsuli. Intus verò. Urbanus Papa VIII. dilecte fili noster salutem & Apostolicam benedictionem Cùm sicut nuper nobis exponi fecisti in tuis Civitate & Diœcesi Giennens. multi diversorum Ordinum Religiosi, sub prætextu, quod ad sacras Confessiones audiendas, & Verbum Dei prædicandum semel approbati fuerint, absque tua licentia Confessiones prædictas audiant & verbum prædicent, non sine gravi Christi fidelium scandalo, & eorum salutis animarum detrimento, & licet per censuras & pœnas Ecclesiasticas contra eosdē processeris, utamen vigore cujusdam privilegii à fœl. record. Clem. Pap. VIII. ad favorē mendicantium emanati se ab alio, quàm à Romano Pontifice pro tempore existente, excommunicari minimè posse prætendant. Nos inconvenientibus hujusmodi juxtà creditum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium, quantum cum Domino possumus obviare teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc* humi-

1.p.decis.755.in 1.edit. & D. Ricciull. lucubrat Eccles. lib.5. cap. 12. nu 8. sed dubium est in non approbatis ab Ordinario? ad quod dubium respondent affirmativè *Innoc. III. in cap. cùm ab Ecclesiarum de offic. ordin. Hostiens.* ibidem, *Henriquez lib. 7. de Indulgen. cap.16. ad finem, Miranda 1.p. Manual.q. 50.ar. 4.* & favet Doctissimus *D. Ricciull. cit. loc.* dummodò tamen Prædicator, cui sit hujusmodi facultas, sit per transitum in illa Parochia, insignis, doctus & notus tali Parocho, & moventur; tum quia in tali casu præsupponitur licentia tacita & interpretativa Episcopi, quam exigit *Trid. sess. 5. c.2. & sess. 24. c.4. de refor.* & docet *Lez. 1.p. summ. cap. 20. nu. 4.* tum etiam, quia Parochus in casu posito non contradicit *Trident. cit. loc.* propter parvitatem materiæ; quia ibi datur Episcopis facultas universalis & perpetua, quod est quid diversum à casu posito. *Cesped. de exempt. Regul. cap. 10. dub. 197. nu. 2.* sed non placet ob Constit. Gregorii XV. incip. *Inscrutabili,* quæ huic limitationi resistit; tum item ex privilegio Gregorii XIII. qui concessit Societati Jesu, quod hujusmodi sacræ & utilissimæ Religionis Prædicatores, à suis Superioribus approbati, quandocunque sive mari, sive terra iter faciunt, possint, non repugnantibus Parochis, verbum Dei prædicare: dummodò id faciant in oppidis, aut locis, in quibus Ordinarii non existunt: cujus privilegii propria verba refert *Rodriquez tom. 3. q. 32. ar. 6. in fin.* ubi dicit, extendi ad omnes communicantes cum dicta Religione in privil. & hanc rationem ex privilegio amplectitur *D. Barbos. in allegat. 76. nu. 25.* quibus ego addo, quod dato tali privilegio & admisso, quod non sit revocatum per dictam Constitutionem Gregorii XV incip. *Inscrutabili Dei providentiâ.* superflua est licentia Parochi: dummodò non contradicat, ut dicitur in dicto privilegio. Item additur, quod stante dicto privilegio, poterunt prædicare non solùm bis vel ter, verùm & semper. Verumtamen ego censeo, ob dictam Constitutionem Gregorii XV. hodie vacare, & nihil fucci habere: ideoque in casu posito procedendum est cum magna cautela; quia hinc Tridentinum, illinc dicta Constitutio Gregorii XV. urget & clamat.

Quæst. 13. An Prælati Regulares habeant facultatem destinandi Prædicatores ad concionandum extrà sua Monasteria?

1. ET dico quod sic: concurrentibus tamen licentia Episcopi loci, in quo est prædicandum & idoneitate destinandorum; ducorque, tum quia Martinus IV. hæc nobis infrà scripta concessit.

Tibi fili Magister per te, vobis verò Provincialibus cum diffinitoribus Capituli Provincialis, plenam damus & concedimus authoritate præsentium, facultatem, committendi Fratribus vestri Ordinis, in sacra pagina eruditis & approbatis à vobis, prædicationis officium, districtiùs inhibentes, ne quis eos in exercitio, sive executione officiorum suorum, quomodolibet audeat impedire, &c.

2. Benedictus XI. idem concedit in suo privilegio 2. sub tali tenore. *Quare decernimus, ut Magister Generalis & Priores Provinciales, ac eorum Vicarii, de discretorum Concilio, ad tam salubre officium prædicandi, Fratres Divinâ scientiâ doctos, discretione vigentes, vitâ probatos, & expertos moribus, eligant & assumant, &c.*

3. Gregorius XIII. in sua Bulla 29. apud Roder. Societati Jesu hanc amplam gratiam concessit, quæ ob communicationem privil. extenditur ad omnes Regulares communicantes cum illis in privil. ut dictum est.

Nos igitur, &c. præsentium tenore declaramus, ut unicuique vestrum, etiam ad sacros Ordines non promotis, primâque tonsurâ tantùm insignitis, à proposito tamen approbatis, prædicationis munus ad Populum exercere posse liceat, districtiùs inhibentes universis locorum Ordinariis & aliis quacunque dignitate fulgentibus, ne vos in hujusmodi impedire aut molestare audeant. Hæc ibi, quæ cum supra narratis extendit noster *Festus in sum. Constit. c. 56. de Prædicatorum institutione, fol. 176.*

4. Dixi *concurrente licentia Episcopi loci*, quia hodie prædicta privilegia reperiuntur limitata per Decret. Concil. Trident. *sess. 5. cap. 2. de Reform. & sess. 24. cap. 4. de Reform.* quæ ita loquuntur.

5. *Regulares verò cujuscunque Ordinis: nisi à suis Superioribus, de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia personaliter se coràm Episcopo præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequàm prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultrà licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint: quam autem licentiam gratis Episcopi concedant.* Hæc ibi. & subsequentia *in c. 4. sess. 24. de Reform.*

6. *Nullus autem sæcularis, sivè Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat,* hæc ibi, quæ cum majori emphasi reconfirmantur & stabiliuntur in dicta Constitutione Gregorii XV. incip. *Inscrutabili Dei.*

7. Dixi, *& Idoneitate*; quia superiores in ordine nostro non possunt permittere juvenes non Sacerdotes ad prædicandum; etiam in villulis infrà ætatem viginti quinque annorum, & Romæ 1569. & Barcinonæ 1574. dicitur, *nullus mittatur ad prædicandum, nisi sit Sacerdos & per Biennium Theologiam audierit, etiam in oppidis,* ad quod facit *S. Thom. 3.p. qu. 76. ar. 1. ad primum,* ubi dicit, quod ad Diaconum pertinet recitare Evangelium in Ecclesia per modum Cathechizantis, sed docere & exponere Evangelium, pertinet propriè ex authoritate ad Episcopum, ex commissione verò ad Sacerdotem.

8. Hinc Romæ 1589. authoritate Apostolica ordinatum fuit sub præcepto formali, & pœna excommunicationis, ut nullus titulo aut officio prædicationis donetur, seu Prædicator instituatur: nisi saltem per integrum triennium Theologiam audierit, & per quinque deputatos examinatores, qui & ipsum concionantem audierint, ut nedum in literis & moribus, verùm etiam in aptitudine prædicandi judicium facere possint, cui ordinationi additum fuit Romæ 1601. & Vallisoleti, ut Prædicatores approbentur per vota secreta; & alia hujus generis refert prædictus noster *Festus in cap. 56. de* Prædicatorum institutione, quæ sunt notatu dignissima.

Quæst. 14. An Regulares possint prædicare sine licentia suorum Prælatorum?

1. D*ivus Thomas in Quolib. 12. ar. 28.* respondet negativè, & movetur ex illo *Apostoli ad Rom. 10. quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* quod dictum dicit habere locum in omni Regulari, etiamsi sit magnæ scientiæ vel quantumcunque Sanctitatis, ad quod item f[...] tutum Concilii Lateranensis, sub Innocentio I[...] habetur *in cap. excommunicamus, §. quia verò n[...] de Hæret.* ibi, *omnes qui prohibiti, vel non missi, [...] thoritatem, Apostolicæ Sede vel Catholico Epis[...] ceptam, publicè vel privatim prædicationis offic[...] præsumpserint, excommunicationis vinculo [...] nisi quantociùs resipuerint, alia competenti pœ[...] supple, cum Glossa ibidem, prout Superiori[...]*

2. Hoc idem statuit Concilium Later[...] ne X. *sess. 11,* & novissimè *Concil. Tri[...] Reform.* ibi, *Regulares verò cuj[...]*

superioribus, de vita, moribus & scientia examinati ac approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, &c. quod dictum econfirmatur, *sess. 24. c. 4. de Refor.* ibi, *nullus autem, &c.*.

3. Nec obstat dicere, quod prædicare est bonum aliis facere, sed ita est, quod debemus bonum operari ad omnes, teste Apostolo *ad Galat. 6.* ergò quia etsi unicuique liceat facere bonum sibi proportionatum, prædicare tamen non est omnibus proportionatum: unde necessariò requiritur approbatio superiorum, ne quis sub specie pietatis mortem inferat, ut docet *S. Thom. cit. loc.* & habetur *in textu d. §. quia verò nonnulli de Haret.*

4. Advertant tamen Prælati Regulares quod peccant mortaliter, si subditos ignorantes, & non idoneos ad concionandum licentient, tum propter abusum potestatis, tum etiam, quia violant Constitutionem Leonis X. incip. *supernæ Majestatis*, & liquet ibi, *nullus ad hoc munus admittatur; nisi priùs per superiorem suum respectivè diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus,) ac morum honestate, doctrina, vitæ probitate, prudentia, &c.*

Quæst. 15. An Prædicatores sive sint Regulares, sive sæculares, peccent mortaliter & possint puniri, si prædicent sine licentia suorum Superiorum?

1. AFfirmativa sententia apud me est indubitata: tum quia Prædicantes sine licentia sui Superioris, agunt contra illud Apostoli, *ad Rom. 10. quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* tum quia hi in casu posito possint excommunicari *ex cap. excommunicamus; de Haret.* excommunicatio autem secundùm communem sententiam, supponit peccatum mortale, ergò, tum item, quia agunt contra Decretum *cap. 2. Trid. sess. 5. de Refor.* cujus verba habes suprà per extensum *q. 13.* ergò aliter prædicantes, non solùm peccant mortaliter, verùm etiam possunt puniri pœna falsi, & uti violatores constitutionum Apostolicarum, & usurpatores alieni juris; tum tandem, quia ita statuit Leo X. in sua Bulla, edita in Concilio Lateranensi, incip. *Sacro approbante Concilio*, quam per extensum refert *Quaranta, ver. Prædicator,* ubi sic Prædicantes, ipso facto excommunicantur Papali excommunicatione D. Papæ reservatæ. ibi, *si quis autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, ultra pœnas contra tales à jure statutas, excommunicationis etiam sententiam, qua non nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, eos incurrere volumus, & ut eorum exemplo, alii attentare similia minimè audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuò decernimus,* hæc ibi.

2. Ex quibus *Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 22. vers. circa primum,* colligit, prædicantes sine licentia suorum Prælatorum, ultra peccatum mortale, esse ipso jure excommunicatos Papali excommunicatione, quod replicat *tom. 3. Privil. cap. 2. n. 16.*

3. Verùm non placet, quia *in dicto capitulo excommunicamus, de Haret.* excommunicatio non [illegible] ipso jure, sed est comminatoria, & dicta Bulla Leonis X. non comprehendit prædicantes sine licentia [illegible] superiorum; sed prædicantes tempus determinatum & certum futurorum malorum, & alia [illegible] Scripturæ Sacræ, & similia ibi contenta, inter [illegible] tur id quod quæritur, ut constat ex [illegible] stitutionis & additur, quod quan[illegible] cusari à mortali propter parvitatem [illegible] prædicent, vel innixi altari [illegible] *p. tract. 7. Miscell. R*[illegible] *Donati Pra*[illegible]

Cardin. Cajet. in sum. ver. Prædicatorum peccata in princip. Armill. ver. prædicare, Navar. in sum. latina cap. 25. n. 141. & Lezana ver. concionari, n. 10. ubi ex multis ostendit, quod Regularis prædicans sine licentia sui superioris, non efficitur irregularis, quia non exercet actum Ordinis, & sic corrigit quod priùs dixerat, *1. p. sum. cap. 20. n. 1.* ubi fuit secutus opinionem Peyrini.

Quæst. 16. An Regulares non approbati à suis Prælatis, possint approbari ab Episcopo loci, ad prædicandum in sua Diœcesi?

1. NEgativè *Rodr. tom. 3. q. 32. ar. 5. in fin.* & est decisio Conc. Lateranensis celebrati sub Leone X. *sess. 11. de modo prædicandi, & Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform. § si quæ verò, in fin.* quamobrem, si Ordinarius loci, licentiet Regularem ad prædicandum in sua Diœcesi, non priùs approbatum à suo Regulari Prælato, censetur, quod absit, usurpator alterius Juris, & violator Decretorum Conciliorum universalium, & consequenter valde reprehensibilis.

Quæst. 17. An Regulares prædicantes in suis vel alienis Ecclesiis, sine licentia vel benedictione Episcopi, possint ab eodem puniri?

1. AFfirmativè deciditur in Constit. Gregor. XV. incip. *Inscrutabili Dei providentia de exemt.* [illegible] quæ est 18. inter Bullas ejusdem in Bull. Cherub. [illegible] ubi *in §. 6.* hæc præcisa verba leguntur.

Ac demum habeat Episcopus, [illegible] *Delegatus, authoritatem coercendi ac puniendi* [illegible] *exemptos, tam sæculares, quam Regulares* [illegible] *Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum* [illegible] *centia; & in Ecclesiis suis* [illegible] *illius benedictione aut ipso contradicente* [illegible] *pserint, ita ut Episcopus* [illegible] *natas personas, in præmissis* [illegible] *quoquomodo delinquentes,* [illegible] *etiam extra visitationem* [illegible] *que pœnas,* [illegible] *jurisdictionem exercere* [illegible] hæc ibi.

2. Nec obstat, nec potest obstare [illegible] *p. n. 12. Miscell. Regul. 25.* dicens, dictam Constit. Gregorii XV. fuisse revocatam ab Urban. VIII per aliam suam Constitutionem editam die 12. Maii 1625. ad instantiam [illegible] nium Regularium Hispaniæ. sub tali tenore.

3. *Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam* [illegible] *lias à nobis emanarunt litteræ tenoris* [illegible] *tergo, dilecto filio nostro Balthasari S. R. E.* [illegible] *dinali de Sandoval nuncupato.* [illegible] *dispensatione Apostolica* [illegible] *Papa VIII. dilecte fili noster salutem* [illegible] *dictionem. Cum sicut nuper* [illegible] *vitatis & Decreti Germanos* [illegible] [illegible]

[illegible] si [illegible] obri- [illegible] pediretur [illegible] quod non

3. Hinc quidam probabiliter dicunt, prædictos Confessores in Ordine ad Religiosos sibi commissos, posse uti Privilegio Pauli III. Jesuitis concesso; ex eo, quia in dicto privilegio nulla reperitur limitatio aut restrictio, sed generalis concessio pro Præsbyteris Societatis, & pro quibuscunque fidelibus ad eos accedentibus, & pro quibuscunque casibus, exceptis contentis in Bulla Cœnæ Domini, ut melius est videre in dicta Bulla, quæ incipit, *cum inter cunctas*, quam per extensum refert *Casarubeus in comp. Privil. Mendic. ver. motus proprius fol. mihi* 545. in impress. Veneta, de anno 1617. *Rod. tom. 2. sui Bull.* & est septima inter Bullas ejusdem Pontificis, cujus verba ferè omnia examinat idem *Rod. 3. p. q. 32. ar. 5. & q. 20. ar. 1. & 1. p. q. 60 ar. 7. & 8. q. 61. ar. 5. & q. 63. ar. 4. & q. 42. ar. 1. & 2. & q. 56. ar. 3. & 4.* & liquet ibi, *nec non illis ex vobis, qui Presbyteri fuerint, quorumcunque utriusque sexus Christi fidelium, ad vos undecunque accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis ipsos & eorum singulos, ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus & delictis, quantumcuque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis ex ipsis casibus resultantibus, sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis, (exceptis contentis in Bulla, in die Cœnæ Domini, soluta est legi) absolvendi, ac eis pro commissis pœnitentiam salutarem injungendi, nec non vota quæcunque per eos pro tempore emissa (ultramarinis, visitationis liminum Beatorum Petri & Pauli Apostolorum de urbe, ac Sancti Jacobi in Compostella, nec non Religionis & Castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, &c.* hæc ibi, quâ quidem Bullâ ob communicationem privilegiorum uti possunt omnes Mendicantes, ut idem *Rod.* testatur *in exposit. Bullæ Cruciatæ, & Casarub. cit. loc. d. Bull.*

4. Dixi, *probabiliter dicunt*, quia reverà isthæc Bulla fuit Jesuitis concessa à Paulo III. in Ordine ad sæculares existentes in sæculo, non autem in Ordine ad Religiosos sibi subditos in Religione, ut ex textu apparet, & ex multis ostendit *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 9. tr. 10. cap. 2. n. 1. in fin.* ubi dicit, prædictam Bullam fuisse sibi concessam ante Concil. Trid. ac proindè Sacerdotes Societatis, tunc temporis ad prædicta exequendum, non indigebant approbatione D. Episcopi loci, nunc verò bene indigent, cùm subsint dispositioni Conc. Trid. *sess. 23. cap. 15. de reform.* & addit *n. 2.* quod prædicti Societatis Confessarii, ultra licentiam Ordinarii, egent licentiâ sui Prælati, secùs peccant etsi eorum absolutio & votorum commutatio aliàs valida foret, & ita tenent *Rod. in addit. sum. Moral. tom. 4. cap. 12. concl. 2. & Portell. in dub. ver. Confessor erga fratres, n. 16.* ubi subjungit: *proindè videat Confessor Regularis quid possit erga suos fratres, juxtà sua Privilegia, vel Regulam, vel statutum.*

5. *Rod. verò tom. 1. q. 62. ar. 6.* dicit, quod Confessor Regularis per privilegium Sixti IV. Mendicantibus concessum, & ibi extensum, potest semel in vita & in articulo mortis absolvere suos pœnitentes ab omnibus casibus & peccatis plenariè, nullo casu excepto cum omnimoda authoritate, ac dispensare cum illis in omni irregularitate, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, & Bigamia, & mutilatione membri, cui etiam favet *Portell. cit. loc. n. 16.*

6. Verùm *Lez. ubi suprà n. 18.* inquit, quod hodie prædictum privilegium Sixti IV. non valet: tum quia fuit concessum oraculo vivæ vocis, & oracula per Bullam Greg. XV. fuerunt abrogata, tum etiam, quia prædictum oraculum non fuit authenticum, ut constat ex Casarubeo, qui illud refert *in comp. privil. Mendic. ver. absolutio extraordinaria, quoad fratres, n. 5.* ubi notat illud, *ò parvo*, ad demonstrandum, quod apud ipsum oracula tali *ò parvo* signata, non fuerunt authentica.

7. Verumtamen præfatum *Lez.* dictum, ob multa mihi non arridet, tum quia oracula pro foro conscientiæ non intelliguntur revocata per ea, quæ dico *to. 1. p. 1. tra. 16. de revocat. oracul. q. 8.* & favent *Portell. in responsis in casu ultim. & Peyr. tom. 3. privil. in addit. ad Constit. Urban. VII. cap. 12. nu. 1. in fin.* tum etiam, quia oracula edita ab Officialibus Papæ, Conservatoribus Religionum, vel à Generalibus Ordinum, non censentur revocata, ut patet ex decisis, *cit. loc. q. 1. nu. 4. & q. 11. & 12.* tum item, quia oracula, quæ non sunt alteri præjudicialia, prout sunt hæc, de quibus est sermo, etiam hodie vigent, per ea, quæ dico *tom. 2. p. 3. tract. 11. de potest. dispensandi & absolvendi, q. 9. nu. 3.* & favet *Bordon. 1. p. var. resolut. 13. n. 14.* tum tandem, quia etiam oracula non authentica, per tot confirmationes privilegiorum à Romanis Pontificibus factas, fuerunt nedum confirmata, verùm etiam in privilegium translata, ut dixi *tom. 1. part. 1. tract. 2. de confirmat. privileg.*

8. Miranda verò eruditissimus Alumnus Ordinis Minorum, *tom. 2. Manual. q. 33. ar. 8. & 9.* ait, quod prædicti Confessores, quater in anno possunt Religiosos sibi pœnitentes absolvere plenariè ab omnibus peccatis, & censuris modo prædicto, & movetur ex quadam concessione facta Monialibus S. Claræ à Leone X. quæ habetur in supplemento Ordinis, *fol. 93. conclus. 290.* & refertur à *Casarubeo in compend. privil. ver. absolutio extraordinaria quoad fratres, §. 7.* in cujus fine ita legitur. *Et insuper placuit suæ Sanctitati, de benignitate Apostolicæ pietatis concedere facultatem earum Confessoribus, de licentia Prælatorum easdem audientibus, quod ea plenitudine eas absolvant, & illi statui innocentiæ restituant, quomodo sua Sanctitas faceret, si ipsamet in sua confessione auscultaret peccata.* Hæc ibi, quæ quidem concessio magna est, ipsaque fruuntur omnes Mendicantes, qui habent privilegium communicationis, ut idem *Miranda* ibi testatur, & sequitur *Portell. cit. loc. n. 25. in fine.*

9. Amplia, ut prædicti Confessores, ex concessione ejusdem Leon. X. facta eisdem Monialibus S. Claræ, possint suos Religiosos pœnitentes, præter quatuor dies prædictos, etiam absolvere modo, quo suprà, in omnibus diebus Domini Sabbaot, & B. Mariæ semper Virginis, ac Sancti Dominici, & S. Catharinæ de Senis, &c. *Miranda cit. loc.*

10. Item possunt prædicti Confessores, deputati erga Religiosos suos pœnitentes, agere totum illud, quod possunt eorum Prælati, vi Decreti *Concil. Trid. sess. 24. cap. liceat, 6. de refor.* exceptâ tamen hæresi: prout multis firmavi, *tom. 2. p. 3. tra. 10. de potest. Prælat. q. 7.* ubi ad hoc etiam habes declarationem, & extensionem per Pium V. nobis factam.

Quæst. 52. Quidnam possint Superiores Regulares erga suos subditos ad finem absolvendi, aut dispensandi in casibus Papalibus?

1. DE potestate Prælatorum Regularium ergà suos subditos, latè dixi *tom. 2. p. 3. tract. 11.* per totum & præcipuè *q. 8. & seq.* & etiam ad finem absolvendi à peccatis & censuris; necnon dispensandi super defectibus & irregularitatibus, *q. 17. 18. & 19.* quibus addenda sunt nostræ Religionis privilegia; nam Innoc. IV. suo privil. 23. concedit Magistro Ordinis & Provincialibus nostris, ut infrà.

2. *Nos itaque authoritate præsentium facultatem concedimus, ut singuli vestrum in propriis Provinciis sibi commissis fratribus ibidem constitutis, absolutione & dispensatione indigentibus, sive priusquam Ordinem intraverint, sive post, in casibus excesserint memoratis (scilicet quibus annexa est censura excommunicationis & nota irregularitatis) de Consilio discretorum fratrum vestrorum, qui literati sunt & Deum timentes, impartiri valeant beneficium absolutionis, & dispensare cum eis, juxta formam Archiepiscopis & Episcopis à*

S. Se-

Sede Apostolica traditam: nisi adeò fuerit gravis & enormis excessus, ut meritò sint ad Sedem Apostolicam destinandi.

3. Idem de verbo ad verbum confirmavit Alexander IV. in suo privileg. 25. nec non Greg. XI. in Bulla relata à Sixto IV. in Mari magno, ubi eandem authoritatem concessam Magistro Ordinis & Provincialibus, extendit ad Priores Conventuales & eorum vices gerentes; & addit facultatem absolvendi à casibus, quibus nedum annexa est censura excommunicationis, sed etiam suspensionis & interdicti.

4. Sixtus IV. in Mari magno prædictam relatam Constitutionem Greg. XI. approbat & addit ea, quæ sequuntur.

5. *Quia sæpè revocatur in dubium, qui sint meritò ad Sedem Apostolicam destinandi, ut absolventium ac dispensantium, nec non absolvendorum & dispensandorum puritati conscientiæ consulamus, declaramus Hæreticos, Schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad Infideles prohibita detulissent, dumtaxat esse meritò ad Sedem Apostolicam destinandos, &c.*

Et quia idem Sixtus IV. in Bulla, quæ dicitur aurea, restrinxit prædictam facultatem, ità ut ea solùm uti possint Magister Ordinis, & ejus Vicarius, ac illi quibus duxerit committendum, ideò aliam Constitutionem ipsemet Sixtus IV. promulgavit, quæ est ultima in nostro Bullario ibi.

6. *Dilectis filiis Vicariis fratrum observantiæ Hispaniæ, & Lombardiæ, Ordinis Prædicatorum, ac omnibus Prioribus & vicegerentibus eorundem fratrum salutem, &c. Volentes vestræ quieti consulere, supplicationibus inclinati, vobis & cuilibet vestrum facultatem & potestatem concedimus absolvendi & dispensandi cum fratribus, sicuti aliàs ex privil. quod dicitur Mare magnum, poteratis, antequam Bulla aurea emanasset, illa cæterisque contrariis non obstantibus, &c.*

7. Leo X. in privilegio 5. directo Generalibus Ordinis Mendicantium ita loquitur. *Nos cupientes fratres potiùs in suis Claustris Deo pro peccatis sacrificium offerre, quàm cum periculo animarum, & scandalo per longinqua itinera discurrere, vestris supplicationibus inclinati, vobis concedimus, & vobis per obitum, aut per amotionem à Generalatu absolutis, Vicariis vestris pro tempore, ac illis quibus vos specialiter duxeritis esse concedendum subditos vestros ab omnibus & singulis casibus & censuris, secundùm declarationem Julii II. prædecessoris nostri, absolvere possitis, non obstantibus restrictionibus, reservationibus, & ordinationibus Apostolicis super his in Concil. Lateranensi factis, quibus quoad præmissa derogamus, &c.* Ad quorum omnium expressiorem claritatem iterum quæro.

Quæst. 53. *An Prælati Regulares valeant suos subditos absolvere ab hæresi, occulta tamen, & in foro conscientiæ?*

1. REsponsio affirmativa constat ex decisis *to. 2. p. 3. tract. 11. de potest. dispens. & absolvendi. q. 18.* ubi ad intentum plura habes; quibus adde, quod Prælati Regulares erga suos, possunt totum illud, quod possunt dicti Episcopi erga suos subditos, vigore Decreti *cap. 6. Concil. Trid. sess. 24. de resor.* quod totum ad majorem certitudinem declaravit, & ad nos Dominicanos, & consequenter ad omnes nobiscum communicantes in privilegiis, extendit Pius V. sua Constit. incip. *Rom. Pontif.* quam per extensum habes, citato loco praxis, *tract. 10. q. 7. nu. 11.*

2. Nec obstat dicere, quod prædicta extensio fuerit revocata à Gregor. XIII. quando omnia privilegia à Pio V. nobis concessa, adversantia Tridentino, ad Terminos Concilii Tridentini reduxit: etenim isthæc concessio non adversatur Sac Concil. Trid. nec fuit nova concessio, sed ejusdem Concil. Tridentini interpretatio, ut constat ex illo verbo, *ne Regulares sint deterioris conditionis, &c.* item ex illo verbo, *Declaramus, &c.* qui enim declarat, nihil de novo dicit *Festus in summ. nostrarum Constit. 2. p. cap. 65. fol. mihi 149. & Egomet dixi cit. loc. 3. p. prax.*

3. Quibus tandem pro Coronide prædictorum omnium, addendum est privilegium à Jul. II. Cardinali Cajetano, tunc temporis Generali Magistro concessum, quo dictis Superioribus fit facultas absolvendi suos subditos ab omnibus casibus Papalibus, etiam Bullæ Cœnæ, occultis tamen & in foro conscientiæ tantùm, ut constat ex illo, quod est tenoris sequentis:

4. *Exponi nobis fecisti, quod Sixtus IV. prædecessor noster declaravit, in quibus casibus sit recurrendum ad Sedem Apostolicam, pro absolutione & dispensatione à censuris, & irregularitate &c. super fratres tuos, nihilominùs propter clausulas derogatorias positas in Bulla Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur, dubitas facultatem Ordini concessam esse ademptam, &c. Nos igitur volentes tollere occasionem vagandi, attendentes multa contineri in prædicta declaratione, quæ etiam in Bulla Cœna Domini habentur, decernimus, quod illi, quibus in prædicta declaratione Sixti IV. concessa est potestas absolvendi & dispensandi, licitè possint perpetuis futuris temporibus absolvere, & dispensare ab omnibus & singulis, ac si prædicta Bulla Cœnæ facta non fuisset, nec fieret, præterquam à conspiratione in Pontificem Romanum, & ab illis, propter quæ Sixtus IV. declarando voluit, ad dictam Sedem meritò esse recurrendum, &c.*

5. Nec obstat dicere, quod prædictum privilegium, & similia hujus generis per clausulas derogatorias Bullæ Cœnæ, quæ quotannis apponuntur & leguntur, censentur revocata & abrogata; tùm quia in generali revocatione privilegiorum absolvendi à casibus Papæ reservatis, non comprehenduntur ea, quæ expressè absolutionem casuum dictæ Bullæ Cœnæ concedunt: nisi de iis fiat expressa mentio, hoc modo videlicet, quod dicti Prælati Regulares, per nullum privilegium possint absolvere à casibus Bullæ Cœnæ; etiamsi in iis authoritas ad eorum absolutionem concedatur; quod hucusque factum non est, ut docent *Rod. tom. 1. q. 20. ar. 9. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 2. cap. 2. num. 3. Peyr. tom. 1. privileg. in Const. Sixti IV. §. 6 nu. 10. Portell. in dub. ver. Abbas, nu. 12. P. Bannius in 2. p. Theolog. Moral. de censuris, disp. 3. tract. 2. q. 26. P. Sanctorus Melfiensis in suis Moralibus, cap. 2. statuto 14. & aliis citatis, Pelliz. to. 3. Manual. tract. 8. cap. 2. sect. 2. q. 1. nu. 33.* tum etiam, quia prædicta privilegia hanc absolutionem concedentia, sunt maximè favorabilia, & nulli præjudicium præferunt nisi concedenti; ergò sunt largè interpretanda per ea, quæ docet *Gutier. lib. 2. pract. quæst. q. 975. nu. 3.* tùm item, quia ratio, quæ movet Summos Pontifices ad hanc authoritatem Prælatis Religiosorum concedendam, in Ordine ad suos subditos, fuit ad tollendum eorum vagationes, & ad illorum quieti consulendum, ut colligitur ex eisdem privilegiis, nec non ex *cap. singula, de præbend. in 6. & cap. ut periculosa, ne Clerici vel Monachi in 6.* Sed hæ rationes movere debent, non minus Pontifices præsentes, qui non sunt minùs Patres, & pii Superiores Religiosorum, quàm illi præteriti, ergò cùm clarè de eorum mente non constet, dicendum est, hucusque non revocasse præfata privilegia.

6. Neque his nocent *P. Diana 3. p. tract. 2. resolut. 72. & 8. p. tract. 7. Miscell. resolut. 50. & P. Franciscus Bordonus 1. p. resolut. 128. q. 1. num. 5. & in decisionibus Miscell. decis. 5.* quia ambo se fundant in Decreto Sacr. Congregat. jussu Urban. VIII. Romæ edito, die 17. Novembris

bris 1628. quod nullatenus loquitur de privileg. Prælat. Regularium, ad finem absolvendi Regulares subditos; sed ad finem absolvendi sæculares laicos, ut constat ex lectura ejusdem, ac etiam ex decisis *tom. 2. p. 3. tract. 11. de potestate absolvendi, q. 17.* ubi per extensum habes supradictum Decretum, & alia edita jussu Clem. VIII. & Pauli V. Unde *P. Baunius cit. loc. de censuris, q. 26.* dicit quod opinio Dianæ authoritati Prælatorum apprime præjudicat, & eorum subditos privat necessario ad salutem remedio, & *P. Sanctor. cit. loc.* ait, quod opinio Bordon. nullâ ratione fulcitur.

TRACTATUS SEXTUS.

DE PRÆDICATORIBUS.

Quæst. 1. Prædicatio quid sit?

1. Respondeo cum *Syl. ver. Prædicatio n. 1.* quod est sermo publicus, habens certam formam ex consuetudine introductam, utpote quod fiat in Ambone, divisus in duas partes cum benedictione in fine, sive quod Concionator habeat gradum distinctum quoad locum, utputa, quod stet in pulpito, communi loco designato ad publicas Conciones; quod invocet Spiritum Sanctum, salutet Beatissimam Virginem Mariam, & quod sumat Thema ex Evangelio currenti, vel ex alio loco sacræ Scripturæ, & benedicat populum in fine.

2. Dicitur *Sermo publicus*, ad differentiam exhortationum, quæ fiunt in scholis disciplinatorum, & Ecclesiis Monialium januis tamen clausis: nec non sermonum, qui fiunt in Refectoriis Religiosorum, vel aliquando in Ecclesiis solùm per quartam partem horæ, cùm à Patre Societatis recitatur Rosarium B.M.V. vel fit simile spirituale exercitium.

3. Dicitur *secundùm formam ex consuetudine introductam*, quia nullam habet à jure formam præscriptam, sed ex usu & hominum consuetudine, ad quod facit *S. Thom. Quolib. 12. ar. 28.* ibi, *Prædicatio autem est exhortatio & doctrina, si sit publica, respiciens totam Ecclesiam*, & id, quod dicit *Tabien. ver. prædicare, n. 1. Armilla eod. tit. & Lezana ver. concionari n. 2.*

Quæst. 2. An Prædicatio sit licita in Ecclesia Dei?

1. Affirmativè *S. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 4. ad quintum*, & liquet, tum ex parte populi; nam cum homo constet ex anima & corpore, indiget cibo spirituali pro anima, & materiali pro corpore, ut expressè dicitur in *cap. inter cætera, 15. de officio Jud. Ordin.* ibi, *sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo, quod procedit de ore Dei*, tum etiam ex parte Ministri, ut dicitur *in d. cap. inter cætera, & Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform.* ibi, *non minus necessaria est Prædicatio Evangelii, quam lectio, & sess. 24. cap. 4. de Reform.* ibi, *quò frequentius possit ad fidelium salutem exerceri.*

2. Hanc necessitatem agnoscentes Christi Discipuli, satiùs & commodiùs duxerunt vacare Prædicationi verbi Dei, quàm ministrare mensis, *Actuum Apostol. 9.* & meritò, quia propositio Verbi Dei, est post Baptismum inter cætera ad salutem magis necessaria, ut dicitur *in d. cap. de off. Jud. Ordin.* ibi, *Inter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, Pabulum Verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium.*

* * *

Quæst. 3. Quibusnam liceat prædicare?

1. Respondet *S. Thom. in 4. sent. distin. 19. q. 2. de correptione fraterna ar. 2. ad quartum*, quod non liceat alicui prædicare, nisi officium Prælationis habeat, vel ex auctoritate alicujus Prælatiam habentis, juxtà illud *Roman. X. quomodò prædicabunt, nisi mittantur*; & *in Quolib. 12. ar. 28.* dicit, (*quod nullus quantumcunque scientiæ magnæ, vel quantumcumque Sanctitatis; nisi missus à Deo, vel à Prælato, prædicare potest, quia nullum agens natum est agere, nisi suprà debitam materiam; prædicatio autem est exhortatio, & doctrina si sit publica respiciens totam Ecclesiam, & cura publica Ecclesiæ commissa est Prælatis, & ideò nullus debet aliquid exercere, quod requirat authoritatem publicam, nisi authoritate Prælati*, hæc ille.

2. Hinc plura inferuntur, Primò, quod munus prædicandi, primò, & principaliter spectat ad Papam; tum quia est summus & supremus Prælatus omnium Prælatorum Ecclesiæ, cui ex speciali Dei providentia commissum est generale, & speciale gubernium omnium Christi fidelium: tum etiam, quia ipse est successor Petri & Christi Vicarius, seu Vicegerens Dei incarnati, qui in ultimis tribus annis quotidiè docebat in templo, misitque discipulos suos in universum mundum prædicare Evangelium omni creaturæ, *Luca 1. & Matth. cap. 10.* ad quod facit, *cap. in memoriam distin. 19.*

3. Secundò infertur Prædicationem spectare ad Episcopos locorum, qui successerunt in locum Apostolorum, qui negligentes subministrare populo Verbum Dei per se, vel per alium, divinæ subjacent ultioni, ut expressè dicitur *in cap. inter cætera in fin. de off. Jud. ord.* & liquet ibi, *si quis autem hoc adimplere neglexerit, Divinæ subjaceat ultioni*, hæc ibi, quæ verba important peccatum mortale, etenim si Pater denegans alimenta filiis, dicitur graviter delinquere; *l. vel necare, ff. de alimentis præstandis*, eò fortiùs delinquit Prælatus denegans pabulum spirituale, quod est potiùs & melius pro salute animarum, ut docent *S. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 4.* & post scribentes *in d. cap. inter cætera, D. Ricciull. in suis Lucubrat. lib. 5. cap. 1. n. 11.* & firmat *tex. cap. 2. sess. de reform.* ibi, *hoc est præcipuum Episcoporum munus, &c.* & repetitur *sess. 24. cap. 4. de reform.* ibi, *Prædicationis munus, quod Episcoporum præcipuum est, &c.*

4. Tertiò infertur, dictam Prædicationem spectare ad eos omnes, qui ex privilegio Sedis Apostolicæ, vel ex commissione Episcoporum intrà Diœceses suas commissum est tale munus exercere, juxta textum *d. cap. inter cætera de off. Jud. ordin.* ibi, *Ut Episcopi viros idoneos ad Sancta Prædicationis officium, salubriter exequendum assumant, &c.* & *Clem. Dudum de sepult.* ibi, *in Ecclesiis, aut Parochialibus Fratres illi nullatenus audeant prædicare, nisi fratres prædicti &c.* ad quæ faciunt allegata per *D. Thom. 3. p. q. 71. ar. 4. in respons. ad tertium*, ibi, *secunda est instru-*

ctio,

ctio, qua quis eruditur de fidei rudimentis, & qualiter se debet habere in susceptione Sacramentorum, & pertinet secundariò quidem ad ministros, principaliter autem ad Sacerdotes. Quarta est instructio de profundis mysterii fidei, & perfectione Christiana vita, & hac ex officio pertinet ad Episcopos, hæc ille.

Quæst. 4. An officium prædicandi possit demandari quibuscunque personis?

1. QUæstio hæc unum supponit, & aliud quærit, supponit enim in prædicatione duo contineri, facultatem prædicandi scilicet, & actum Prædicationis, facultas est annexa curæ animarum, *cap. inter cætera, de officio Jud. Ordin. & Clem. Dudum de sepult. cap. Episcopus nullum, distin.* 88. *Trid. cap.* 2. *sess.* 5. *de Reform. & cap.* 4. *sess.* 24. *de Reform.* adeò, ut eo ipso, quo quis adipiscitur curam animarum, sortiatur facultatem prædicandi, *cap. quod Dei timorem in fin. de statu Monach.* & hoc ideo, quia facultas prædicandi emanat à jurisdictione; quam quis habet super animas fidelium, ut eruditè docet *S. Tho. in Quodlib* 12. *ar.* 28. & multis firmat *Navar. cons.* 7. *de off. delegat.* Actus verò prædicandi jure proprio, semper supponit jurisdictionem *ex d. cap. inter cætera*, cum aliis allegatis; potest tamen demandari personæ nullam jurisdictionem habenti, ut infrà immediatè dico: dummodò sit persona idonea ad prædicandum. Unde *S. Thom. in* 4. *sent. dist.* 19. *q.* 2. *ar.* 2. *ad quartum* dicit, quod munus prædicandi potest alicui convenire ex officio Prælationis, hoc est, de per se, ex quo intrinsecè continetur in Prælatione: alio modo ex officio ministerii, hoc est, per accidens, sicut Magister in Theologia docet ex ministerio sibi commisso.

2. Quæstio ergò est, an seclusâ facultate prædicandi, possit actus, seu exercitium Prædicationis committi quibuscunque personis.

3. *Emin. Cajet.* 2. 2. *q.* 187. *ar.* 1. §. *ad hoc dicitur*, existimat, hunc actum, seu hoc munus prædicandi, non posse demandari, nisi solis Præsbyteris & Diaconis, quod intellige regulariter, de praxi scilicet & usu Ecclesiæ, ut infrà. Verùm noster *Sotus in* 4. *sent. distin.* 91. *ar.* 6. *& Suar. tom.* 4. *de Relig. lib.* 6. *c.* 1. *n.* 12. tenent contrarium; ex quo nullibi legitur, quod nullus nequeat prædicare, Prælatis & Diaconis exceptis: immò *in cap. præterea de ætat. & qualit.* dicitur, quod subdiaconus potest assumi ad Parochialem Ecclesiam; at eo ipso, quo quis assumitur ad Parochiam, sortitur facultatem prædicandi, *cap. quod Dei timorem, de statu Monach.* ergò non solùm Diaconus, sed etiam subdiaconus potest de Jure assumi ad prædicandum, de per se, hoc est, præsupposito quod fuerit Parochus. Confirmatur, quia in ordinatione Diaconi non fit mentio aliqua de prædicatione, sed de lectione Evangelii in Ecclesiâ, *cap.* 1. §. *ad Diacon.* 25. *distin.* & constat ex *Pontificali Roman. sub Rubr. de Ordine Diaconatus*, & liquet ibi. *Accipe potestatem legendi Evangelia in Ecclesia S. Dei*, sed legere Evangelium & prædicare sunt diversa; quia illud est merè ordinis, *cap.* 1. *distin.* 25. *& cap.* 2. *dist.* 92. hoc autem est simplicis ministerii, *cap. final. in fin. de off. delegati*, ad quod facit Constit. Gregor. XIII. qua concessit Jesuitis, ut ipsorum fratribus, etiam non in sacris, sit integrum prædicare, ergò Religiosi tonsurati tantùm, in vim dictæ Constit. Gregorii XIII. possunt prædicare, de qua Constit. latè *Suar. cit. loc.*

4. Verùm potest dici, quod Cajetanus non dissentit ab his; qui licet loquantur de jure; Cajet. autem loquitur de praxi Ecclesiæ, nam Ecclesia nulli actum prædicationis committit nisi Sacerdotibus, vel Diaconis, seclusâ tamen absolutâ potestate Papæ. Quamobrem illi superiùs objecta intrinsecè non nocent; etenim ibidem Cajet. expressè dicit, quod cum prædicare non sit actus ordinis, potest consequenter omnibus demandari; idoneis tamen. Non gravabor tamen dicere, quod ad defensionem doctrinæ D. Thomæ dicentis, quod Prælatus prædicans in peccato mortali, peccat mortaliter: respondendo Cajet. ad partis instantiam, qua contendit non peccare mortaliter, ex quo prædicare non est actus Ordinis, subjungit, quod licet prædicare non sit actus Ordinis de per se, ex commissione tamen & praxi Ecclesiæ, est quid connexum actui Ordinis, & sic peccat mortaliter, quia violat communem ritum & praxim Ecclesiæ, & liquet ibi, *Sed quia tamen Ecclesiastica lege, supple exorta ex usu & praxi Ecclesiæ, quæ talem actum prædicandi in pompa solemni in loco publico, cum lineo superpelliceo, sonatis Campanis, cum stola in collo, & benedictione in fine, non solet committere nisi Prælatis vel Diaconis*, & favet *Syl. ver. Prædicatio, q.* 1. ibi, *nisi Diacono per Episcopum committatur.*

Quæst. 5. An Laicus possit prædicare ex dispensatione Apostolica?

1. AFfirmat *Sylv. ver. Prædicatio, q.* 1. ibi, *non licet prædicare Laico, supple de per se, c. sp. sicut de uno de Haret. secùs autem ex commissione & delegatione Papæ*; & favet *Suar. to.* 4. *de Relig. lib.* 9. *cap.* 1. *num.* 12. & est communis; quia prædicatio non est actus Ordinis, sed jurisdictionis, ut dictum est hic suprà *q.* 4.

2. Ea autem, quæ sunt jurisdictionis Ecclesiasticæ, possunt à Summo Pontifice demandari, etiam laico, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 187. *ar.* 1 *in fin. corp.* ad quod item facit; quia Sacri Canones, non tam improbant prædicationem in laico, quam præsumptionem prædicandi de per se, ut constat ex *d. cap. sicut in uno de Hæreticis, & cap. cùm ex injuncta, & c. excommunicamus*, §. *quia verò*, ibi, *officium prædicationis usurpare præsumpserint eod. tit.* quæ verba important actum factum propriâ authoritate, ab eo, qui authoritatem non habet, ut post allegatos docet *D. Riccius. lucubrat. Eccles. lib.* 5. *c.* 9. *n.* 8.

3. Amplia, ut nec qui diceret se missum à Deo, sit admittendus, nisi probet, sicut se probavit Moyses miraculo, *cap. cum ex adjuncto de Hæret. & cap. reverà dist.* 2. *de consecr. & docet Syl. cit. loc. q.* 1. *in fin.*

4. An autem laicus possit prædicare de sola licentia Episcopi? affirmat *Glos. in cap. bona verb. præter Romanum, distin* 96. contrarium autem tenet *Suar. cit. loc. nu.* 10. Verùm *D. Ricc. cit. loc.* non aufert posse, seu facultatem ab Episcopis; sed existimat hujusmodi licentiam in laicis habere quandam indecentiam; tum quia teste *S. Thom. in* 3. *p. q.* 71. *ar. ult. & in* 4. *sent. distin.* 19. *q.* 2. *ar.* 2. Prædicatio versatur circa rudimenta fidei, ejusque profunda mysteria, de quibus differere proprium est Episcoporum & Sacerdotum; tum etiam, quia Laici ordinariè non sunt in sapientia versati, ut possit eis publica doctrina committi, ergò

Quæst. 6. An fœmina possit committi officium prædicationis?

1. REspondeo negativè, regulariter tamen loquendo. Moveor, tum quia *Apostol.* 1. *Corinth. cap.* 14. jubet mulieres in Ecclesia tacere. Et ad *Timoth.* 2. eas docere non permittit; tum etiam ex *cap. mulier* 29. *distin.* 23. ubi textus ait, *Mulier quamvis docta & sancta, viros in Conventu docere non præsumat*, & ex *cap. Mulierem* 17. 33. *q.* 5. ubi sunt hæc formalia verba: *Mulierem constat subjectam dominio viri esse, & nullam authoritatem habere, nec docere enim potest, nec testis esse, neque fidem dare, nec judicare &c.* Ad quod idem facit *cap. novit.* 10. *de pœnit. & remiss.* ubi dicitur, *quod mulieres publicè prædicare absonum &*

& absurdum est; non quod hoc munus sit intrinsecè malum; sed quia munus publicè prædicandi est valdè indecens mulieri, & sexu fœmineo alienum & extraneum, ut ex multis colligit *gloss. in d.c. nova in ver. prædicare*.

2. Sed adverte, quod aliud est prædicare publicè in Ecclesia; & aliud privatè ad domesticos suos, intra parietes suæ habitationis. Unde Abbatissa absque ullo scrupulo, potest ad suas Moniales sermones spirituales habere, ut docet *S. Thom. 2.2.q.187. ar. 2. in solut.* quia in his privatis sermonibus cessant rationes, ob quas interdictum est mulieribus publicè in Ecclesia prædicare.

3. Dixi *regulariter loquendo*, quia in casu vero & gravi, ex dispensatione D. Papæ, licet eis publicè prædicare, ut docet *Glossa in d. cap. mulier 29. dist. 23.* & patet de nostra Seraphica S. Catharina Senensi, quæ jussu Summorum Pontificum, coràm Emin. Purpuratis multoties prædicavit.

Quæst. 7. An Populus possit cogi ad audiendum verbum Dei?

1. ET dico quod sic: non tamen per censuras, sed aliquo efficaci sermone, ut declaravit Sac. Congr. Episcoporum, die 15. Maii 1583. rescribens Episcopo Lariensi, & Vicario Apostolico Florentino, teste *D. Riccinllo lucubrat. Ecclef. lib. 5. cap. 1. nu. 15.* quæ etsi non referatur authenticè, non ideò est contemnenda, cùm constet de ejus die, & tempore, & persona, ad cujus instantiam facta sunt; ad quod facit *Trid. cap. 4. sess. 4. de reform.* ubi respectu puerorũ tantùm potest fulminari censura, si recusent fidei rudimenta addiscere; ad quod item facit illud *Lucæ 4.* ibi, *Exi citò in plateas, & vicos Civitatis, & pauperes & debiles & cæcos & claudos introduc in domum meam, &c.*

2. Hinc S. Sedes in terris Christianorum, in quibus extant Sinagogæ, Judæos compellit prædicationibus interesse semel in hebdomada ex Constit. Gregor. XIII. incip. *Sancta Mater Ecclesia*, & est 92. inter Bullas ejusdem in novo Bullario Cherubini.

3. Ad partes etiam Infidelium Prædicatores mittit, etiam suis sumptibus, ut omnes gentes trahat ad veritatem fidei, *cap. quàm sit laudabile de Judæis*, ut constat ex *Constit. Greg. XIII. 26. §. 8.* & docet de praxi *Peritissimus D. Clemens Galanus Surrentinus Theatin Neap. in 1. p. conciliat. Ecclef. Armenæ cum Ecclesia Romana*, ubi de hujusmodi missionibus multa narrat digna notatu.

Quæst. 8. Prædicator quot conditiones debeat habere ad dignè prædicandum?

1. REspondeo, quod debet primò interiùs habere dilectionem ardentem, qua salutem Animarum in omnibus suis actionibus & studiis principaliter intendat. Secundò debet exteriùs habere conversationem relucentem, vitâ scilicet & honestate morum, ut suo exemplo Populum ædificet. Tertiò debet habere scientiam, & cognitionem scripturarum competentem, adeò ut magis utilia, quàm curiosa doceat, ut expressè dicitur in nostris *Constit. dist 2. cap. 12. de prædicat. tex. 1 sub lit. A. fol. 160. col. 4.* ibi, *Prædicator inprimis, ut dignè prædicet, &c.*

2. Sed dices, quantam puritatem debet habere Prædicator, ad hoc, ut dignè prædicet? Et dico, quod hoc potest colligi ex doctrina *D. Thom. 4. sent. distin. 19. q. 2. ar. 2. quæstiuncula 2. ad quartum*, ubi hæc aurea verba profert.

3. *Docere Sacram Scripturam dupliciter contingit. Uno modo ex officio Prælationis, sicut, qui prædicat docet; non enim licet alii prædicare; nisi officiũ Prælationis habeat: vel ex authoritate alicuius Prælationem habentis, Rom. 10. quomodò prædicabunt, nisi mittantur; alio modo ex officio magisterii: sicut Magistri Theol. docent. dicunt ergo quidam, quod ille, qui primo modo docet peccat mortaliter si sit in peccato mortali notorio, non autem ille, qui secundo modo docet. Sed hoc est falsum, quia eorum, qui docent scripturam idem finis & eorum, qui sacram scripturam ediderunt. Unde cum ad hoc ordinetur scriptura editio, ut ad vitam æternam perveniat, ut patet Joan. 10. quicunque impedit finem doctrinæ docendo, peccat; impedit autem qui sacram scripturam in peccato docet. quia ore suo profitetur nosse Deum, factis autem negat, & dicendum, quod ille, qui est in peccato notorio peccat; sive sic, sive sic doceat: sed ille, qui est in occulto peccato; si primo modo doceat, non autem si secundo.*

4. Et licet *S. Thom.* videatur oppositum docere fraternè corrigente *2.2. q. 33. ar. 5.* & de iudicante [illegible] *ar. 2.* aliter tamen dicendum est de Prædicatore [illegible] Unde *Caiet 2.2. q.187. ar. 1. & 3. p. q. 64. ar. 6.* [illegible] *sione ad primum*, dicit actum prædicationis esse de [illegible]ro actuum consecratorum, quos supra dixerat [illegible] posse in peccato mortali, sine novo peccato [illegible] ctus ad quem Minister consecratur; nam ejus M[illegible] ex officio est Episcopus primariò, secundariò S[illegible]

5. Nec obstat, hunc actum esse annexum S[illegible]tio ex institutione Ecclesiæ; quia hoc ponit diff[illegible] in origine à divina institutione, non autem in [illegible]ne; quia etiam institutio Ecclesiæ obligat ad [illegible] quod dictum Cajetani amplectitur noster *Fest[illegible] constit. de Prædicat. officio cap. 55. fol. 175. in fin.* [illegible] intellige præfatam doctrinam Cajetani, secundùm [illegible]gata hic suprà *qu. 4.*

6. Alii tamen loquendo de probitate Prædica[illegible] dicunt, quod sufficit, si contra ejus mores nihil [illegible]tur, ut probat *tex. extrav. unic. §. verùm de Relig.* [illegible]bi, *Nec ulla super his est, aut fuit hactenùs mota [illegible] contra eos; nam cum in dubio quilibet præsumatur b[illegible] vel de præsump. eo ipso, quo non probatur malus,* [illegible] *nus, l. meritò, ff. pro socio.*

7. Si verò roges, quanta debeat esse scientia [illegible] prædicandum? Dico, quod de hac re non [illegible] certa regula; cùm loco, tempori, & personis d[illegible] proportionata; sunt enim, qui ad illuminandos [illegible] & Hæreticos confutandos mittuntur; & hi de[illegible] potentes in opere & sermone, *cap. inter cætera de ordin.* Alii tamen assumuntur ad viam perfectionis [illegible]gendam, & hi debent habere efficaciam ser[illegible] quâ immediatè infrà. Alii tandem mittuntur ad [illegible] erudiendam, & in his minor doctrina & perfe[illegible]gitur; in omnibus autem quoad doctrinam a[illegible] cesse est, ut fidei dogmata & moralis doctrinæ pr[illegible] absque periculo erroris tradere possint, *Suar.* [illegible] *Relig. lib. 9. cap. 1. n. 20.*

8. Debet item Concionator ultrà prædicta, [illegible]tatem aliorum habere efficaciam loquendi & [illegible]cacia tria attendere: Primò quidem ut int[illegible] struat, quod fit dum aliquis loquitur, ut doceat. S[illegible]dò, ut moveat affectum, quod fit dum aliquis lo[illegible] ut delectet, non propter favorem suum, sed ut [illegible] alliciantur ad libenter audiendum verbum Dei. T[illegible] ut animam flectat ad adimplendum ea, quæ doce[illegible] fit, dum aliquis sic loquitur, ut moveat: unde [illegible] quod sermo Dei debet esse animatus, & quod [illegible] actus prædicationis, docere, delectare & mo[illegible] docet expressè *S. Thom. 2.2. q. 177. ar. 1. in c. o.* sub [illegible] *Utrum in sermone consistat aliqua gratia gratis* [illegible] Cajetanus loquendo de effectibus hujusmodi [illegible] dicit, quod quamvis hæc tria prædicta effect[illegible] esse ex arte humana, adhuc tamen Concion[illegible] illa habere à Spiritu Sancto, juxta verbum Ap[illegible] *illi per Spiritum datur sermo sapientiæ ad finem* [illegible] *dificandi in membris Christi, in quo omnis* [illegible] *consist[illegible]*

constructa crescit in templum Sanctum in Domino. Unde idem Apostolus dicebat. *Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis:* Hinc quidem fit, ut Prædicatoribus deficientibus à proprio principio, & proprio fine, ex toto nisu quærentibus habere gratiam, ut in multitudine magna audiatur, impedimentum ponatur divinæ largitati, ad influxum gratiarum, quod est valde notandum ab his, qui de cœlo loquuntur, & terrena meditantur.

Quæst. 9. An prædicans in peccato mortali, peccet mortaliter?

1. AFfirmat *S. Thom. in 4. sent. distin. 19. q. 2. de correptione fraterna, ar. 2. ad 4.* si tamen incontritus prædicet; quod item replicat 2. *2. q. 187. ar. 1. in princ. corp.* & movetur; tum quia prædicans in peccato mortali, sive prædicet ex officio Prælationis, sive ex officio ministerii, sive in peccato notorio, sive occulto; semper agit contra finem prædicationis, cujus est procurare, ut peccatores ad vitam æternam perveniant; tùm etiam, quia quantum est ex parte sua, contemptibile facit verbum Dei & nullius æstimationis; dum ore se profitetur nosse Deum, factis autem negat; & sic mentitur in re gravi; tum etiam, quia sic agit contra illud Dei dictum peccatori in *Psalm. 49. Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, existimasti iniquè, quod ero tui similis?* Supple docens bona, & faciens mala, quæ quippe existimatio est peccatum mortale; ergò sic prædicans, peccat mortaliter.

2. Hanc opinionem tenet *Card. Cajet. in cit. loc 2. 2. in princ. ar. & 3. p. q 64. ar. 6. §. in responsione ad 1. & in summula ver. Prædicatorum peccata, §. 1.* ubi dicit, quod sic prædicans, facit injuriam prædicationi Christi, quod tamen verum intelligit in eo, qui sic indignè prædicat, ut prædicatione tanquàm declamatione abutatur, secùs autem, qui prædicat indignus, non ut prædicet indignus, sed vellet prædicare mundus, licet per accidens, ex humana passione & incuria indignus prædicet: & sic suam declaravit sententiam, quam priùs tenuit in præcitatis locis; & sequuntur *Navarr. in Manuali, cap. 25. de peccatis Prædicatorum, nu. 141. ver. secundò peccat, & Armill. ver. prædicare, n. 3.*

3. Neque his obstat *Sotus in 4. sent. distin. 1. q. 5. ar. 6. Medina C. de pœnit. tract. 1. q. 5.* & alii plures dicentes, quod non peccat, ex quo prædicare non est actus Ordinis sacri, qui solus est prohibitus fieri in peccato mortali, ut docet *S. Thom. in 3. p. cit. loc.* quia, ut dicit *Cajet. in prædicto loco 2. 2. & 3. p.* saltem de lege Ecclesiastica, seu de usu & praxi Ecclesiæ, est munus annexum Ordini sacro, & præcipuè consecrationi Episcopi & Sacerdotis: unde prædicare præcipuè convenit Episcopis. Secundò Sacerdotibus. Et tertiò Diaconis; quod dictum intellige de prædicatione in pompa Ecclesiæ, ut dictum est suprà, *qu. 4.* Hinc ad minùs prædicans in mortali, peccabit venialiter, si incontritus prædicet; est enim hujusmodi actio valde gravis, in qua operatur homo, ut organum Spiritus Sancti, & exindè oriatur scandalum, ita ut Auditores, saltem mentaliter ei dicant, hic labiis Deum honorat, factis autem negat, vel si dicant, hic benè dicit, sed non facit; væ illi, per quem scandalum venit, hoc est, ex his circumstantiis, utique peccabit mortaliter.

* * *

Quæst. 10. An Parochi teneantur in Ecclesiis prædicare, quando & quomodo?

1. AFfirmativè deciditur *in cap. 2. sess. 5. Concil. Trid. de reform.* ibi, *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicunque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis: docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat: ut pœnam æternam evadere & cœlestem gloriam consequi valeant.* Hæc ibi. Et meritò; quia prædicare est pars curæ & de necessariis ad salutem, ut dictum est hic suprà, *q. 2.*

2. An autem Parochus volens prædicta facere, possit ab Episcopo impediri? Et dico quod non, regulariter tamen loquendo; quia nemo potest impediri ad exercendum officium suum, ad quod de jure tenetur: at vigore jam dicti Decreti Sac. Concil. Trident. Parochi tenentur, ut suprà prædicare; ergò impediri non possunt, ut docent *Armend. in Addit. ad legem Navarri, lib. 4. tit. 30. & D. Barbos. de potest. Episc. alleg. 76. nu. 9.* quod dictum habet locum, etiamsi Parochi concio fiat eâ horâ, quâ Episcopus prædicat, vel prædicare faciat solemniter coràm se, ut in facti contingentia respondit Sacra Congregatio Episcoporum, die 20. Februarii 1601. rescribens Episcopo Comensi, teste *D. Ricciull. lucubrat. Eccles. lib. 5. cap. 6. n. 2.*

3. Dixi *regulariter loquendo*, quia si Parochus esset indiscretus, aut si ex ejus prædicatione possent scandala oriri, in tali casu posset impediri ut probat *tex. Clem. 2. dudum de sepult.* ubi Episcopus potest mandare, ut in Ecclesiis Parochialibus prædicetur per Regulares, etiam invitis Parochis, & favet eruditissimus *D. Ricciull. cit loc. n. 5.*

Quæst. 11. An habens curam Animarum, teneatur petere licentiam ab Episcopo prædicandi in sua propria Parochia?

1. NEgativè dic: quia eo ipso, quo quis est provisus de Parochia; tenetur ad prædicationem ex officio, ut firmat *cap. inter cætera, de off. Jud. ordin. & Trid. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4.* & consequenter censetur approbatus ad omnia, quæ pertinent ad exercitium curæ Animarum, *argum. l. 2. de jurisd. omn. Jud.* & docet *D. Ricciul. cit. loc. cap. 12. nu. 5.* non tamen nego, quo minùs Parochus, volens prædicare in Adventu aut Quadragesima, in sua Ecclesia, teneatur ex urbanitate & decentia, benedictionem petere ab Ordinario loci, ut illius perplexitas evitetur, & sciat omnes prædicantes in sua Diœcesi.

2. Sed adverte, quod Parocho per seipsum concionanti in sua Parochia, non licet petere eleemosynam solitam dari Prædicatoribus ab Universitate electis sub prætextu cujuscunque paupertatis, ut decisum refert *D. Barbosa in Collect. ad dict. cap. 2. sess. 5. Trid. de Reform. n. 15.*

Quæst. 12. An Parochus solus possit Regularibus dare licentiam prædicandi in sua Parochia, semel, bis vel ter, inscio loci Episcopo?

1. QUod Parochi, & alii habentes curam animarum, possint concedere licentiã prædicandi in sua Parochia, approbatis tamen ab Ordinario, non cadit sub dubio, ut ex Sacra Congregatione decisum refert *D. Ricc.* 1. p.

1. p. decis. 755. in 1. edit. & D. Ricciull. lucubrat Eccles. lib. 5. cap. 12. nu 8. sed dubium est in non approbatis ab Ordinario? ad quod dubium respondent affirmativè *Innoc. III. in cap. cùm ab Ecclesiarum de offic. ordin. Hostiens.* ibidem, *Henriquez lib. 7. de Indulgen. cap. 16. ad finem, Miranda 1. p. Manual. q. 50. ar. 4.* & favet Doctissimus *D. Ricciull. cit. loc.* dummodò tamen Prædicator, cui sit hujusmodi facultas, sit per transitum in illa Parochia, insignis, doctus & notus tali Parocho, & moventur; tum quia in tali casu præsupponitur licentia tacita & interpretativa Episcopi, quam exigit *Trid. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de refor.* & docet *Lez. 1. p. summ. cap. 20. nu. 4.* tum etiam, quia Parochus in casu posito non contradicit Trident. *cit. loc.* propter parvitatem materiæ; quia ibi datur Episcopis facultas universalis & perpetua, quod est quid diversum à casu posito. *Csped. de exempt. Regul. cap. 10. dub. 197. nu. 2.* sed non placet ob Constit. Gregorii XV. incip. *Inscrutabili*, quæ huic limitationi resistit; tum item ex privilegio Gregorii XIII. qui concessit Societati Jesu, quod hujusmodi sacræ & utilissimæ Religionis Prædicatores, à suis Superioribus approbati, quandocunque sive mari, sive terra iter faciunt, possint, non repugnantibus Parochis, verbum Dei prædicare: dummodò id faciant in oppidis, aut locis, in quibus Ordinarii non existunt: cujus privilegii propria verba refert *Rodriquez tom. 3. q. 32. ar. 6. in fin.* ubi dicit, extendi ad omnes communicantes cum dicta Religione in privil. & hanc rationem ex privilegio amplectitur *D. Barbos. in allegat. 76. nu. 25.* quibus ego addo, quod dato tali privilegio & admisso, quod non sit revocatum per dictam Constitutionem Gregorii XV incip. *Inscrutabili Dei providentia.* superflua est licentia Parochi: dummodò non contradicat, ut dicitur in dicto privilegio. Item additur, quod stante dicto privilegio, poterunt prædicare non solùm bis vel ter, verùm & semper. Verumtamen ego censeo, ob dictam Constitutionem Gregorii XV. hodie vacare, & nihil fucci habere: ideoque in casu posito procedendum est cum magna cautela; quia hinc Tridentinum, illinc dicta Constitutio Gregorii XV. urget & clamat.

Quæst. 13. An Prælati Regulares habeant facultatem destinandi Prædicatores ad concionandum extrà sua Monasteria?

1. ET dico quod sic: concurrentibus tamen licentia Episcopi loci, in quo est prædicandum & idoneitate destinandorum; ducorque, tum quia Martinus IV. hæc nobis infrà scripta concessit.

Tibi filii Magister per te, vobis verò Provincialibus cum diffinitoribus Capituli Provincialis, plenam damus & concedimus authoritate præsentium, facultatem, committendi Fratribus vestri Ordinis, in sacra pagina eruditis & approbatis à vobis, prædicationis officium, districtiùs inhibentes, ne quis eos in exercitio, sive executione officiorum suorum, quomodolibet audeat impedire, &c.

2. Benedictus XI. idem concedit in suo privilegio 2. sub tali tenore. *Quare decernimus, ut Magister Generalis & Priores Provinciales, ac eorum Vicarii, de discretorum Concilio, ad tam salubre officium prædicandi, Fratres Divinâ scientiâ doctos, discretione vigentes, vitâ probatos, & expertos moribus, eligant & assumant, &c.*

3. Gregorius XIII. in sua Bulla 29. apud Roder. Societati Jesu hanc amplam gratiam concessit, quæ ob communicationem privil. extenditur ad omnes Regulares communicantes cum illis in privil. ut dictum est.

Nos igitur, &c. præsentium tenore declaramus, ut unicuique vestrum, etiam ad sacros Ordines non promotis, primâque tonsurâ tantùm insignitis, à proposito tamen approbatis, prædicationis munus ad Populum exercere posse liceat, districtiùs inhibentes universis locorum Ordinariis & aliis quacunque dignitate fulgentibus, ne vos in hujusmodi impedire aut molestare audeant. Hæc ibi, quæ cum supra narratis extendit noster *Festus in sum. Constit. c. 56. de Prædicatorum institutione, fol. 176.*

4. Dixi *concurrente licentia Episcopi loci*, quia hodie prædicta privilegia reperiuntur limitata per Decretum Concil. Trident. *sess. 5. cap. 2. de Reform. & sess. 24. cap. 4. de Reform.* quæ ita loquuntur.

5. *Regulares verò cujuscunque Ordinis: nisi à suis Superioribus, de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia personaliter se coram Episcopo præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt ultrà licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint: ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.* Hæc ibi, & subsequentia *in c. 4. sess. 24. de Reform.*

6. *Nullus autem sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat*, hæc ibi, quæ cum majori emphasi reconfirmantur & stabiliuntur in dicta Constitutione Gregorii XV. incip. *Inscrutabili Dei.*

7. Dixi, *& Idoneitate*; quia superiores in ordine nostro non possunt permittere juvenes non Sacerdotes ad prædicandum; etiam in villulis infrà ætatem viginti quinque annorum, & Romæ 1569. & Barcinonæ 1574. dicitur, *nullus mittatur ad prædicandum, nisi sit Sacerdos & per Biennium Theologiam audierit, etiam in oppidis*, ad quod facit *S. Thom. 3. p. qu. 76. ar. 1. ad primum*, ubi dicit, quod ad Diaconum pertinet recitare Evangelium in Ecclesia per modum Cathechizantis, sed docere & exponere Evangelium, pertinet propriè ex authoritate ad Episcopum, ex commissione verò ad Sacerdotem.

8. Hinc Romæ 1589. authoritate Apostolicâ ordinatum fuit sub præcepto formali, & pœna excommunicationis, ut nullus titulo aut officio prædicationis donetur, seu Prædicator instituatur: nisi saltem per integrum triennium Theologiam audierit, & per quinque deputatos examinatores, qui & ipsum concionantem audierint, ut nedum in literis & moribus, verùm etiam in aptitudine prædicandi judicium facere possint, cui ordinationi additum fuit Romæ 1601. & Vallisoleti, ut Prædicatores approbentur per vota secreta, & alia hujus generis refert prædictus noster *Festus in cap. 56. de Prædicatorum institutione*, quæ sunt notatu dignissima.

Quæst. 14. An Regulares possint prædicare sine licentia suorum Prælatorum?

1. DIvus Thomas in *Quolib. 12. ar. 28.* respondet negativè, & movetur ex illo *Apostoli ad Rom. 10. quomodò prædicabunt, nisi mittantur?* quod dictum dicit habere locum in omni Regulari, etiamsi sit magnæ scientiæ vel quantumcunque Sanctitatis, ad quod item facit statutum Concilii Lateranensis, sub Innocentio III. quod habetur *in cap. excommunicamus, §. quia verò nonnulli ij. de Hæret.* ibi, *omnes qui prohibiti, vel non missi, præter authoritatem, Apostolicæ Sede vel Catholico Episcopo loci susceptam, publicè vel privatim prædicationis officium usurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodetur; & nisi quantociùs resipuerint, alia competenti pœna plectantur, supple, cum Glossa ibidem, prout Superiori visum fuerit.*

2. Hoc idem statuit Concilium Lateranense, sub Leone X. *sess. 11.* & novissimè *Concil. Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform.* ibi, *Regulares verò cujuscunque Ordinis: nisi à suis Supe-*

Superioribus, de vita, moribus & scientia examinati ac approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, &c. quod dictum reconfirmatur, *sess. 24. c. 4. de Refor.* ibi, *nullus autem, &c.*

3. Nec obstat dicere, quod prædicare est bonum aliis facere, sed ita est, quod debemus bonum operari ad omnes, teste Apostolo *ad Galat. 6.* ergò quia etsi unicuique liceat facere bonum sibi proportionatum, prædicare tamen non est omnibus proportionatum: unde necessariò requiritur approbatio superiorum, ne quis sub specie pietatis mortem inferat, ut docet *S. Thom. cit. loc.* & habetur *in textu d. §. quia verò nonnulli de Hæret.*

4. Advertant tamen Prælati Regulares quod peccant mortaliter, si subditos ignorantes, & non idoneos ad concionandum licentient, tum propter abusum potestatis, tum etiam, quia violant Constitutionem Leonis X. incip. *supernæ Maiestatis,* & liquet ibi, *nullus ad hoc munus admittatur; nisi priùs per superiorem suum respectivè diligenter examinatus (in qua re conscientiam ipsius Superioris oneramus,) ac morum honestate, doctrina, vitæ probitate, prudentia, &c.*

Quæst. 15. An Prædicatores sive sint Regulares, sive sæculares, peccent mortaliter & possint puniri, si prædicent sine licentia suorum Superiorum?

1. Affirmativa sententia apud me est indubitata: tum quia Prædicantes sine licentia sui Superioris, agunt contra illud Apostoli, *ad Rom. 10. quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* tum quia hi in casu posito possunt excommunicari *ex cap. excommunicamus; de Hæret.* excommunicatio autem secundùm communem sententiam, supponit peccatum mortale, ergò, tum item, quia agunt contra Decretum *cap. 2. Trid. sess. 5. de Refor.* cujus verba habes suprà per extensum *q. 13.* ergò aliter prædicantes, non solùm peccant mortaliter, verùm etiam possunt puniri pœna falsi, & uti violatores constitutionum Apostolicarum, & usurpatores alieni juris; tum tandem, quia ita statuit Leo X. in sua Bulla, edita in Concilio Lateranensi, incip. *Sacro approbante Concilio,* quam per extensum refert *Quaranta, ver. Prædicator,* ubi sic Prædicantes, ipso facto excommunicantur Papali excommunicatione D. Papæ reservatæ. ibi, *si quis autem contra præmissorum aliquod committere quidquam ausi fuerint, ultra pœnas contra tales à jure statutas, excommunicationis etiam sententiam, qua non nisi à Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi possint, eos incurrere volumus, & ut eorum exemplo, alii attentare similia minimè audeant, eis prædicationis etiam officium interdictum esse perpetuò decernimus,* hæc ibi.

2. Ex quibus *Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 22. vers. circa primum,* colligit, prædicantes sine licentia suorum Prælatorum, ultra peccatum mortale, esse ipso jure excommunicatos Papali excommunicatione, quod replicat *tom. 3. Privil. cap. 2. n. 16.*

3. Verùm non placet, quia *in dicto capitulo excommunicamus, de Hæret.* excommunicatio non infligitur ipso jure, sed est comminatoria, & dicta Bulla Leonis X. non comprehendit prædicantes sine licentia suorum superiorum; sed prædicantes tempus determinatum, & certum futurorum malorum, & alia dissona Scripturæ Sacræ, & similia ibi contenta, inter quæ non reperitur id quod quæritur, ut constat ex lectura ejusdem Constitutionis & additur, quod quoad peccatū, possunt excusari à mortali propter parvitatem materiæ, ut si semel prædicent, vel innixi altari sermonem habeant. *Diana 8. p. tract. 7. Miscell. Resol. 11. in fin.* de qua re legendi sunt *Cardin. Caiet. in sum. ver. Prædicatorum peccata in princip. Armill. ver. prædicare, Navar. in sum. latina cap. 25. n. 141. & Lezana ver. concionari, n. 10.* ubi ex multis ostendit, quod Regularis prædicans sine licentia sui superioris, non efficitur irregularis, quia non exercet actum Ordinis, & sic corrigit quod priùs dixerat, *1. p. sum. cap. 20. n. 1.* ubi fuit secutus opinionem Peyrini.

Quæst. 16. An Regulares non approbati à suis Prælatis, possint approbari ab Episcopo loci, ad prædicandum in sua Diœcesi?

1. Negativè *R dor. tom. 3. q. 32. ar. 5. in fin.* & est decisio Conc. Lateranensis celebrati sub Leone X. *sess. 11. de modo prædicandi, & Conc. Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform. §. si quæ verò, in fin.* quamobrem, si Ordinarius loci, licentiet Regularem ad prædicandum in sua Diœcesi, non priùs approbatum à suo Regulari Prælato, censetur, quod absit, usurpator alterius Juris, & violator Decretorum Conciliorum universalium, & consequenter valde reprehensibilis.

Quæst. 17. An Regulares prædicantes in suis vel alienis Ecclesiis, sine licentia vel benedictione Episcopi, possint ab eodem puniri?

1. Affirmativè deciditur in Constit. Gregor. XV. incip. *Inscrutabili Dei providentia de exempt. Privil.* quæ est 18. inter Bullas ejusdem in Bull. Cherub. *to. 4.* ubi *in §. 6.* hæc præcisa verba leguntur.

Ac demum habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis Delegatus, authoritatem coercendi ac puniendi quoscunque exemptos, tam sæculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordinum non sunt absque Episcopi licentia; & in Ecclesiis suis aut suorum Ordinum, non petita illius benedictione aut ipso contradicente, prædicare præsumpserint, ita ut Episcopi in suprascriptis casibus, in prænominatas personas, in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea, quoquomodo delinquentes, quoties & quando opus fuerit, etiam extrà visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis Delegati procedere, omnemque jurisdictionem exercere liberè & licitè valeant. Hæc ibi.

2. Nec obstat, nec potest obstare *Diana 7. p. tr. 12. Miscell. Resol. 25.* dicens, dictam Constit. Gregorii XV. fuisse revocatam ab Urbano VIII. per aliam suam Constitutionem editam die 13. Maii 1625. ad instantiam omnium Regularium Hispaniæ, sub tali tenore:

3. *Urbanus Papa VIII. ad futuram rei memoriam, aliàs à nobis emanarunt litteræ tenoris sequentis, videlicet à tergo, dilecto filio nostro Balthasari S. R. E. Presbytero Cardinali de Sandauo l nuncupato, Ecclesiæ ex concessione & dispensatione Apostolica præsuli. Intus verò. Urbanus Papa VIII. dilecte fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Cùm sicut nuper nobis exponi fecisti in tuis Civitate & Diœcesi Giennensi multi diversorum Ordinum Religiosi, sub prætextu, quod ad sacras Confessiones audiendas, & Verbum Dei prædicandum semel approbati fuerint, absque tua licentia Confessiones prædictas audiant & verbum prædicent, non sine gravi Christi fidelium scandalo, & eorum salutis animarum detrimento, & licet per censuras & pœnas Ecclesiasticas contra eosdē processeris, ii tamen vigore cujusdam privilegii à fœl. record. Clem. Pap. VIII. ad favorē mendicantium emanati, se ab alio, quàm à Romano Pontifice pro tempore existente, excommunicari minimè posse prætendant. Nos inconvenientibus hujusmodi juxtà creditum nobis desuper Apostolicæ servitutis officium, quantum cum Domino possumus obviare teque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc* humi-

humiliter porrectis inclinati, de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Regularium præpositorum consilio, tibi, Religiosis prædictis, ne absque expressa tua licentia Sacras Confessiones de cætero audire, minusque Verbum Dei prædicare audeant & præsumant, per censuras & pœnas Ecclesiasticas authoritate nostra inhiberi, eosdemque ad exhibendum tibi licentias, quas illi desuper à te, sive prædecessoribus tuis Ecclesiæ Giennensis Præsulibus vel administratoribus obtinuerint, ad hoc, ut eos vel confirmes, vel revoces, prout ad Divini cultus augmentum, & animarum Civitatis, Diœcesis prædictarum salutem, & confirmationem in Domino expedire judicaveris, cogendi & compellendi facultatem, dictâ authoritate, tenore præsentium concedimus & impartimur, non obstantibus quibuscunque Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, nec non prædicti Clementis Prædecessoris, & quibusvis aliis privilegiis in vim Cruciatæ Sanctæ eis quomodolibet competentibus, & literis Apostolicis sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus & singulis, si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus, specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio quævis alia expressior habẽda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servata foret, illorumque tenor pro plenè & sufficienter expressis, sufficienter haberi, illis alias in suo robore permansuris, ac Jure, eorumque dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque, &c. Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die 13. Octobris 1627. Pontificatus nostri Anno quinto. Nunc autem litibus & controversiis, quæ inter Ordinarium Giennensem ex una, ac Religiosos prædictos ex altera partibus desuper præinsertis prædictis, ut accepimus, ad præsens vigent, de cætero oriri possint, quantum cum Domino possimus obviam ire, ac desuper opportuno declarationis nostræ Ministerio providere volentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis & consultationibus Episcoporum, ac Regularium Præpositorum consilio, partibus auditis, reque maturè discussa, authoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus & declaramus, præinsertas hujusmodi ita esse intelligendas & declarandas, ut Regulares quidem in Civitate & Diœcesi, à prædecessoribus Episcopis examinati, & approbati ad Confessiones personarum sæcularium audiendas, à præsente Episcopo successore pro majori conscientiæ suæ quiete, possint iterũ examinari, & si minus idonei reperti fuerint, reprobari, ad præscriptum Constitutionis Sanctæ mem. Pii Papæ V. prædecessoris nostri, ac Decreti; sed illi, quos idemmet Episcopus approbavit, siquidem hujusmodi approbationem obtinuerint, ad certum tempus, eo elapso, non possint confessiones audire absque nova Episcopi licentia & approbatione, prævio etiam si eidem libuerit novo examine, illi autem, quos ipsemet Episcopus ad confessiones hujusmodi audiendas semel admisit simpliciter, ac sine ulla temporis præfinitione, nullatenus possint ab eodemmet reprobari, sine nova causa, eaque Confessiones ipsas concernente, cæterùm an eadem causa subsit, nec ne, Episcopum non teneri ipsis Regularibus edicere, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperire postulaverit: ad hoc quod in eisdem præinsertis literis dicitur, Regulares non posse Verbum Dei prædicare sine Episcopi licentia, id locum vendicare sibi us tantùm in Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt, cum in aliis Ecclesiis sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita, licet non obtenta: ita tamen ut si Episcopus non modo benedictionem simpliciter non concesserit, verùm etiam Regularibus prohibuerit, quominùs prædicent tunc, illo contradicente, in sui quidem Ordinis Ecclesiis, liceat illis prædicare, quemadmodum Sac. Conc. Trid. Decretis salubriter est cautum; quod si Regulares, sive in Confessionibus audiend... sive in prædicando adversus ea, quæ superiùs declaravim... quoquomodo deliquerint, in vim præinsertarum earum... literarum ab Episcopo Giennensi coerceri & puniri po... etiam censuris Ecclesiasticis, sicque & non aliter in præm... omnibus & singulis, per quoscunque Judices, ordinarios ... Delegatos, & causarum Palatii Apostolici Auditores ju... cari & definiri debere, ac irritum & inane, quicquid ... super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ig... ranter contigerit attentari, non obstantibus illis, quæ in p... insertis literis hujusmodi volumus non obstare, cæter... contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Pet... sub Annulo Piscatoris die 30. Januarii 1629. Pontif. n... anno 6. M. A. Maraldus.

4. Et refert per extensum, ut jacet *Joan. Ant. Novar. in 2. p. suæ summæ Bullarum sub tit. de exempt. Privil. n... fol. mihi 283. D. August. de Bellis Theat. in sua allegat. Hispanica, nu. 24. D. Barbos. de Jur. Eccl. cap. 45 n. 189. & Collect. ad d. cap. 4. sess. 27. de Refor. n. 24.*

5. Dixi, *non obstat*; tum quia dictum Breve Urb. VIII. refertur mendosè ac diminutè, cum in ejus exem... ante verba illa (*liceat illis prædicare*) extet particula, N... ita ut litera legi debeat, *Non liceat illis prædicare*, te... de visu, Reverendissimo Hyppolito Bazzano, Generali Magistro Ordinis Servorum, & de auditu, test... *tom. 2. Manual. tr. 8. c. 4. sect. 1. q. 3. n. 4.* & meo videnno... est de hoc dubitandum, cùm Urbanus VIII. ibi ... rat ad Decretum Conc. Trid. quo cavetur, ut Epi... prædicante, nemini Regularium liceat etiam in Eccle... suorum Ordinum prædicare; tum etiam, quia, esto quod dictum Breve non sit mancum & mendosum, a... huc tamen non potest negari, quin sit locale, latum ... cet pro sola Civitate & Diœcesi Giennens. prout ... stantur *D. Aug. de Bellis ubi suprà, & Novar. cit. loc. n... in fin.*

6. Nec nocet *Cespedes in tract. de Exempt. Regul. ... 10. dub. 196. n. 5. in fin.* dicens, quod eadem ratio, ob ... Regulares illius Diœcesis Giennensis, & alii omnes de... bent in hoc liberari à Jurisdictione Episcopi: unde ... citè subinfert, dictum Breve Urb. VIII. extendi ad ... nes; verum fallitur, quia est sententia lata inter p... ut liquet ex textu, sententia verò non extenditur de loco ad locum, nec de persona ad personam; ex quo f... super factum, quod non est idem apud omnes; tum denique, quia me præsente, nuper lite orta inter quendam Episcopum, & quosdam Regulares prædicantes in suis Ecclesiis, contradicente dicto Episcopo; sub prætextu, quod petierint benedictionem, licet non obtinuerint, & quod prædicta Constitutio Gregorii XV. fuerit abrogata per præfatum Breve Urbani VIII. nihilominùs re ad Sac. Congregat. relatâ, fuit ab eadem responsum, quod malè egerint prædicando contra dispositionem prædictæ Bullæ Greg. XV. Verum ob devotionem Baro... illius terræ, & ad evitandum evitanda, poterant pro... prædicationem inceptam, ex benignitate Sac. Congre... gat. cum abstinentia de futuro.

Quæst. 18. *An Vicarius Generalis Sede vacan..., possit punire Regulares prædicantes in Ecclesiis sine licentia vel Benedictione Episcopi?*

1. NEgativè *P. de Bellis in sua allegat. Hispanica, §. 1. & Diana 7. par. tract. 12. Miscell. resol. 26.* ducunturque ex eo, quod Gregor. XV. in supradicta sua Constit. incipien. *Inscrutabili, de exemptorum Privil. §. 6* vult, ut Episcopus, tanquam Delegatus Apostolicus, habeat authoritatem coercendi ac puniendi quoscunque exemptos, tam sæculares, quàm Regulares prædicantes sine licentia, & benedictione Episcopi; sed Vicarius Capitularis,

Sede

Sede vacante, succedit Episcopo in jurisdictione ordinaria, non autem delegata. Ideòque ubi Concil. Trid. committit aliquid Episcopis, uti Delegatis Sedis Apostolicæ, non potest Capitulum se intromittere *D. Barbos. in allegat. 92. & Gavant. in Manuali Episcop. ver. Capit. Sede Vacante, n. 92.* quo fit, ut præfatus Vicarius in casu posito, Episcopum successorem teneatur expectare, aut apud Prælatos Regulares instare de puniendo jam dictos transgressores, super violatione Decretorum Sacri Conc. Trid.

Quæst. 19. An Regulares possint prædicare in publicis plateis sine licentia Episcopi?

1. Sunt, qui affirmant cum *Lez. 1. p. sum. c. 20. nu. 5. & Pellizz. tom. 2. Manual. tract. 8. cap. 4. sect. 1. q. 21. nu. 32.* & moventur ex illis verbis Extrav. *Inter cunctas*, Benedicti XI. quæ est inter communes de privil. ibi, *Statuimus de Fratrum nostrorum Consilio, ut Priorum Ordinum Fratres, qui ad hoc deputati fuerint, in Ecclesiis ac locis ipsorum, quæ in præsentiarum habent, & in posterum obtinebunt, ac in plateis communibus seu publicis, liberè absque Diœcesanorum & aliorum Prælatorum petita licentia, valeant Clero & Populo prædicare, eique proponere verbum Dei, &c.* Hæc ibi, quæ replicantur in *Clem. 2. dudum de sepult.* ibi, *ac in plateis communibus liberè valeant prædicare, &c.*

2. Verùm falluntur; quia hæc prædicta omnia hodie reperiuntur limitata per *Concil. Triden. sess. 5. cap. 2. de Refor. & sess. 24. cap. 4. de Refor. & per Constit. Gregor. XV. incip. Inscrutabili*, ut scilicet teneantur prius petere benedictionem à locorum Episcopis, ut docent noster *Festus in suam. Constit. cap. 57. de Prædicatoribus, fol. mihi 178.* ubi post dictum privileg. Benedicti XI. extendit Decreta Sacr. Concil. Trid. & *Roder. tom. 3. q. 32. ar. 5. §. advertendum secundò.*

3. Nec obstat dicere, quod Tridentinum *cit. loc.* dicit, quod hujusmodi Regulares non possint prædicare in Ecclesiis suis sine benedictione Episcopi; & quod plateæ & viæ publicæ, non sunt Ecclesiæ Regularium; ergò. quia Trid. in utroque loco allegato loquitur per illam dictionem, (*etiam*) quæ ampliat conciliare Decretum, adeò ut nulli Regularium liceat prædicare ubilibet, sine benedictione Episcopi, vel Episcopo contradicente, etiamsi in propriis Ecclesiis suorum Ordinum prædicandum esset.

4. Confirmatur & magis declaratur; quia hi Prædicatores hodie non habent privilegia ad id munus exequendum in vicis & plateis publicis independenter ab Episcopo loci, quia ut dictum est, censentur abrogata aut limitata per Trident. & Constit. Gregor. XV. ubi suprà; ergò in nullo loco publico possunt concionari; nisi ex commissione Episcopi; nam Episcopus est Summus Prælatus totius suæ Diœcesis quoad curam animarum, & pabula salutis. Confirmatur; quia præfati Prædicatores, regulariter loquendo, ad prædicandum in locis publicis extollunt crucem, ac vexilla suarum Ecclesiarum, quod est actus jurisdictionalis, qui nequit exerceri in alieno territorio sine consensu Prælati territorii, ut alibi scripsimus.

Quæst. 20. An Regularis unius Ordinis possit prædicare in Ecclesia alterius Ordinis cum sola benedictione Episcopi?

1. Et dico quod non; sed ultrà Episcopi benedictionem, requiritur licentia ejusdem in scriptis obtenta; & est decisio *Trid. cap. 2. sess. 5. de Refor.* ibi, *in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint.* Hæc ibi, quæ reconfirmantur in Constit. Gregor. XV. incip. *Inscrutabili* §. 6.

2. Neque his obstat *Cespedes de exempt. Regul. cap. 10. dub. 205. n. 3.* defendens contrarium; tum quia de directo loquitur contra Trid. & d. Constit. Gregor. XV. *cit. loc.* tum etiam; quia non est verum, quod ibidem ipse dicit, quod scilicet Trid. *ubi suprà* sancivit Regulares Concionantes in propriis Ecclesiis; non indigere licentia obtinenda ab Episcopo, propter illorum exemptionem; quæ quippè exemptio nullitat in utroque casu; nam utraque Ecclesia est exempta à jurisdictione Episcopi, ut supponitur; ergò sicut Regularis prædicans in propria Ecclesia, non indiget licentiâ obtentâ, sed benedictione tantùm: ita pariter prædicans in Ecclesia alterius Ordinis. Dixi, quod *non est verum*; quia Tridentinum sanxit, ut suprà, non propter exemptionem, ut dicit Cespedes; sed quia ita sibi placuit, rationabiliter tamen; tùm quia Regularis ad prædicandum in propriis Ecclesiis, ultra universalem licentiam suorum Superiorum, de vita, moribus & idoneitate ad prædicandum ubicunque fuerit requisitus, debet habere licentiam specialem à suo Prælato, & hanc ultrà benedictionem ab Episcopo loci, quæ quidem licentia specialis non potest concedi à suo Regulari Prælato, respectu Ecclesiæ alterius Ordinis; tum item ad occurrendum fraudibus; etenim aliqui Regulares, ad non agendum gratias Episcopo loci, possint inter se convenire & pactizare, tu prædica in Ecclesia mea, ego verò in tua, in spretum Episcopi loci; vel tandem dicas, quod in gratiosis & voluntariis, non exigitur ratio præter proprium velle; sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas; satis ergò est, ut lex ipsa loquatur, ad hoc ut omne os obstruatur.

Quæst. 21. An Regulares, si extra tempus Quadragesimæ & Adventus, velint prædicare in suis Ecclesiis, teneantur petere benedictionem ab Episcopo?

1. Negat *Bordon. 1. p. consf. resol. 7. q. 13. sub nu. 15.* quia licet *Trid. in sess. 5. cap. 2.* ita loquatur. *Regulares verò cujuscunque Ordinis; nisi à suis Superioribus de vita, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, prædicare non possint: cum qua licentia personaliter se coràm Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur. In Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur, sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum, nullo modo prædicare possint; ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.* Hæc ibi: & *sess. 24. cap. 4.* ita; *nullus autem Sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædicare præsumat, &c.* adhuc tamen usus obtinuit apud Regulares, prædicandi in Ecclesiis suis absque alia Episcopi benedictione, quam solùm petunt pro Quadragesima & Adventu, & non pro aliis festis infrà annum. Qui quidem usus est valdè rationabilis; tum quia prædicare bis vel quater sine licentia & benedictione Episcopi, censetur res minima, quæ non habetur in consideratione; tum etiam, quia si Parochus secundùm probabiliorem opinionem, potest Concionatorem admittere, ut in sua Parochia prædicet bis vel ter, etiam sine licentia Episcopi: cur idem non poterit Prælatus Regularis, cum utrobique eadem militet ratio, utpotè parvitas materiæ; tum item, quia si Prædicator pro una minima concione teneretur personaliter accedere ad Episcopum pro benedictione obtinenda, retraheretur à prædicando, & sic impediretur laus, & devotio Sanctorum & Ecclesiarum pompa; quod non

non intendit Tridentinum *cit. loc.* Quibus adde, quod in odiosis non fit extensio.

2. Verumtamen opinio affirmativa est in praxi securior & verior; tum quia Trid. *cit. loc.* loquitur absolutè ac indistinctè; & ubi lex non loquitur, nec nos loqui debemus, tum etiam, quia ita Sacra Congregatio Episcop. declaravit; die 16. Octobris 1601. quam refert *D. Ricciul. lucubrat. Eccles. lib. 5. cap. 12. nu. 6.* & sequitur *Gavant. in suo Manual Episc. ver. Concio sacra, nu. 16.* tum item, quia præfatus usus non est ita certus, ut à Bordono supponitur, teste *Diana 7. p. tract. 12. Miscell resol. 24.* ergò ad evitandum evitanda melius & tutius erit, saltem ex rationabili causa per Epistolam benedictionem procurare, ad præscriptum Constit. Greg. XV. incip. *Inscrutabili Dei providentia §. 6.*

Quæst. 22. An Regulares possint prædicare in Ecclesiis suorum Ordinum, excepto tempore & horâ, quâ Episcopus prædicare voluerit, petitâ tamen dictâ licentiâ, licet non obtentâ?

1. Affirmant *Miranda to. 1. Manual. q. 50. ar. 3. conclus. 1. Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 22. vers. circà septimum, & tom. 3. de privil. cap. 2. in Addit. ad Constit. Sixti IV. nu. 9. D. Barbos. allegat 76. nu. 19. Roder. to. 3. q. 32. ar. 5. cum suo compend. resolut. 111. de Prædicatoribus, nu. 2. & 9. D. Ricc. in decis. Cur. Archiepisc. Neap. decis. 118. nu. 4. in 2. p. & in praxi aurea, resolut. 290. in 1. edit. nu. 1. & in 2. resol. 633. Tambur. de Jur. Abb. tom. 2. disp. 11. q. 43. Lezana 1. p. summ. c. 20. nu. 2. & 2. p. c. 1. n. 17. & verb. Concionari n. 6. Novar. in Luc. Regul. ver. prædicare, n. 7. Cespedes de exempt. Regul. c. 10. dub. 196. n. 6.* & alii eruditissimi quamplures, quos allegat & sequitur *Diana 3. p. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 58.* & moventur ex multis; tum ex *Clem. 2. dudum statuimus, de sepulturis,* ubi textus ita loquitur, *Apostolicâ authoritate statuimus, & ordinamus, ut dictorum Ordinum Fratres in Ecclesiis & locis eorum, liberè valeant prædicare, & proponere verbum Dei illâ horâ dumtaxat exceptâ, in qua locorum Prælati prædicare voluerint, &c.* tum etiam *ex Concil. Trident. cap. 2. sess. 5. de refor.* ubi Regulares volentes prædicare in Ecclesiis suis, obligantur solum petere benedictionem ab Episcopis locorum, quamvis non obtinuerint: ad quod etiam solùm obligat Gregor. XV. in sua Constit. de *exemp. privil.* incip. *Inscrutabili, §. 6.* quandoquidem benedictio de jure petita, si injustè denegetur, videtur jure concessa, *Henriquez lib. 6. de pœnit. cap. 13. nu. 4.* dicens, sic fuisse à Sac. Congregat. decisum, ad quod item facit, quod quando licentia obtineri debet; expressè ponitur verbum, *obtinere*; vel aliud æquivalens, ut in *cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* ibi, *Postulet & obtineat,* & *in cap. 2. de testam. in 6. & in cap. super Cathedram, §. in Ecclesiis,* ibi, *seu petita fuerit licentia & obtenta, & in d. Clem. dudum de sepult. §. in Ecclesiis:* quamobrem contendere, quod prædicta benedictio debeat obtineri, est expressè contradicere Sacris Canonibus, & mentem Tridentini pervertere; tum item, quia *Trid. cit. loc. sess. 25.* tradens formam, quâ possunt Regulares munus prædicationis obire, facit differentiam inter prædicandum in propriis Ecclesiis sui Ordinis, & in Ecclesiis suorum non Ordinum, dicitque; quòd ad prædicandum in Ecclesiis sui Ordinis, sufficit habere licentiam suorum Prælatorum, & petere benedictionem ab Episcopis: in aliis vero Ecclesiis ultra licentiam suorum Prælatorum, requirit etiam licentiam Episcopi, ut constat ex textu.

2. Verum adverte; quod si D. Episcopus loci his se opposuerit expresse, & contradixerit, non poterunt in casu posito prædicare, ut probat *textus cap. 4. sess. 24. Trid. de refor.* ibi *Nullus autem sæcularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat,* & firmat Greg. XV. in *sua Const.* ... *& in Ecclesiis suis, aut suorum Ordinum non petita benedictione, aut ipso contradicente, prædicare* ... Hæc ibi, ex quibus benè vides, quod ad hoc ... res possint in suis Ecclesiis, vel suorum Ordinum ... care, duo copulativè exiguntur, primo b... absentia contradictionis Episcopi ... *Barbos. D. Ricc. cit. loc. & D. Ricciull. lucubrat.* ... *5. cap. 12. nu. 14.* qui ad praxim multa dicit ... tur *Diana cit. loc. & Pelliz. tom. 2. Manual.* ... *sect. 1. q. 5. num. 4. in fin.*

3. Nec his obstat dicere, quod præcitata loco ... Constit. Gregor. XV. debent referri ad illam ho... prædicat Episcopus, & non ad alia tempora, ... praxis contrarium observat, tum item, quia ... distinguit, nec nos distinguere debemus; tum ... Trid. ut lex posterior corrigit priorem sibi contr...

4. Nec nocet *Peyr. cit. loc.* dicendo, quod ... Constitutio Gregor. XV. reperitur abrogata ... Urb. VIII. Romæ editum die 30. Januarii ... missum ad Episcopum Giennensem, & exte... prà q. 17. & liquet ibi, *Regulares non posse Ver... prædicare sine Episcopi licentia, ad locum sibi vendic... tantùm Ecclesiis, quæ sui Ordinis non sunt. cum in ... clesiis sui Ordinis sufficiat Episcopi benedictio petita ... obtenta: ita tamen, ut si Episcopus non modo be... simpliciter non concesserit: verùm etiam Regula... hibuerit, quò minus prædicent, tunc illo contradic... quidem Ordinis Ecclesiis, liceat illis prædicare* ... fatum Breve Urb. VIII. refertur mendosè & ... ut dictum est hic suprà in *d. q. 17.* etenim ante ... *prædicare,* debet præponi illa dictio, *Non*; ... est cum *Pasqualigio tom. 2. q. 170.* præfatum Breve U... VIII. esse locale & non universale; & consequ... stringi ad Episcopum & Diœcesim Giennen... tùm, & non ad alios; tum quia ad hos solum ... constat ex illis literis, *Dilecto filio, &c.* tum ex ... *specialibus favoribus ac gratiis prosequi volentes,* ... obligat eos solùm, ad quos loquitur juxta illud ... *loquitur iis, qui in lege sunt*; tum etiam, quia ... concessa Episcopo Giennensi, est per modum ... constat ex textu, ibi, *teque specialibus favoribus, &c.* ... autem privilegiata contra jus commune non ext... præcipuè quando non reperitur inserta in corpo... prout est hæc, de qua agitur; tum tandem, qui... tio est personalis; ergò non extenditur ultrà p... cui reperitur concessa.

5. Nec obstat, quod lex habens generalem ... etsi sit specialis, fit generalis, *l. Regula, §. si quis ... & facti ignorant. Barthol. ibid. & Alex. in l.* ... *verb. obligat.* quia dicta Constitutio Urb. VIII ... edita per modum legis, sed per modum deleg... additur, quod etiamsi foret lata per modum le... minimè extenderetur ultrà Diœcesim Gien... cùm lex odiosa, nec quidem ex identitate, aut ... ne rationis extenditur de loco ad locum, nec de p... na ad personam, *l. si quis ita, ff. de pœnis, & Regula* ... *dia, &c.*

Quæst. 23. Licentia prædicandi, quonam mo... tenda sit?

1. Respondeo, quod dicta licentia, ... quendo, est humiliter petenda per ... rem, antequàm prædicare incipiat, juxta ... *Trid. sess. 5. de Refor.* nec sufficit ... tur, *Clem. Dudum de Sepult. §. in Ecclesiis* ... *centia fuerit & obtenta, cap.* ... quod etiam firmat *Trid. cit. loc.* ...

teneantur, hoc enim Verbum, *teneantur*, importat necessitatem, quod procedit, & habet locum, etiam si Prædicator asserat, se esse missum à Deo, ut ordinatiè asserere consueverunt hæretici: nisi invisibilem missionem demonstret per operationem miraculi, vel speciale scripturæ testimonium, ut fecerunt Moyses, & Joan. Baptista, & constat ex *cap. cum ex injuncto, de Hæret.*

2. Hæc licentia, quoad Clericos, danda est ab Episcopis locorum, *cap. inter cætera, de offic. Jud. ord. cap. sicut ressis, & cap. cum ex injuncto, §. excommunicamus, de Hæret.* quo verò ad Regulares, si prædicent in Ecclesia sui Ordinis, sufficit licentia sui Superioris cum benedictione Episcopi suæ Diœcesis, si verò prædicent in Ecclesiis aliorum Ordinum, ultra licentiam sui Superioris, debent habere licentiam Episcopi loci, juxtà tradita hic suprà *quæst.* 19.

3. Benè verum est, quod hujusmodi licentia, cum sit actus voluntariæ jurisdictionis, potest dari in Diœcesi, & extrà Diœcesim: imò proprio Prælato impedito, potest dari ab ejus Vicario Generali, vel eo mortuo, à Vicario Capitulari; & est gratis concedenda juxtà *Trid. Cap. 2. sess. 5. de resor.* & est petenda personaliter, regulariter loquendo, ut dictum est, & docet *Trid. ubi supra*; verùm ex aliqua rationabili causa, potest peti, & dari per internuncium; quod enim per alios facimus, per eos fieri videtur.

Quæst. 24. An Episcopus possit examinare Regulares de doctrina, si velint in sua Diœcesi prædicare?

1. MIranda *tom. 1. Manual. q. 50. ar. 2. concl. 1. §. secundò noto, D. Barbos. p. 3. de off. & potest. Episcop. allegat. 76. nu. 23. D. Campanil. in divers. rubr. 12. cap. 13. num. 9. D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib. 5. cap. 11. sub nu. 12. Bordon. 1. p. concil. resolut. 6. q. 13. nu. 16. Peyr. tom. 3. priv. cap. 2. num. 10, Diana p. 3. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 111. in fin. Cespedes de exempt. Regul. cap. 10. quoad Conciones dub. 195. Pelliz. tom. 2. Manual. tract. 8. cap. 4. sect. 1. q. 16. nu. 22.* & alii plures, respondent ad quæsitum negativè, loquendo tamen de jure: & moventur ex multis. Primò ex *Clem. dudum, §. Ecclesiis, de sepult.* item ex Bulla Leon. X. edita in Concilio Lateranensi, incip. *Supernæ Majestatis*, & est 21. in novo Bullario Cherubini inter Bullas ejusdem, item ex *Concilio Tridentino sess. 5. cap. 2. de reform. §. Regulares*, ubi approbatio ad concionandum adjudicatur Superiori Religionis, nulla facta mentione Episcopi: dicere modò, quod ultra eam requiratur etiam approbatio Episcopi, esset addere, quid novi à lege non requisitum, quod fieri non debet, *l. illum, ff. de Collat.* & docent Doctores ibi scribentes. Secundò, quia approbatio idoneitatis includit non solùm scientiam, sed etiam vitæ bonitatem, *cap. inter cætera, de offic. Jud. ordin. & d. Clem. dudum, de sepult. §. ac deinde*, de qua potest esse melius informatus Superior Regularis, quàm Episcopus; & ob hanc causam forsitan Sacri Canones approbationem idoneitatis adjudicarunt Superioribus Religionum, non autem Episcopis locorum. Tertiò, quia in Episcopo hodie non videtur, quod possit cadere necessitas Concionatores approbandi, quoad Doctrinam, quia cum ipso contradicente, neque sæcularis, nec Regularis possit prædicare, etiam in Ecclesiis sui Ordinis, ut probat *cap. 2. sess. 5. Trident. de Refor. & cap. 4. sess. 24.* nec teneatur reddere causam contradictionis, ut ex mente Sac. Congregat. attestantur *Franc. Leo in Thesaur. for. Eccles. 1. p. cap. 8. num 9. D. Campanil. in diver. rubr. 12. cap. 13. n. 8. & D. Barbos. in d. alleg. 76. nu. 22.* etiam si contradictio sit evidenter injusta. *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 9. cap. 1. nu. 9.* sequitur, quod ubi persona Prædicatoris non est nota, vel non grata, sufficit illi contradicere, absque eo, quod non examinet.

2. Dixi, *loquendo tamen de jure*, quia in praxi sæpè sæpius servatur oppositum, *Henriquez in summ. Theol. Moral. lib. 10. cap. 23. in comm. lit. L. & Rodr. tom. 3. q. 32. ar. 6.* unde Sacra Congregatio Episcoporum, die 16. Julii 1604. rescribens Archiepiscopo Theatino dixit, quod si Regularis prædicet in Ecclesia sui Ordinis, non potest examinari: secùs autem si extrà eam, quam declarationem refert *D. Ricciull. cit. loc.* & die 22. Januarii 1628. eadem Sac. Congr. declaravit, Episcopos posse examinare Prædicaturos in Ecclesiis suorum non Ordinum, testibus *Aldano tit. 4. nu. 10. apud D. Barbosam in Collect. ad d. cap. 2. sess. 5. Concil. Trid. n. 20.* & quamvis declaratio non sit authentica, ut dicit *Peyr. cit. loc.* adhuc tamen non est spernenda, cum constet de die, & persona, ad cujus instantiam facta sit *Bordon. cit. loc.*

3. Non gravabor tamen dicere, quod volens D. Episcopus dictos Regulares examinare, debet illos examinare per causas universales, nempè, an Concionator possit sine licentia sui Superioris concionari? An non Sacerdos possit munus hoc obire? Quinam sit concionis finis? quænam materia concionis? qua intentione prædicandum sit? quomodo Concionator debeat concionari circa Conceptionem B. M. V. in quas pœnas dant Prædicatores suadentes Populum, ne solvant Decimas? vel si detrahant Ecclesiarum Prælatis? an liceat non approbata miracula prædicare? vel Indulgentias? an in concione liceat quæstus facere, & similia hujus generis.

Quæst. 25. An D. Episcopus possit exigere possessionem fidei à Regularibus, antequam accedant ad prædicandum in sua Diœcesi?

1. AFfirmant *Joan. Franc. Leo 1. p. thesaur. for. Eccles. cap. 8. nu. 9. de verbi Dei prædicatione, Gavantus in Manuali Episcop. ver. concio sacra. nu. 20. Marcell. Vulpe in sua pract. Jud. cap. 42. n. 4. D. Barbos. in collect. ad cap. 4. sess. 24. Trid. de refor. nu. 20. Ant. Novar. 2. p. sum. Bull. tit. de exemp. privil. nu. 49. & Diana 7. p. tra. 12. miscell. resolut. 24. in fine*: & se fundant in quadam declaratione Sac. Congregat. qua fuit dictum, quod Ordinarius potest ab eisdem exigere professionem fidei, si ita videbitur expedire.

2. Verumtamen *Cespedes de exempt. Regul. c. 10. dub. 193.* mordicus defendit oppositum, cui favet *Lez. ver. Concionari, nu. 8.* duciturque, tum quia declaratio relata non solùm non est authentica, sed etiam caret die & consule; tum etiam, quia hoc, quod quæritur, non potest colligi ex Tridentino, & dicens oppositum tenetur ostendere; tum item, quia Concilium Trident. *sess. 24. cap. 12. de refor.* ubi agit de his, qui tenentur ad fidei professionem, nihil dicit de hujusmodi Concionatoribus, ut ibidem est videre: ad quid ergo gravare Regulares, cum ad id Episcopus authoritatem non habeat? Sed dices, potest Episcopus, ut libet licentiam prædicandi concedere; ergo professione fidei sibi non facta, poterit his Prædicatoribus benedictionem, vel licentiam denegare: sed an benè, Deus testis sit?

Quæst. 26. An Regulares possint in suis Ecclesiis prædicare, dum Episcopus non prædicat, sed coram se alium facit prædicare in Cathedrali?

1. ET dico, quod sic: consentiente tamen Episcopo, secùs autem contradicente; ducorque, quoad primam partem ex *text. Clem. dudum de sepult.* ibi, *Authoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, ut dictorum Ordinum fratres in Ecclesiis, & locis eorum, ac in plateis communibus liberè valeant Clero, & Populo prædicare, ac proponere verbum Dei, illa hora dumtaxat excepta, in qua locorum*

Prælati prædicare voluerint, vel coram se facere solemniter prædicare, in qua prædicare cessabunt, præterquam si aliud de ipsorum voluntate processerit ac licentia speciali. Hæc ibi, inter quæ, nota, ly *præterquam si aliud, &c.* quo verò ad secundam partem, moveor ex *tex. cap. 4. Trid. sess. 24. de refor.* ibi, *Nullus autem Secularis, sive Regularis, etiam in Ecclesiis suorum, contradicente Episcopo prædicare præsumat, &c.* quod etiam firmat Constitut. Gregor. XV. incip. *Inscrutabili Dei providentia, de exempt. privil. §. 6.* ibi, *ac demum, &c.*

2. Ampliã, ut præfatæ contradictionis causam exprimere non teneatur, ut ex Sacra Congregatione fatentur, *D. Riccioll. lucubrat. Eccles. lib. 5. cap. 12. num. 14. & D. Camp. inil. in divers. rubr. 12, cap. 13. nu. 9. & Barbos. allegat. 76. nu. 22.* & alii plures hic supra allegati *q. 24.*

3. Ad quod item facit *Gavant. in Manual. Episc. ver. concio sacra, nu. 52.* ubi ex Sac. Congregat. refert decisum, Prædicatores, non posse sermocinari in Congregationibus sæcularium, hora illa, in qua Episcopus ipse prædicare voluerit, vel coram se facere solemniter prædicari.

4. Nec his nocet Constit. Pii V. incip. *Ad hoc nos Deus*, quam refert *Cherub. tom. 2. Bullarum, pag. 234.* ubi *tex. §. 8.* sic loquitur, *& insuper, quod fratres dicti Ordinis (ab eorum Superioribus tamen approbatis) in eorum Ecclesiis, quando eis placuerit, etiam quod in Cathedrali Ecclesia (non tamen ab ipsomet Episcopo) prædicatur, liberè, & licitè absque aliquo impedimento, sive etiam ipsius Episcopi contradictione, & absque eo quod coram dicto Episcopo se non præsentaverint, nec eidem licentiam muneris prædicationi hujusmodi exhibuerint, & ab eodem Episcopo benedictionem, ut præfertur, non obtinuerint prædicare, & munus prædicationis hujusmodi exequi, &c.* tum quia omnia à Pio V. Regularibus concessa contra dispositionem Concil. Trid. fuerunt revocata à Greg. XIII. in Bulla incip. *In tanta negot. mole*, & ad terminos Tridentini reducta; tum etiam, quia prædicta Constitutio Pii V. est moderanda ad formam dictæ Constitutionis Gregor. XV. incip. *Inscrutabili*, ut scilicet Regulares in casu posito teneantur petere benedictionem ab Episcopo, quo tamen non contradicente, poterint prædicare, teste *Peyr. tom. 2. privil. in Constit. 2. Pii V. §. 3. sub nu. 7. in fine.*

Quæst. 27. An Regulares in festis diebus contradicentibus Parochis, vel Vicariis foraneis, possint prædicare in suis Ecclesiis?

1. Affirmant *Hier. Rodriquez resolut. 112. & Cespedes de exempt. Regul. cap. 10. dub. 204. nu. 17.* tum quia nomine Episcopi, non veniunt alii inferiores Prælati; tum etiam quia Episcopus actualiter prædicans, vel faciens coram se solemniter prædicare, habet specialem prærogativam; tum item, quia versamur in odiosis, in quibus non fit extensio.

2. Nec his adversatur *D. Barbos. in collect. ad d. c. Trid. n. 19.* ubi ampliat prædictum Decretum Conc. Trid. ad Abbates quia hi si sint Abbates Mitreati, & habeant Jurisdictionem Episcopalem, veniunt nomine Episcopi, & consequenter comprehenduntur in dict. Decret. Trident. quod non potest dici de Parochis, & Vicariis foraneis, qui nec re, neque nomine sunt Episcopi.

Quæst. 28. An Episcopi, Parochi, & alii curam habentes, possint impedire suos Parochianos, ne Conciones Regularium audiant?

1. Et dico, quod non: secùs nedum peccant mortaliter, verum etiam sunt ipso facto excommunicati per Constitutionem Bonifacii IX. nobis concessam; & habetur in *supplemento, fol. 185. conclus. 465.* & liquet *quod sub excommunicationis pœna ipso facto inc... quibuscunque Ecclesiarum Prælatis, & aliis hoc stricte ... buit, & vetuit, ac præcepit, ne Populum, aut Paroch... retrahere præsumat, quominus accedant ad audien... dicationes fratrum, quoties, & quomodo voluerint ... re, &c.* & refertur in *compend. privil. Mendicantium ... Prædicatores, nu. 13.* ibique annotat *Corduba, & M... tom. 1. Manual. q. 50. ar. 8.*

Quæst. 29. An Prædicatores Regulares possint prædicare in Ecclesiis Monialium sibi subjectarum sine licentia suorum Superiorum, & benedictione Episcopi?

1. Negativè *Portell. in dub. ver. Prædicator ... Roder. in suo compend. resolut. 112. num. 18.* ... dant in Bulla 16. Clem. VIII. ubi expresse ho... cui hodie accedit Constitutio Gregorii XV. In... *tabili*, in qua omninò exigitur, ad minus bened... scopi, quam si Episcopus dare renuerit, aut con... nec quidem ad Moniales accedere licet, ut con... cisis in tractatu de accessu ad Moniales.

Quæst. 30. An illâ Hora, qua Episcopus prædicat vel facit coram se prædicare, possit quis in aliquo casu, cum Episcopo concurrere?

1. Et dico, quod in tribus casibus licet cum Ep... concurrere. Primò, quando Prælatus p... vel coram se facit prædicare privatim; nam p... prærogativa, de silentio cæterorum, conceditur p... tioni solemni, non autem privatæ, ut liquet ex t... allegato, ibi, *solemniter prædicari.* Secundò, quando ... tus consentiret, ut quis concionaretur eadē ho... stat ex dict. textu allegato ibi; *Præterquam si aliud ... latorum voluntate processerit.* Verum illa volunt... esse expressa, & liquet ibi, *de licentia speciali.* Terti... do sumus in locis, in quibus vigent studia gener... more habebentur sermones ad Clerum, tun... illis diebus possunt concurrere cum prædicatio... scopi, sicut etiam concurrere possunt in Conc... funeralibus, quæ habentur in eorum Ecclesiis, ... peculiaribus, ut expresse dicitur *in d. Clem. ... sepulturis, & in Extrav. Benedicti XI.* incip. *inte... §. caveant, de Privilegiis*, inter extravagantes com... *in 6.* ubi etiam prædicti casus limitantur non ... cum, quando Prælatus convocat Clerum loci ... causa, quam prædicationis, & maximè quando ... urgenti causa convocat Clerum totius Diœcesis ... dem melius est videre.

Quæst. 31. An D. Episcopus loci possit totas ... matutinas occupare, vel teneatur illas partiri ... Regularibus?

1. Quod expleto sermone Episcopi, possint ... dicare, liquet ex allegato textu *Clem. 2. Du... sepulturis*, nisi forsitan sub spe prædicationis alio... qui negligerent sermonem Prælati: an autem te... Matutinas Horas partiri pro commoditate Re... rium, quæsitum est inter Doctores non leve: quod ta... men negativè resolvit *D. Riccioll. lucubrat. Eccles. ... 4. n. 4.* quia Episcopus in sua Diœcesi est supremus Pr... latus, & consequenter de Jure ad id non tenetur.

2. Nec obstat, si dicatur, quod textus *d. Clem. ... dum de sepult.* loquitur de hora, & non de horis ... hæc ratio de facili tollitur, si dicatur, quod hora ...

tur pro tempore, ita ut sensus sit, quod hora, scilicet tempore, vel die, quo prædicat Episcopus, vel coram se prædicare facit solemniter, reliqui Prædicatores in ejus reverentiam sileant, & à Concione desistant.

Quæst. 32. An Vicario Generali Episcopi prædicante, vel faciente coram se solemniter prædicare, alii Prædicatores teneantur silere?

1. NEgativè dic, quia Vicarius, uti Vicarius, non habet potestatem prædicandi ex propria persona; nisi hoc sibi specialiter ab Episcopo demandetur: & sic prædicat ex Ministerio, nomine Episcopi, non autem prærogativa concurrentiæ, quia hæc non transfertur in alium, etiam absente Episcopo; sed debetur soli ejus actuali præsentiæ, quod procedit, etiamsi versemur in Vicario Capitulari, Sede Vacante.

Quæst. 33. An Episcopus possit prædicare extra suam Diœcesim, absque licentia Episcopi loci?

1. SUnt qui affirmant, & moventur; tum quia Episcopi, præsertim in facultate prædicandi, tenent locum Apostolorum, & docet *D.Thom.2.2.q.188.ar.4.ad ultim.* Apostoli autem habuerunt facultatem prædicandi per totum Mundum, ut constat ex illo *Marci 9. & Matth. ultim.* ibi, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, ergo; tum etiam, quia prædicatio non exercetur ex Jurisdictione contentiosa, sed est simplicis Ministerii Charitatis ergà proximum, *cap. final. §. final. de offic. delegat.* quæ propterea debet plena libertate gaudere *cap. inter corporalia de translat. Prælat.*

2. Verum limitant alii responsionem prædictam, Episcopo loci non contradicente, verum contradicente, non potest prædicare; quia licet facultas habitualis prædicandi sit per totum orbem terrarum, tamen actualis est distincta per Diœceses propter utiliorem gubernationem, *cap. Episcopi qui extra Diœc.* & *cap. non invitati 9. q. 2.* & sic in facti contingentia fuisse resolutum per Clement. VIII. in persona Episcopi Alifani de Anno 1600. referunt *Genuens. in Praxi Archiepisc. Neapol. cap. 58. D. Ricc. decis. 179. n. 5. p. 2. D. Campanilis in divers. juris rub. 12. cap. 13. nu. 6. & D. Barbos. allegat. 76. n. 1. & 2.*

Quæst. 34. An Episcopo prædicante extra suam Diœcesim, cæteri Prædicatores teneantur silere?

1. ET dico, quod non, quia hæc prærogativa de silendo, tempore Concionis Episcopi, datur Episcopo, uti Prælato supremo suæ Diœcesis, ut probat *textus Clem. 2. Dudum de Sepulturis*, ibi, *Episcopus seu Prælatus superior, &c.* at Episcopus extra suam Diœcesim, licet sit Episcopus, non tamen est Prælatus superior illius Diœcesis, *cap. Episcopi qui extra Diœc. & cap. non invitati 9. q. 2.* ad quod item facit *textus extrav. inter cunctas, §. caveant de Privilegiis*, ibi, *caveant, ne qua hora in qua Diœcesani prædicti prædicarent, &c.* Episcopus verò extra suam Diœcesim, non potest dici Diœcesanus, ergo.

Quæst. 35. An Episcopus loci possit admittere ad prædicandum in sua Diœcesi Regulares viventes extra claustra?

1. REspondeo, quod Episcopus loci, quo ad hoc, debet attendere Decretum *cap. 2. Conc. Trident. sess. 5. §. caveant, de Reform.* ubi habentur hæc formalia verba.

2. *Caveant præterea Episcopi, ne aliquem, vel eorum, qui cùm sint nomine Regulares, extra Claustra tamen, & obedientiam Religionum suarum vivunt, vel Presbyterorum sæcularium, nisi ipsis noti sint, & moribus, atque doctrina probati, etiam quorumlibet Privilegiorum prætextu, in sua Civitate, vel Diœcesi prædicare permittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re Sancta Sedes Apostolica consulatur; à qua, Privilegia hujusmodi, nisi tacita veritate, & expresso mendacio, ab indignis extorqueri verisimile non est*, hæc ibi; ad quorum intelligentiam Episcopus debet advertere, quod Regulares, qui de licentia suorum superiorum, pro negotiis gerendis, extra septa vivunt, non sunt dicendi vivere extra Monasteria; quia ubicunque Regularis sit de licentia sui Prælati, censetur esse in Monasterio, ut alibi dixi, & docet *Rodr. tom. 3. q. 32. art. 9. in fin.* Item an hi viventes extra septa sint Apostatæ, vel fugitivi? quia hos omnes Episcopus loci tenetur incarcerare secundùm Decreta Sacr. Congregat. *de Apostatis, & ejectis*, de quibus latè dico in tractatu de Apostatis, & ejectis, *tom. 1. Prax. 1. p.* an item habeant licentiam prædicandi à suis legitimis superioribus? *Rodr. in suo Compend. resolut. 112. de Prædicat. n. 13. & Miranda 1. p. Manual. q. 50. ar. 7. in fin.* ubi refert Bullas, & Privilegia ad puniendum hujusmodi Apostatas & fugitivos.

Quæst. 36. An D. Episcopus possit prædicare in Ecclesiis Regularium, ipsis invitis?

1. NEgat *Peyr. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. 26. Leon. X. §. 24. nu. 47.* tum quia ita docet *Cardinalis super Clem. Archiepiscopo, §. si tamen, n. 2.* tum etiam, quia prædicare ex propria authoritate, est actus potius jurisdictionis, quam honoris, ut constat ex decisis, hic supra *quæst. 3 & 4.* tum item, quia exemptis & privilegiatis non præjudicatur in suis Privilegiis, nisi quatenus in eis exprimitur, & privilegiatus non potest illa extendere ad aliud, contra dispositionem sui privilegii.

2. Oppositum tamen, quod est in Praxi verius, tenent *Gavantus in Manuali Episcop. verf. Concio sacra, n. 1. D. Barbosa in Collect. ad c. 4. Trid. sess. 24. de Reform. n. 3. Diana 3. p. tract. 2 de Dub. Regul. resol. 109. Bordon. 1. p. Consil. resolut. 7. q. 13. num. 25. & Cespedes de exempt. Regul. cap. 10. dub. 200. nu. 4.* ducunturque, tum quia ita censuit Sacra Congregatio Episcop. die 27. Januarii 1584. teste *Gavanto cit. loc.* tum etiam, quia actus prædicationis Episcopi est potiùs honoris, quam jurisdictionis, & consequenter non nocet exemptioni: tum item, quia sicut Episcopus in Ecclesiis Regularium suæ Diœcesis potest uti Baldachino etiam invitis Regularibus, divina officia privatè & publicè audire, & ea etiam in Pontificalibus ibidem celebrare, & solemniter Populo ibidem benedicere, per illa verba, *sit nomen Domini benedictum*, & ibidem facere coram se celebrari, sine tamen Pontificalibus, quia honoris sunt; ita & prædicare, quia actus honoris est, non potest tamen in dictis Ecclesiis exercere ea, quæ sunt actus jurisdictionis, ceu sunt Chrismare, ordinare, confirmare, degradare, & similia jurisdictionalia, ut constat ex authentico Decreto Sacræ Congregat. edito Romæ die 10. Junii 1603. quod per extensum refert *Peyr. cit. loc.*

Quæst. 37. An D. Episcopus loci possit cogere Regulares, ut admittant Concionatores, etiam extraneos, à se deputatos ad prædicandum in illorum Ecclesiis?

1. AFfirmat *D. Barbos. in remiss. cap. 2. Trident. sess. 5. de Reform. in ver. Ecclesiis verò*, supposita tamen consuetudine, tu autem negativè dic: tum quia destinare Concionatores ad prædicandum in Ecclesiis exemptorum,

ptorum, etiam ejusdem ordinis, vel ipsos cogere, ut illos admittant; est actus jurisdictionis odiosæ, quam Episcopus in exemptos nequit exercere, sine incursu censurarum appositarum contra violantes illorum exemptionem, de quibus latè *de exempt. Reg.*

2. Amplia, ut nequeat Episcopus hoc facere, etiam sub prætextu consuetudinis, nisi causâ cognita, & discussâ in Sacra Congregat. Episcop. Regular. agitur enim de magno præjudicio totius Religionis, quæ, ut supponitur, subest immediatè D. Papæ: unde nullatenus est audiendus *D. Venereus Leyva in suo examine Episcoporum, lib. 6. cap. 9. Barbosa ubi supra,* dicens, quod si in aliqua Civitate sit consuetudo, ut in aliqua Ecclesia Regularium, populus audiat prædicationes, poterit Episcopus cogere Regulares tales, ut admittant aliquem Prædicatorem etiam alterius ordinis, quia consuetudo particularis alicujus Ecclesiæ Regularium; nisi sit immemorabilis, & legitimè introducta, non potest præjudicare exemptioni totius ordinis; & multò minus D. Papæ, cui, ut dictum est, immediatè subsunt omnes Religiones exemptæ, quamobrem, hujusmodi consuetudo, non debet dici consuetudo, ad cujus introductionem multa requiruntur, ut in tractatu de legibus, sed corruptela, abusus, & usurpatio alienorum Jurium.

Quæst. 38. PP. S. Dominici, dicunturne Prædicatores ab actu, vel à fine Prædicandi?

1. Respondeo, quod hoc nomen Prædicatorum, fuit ordini nostro impositum à Papa Innocentio III. per literas, quas direxit Sanctissimo P. Nostro Dominico, & sociis ejus, fuitque hoc nomen ab Honorio III. in confirmatione præfati Ordinis approbatum; & à Gregorio IX. in Bulla Canonizationis dicti Patris S. Dominici confirmatum, ac demum ab aliis Summis Pontificibus commendatum, qui mirandis laudibus, & præclarissimis privilegiis, prædictum Ordinem exornarunt, ut latè dicitur *in Principio Prologi nostrarum Constit. fol. 1.*

2. Ex quibus colligitur, quod etsi munus prædicationis Ordini nostro competat ex ipsa nominis ratione, sive ethymologia: adhuc tamen dicendum est, quod annuente Domino, fuit à Sancto Dominico sic collectus, & institutus, ad finem prædicandi, illuminandi, docendi, & vacandi saluti animarum; & sic à fine, & non ab actu, dicitur Ordo Prædicatorum. Et quia non omnes Religiones fuerunt institutæ ad finem prædicandi: sequitur, quod non omnes possunt dici Ordinis Prædicatorum, licet interdum multoties actu prædicent ex commissione; sed illæ tantum, quæ primò, & principaliter reperiuntur institutæ, & approbatæ ad talem finem, ut probat *textus cap. cum ex injuncto 12. de Hæret.* ibi, *cum igitur Doctorum ordo sit, quasi præcipuus in Ecclesia, non debet quisque indifferenter prædicationis officium usurpare,* & multis firmat, *S. Thom. 2. 2. q. 187. ar. 1.* ubi egregiè de officio docendi, & Confessiones audiendi.

Quæst. 39. An liceat Prædicatori habere oculum ad temporalia?

1. Respondeo cum *S. Thoma, Quodlib. 2. ar. 12.* quod habere oculum ad terrena contingit dupliciter; uno modo sicut ad mercedem, vel præmium, & sic non licet Prædicatori habere oculum ad terrena, quia sic faceret Evangelium venale, quod Simoniacum est, alio modo sicut ad stipendia pro necessitate sustentationis vitæ: & sic licet: unde 1. *ad Corinth. 6.* dicitur, *debet, qui arat, in spe arare,* supple cum Glossâ, *stipendiorum temporalium*, idipsum docet idem *S. Thom. in quolibet. 8. ar. 12.* ubi quærit, *an ille, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, alias non iturus, peccet?* ubi sub distinctione resolvit: aut is recipit distributiones, ut pretium finis ultimi, & sic committit simoniam; secus si illas recipit ut necessarias ad suæ vitæ sustentationem; prout latè docet idem *Doctor Sanctus 2. 2. q. 100. ar. 3. ad secundum* quam doctrinam multis ornat *Eminen. Cajetan. in sua summula ver. Prædicatorum peccata, §. quintum est, affectus mercenarius, sive pecuniæ, sive humanæ laudes,* & clariùs *vers. simoniæ in Regula 5. & 6. Armill. ver. prædicare, n. 5. Sotus de Just. lib. 9. q. 2. ad primum,* & latè *Navarr. in summ. cap. 23. num. 101. & Azor. tom. 3. lib. 12. cap. 17. q. 4.*

2. Hinc affirmativè resolvitur quæstio illa, an conventio dandi aliquid Concionatori ultra alimenta, sit licita? dummodò tamen cadat super his, quæ sunt per accidens ad prædicationis Officium, prout sunt necessaria ad vitæ sustentationem, ad emendum libros, ad manè, vel serò prædicandum, vel singulis diebus, aut pro tota Hebdomada, & similia, quæ aliena sunt à pretio Evangelii, ut probat *textus cap. significatum, de præbendis;* hinc item est, quod prædicator absque simoniæ incursu, potest quærere suggestum, seu Pulpitum, in quo pinguiores sunt eleemosynæ, prout attestantur *D. Campanil. in divers. rubr. 12. cap. 13. num. 15. Cardin. Toletus in sum. lib. 5. c. 9. num. 3. D. Ricciull. lucubrat. Ecclesiast. lib. 5. cap. 16. num. 4. D. Sperellus in 1. p. dec. 70. num. 13. & Lezana ver. concionari num. 12.* quæ immediatè dicta ego intelligo vera de Jure; ignoro tamen, an in Praxi excusent à peccato Avaritiæ, & scandali, quod patiuntur populi videntes, Prædicatorem habere oculum ad pinguiorem pictantiam, an dextrum, vel sinistrum, Deus tantum scit. Caveant hi, ne Avaritia obcæcati cadant in profundum Abyssi? *quid enim prodest homini, si universum Mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? Væ Mundo à scandalo, & væ illi, per quem scandalum venit.*

Quæst. 40. An quemnam pertineat Prædicatorem eligere? & quorum sumptibus alendus sit?

1. Quæstio hæc est nimis intricata, de qua erudité discurrunt *Franc. Leo 1. p. Thesaur. for. Eccles. cap. 8. à num. 4. D. Campanil. in divers. Jur. Canon. rubr. 12. cap. 13. nu. 16. D. Ricciul. 1. p. Prax. dec. 546. in 1. edit. D. Barbos. p. 3. de potestate Episcopi, allegat. 76, nu. 5. & in Collect. Doctor. ad cap. 2. Trid. sess. 5. de Refor. à n. 3. & in eodem loco remissionibus, Marcell. Vulpe in Praxi, cap. 14. num. 8. & D. Ricciull. lucubrat. Eccles. lib. 5. cap. 16. num. 4. & sequen. & Diana 3. p. tr. 5. Miscell. resolut. 71.*

2. Verùm hodie debet attendi declaratio Sacræ Congregat. Concilii, edita anno 1596. die 11. Junii, relata, & extensa per *Laur. Peyr. tom. 3. privil. cap. 2. sub nu. 14. fol. 37.* sub tali tenore.

3. *Congregatio Concilii censuit, esse in electione Episcopi; vel deputare in sua Cathedrali prædicatorem etiam, quod populus illum ab immemorabili tempore eligere consuevisset, vel præteritam nominationem ipsi populo relinquere; ita ut si Episcopus Prædicatorem eligat, populum ad eleemosynas prædicatori erogandas non compellat. Verùm si populum prædictum facultate eligendi prædicatorem uti permiserit, tunc populum ad solitas eleemosynas præstandas Episcopus cogere poterit, in aliis Ecclesiis ad Episcopum similiter pertinet electio, & Deputatio prædicatorum, impensis eorum, qui illas præstare, vel tenentur, vel solent. Concilium tamen non sustulit immemorabilem consuetudinem, quæ facultas nominandi prædicatorem in Ecclesiis non cathedralibus, alteri, quam Episcopo, competeret in sua Diœcesi, &c.* hæc ibi.

4. Ex

4. Ex quibus plura collige. Primò, quod si Episcopus velit auferre à Communitate facultatem, quam habet per consuetudinem immemorabilem, nominandi prædicatorem, non potest deinde ipsam Communitatem compellere ad expensas Prædicatori debitas; sed ipse tenebitur ad dictas expensas, quas si solvere recusaret, potest cogi per suum superiorem: nam cum ad ipsum pertineat prædicationis munus obire, si ipse nolit expensis suis, per alium tenetur adimplere, ut probat *textus cap. inter cætera, de officio jud. Ordin. & c.4. sess.24. Trid. de Refor.* ibi, *impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent; &c.* & quod dicitur de Episcopo respectu suæ Cathedralis, dicendum est de Parocho respectu suæ Parochiæ, *Diana cit. loc.*

5. Secundò, quod cum dubium sit, quorum expensis sit Concionator alendus in Quadragesima, debet Episcopus proprio sumptu illum conducere; quod procedit quantumvis Episcopus sit pauper, ut notat *D. Riccinll. cit. loc. nu.2. contra Leonem cit. loc. nu.6.* Et ratio est, quia cum officium prædicationis sit pars curæ animarum, eo ipso, quo quis adipiscitur curam, remanet obligatus ad prædicandum, nulla facta distinctione, si sit dives, vel Pauper, *Clem.2. de sepult.* non secus quàm tenetur ad recitandum officium; & alia Sacramenta administranda.

6. Tertiò, quod consuetudo immemorabilis tribuit possidenti Jus plenissimum ex fortiori causa, quæ cogitari possit. *Dec. in lege traditionibus n.11. de Pactis, Barbat. concl.35. per totum librum. & Guttier. Pract. quæst. lib.3. q.14. nu.64.* etiam quoad Jura Episcopalia, quæ omnia sunt præscriptibilia, supposita tamen capacitate in præscribente, *Abbas in cap. cum contingat n.11. de foro, & Rota Rom. dec.2. de præscriptionibus in novis, & dec.324.*

7. Quartò, quod aliud est loqui de immemorabili, & aliud de simplici consuetudine de qua latè *D. Sperell. 1. p. dec.69. & 70.* ubi quærit, an Parochus, vel potius Communitas teneatur suis sumptibus Prædicatorem alere? & ad hoc per censuras cogenda? eique consuetam eleemosynam elargiri, non obstante, quod præfatus Concionator reperiatur electus ab Episcopo contra dictæ Communitatis immemorabilem consuetudinem?

Quæst. 41. An Prædicator prohibitus à Principe sæculari, debeat prædicationem dimittere?

1. *S. Thom. in quodlib. 12. ar.29.* sub duplici distinctione resolvit, aut is, de quo agitur, prohibetur prædicare solùm à tyranno, aut simul à tyranno, & Populo: si primo modo, cum de multitudine sint aliqui, qui audire volunt, non est dimittenda prædicatio, sed moderanda, quoad tempora, & loca, adeò ut ex timore ad tyrannum non impediatur, ceu foret prædicare occultè per domos, ut ab Apostolis legitur factum, si secundo modo, tunc debet cedere prædicator, & fugere ad alia loca, secundùm mandatum Domini *Math. 10. Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.*

2. Secundò modo ita resolvit, aut iste Prædicator habet curam Animarum, aut non; si primo modo, non debet dimittere suum Gregem, etiam propter periculum mortis: dummodo possit facere aliquod bonum remanendo cùm Grege. Aut prædicat non ex necessitate curæ, sed sponte, & sic non tenetur ibi stare, etiam si posset ibi inter tales fructificare, nec tenetur in tali casu animam suam ponere, nisi fortè aliquis vellet corrumpere fidem, & tunc ibi periclitaretur, nam in hoc casu tenetur quisque pro suis fratribus animam ponere. Si autem non imminet talis casus, sic est in concilio prædicare, sed omnia, quæ sunt de concilio, in casu posito, sunt in præcepto, secundùm illud *2. ad Timoth. 4. prædica verbum, insta opportunè, importunè argue, obsecra, &c.*

Quæst. 42. Si in aliquo oppido nolit Parochus, ut prædicetur in aliquo die festo, aut die Dominico, in quo prædicari solet; & potestas sæcularis è contra velit, ut prædicetur, cuinam obediet Prædicator Regularis?

1. Rodriquez *tom.2. q.62. ar.19. cum suo compendio resolut. 112. de Prædicat. num.19. Portell. in dub. ver. Prædicatores, nu.13. & Peyr. tom.3. privil. cap.2. num.15.* dicunt, quod tenetur obedire potestati sæculari, nam cum Tridentinum, *sess. 24. cap.4. de refor.* præcipiat, ut prædicetur ad Populum, saltem omnibus Dominicis diebus, & festis solemnibus, tunc potestas sæcularis videtur executrix dicti Decreti Concilii per concessionem particularem Pii V. quam per extensum refert *Roder. cit. loc.* & ita in facti contingentia, fuisse à Sacra Congregat. decisum refert *Portellus cit. loc.* nec obstat dicere, quod Regularis ex Trident. ubi supra, non potest prædicare contradicente Episcopo, quia Vicarius foraneus, sive Parochus non est Episcopus, nec habet jurisdictionem quasi Episcopalem sibi delegatam, ut dictum est supra, ergo.

Quæst. 43. An D. Episcopi possint procedere contra prædicantes dogmata, vel miracula falsa, vel falsas revelationes, aut detractiones de Prælatis?

1. Decisio affirmativa est manifesta in Bulla Leonis X. incip. *Supernæ Majestatis præsidio*, & est 21. inter Bullas ejusdem, *tom.1. Bull. Cherub. fol. mihi 508* quam item extendit *Quaranta in Bull. ver. Prædicator, & noster Festus in summ. nostrarum Constit. cap.58. de Prædicatoribus*, ex qua Bulla lata est excommunicatio, & privatio officii concionandi, ipso factò, incurrenda contra Concionatores verbi Dei, si adversus infrascripta prædicare præsumpserint.

2. Primò ut evangelicam veritatem, & sacram scripturam, juxtà Doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent, nihilque adjiciant contrarium, aut dissonum vero sensui scripturarum, ejusque verbis ritè, & sanè intellectis juxtà prædictorum Doctorum interpretationem. Secundò, ut tempus præfixum futurorum malorum, & adventum Anti-Christi, aut certum judicii diem prædicare non præsumant. Tertiò, ne alia sim liter futura, quasi sibi specialiter revelata dicant, aut alienas, inanesque divinationes asseverent, aut alio quoquo modo tractanda absumant. Quartò, ut à Prælatorum, aliorumque Superiorum, eorumque status, scandalosa detractione abstineant.

3. Amplia, ut ultra prædicta sancita à Leone X. in dict. Bulla contra hujusmodi Prædicatores, sit etiam Constitutio Pauli III. incip. *In Apostolici culminis specula*, & est 30. inter Bullas ejusdem Papæ in dict. Bull. Cherub. qua decrevit, prædictos Concionatores ab Inquisitoribus coerceri. *Concilium verò Tridentinum, sess.5. c.2. §. si vero*, hoc idem Episcopis demandavit, his verbis.

4. *Si vero, quod absit, Prædicator errores, aut scandala disseminaverit in Populum, etiamsi in Monasterio sui, vel alterius Ordinis prædicet, Episcop. ei prædicationē interdicat; quod si hæreses prædicaverit, contra eum secundum juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat: etiamsi Prædicator ipse Generalis, vel speciali privilegio exemptum se esse prætenderet: quo casu Episcopus authoritate Apostolica, & tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat. Curent autem*

tem Episcopi, ne quis Prædicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumniosè vexetur, justamve de eis conquerendi occasionem habeat, &c. Hæc ibi.

5. Sed circa sancita à Leone X. plura adverte. Primò, quod non est prohibitum Prædicatori exponere in aliquo sacram scripturam, seu deducere illam ad sensum aliquem, præter, sed non contra sensum ab Ecclesia, & Sanctis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus communiter traditum; quia sacra scriptura potest habere plures sensus, præcipuè misticos, & morales, *Ban. Dominican. in 1.p.2.2. q.1.ar.10.dub.6. Azor.1.p.instit.moral.lib.8.c.2.q.3.* & alii plures, quos allegat, & sequitur *D. Barbos. in coll. ad Trid. sess. 4. de edit. & usu librorum*, & liquet ex textu, ibi, *contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, &c.* Aliud enim est loqui præter, & aliud contra.

6. Secundò, quod hæ, & aliæ pœnæ latæ à Leone X. in Concilio Lateranensi, testibus multis Doctoribus, non fuerunt usu receptæ; *Navar. in summ c.27. nu.148. Suar. de censur. disput.22. sect.6. num.8. Fillucc. tract.15. nu. 177. Thesaur. de pœnis Eccles.2.p. prax. c.1. ver. prædicantes in fin. & Portell. in dub. ver. prædicatores nu.3.* ubi dicit, quod Clemens V. in *Clem.1. de privil.* jubet in textu, quod prædicantes contra aliquid ex supradictis, per duos menses subjaceant pœnis gravioribus, quæ per Regulam. & statutum solent imponi in Religionibus.

Quæst. 44. *Prædicatores quonam modo debeant Conceptionem B. M. V. prædicare?*

1. Respondeo, quod debent in hoc, ad unguem observare Decreta Summorum Pontificum, & præcipuè novissima; & inprimis, & ante omnia, adverte Decretum Sacri Concilii Trid. *sess. 5. de pecc. originali in fine*, ibi, *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam & Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem; sed observandas esse Constitutiones fel. record. Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innovat.*

2. Hæ autem Constitutiones Sixti IV. reperiuntur inter extravagantes communes, *lib.3. de Reliq. & venerat. Sanctorum*; ex quibus, qui dicunt, mortaliter peccare, vel hæreticos esse eos, qui defendunt Conceptionem cum peccato originali, vel è contra affirmant, peccare eos, qui colunt festum Conceptionis, sunt excommunicati.

3. Secundò, tenentur advertere constitutionem Pii V. incip. *Super specula Domini* edita Anno 1570. quæ est 114. inter Bullas ejusdem Papæ *Bullario Cherub. fol. mihi 322.* qua S. Papa, non solum confirmat dict. Constit. Sixti IV. & dictum Decretum Concilii Trid. verùm etiam prohibet de dicta Conceptione disputare in Popularibus Concionibus, aut de ea vulgari sermone scribere, & dictare sub pœna suspensionis, & privationis officiorum, ibi, *qui contrafecerit.*

4. Tertiò tenentur advertere Constitutionem Pauli V. incip. *Regis Pacifici*, editam anno 1616. qua S. Papa reconfirmat dict. Constitut. Sixti IV. & dict. Decretum Trid. ac dictam Constitutionē Pii V. qua etiam prohibet de prædicta Conceptione vulgari sermone disputare, vel dictare: in Academiis autem & Capitulis, ubi nulla occasio scandali subesset, permisit, quæ quippè Constitutio est 97. inter appendices Bullarii Cherub.

5. Verùm scias, quod non post hanc Pauli Constitutionem, aliud ab eodem emanavit Decretum, prohibens in quibuscunque actibus publicis, nempè lectionibus, conclusionibus, & disputationibus, asserere posse, B. beatam Virginem cum peccato originali conceptam fuisse, & extat tenoris sequentis.

6. *Feria quinta die 31. Augusti, Anno à Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1617. In generali Congregatione S. R. E. ac universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico, in Monte Quirinali, coram S. D. N. Paulo divina providentia Papa V.*

Sanctissimus D. N. post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorum, & Reverendissimorum Dominorum Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa, providè considerans, quod quamvis in Constitutione fel. record. Sixti IV. super Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, pro submovendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à Sancta Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Constitutione Sanctæ memoriæ, Pii V. super eadem re, quas similiter Sanctitas Sua innovavit cum quibusdam provisionibus, & adjectionibus pœnarum, pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnetur: nihilominus ex occasione assertionis affirmativæ in publicis cōcionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in Populo Christiano cum magna Dei offensa, scandala, jurgia, & dissentiones. Propterea volens hujusmodi scandalis, ex debito sui muneris, providere, decrevit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cujusvis Ordinis, & Instituti Regularibus, & aliis quibuscunque, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus personis cujusvis conditionis, statu, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm sæcularis, etiam si specialis, specifica, & individua earum esset necessariò mentio facienda, ut in posterum, donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica fuerit diffinitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacientes autem eadem Sanctitas Sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per hujusmodi tamen provisionem S. Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam quoad supradicta disposita. Ulterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionē non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè observentur, perinde, ac si præsens Decretum non emanasset, & ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro observatione, & exequutione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujusmodi transgressores, etiam Regulares, cujusvis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exempti, & alias quascunque Ecclesiasticas, & Sæculares personas cujuscunque status, gradus, conditionis, ordinis, aut dignitatis, tam Eccesiasticæ, quam Sæcularis, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique Ordinarii locorum, quam hæreticæ pravitatis, ubique locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos severe animadvertant, tribuentes eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & authoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quod præsens Decretum, seu illius exempla, ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde, ac

ac si unicuique personaliter intimata fuissent, quod & præsentium transumptis, etiam impressis, manu publici Notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Et habetur in 4. *tom. Bull. Cherub. in Constit.* 29. *Gregor. XV.*

7. Quartò debent advertere aliud Decretum à Greg. XV. editum, prohibens, etiam in privatis colloquiis id posse affirmari, cujus tenor est.

8. *Feria* 3. *die* 24. *Maii anno à Nativitate D. N. Jesu Christi* 1622.

In generali Congregatione S.R.E. & universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram S.D.N. Gregorio divina providentia Papa XV. ac Illustriss. & Reverend. Dom. S.R.E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, à S. Sede Apostolica specialiter Deputatis.

Sanctissi. D.N. auditis votis Illustriss. & Reverendiss. Domin. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum Decretum aliàs editum à fœl. record. Paulo V. eius prædecessore, tenoris sequentis videlicet. S.D.N. post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illust. & Rever. Dom. Cardin. contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa, providè considerans, quod quamvis in Const. fœl. record. Sixti IV. super Conceptione Beatiss. V. Mariæ, pro submovendis inter Christi fideles scandalis, rixis, ac contentionibus, edita à S. Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia Constit. S. memoriæ Pii V. super eadem re, quas similiter S. sua innovavit cum quibusdam provisionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori eorum observatione, relinquatur unicuique libera facultas tenendi, & etiam asserendi utramque partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica damnetur. Nihilominus ex occasione assertionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatiss. Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in Populo Christiano, cum magna Dei offensa, scandala, jurgia, & dissentiones. Præterea volens hujusmodi scandalis ex debito sui muneris providere, decrevit, & præcepit, ac præsentis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cujusvis Ordinis, & Instituti Regularibus, & aliis quibuscunque, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus personis, cujusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis, etiamsi specialis, specifica, & individua earum esset necessariò mentio facienda, ut in posterum, donec articulus hujusmodi à S. Sede Apostolica fuerit diffinitus, & per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere, quod eadem Beatiss. Virgo fuerit concepta cum peccato originali, contra facientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis. Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferri, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus de præsenti reperitur, præterquam ad supra disposita. Ulterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali in prædictis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent: Insuper voluit, & expressè mandavit, ut extrà hos casus expressos publicorum actuum in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè observentur, perinde ac si præsens Decretum non emanasset, & ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte supradictis constitutionibus, & aliis omnibus in contrarium facientibus, &c. hoc suo præsenti Decreto ex eisdem causis evitandi scandala, dissentiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & ut accepit in aliquibus Religionibus jam exortæ sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativæ, extendit, & ampliavit, etiam ad privata Colloquia, & scripta, mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica diffinitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neque etiam in sermonibus, & scriptis privatis, audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquo modo agere seu tractare: exceptis tamen quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum, per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsus præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto fel. record. Pauli V. & hoc suo Decreto disposita eademque Sanctitas sua voluit, & expressè mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujusmodi Decretis non adversantur Constitutiones Sixti IV. Alexandri IV. & Pii V. ac Pauli V. ejus prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè observentur, perinde ac si hujusmodi Decretum non emanasset, & insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ Virginis Conceptione Festum solemniter, & officium celebret omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm cujusvis ordinis, & instituti Regularibus mandat, & præcipit, ut in Sacrosancto Missæ Sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publicè, quam privatim, non alio, quam Conceptionis nomine uti debeant, contravenientes autem Sanctitas sua voluit, & declaravit subjacere debere, & subjecit Censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato Decreto suorum prædecessorum, ipso facto incurrendis, & ita decrevit, & mandavit ubique inviolabiliter observari, non obstantibus in hac parte Constitutionibus suprascriptis, Decreto præfato Pauli V. consuetudinibus, etiam immemorabilibus, nec non omnibus, & singulis, quæ prædecessores prædicti voluerunt non obstare, & aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro observatione, & exequutione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra hujusmodi transgressores, etiam Regulares cujusvis Ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascunque Ecclesiasticas, & sæculares personas cujuscunque status, conditionis, gradus, ordinis, aut Dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique ordinarii locorum, quam hæreticæ pravitatis ubique locorum Deputati Inquisitores procedant, & in eos severè animadvertant, tribuentes eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & authoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi, voluit demum ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, quod præsens Decretum, seu illius exempla ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimata fuissent, quodque præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Andreas de Pettinis S. Romanæ & universalis Inquisitionis Notarius, & habetur in *tom.* 4. *Bullarii Cherubini,* & est 29. inter Bullas ejusdem Papæ Greg. *fol. mihi* 134.

9. Ex quibus benè vides, quod hodiè de contraria opinione, nec quidem unum verbum proferri potest, quia nimirum à S. Sede Apostolica, & Sanctis Ecclesiæ Pontificibus, arctum est silentium impositum, adeò ut ali-

ut aliquomodo agere, vel tractare de opinione contraria, temerarium, & crimen valdè punibile sit, exceptis tamen illis, quibus à Sancta Sede Apostolica, fuerit super hoc specialiter indultum, prout sunt Dominicani, qui possunt inter se dumtaxat, non autem inter alios, neque cum aliis, de opinione contraria differere, & tractare, qui neque super hoc, debent molestari, ut constat ex Decreto ejusdem Pontificis extenso *in 4. tom. Bull. Cherub. fol. 136 in calce præfatæ Constitutionis Greg. XV.* ibi, *eximii, ac singulares fructus, &c.* de quibus mirificè *Eruditissimus noster Dominicus Gravina to. 4. de legit. magisterio §. de infallibili Papæ judicio, & cultu Sanctitatè Lez. 1. p. sum. c. 20. sub nu. 12. & Gavantus in Manuali, ver. Conceptio B. Virg. & Cæsar. Carena in p. 2. to. 17. §. 11. n. 36.* ubi latè de prædicto Decreto, & quomodo detrahentes parti adversæ opinioni affirmativæ, etiam indirectè, sint denunciandi, & puniendi in tribunali S. Inquisitionis.

10. Sed dices, cur in dictis Decretis asseritur, nihil ab Ecclesia adhuc de fide fuisse diffinitum circa hunc articulum Conceptionis B. M. V. dum in *Synodo Basiliensi, sess. 36.* jam diffinitum fuit, Beatam Virginem absque peccati originalis macula fuisse conceptam? respondet tamen *Flavius Cherub. in Comp. Bull. in Append. in Schol. 1. ad Constit. 97. incip. Regis Pacifici, fol. 17.* Synodum illam, non esse attendendam, nam ante dictam sessionem 36. discesserunt à vero Papa Eugenio IV. in sess. 34. & ille eam Synodum jam transtulerat ad Civitatem Ferrariæ, ut habetur *in sua Constit. 11.* Unde quidquid ibi postmodum actum fuit, irritum est & inane, ut dicitur *in Conc. Lateranensi 3. sess. 11. & Bulla 20. Leonis,* ibi confirmata, quod etiam supponit *Tridentinum sess. 5. in fine Decreti, de peccato originali,* ubi jubet in hoc puncto observari Constitutiones Sixti IV. Quamobrem solet dici, quod Concilium Basiliense Basiliscum peperit. An qui credit Conceptionem Immaculatam, ut articulum fidei, sit hæreticus? affirmat *Carena cit. loc.* quia non est articulus fidei, nec de pertinentibus ad fidem, undè foret valdè punibilis, qui diceret contrarium, ut ab Inquisitoribus majoribus in Portugallia, annuente Paulo V. anno 1619. decisum refert idem Carena *ubi supra,* vide illum.

Quæst. 45. An Prædicatores Regulares possint suis auditoribus Indulgentias concedere?

1. MIranda *1. par. Manual. quæst. 50. ar. 10. ex Collectore Privil. ver. Indulgentiis quoad sæculares, §. 5.* dicit, quod ad minus dicti prædicatores possunt suis Auditoribus concedere decem, & octo annos Indulgentiarum, quas sigillatim enumerat *Collector. cit. loc. & Lezana ver. concionari, n. 14.* Verum *Rodor. in comp. Resol. 112. n. 20.* dicit, quod debent tamen illas expressè concedere, nomine suæ Sanctitatis: quas non revocatas à Paulo V. putat *Portellus ver. Prædicatores, nu. 9.* quia non censentur concessæ Fratribus; sed sæcularibus.

2. Verum, ut video, non est in usu, Fratres Regulares in fine suarum Concionum, Auditoribus Indulgentias concedere, benè tamen verum est, hos Auditores dictas Indulgentias consequi, si Conciones, vel spirituales sermones audiant in Ecclesiis Regularium, & maximè mendicantium, prout constat ex allegatis privilegiis per Doctores *ubi suprà.*

Quæst. 46. An Regulares, prædicando fabulas, facetias, aut aliquid ridiculum, peccent saltem venialiter?

1. EMin. *Cardin. Cajet. in sua summula, ver. Prædicatorum peccata,* dicit, quod immisceri sacra profanis, regulariter loquendo, ad minus est veniale, propter irreverentiam, quæ exinde fit Divinis Verbis, quod ante eum dixit *S. Anton. 3. p. tit. 13. de fructibus Prædicatoris, cap. 4.* ibi, *Octavo abstineat à levitate, ne scilicet dicat verba jocosa, & fabulas ad provocandum Risum;* dicit enim *Hieronymus, quod bonus prædicator est, qui provocat populum ad luctum, & non ad risum, etsi aliquando non sit indecens dicere aliqua verba solaciosa, ad sublevandum Populum ætediatum, moderatè tamen fiendum, & rarò:* hæc ille, cui subscribit *Navar. in sum. cap. 25. num. 142.* ubi dicit, prædicatores hujusmodi interdum excusari, etiam à peccato veniali. Dixi *regulariter loquendo,* quia per accidens fieri potest, ut peccent mortaliter, ut si ex his facetiis oriatur scandalum, vel si exinde injurietur aliquis de populo, vel rumor fiat, aut quid simile malum.

Quæst. 47. An prædicatores Regulares habeant aliquod privilegium ad non strictè jejunandum?

1. QUod prædicatores; ex causa, & prædicationis gratia, Jejunii tempore, possint commestionis horam anticipare; vel retardare, quin etiam, & immutare cum collatione serotina, certum est ex indulto Minoribus concesso à Leone X. quod, ob communicationem privilegiorum, ad omnes Regulares extenditur, & habetur *in Supplemento, fol. 43. concessione 282. & in comp. privil. ver. Prædicatores Verbi Dei §. 16.*

2. Quod quidem privilegium censetur impetratum potius ad cautelam, & majorem conscientiæ consolationem, sivè securitatem, quam ob necessitatem, nam existente aliqua urgente causa, non indigemus dicto privilegio, ut in simili dixi *in tractatu de Horis Canonicis,* de causis excusantibus à recitatione Divini Officii, & docet *Navar. in sum. latina, cap. 21. de V. præcepto Ecclesiæ nu. 16.* ubi dicit, *quod omnis justa causa reducitur ad unam ex his tribus, scilicet impotentiam, necessitatem & majus bonum,* ad quod allegat *S. Thom. & Cardin. Cajet. & cap. 25. num. 101.* ubi latè de causa excusante à recitatione Officii.

TRACTATUS VII.

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

Quæst. 1. An hoc nomen Missa, sit Hebraicum, Græcum, vel Latinum?

1. DOctissimus *Albericus in suo Diction. ver. Missa,* dicit, Missam esse nomen Græcum, & significare interpellationem. Verùm fallitur; nam Græci Patres ad significandum summum sacrificium, in quo offertur verum Christi Corpus, nunquam usi sunt hac dictione *Missa,* sed ejus loco, *liturgia, synaxis, & similibus;* ut benè advertit *Covar. tom. 2. lib. 4. var. resol. cap. 22. ver. cæterum Albericus.*

2. Alii dixerunt, esse nomen Hæbraicum, & significare spontaneam oblationem, quæ Deo offertur in signum

signum supremi dominii, quod habet super omnia; ducunturque ex eo, quod hoc nomen *Missach*, Hebraicè, idem est, quod libera, & spontanea oblatio, ut tradunt *Andreas Alciat.lib.7.Peregr.ca.10.& Demochares.tom.2. de sacrif.Missa.cap.1. & to.4.cap.32.* eosque sequuntur *Melchior Cano,lib.12.de loc.theolog. §.id. quod Epiphan. in fin. Sotus in 4.sent.distin.13.q.2.ar.1.§.sed rogas,in fin. Bart. de Angel.dialog.5.§.16. Covar. cit.loc.Navar.in manual.cap. 25.n.3.Baron. tom.1. Ann.34.cap.54.Rod.tom.1.q.43.art.1. cum suo comp.resolut.25.n.1.*& moventur,quia *Deuteronomiu 16.ver.10.* ubi nos habemus, spontaneam oblationem,Hebræi habent, *Mizah*,id est *Missa*; & *Psalm.140.* ubi nos legimus *elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*; Hebræi legunt, *Mizah*, id est, *Missa*.

3. Alii verò,& melius,ut *Isidorus,lib.6.ethymol.cap.19. Hugo de S.Victore, lib.2. de Sacram.p.8. cap.14. Innoc.de sacrif.Missa,lib.5.c.22.Rupertus Abbas, lib.2.de divinis offic.cap.23.* & alii eruditissimi non pauci,dixerunt esse nomen Latinum, & deduci ab hoc verbo *mitto*,vel *dimitto*; ac proindè significare missionem, seu dimissionem, sumitur enim apud Latinos participium præteriti temporis,pro nominibus substantivis,quæ nomina verbalia appellant Grammatici,ut collecta, pro collectione,remissa pro remissione,Missa pro missione,&c. Olim etenim in fine Missæ, quæ dicebatur Cathecumenorum, hoc est, post Evangelium, & Symbolum Apostolorum, Diaconus publica,& alta voce,clamabat, *ite Missa est*, quasi illis diceret, vobis Cathecumenis non licet interesse consecrationi Corporis, & Sanguinis Domini: ideò hinc abite, exite foras; quia instat incipere Missa fidelium; exinde postea integrum illud sacrificium, Missa, seu dimissio Populi, cœpit appellari, sumpto vocabulo, à publicis illis verbis, quæ tunc temporis Diaconus publica voce proferebat: unde factum est, ut etiam hodie in festivitatibus, in quibus dicitur, *Gloria in excelsis Deo*, peracto, absolutoque sacrificio, voce Diaconi, vel Sacerdotis, dimittatur Populus, eadem voce, *ite Missa est*.

4. Vel Missa dicitur à *mittendo*; vel quia Angeli mittuntur à Deo,ut sacrificio incruento assistant,& illud ad Deum deferant pro nostra salute, & beneficio, ut dicit *Magist.sent.in 4.distin.13.* ibi, *Missa dicitur eo, quod cœlestis missus ad consecrandum, vivificandum corpus adveniat*, juxta dictum Sacerdotis, *Omnipotens Deus jube hac perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime Altare tuum, &c.*vel quia Christus, qui est Hostia, ad nos transmittitur à Patre, & per oblationem, & sumptionem à nobis remittitur ad Patrem nobis placandum, juxta illud *Ephes.5. Qui tradit semetipsum pro nobis oblationem, & Hostiam Deo, &c.*

5. Quam sententiam sequitur *S Thom.cit.loc.sent.q.2. de heresi*, post quæstiunculas in fine,ibi,*præter hanc rationem nominis,assignat Hugo tres alias rationes. Primò,quia Missa dicitur,quasi transmissa,eo,quod Populus per ministerium Sacerdotis, qui mediatoris vice fungitur inter Deum, & hominem,preces,vota,& oblationes Deo transmittit. Secundò,quia ipsa Hostia sacra,Missa vocari potest,quia transmissa est prius à Patre nobis, ut scil. nobiscum esset, postea à nobis Patri,ut apud Patrem pro nobis esset. Tertiò,Missa ab emittendo dicitur, quia ut Sacerdos Hostiam consecrare incipit,manum per Diaconi, & Ostiarii, Cathecumenos foras Ecclesiam mittit.* Hæc ibi, post quæ reformando supradictam rationem Magistri,ait,quod Angelus sacris mysteriis interest, non ut consecret, quia hujusmodi potestatem non habet, sed ut orationes Sacerdotis, & Populi, Deo repræsentet, secundùm illud *Apocalips. Ascendit fumus Aromatum in conspectu Domini, de manu Angeli*, quæ sunt orationes Sanctorum, quod etiam dicit *3.p.q.83.ar.4.ad 9.*ibi, *Propter hoc etiam Missa nominatur, quia per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut Populus per Sacerdotem,vel quia Christus est Hostia nobis Missa à Patre: Undè & in fine Missa Diaconus in festivis diebus Populum licentiat,dicens,ite,Missa est,scil. Hostia ad Deum per Angelum,ut scil. sit Deo accepta.* Hæc ille, & sequuntur *Syl. ver.Missa,nu.1. Tab.eod.ver. Sot.4.sent. dist.13. quæst.2. ar 4.Bartol.de Angelis Neapol.dial.5.§.16.. Cardinal.Bellarm.lib.1.de Missa,cap.1.*& sequuntur indifferenter omnes Catholici, nullo excepto.

Quæst.2. *An hoc nomen, Missa, sit recens in Ecclesia, vel antiquum?*

1. ET dico,quod hoc nomen, *Missa*, fuit in nostra latina Ecclesia antiquissimum,prout testantur Scriptores,qui floruerunt in priscis Ecclesiæ sæculis, nam *Alexander I.* qui fuit sextus Pontifex post S. Petrum, & sedit in Ecclesia, Anno Christi 121.*in Epistola 1.c.4.* quæ refertur *Can.1.distin.2. de consecrat.* ait, *In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia, Domino offeruntur, passio Domini nostri miscenda est. Sixtus I.* qui Alexandro successit, & sedit Anno Christi 138.auctore Damaso, instituit, ut Sacerdote incipiente actionem Missarum,à Populo cantaretur, *Sanctus,Sanctus,Sanctus,Dominus Deus Sabbaot*, Thelesphorus, qui sedit Anno Domini 142.*in Epist.ad omnes Episcopopos,cap.2.*relata in *cap. nocte 48.dist.1. de consecrat.* ait, *Nocte sancta Nativitatis Domini Salvatoris, Missas celebrent Presbyteri*; Hyginus Papa successor Thelesphori, qui sedit Anno Christi 154. *in c.omnes 3.de consecrat. dist.1.* dicit, *Quod omnes Basilicæ cum Missa debent semper consecrari*; Soter Papa, qui sedit Anno Domini 175.in *cap.hoc quoque 61. de consecrat.dist. 1.*ait, *Nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat: nisi duobus præsentibus*, & in hac acceptione, hanc vocem,*Missa*, usurparunt alii Pontifices,Concilia, & Sancti Patres, etenim *Clemens in Epist.2. ad Jacobum* relata *in c. Missarum, 12.de consecrat.dist.1.* ait, *Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit celebrandam esse censemus*; *Concil. Carthaginense 4.cap.84.*relatum,*in c. Episcopus nullum 67.*ait, *Quod Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei,sive Gentilem,sive Hæreticum,sivè Judæum,usque ad Missam Cathecumenorum*, Sanctus Ambrosius,qui floruit Anno Domini 374.*Epist.33.* ait, *Ego mansi in munere,Missam facere capi. Augustin.* qui floruit Anno Domini 420.*ser.91.de tempore*, ait, *In lectione,quæ nobis ad Missas legenda est,audituri sumus*: Cæteros verò priscos Patres & Concilia referunt *Emin.Cajet. opusc.10.3. tr.2. de Eucharistia, cap.9.* ubi refert illa Laur.ad Sixtum verba,*quo Pater Sancte sine Diacono properas tu nunquam sine ministro sacrificare consueveras, &c.* ergò tunc temporis aderat sacrificium missæ, & *D.Melchior Cano Dominicanus,lib.12.de locis cap.13.§.Concilia*,ubi ad convincendum pestiferum Lutherum allegat plura antiquissima Concilia; & præcipuè *Toletanum 1.cap.5. Tolet.2.cap.14. Tolet.12.c.5.Bracharense 3. Ephesinum, Nicænum, cap.14. Lateranense sub Innocent. III.* & alia hujus generis multa, quæ brevitatis causa omitto: longa tamen manu referunt noster *Dominicus Soto in 4.sent.distin.13. q.2.ar.4.& 5.*ubi agit, de convenientia eorum, quæ in sacrificio dicuntur,& deferuntur,*Bartol.de Angelis.Dial.5.§.1.& sequen.*ubi in *n.4.* dicit; quod in nulla re Hæretici stultius, & irrationabilius, toti Ecclesiæ se opponunt, quam in hac una,de sacrificio missæ, *D. Didacus Covar. in d.lib.4. var.resol.cap.22.P.Petrus Canisius, 2.p.Catechismi,p.4.de Eucharist.q.7. Card.Bellarm.lib.1.de Missa,cap.1. Azor.1. p.lib.10.cap.18.P.Suar.3.p.D.Thom. q.83.ar.1.disp.83.sect. 3.& nuper P.Petrus Anellus Perficus;de præcipuo Sacerdotis officio, lib.2. Dub.4.*

2. Unde manifestissimè apparet, Hæreticos hujus temporis, protervè contendentes, hanc vocem *Missa*, esse Barbaram, & novam in Ecclesia; nedum mentiri, & fal-

& fallere: verum etiam insanè insanire, ac delirare; cum hæc vox Missa, sit verè latina, ejusque usus ad sacrificium significandum semper in Ecclesia fuerit: ut liquet ex jam decisis.

Quæst. 3. Missa quid sit.

1. NE circa diffinitionem Missæ contingat errare; diligenter adverte, quod Missa, de qua loquimur, est quoddam complexum, seu multiplex, nam amplectitur duo, unum essentiale, quod est Corpus Christi; alterum vero accidentale, quod sunt Preces, & Orationes Sacerdotum, ut docet *S. Thom. in 4. sent. dist. 13. qu. 1. de Ministro consecrante, art. 1. quæstiunc. 4. ad ult. & 3. p. q. 82. ar. 6. in prin. corp. ibi, in Missa duo est considerare, scil. ipsum Sacramentum, quod est principale, & orationes, quæ in Missa fiunt pro vivis, & mortuis. &c.* & adde, quod prædictum Sacramentum, simul est sacrificium, & Sacramentum, ut id in *S. Thom. in eadem 3. p. q. 79. ar. 5. in princ. corp.* ait, unde quatenus Sacramentum est, diffinitur, quod sit *sacræ rei signum, quam vel in se continet, vel usu efficit.*

2. Quatenus verò sacrificium, potest diffiniri, quod sit *oblatio Corporis, & Sanguinis Domini, sub aliena speciebus facta, & ad Deum transmissa per manum Sacerdotis*; ut Sacramentum Eucharisticum, in consecratione perficitur; ut sacrificium Deo oblatum, in oblatione consistit: unde dum in Pyxide asservatur, aut infirmo defertur, Sacramentum est, non autem sacrificium; ex quo fit ut nec Baptismus, nec alia Sacramenta, ullatenus dici possint sacrificia: quamobrem, non quia Sacramentum, sed quia sacrificium, tanta indumentorum, ornamentorum, precum, & ceremoniarum, & cantionum solemnitate celebratur, *Soto in 4. distin. 13. eu loc. ar. 1. ante §. sed rogas. & Bartol. de [illegible] dial. 5. de Missa, §. 8. & 9.*

3. Item [illegible], quia ut sacrificium novæ legis, diversas diffinitiones sortitur, ob diversos fines, ad quos ordinatur, [illegible] multiplex. Primò latreuticum, seu protestativum summi dominii, quod Deus habet super omnia. Secundò est Eucharisticum, quod fit in commemorationem, & gratiarum actionem, de summo beneficio passionis Christi, qui est fons, & origo aliorum Dei beneficiorum erga nos. Tertiò impetratorium, quia per Christum Deo Patri præsentatum, & oblatum, quidquid petierimus, facilè speramus obtinere. Quartò propitiatorium; quia peculiariter reperitur institutum in remissionem peccatorum, virtute passionis Christi, cujus repræsentativum est.

4. Ideoque hoc nostrum sacrificium, virtute quadam, omnia vetera sacrificiorum genera in se complectitur, quorum tria genera numerat *S. Thom. 1. 2. qu. 102. ar. 5. in corp.*

5. Quapropter, ut vides, non potest Missa quoad omnia in se contenta, unica diffinitione diffiniri; quia, ut dictum est, *complexorum non est diffinitio.*

6. Debet igitur prius distingui, & postmodum diffiniri, ut præclare ex multis ostendit sapientissimus *P. Paulus Nazarius 1. par. opusc. 2.* in illa solemni disputat. de sacrificio Missæ, quam jussu Clem. VIII. habuit cum Hæreticis in terra Pluri, sita in extrema parte Vallis Clavennæ [illegible] Catholicorum, Deique gloriam, & honorem, ubi in responsione Apologetica sic Missam diffinivit.

7. *Missa est sacrificium incruentum perfectum, in quo per actum [illegible], Verbis Christi Domini significatæ, & [illegible] Deo [illegible] Christi Corpus, & Sanguis [illegible], & vini, & manducatione, & bibitione à Sacerdote consumitur.*

8. Primò, Missa dicitur *sacrificium*; quia sacrificium generale [illegible] hoc novæ legis unicum sacrificium, & ad alia omnia sacrificia legis antiquæ.

9. Secundò dicitur *incruentum*, ad [illegible] hoc sacrificium ab eo, quod Christus [illegible] metipsum per proprium Sanguinem Hostiam [illegible] bis offerens Deo Patri, & a cruentis antiquæ leg[illegible] eis, quæ exinde dicebantur cruenta [illegible] ne, qui emanabat ab Animalibus, qu[illegible]

10. Tertiò dicitur *perfectum*; quia in hoc [illegible] perfectiones omnes legalium sacrificiorum [illegible] tur, ut ex scripturis fusè ostendit *S. Th[illegible]* longe, imò & infinite majores, qu[illegible] ctum est, ex sacrificiis autem quæ legis, [illegible] causa, quædam Hostiæ pacificæ [illegible] piatoriæ, pro peccatis [illegible] sacrificium hoc, [illegible] locaustum, Hostia pacifica, & Hostia pro [illegible] peccatis, simul continens repræsentation[illegible] morationem passionis, & mortis Christi.

11. Quartò dicitur *in quo per actum trans[illegible] nis verbis Christi Domini significata, &c.* [illegible] dum simul rem oblatam, & modum offerendi [illegible] crificio proprium, quod in re oblata diffe[illegible] tam legis scriptæ, quam legis naturæ sacrifici[illegible] enim offerendi distinguitur primò ab offeren[illegible] cujuslibet sacrificii, hujus enim sacrifici modu[illegible] ctionem divinam supernaturalem, qua duæ [illegible] Panis, & Vini, in verum Corpus & Sanguine[illegible] Domini convertuntur, & hac ipsa actione de[illegible] sti Corpus, & Sanguis superponuntur Altari [illegible] per modum hunc, sibi essentiale distinguitur Mi[illegible] ficiu, ab altero sibi accidentali post consecr[illegible] verba Sacerdotis expresso. cum ait, *unde & m[illegible]*

12. Quintò dicitur, *sub speciebus Panis & [illegible]* stinguendum Christi Corpus, quoad suum [illegible] ter naturale in Cruce oblatum, ab esse Sacr[illegible] quod illi convenit in hoc Eucharistiæ Sacram[illegible] quo sacrificatur à Sacerdote, nam quo[illegible] ter naturale, semel tantùm semetipsum obtulit [illegible] ut dicit *Apostolus ad Hebræos 7. 9.* Verum qu[illegible] cramentale, à quo non distinguitur esse [illegible] quotidie in hoc sanctissimo, & incruento [illegible]

13. Ultimò dicitur, *& manducatione, &c.* ad [illegible] dum consumptionem hujus sacrifici prop[illegible] rentem esse à consumptione cæterorum [illegible] ficiorum, sive illa sint cruenta, sivè incruenta [illegible] omnium majorem claritatem, placet singula [illegible] ac iterum multa quærere.

Quæst. 4. Quidnam sit sacrificium propri[illegible] è sumptum?

1. SAcrificium, cum quid æquivocum sit, [illegible] indiget, tu igitur ad concludendum ej[illegible] nem, adverte, quod ista vox *sacrificium* [illegible] impropriè, hoc est, pro re oblata, qu[illegible] remota offertur Deo. Unde [illegible] manur pro animalibus, quæ [illegible] tur, dicebantur sacrificia; [illegible] tamen; qua[illegible] apud latinos, victima significabat anima[illegible] Hostibus occidebatur, in gratiarum act[illegible] verò, animal, quod immolabatur pro v[illegible] bus reportanda.

2. Propriè verò sacrificium sumitur, pr[illegible] crificandi, & significat sacrificationem [illegible] nem Sacerdotis, qua rem aliquam Deo off[illegible] lam faciendo; ut constat ex ipsius vocis e[illegible] enim sacrificium dicitur, sacrum faciendo, & [illegible] sacrum facere: fit enim sacrum, cum aliquid [illegible] tur destinatur, adhibitis certis precibus, & [illegible] prout docent *Isidorus, lib. 6. Ethym.* [illegible] *med o, S. Thom. 2. 2. quæst. 85. ar. 2. in prin.* [illegible] *de locis, lib. 12. cap. 13. §. si qua disputatio est* [illegible]

Just. quæst. 1. ar. 1. in princ. Cardin. Bellarmin. lib. 1. de Missa, cap. 2. in fin. Azor. 1. par. Instit. Moral. lib. 10. cap. 17. qu. 2. & Suar. 3. par. D. Thom. q. 83. ar. 2. disp. 73. sect. 1. lit. B. ad quod ostendendum referunt multa loca sacræ scripturæ, sacra Concilia, & priscos Patres; ex quibus Hæreticos convincunt, & demonstrant, sacrificium propriè sumptum, esse quandam speciem cultus divini, & constitui in genere signi sacri; quod docuit *S. Thom. 2. 2. qu. 85. ar. 1. & 2.* nam ex hoc principio probat usum sacrificii esse connaturalem homini, cui proprium est mentem, & animum suum signis sensibilibus declarare, & exinde etiam concludit, sacrificium esse offerendum soli Deo; quia divinam excellentiam aliquo modo significat, ergo *S. Thom. ubi supra*, supponit sacrificium esse constitutum in genere signi sacri, & consequenter esse opus Religionis, quod prius docuit, *S. August. lib. 5. de Civit. Dei cap. 5.* dicens, *sacrificium visibile invisibilis sacrificii signum esse*, & *Epistola 49. q. 3.* dicens, *significativa esse omnia talia sacrificia, & quarundam rerum similitudines*; quamobrem, sacrificium propriè dictum, potest ita perfectè diffiniri.

3. *Sacrificium est oblatio rei sensibilis, à legitimo ministro Deo facta, per realem mutationem ad testificandum supremum illius Dominium, & nostram subjectionem.*

4. Primò ponitur in hac diffinitione, ly *oblatio*, loco generis, quia omne sacrificium oblatio est, non tamen è contra, juxta illud *Hebr. 6. omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, ut offerat dona, & sacrificia*, hinc *S. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. 3. ad tertium* ita loquitur. *Sacrificia propriè dicuntur, quando circa res Deo oblatas aliquid fit, sicut, quod animalia occidantur, & comburantur, quod panis frangitur, & comeditur, & benedicitur, & hoc ipsum nomen sonat; nam sacrificium dicitur ex hoc, quod homo facit aliquid sacrum. Oblatio autem directè dicitur, cum Deo aliquid offertur, etiamsi nihil circa ipsum fiat, sicut dicuntur offerri denarii, vel panes in Altari, circa quos nihil fit, unde omne sacrificium est oblatio, sed non convertitur*, hæc ille.

5. Secundò ponitur, ly *rei sensibilis*, ad excludendum à ratione sacrificii, propriè dicti, omnes actiones fidei, spei, & charitatis, misericordiæ, & cæterarum virtutum, quod est mente tenendum, propter Hæreticos, qui putant, omne opus pietatis, & charitatis, quod cedit in cultum & honorem Dei, esse propriè sacrificium.

6. Tertiò dicitur, *à legit. Ministro, &c.* quia sacrificium non nisi à Sacerdote offerri potest, juxta illud *Apost. ad Hebr. 5. Omnis Pontifex, id est Sacerdos, &c.* & rursus, *nemo assumit sibi honorem, nisi vocatus à Deo tanquam Aaron, &c.* & ratio potest esse, quia cum sacrificium sit præstantissimus cultus externus, quo Deus ab hominibus colitur, justum est, ut non passim à quovis offeratur; sed à personis electis, & ad hoc peculiariter deputatis. Undè in lege veteri, nulla sacrificia, nisi à Sacerdotibus fiebant, & meritò; quia Sacerdos, ut ipsum nomen sonat, dicitur à sacrificando, ut benè advertit *Aug. lib. 8. de Civit. Dei, c. ult. & lib. 22. cap. 10.* quapropter Ozias Rex fuit à Deo lepra percussus, quia Sacerdotis officium usurpavit. *2. Paralip. 26.* & Saul ob eandem causam, a Deo rejectus est, & fuit Regno privatus, *1. Regum 13.* & Datan, & Abiron, ob similem culpam, descenderunt in Infernum viventes, *num. 16.* ad quod facit *cap. firmiter de summ. Trin. & fid. Cathol. & Concil. Florent.* quid ergo de Hæreticis dicendum sit, cum etiam affirment fœminas posse sacrificare, & Deo offerre? ipsi viderint.

7. Nec his obstat dicere, quod in lege Naturæ non fuerunt Sacerdotes; & tamen erant sacrificia; quia, ut benè dicit *S. Tho. 1. 2. q. 103. ar. 1. ad 3.* etiam tunc fuerunt Sacerdotes, secundum humanam determinationē, nempè omnes primogeniti, quod clarius dicit *2. 2. qu. 87. ar. 1. ad tertium*, ibi, *Ante tempus veteris legis, non erant determinati Ministri divini cultus: sed dicitur, quod primogeniti erant Sacerdotes, qui duplicem portionem accipiebant, &c.* vel ut alii putant, omnes Patres familias in suis domibus, quibus congruebat, pro tota sua familia sacrificia offerre, ut patet de Jobo, qui pro suis liberis quotidie sacrificabat, aut quia tunc temporis, ex peculiari instinctu Spiritus Sancti, fiebant Sacerdotes, ut constat de Abel, Abraham, Jacob, & similibus, qui impulsu Sancti Spiritus fuerunt ad sacrificandum Sacerdotes instituti, ut dicunt *Hier. in Epistola 136. ad Evangel. & Aug. Genes. 27.*

8. Nec dices, quod in veteri testamento, Agnus Paschalis à singulis familiis immolabatur, ut dicitur *Exod. 12.* & tamen in singulis familiis non erant Sacerdotes; sed solùm in Tribu Levi; quia omnes Patres familias, respectu hujus sacrificii, erant Sacerdotes, quoad propriam familiam, non autem quoad alios, ut dictum est supra. Et ratio hujus est, quia sacrificium Agni Paschalis, institutum fuit ante legem veterem, sicut, & Circumcisio; ac proindè ante legis Sacerdotium; unde in eo offerendo, servata fuit consuetudo legis naturæ; ut docet *S. Thom. 1. 2. quæst. 113. art. 1. ad tertium*, ibi, *Quia Sacramentum Circumcisionis præcepto divino fuit ante legem, non potest dici sacrificium legis, quasi in lege institutum, sed solum quasi in lege observatum, & hoc est, quod Dominus dicit Joan. 7. Circumcisio non est ex Moyse.*

9. Quartò in diffinitione ponitur, ly *Deo*, ad significandum, quod sacrificium non debet offerri, nisi soli Deo, ad Deum ipsum laudandum, & ad gratias ei agendas, vel ad Deum placandum, vel ad aliquid ab eodem Deo impetrandum, ut supra.

10. Quintò ponitur, ly *per realem mutationem*, quia ut docet *S. Thom. 2. 2. qu. 85. art. 3. ad tertium*, sacrificium in hoc differt ab aliis oblationibus, quia sacrificii materia aliquid in se patitur, utputà, animal mactatur, panis frangitur, vinum bibitur, vel comburitur. Ideoque aliqua sui mutatione sacratur: Verum materia aliarum oblationum, nullam sui mutationem patitur; sed tantùm adhibitis quibusdam verbis, & cæremoniis, Sacerdotis ministerio consecratur.

11. Objicies, Melchisedech *Genes. 7.* sacrificium Deo obtulit in Pane, & Vino, ubi non legimus immutationem aliquam, circa rem oblatam: nisi quod fortassè Panis ille & Vinum aliqua externa demonstratione oblata sunt Deo, quia Panis ille fuit sumptus per modum cibi, aut combustus, & Vinum per modum Potus, ut eruditè dicit *Suar. 3. p. D. Thom. cit. loc. sect. 5. sub lit. D.* quamvis ex scriptura hoc non appareat.

12. Nec replices dicendo, quod Christus in Cruce obtulit seipsum Deo Patri, non tamen occidit, & mactavit seipsum, ergo ad rationem sacrificii non requiritur occisio, seu peremptio, aut mutatio rei oblatæ, à Sacerdote facta, quia licet Christus, de directo, & per se, non occiderit seipsum, fuit tamen verè causa suæ mortis, quatenus se liberè obtulit Judæis, qui eum occiderunt, nam oblatus est, quia ipse voluit, ut ex Evangeliis constat.

13. Neque objicies dicendo, quod in sacrificio Missæ nulla fit mutatio, aut peremptio rei oblatæ, quia valdè nimis deciperis; etenim certum est, in sacrificio Missæ duas fieri mutationes, una est conversio Panis, & Vini in carnem, & sanguinem Christi, altera est sumptio facta à Sacerdote, qua Eucharistia ferè consumitur.

14. Ultimò in diffinitione dicitur, *ad testandum supremum illius dominium, & nostram subjectionem*, quia ut sæpè dico, per sacrificium profitemur externus, quod interna fide credimus; Deum scilicet esse supremum rerum omnium Dominum: nos autem Oves Pascuæ ejus.

15. Hinc evidenter apparet, quod ratio sacrificii, & ratio Sacramenti, non secum pugnant, ut stultè æstu-

æstimavit Lutherus in illo suo blasphemo libro de Missâ abroganda, & in Apologia Augustana; sed simul possunt coire, & simul stare, licet reperiantur ordinata ad diversum finem, ut patet de Sacramento Altaris, secus autem dicere, mera calumnia est.

Quæst. 5. Sacrificium propriè dictum, quotuplex sit?

1. QUamvis sacrificium, aliud sit invisibile, aliud visibile, aliud verum, aliud falsum; unum proprium, alterum metaphoricum; nihilominus sacrificium propriè, ac strictè sumptum, est triplex, nempè legis Naturæ, veteris, & novæ, nam sicut leges diversæ sunt, ita diversa sacrificia illas comitantur, quæ multipliciter inter se differunt.

2. Primò [illegible] authore, nam sacrificia legis Naturæ, non fuerunt omnia à Deo immediatè tradita, sed determinatio eorum interdum fuit hominibus commissa, ut dictum est supra; sacrificia autem veteris legis, omnia [illegible] à Deo instituta, licet per Moysen fuerint publicata. sacrificia vero legis novæ, solus Christus D[illegible] instituit.

3. Secundò differunt in effectu, nam sacrificia legis naturæ [illegible], seu ut dicitur, ex opere operato, nullum habebant effectum; sed solum ex devotione, & fide operantium, poterant valere ad satisfaciendum Deo, vel ad aliquid, ab eodem impetrandum: Verum sacrificium legis novæ habet effectus proprios, de se, & [illegible].

4. Tertiò differunt ex parte materiæ, seu ex parte rei oblatæ, nam in illis primis solebant offerri animalia, libamina, liquores, & plura similia, ut patet ex Genesi, Exodo, & Levitico: Verumtamen in lege nova, unicum est sacrificium, quod omnia illa eminenter continet, in eo enim Christus offertur, qui est viva Hostia, & excellentissima victima, & quia sub speciebus Panis & Vini offertur, & sumitur, excellentiori modo habet, quidquid ad rationem immolationis, & libaminis posset pertinere, de quo [illegible] arguit *S.Thom.1.2. quæst.102. & 3.p. quæst.83.*

Quæst. 6. Quotnam fuerint in lege veteri sacrificiorum genera?

1. ET quamvis ea fuerint quatuor, ut dictum est supra, & potest colligi *ex Levitico in primis septem capitibus* de quibus latè eruditissimus *P. Joann. Azor. 1.p. [illegible] lib.10. cap.17. qu.3.* nihilominus ad tria capita illa reducit *S.Thom.1.2.quæst.102. art.3. ad 8.* ubi, *quod triplex erat sacrificiorum, &c.* de quibus præclarè, ut solet disserit, dicens, quod primum genus fuit, quod Deo offerebant, ob ipsius reverentiam, recognoscentes ipsum universalem omnium Dominum, & hoc dicebatur holocaustum, in quo totum animal, quod Deo offerebatur, ob ipsius reverentiam, igne comburebatur, ipsum omnium prorsus rerum creatorem esse, ac dominatorem. Unde ob id dicitur holocaustum, quasi totum ustum, seu combustum.

2. Secundum genus fuit, quod Domino offerebant in reconciliationem, ob aliquod peccatum commissum, quod dicebatur Hostia, seu victima placabilis, cujus pars aliqua Sacerdoti reservabatur, & totum residuum consumebatur igne, ad [illegible], quod Deus in salute nostra [illegible] utatur.

3. Tertium, & ultimum genus fuit, quod Deo offerebatur in gratiarum actionem, pro beneficio aliquo divinitus [illegible], & dicebatur Hostia pacifica, quæ in tres partes secabatur, prima dabatur Deo, & hæc tota comburebatur, secunda in usum Sacerdotis dabatur, & tertia remanebat in escam eorum, qui offerebant, ut ibidem [illegible] videre.

Quæst. 7. An soli Deo sit sacrificium offere[ndum]?

1. AFfirmativè *S.Thom. communiter recept[a] [illegible] 85. art. 2.* quia sacrificium externus [illegible] mari, & correspondere sacrificio inter[illegible] Anima se ipsam Deo offert, juxta illud *[illegible] factum Deo, spiritus contribulatus, &c.* [illegible] terior est signum, ac testimonium concep[illegible] ita sacrificium externus est signum, ac te[illegible] terioris, & spiritualis sacrificii Animæ; [illegible] fert Deo in sacrificium, sicut principio suæ [illegible] sicut ultimo fini suæ beatitudinis; ergo De[illegible] nimi alteri sacrificandum est, nam [illegible] secundum fidem dici potest author Natu[ræ] [illegible] rum, primum principium, causa causaru[m] [illegible] finis.

2. Confirmatur & magis declaratur; [illegible] actus, seu opus, & officium Religionis; [illegible] virtus moralis, quæ cultum, honorem, & [illegible] Deo debitam refert, ergo idem, quod pri[illegible] est consuetudo omnium nationum, qu[illegible] Regi soli, tanquam summo Reipublicæ ca[illegible] sunt illi honores, quos alteri inferiori de[illegible] set læsæ majestatis, debet enim Rex, præ [illegible] ctis, in esse excellentia, & honore, ut [illegible] alium adæquare sit fellonia committere [illegible] dem f. est illud *Pauli, ad Romanos* 1. ubi [illegible] gavit; quod alteri à Deo sacrificarent, sic[illegible] committerent; eo quod sacrificare est cultus [illegible] Deo debitus, & proprius, quod inde [illegible] *[illegible] 22. ibi, qui immolat Diis, occidetur, præter [illegible] soli*, ergo.

3. Nec dices, quod Ecclesia, Templa, & [illegible] ctis Martyribus extruit, & dicat, & quod T[illegible] tari extruuntur ad sacrificia offerenda; qu[illegible] *docet, cit. loc. ad tertium,* nos non constit[illegible] Sanctis Templa Sacerdotalia: quoniam [illegible] Deus eorum, nobis est Deus; Undè Sac[illegible] offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, [illegible] rum victoriis gratias agimus, & nos ad [illegible] rum exhortamur; quod decisum refert *Trid.* [illegible] incip. *& quamvis.*

Quæst. 8. An in Ecclesia Christi, sit aliqu[od] [illegible] & propriè Sacrificium?

1. QUod in lege Evangelica sit verum [illegible] Sacrificium, à Christo Domino, in [illegible] institutum, quo omnes fideles Deum col[illegible] unico; non est inter Catholicos inquirendum, [illegible] devotione, ac humilitate practicandum; est [illegible] definita *a Sac. Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.* ibi *Ch[illegible] mimus sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut homin[illegible] exigit, reliquit sacrificium,* & *Can. 1.* ibi, *[illegible] Missa non offerri Deo verum, & proprium [illegible] thema sit.*

2. Hanc Catholicam veritatem, mul[illegible] bant *Cardinalis Cajet. opusc. 10. 2. [illegible] 9. Melchior Cano, de locis, lib. 12. [illegible] 2. ar. 1. & in 4. sent. distin. 13. q. 2. [illegible] [illegible] de [illegible] missæ ver. 11. [illegible] [illegible] de sacrificio missæ, Cardin[illegible] Suar. 3. p. D. Thom. disput. 74. [illegible]* ex antiqui veterum Patrum con[illegible] varias Vaticinis, & præcipuè ex illo *[illegible] phet. 1.* ubi textus sic loquitur, *ad [illegible]*

qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum. & caecum, & claudum, ac debile immolastis; non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum, haec ibi.

3. Quibus verbis, ut vides, Propheta praedicit reprobationem sacrificiorum Judaeorum, ac caeremoniarum eorumdem, vocationem gentium, & mundissimam sacrificii oblationem in gentium Ecclesia futuram.

4. Nec nocet, quòd Propheta loquitur de praesenti, quia Prophetae res futuras ità certò cognoscunt, Deo ipsis revelante, ac si praesentes illas intuerentur, prout idem *Trid. sess. 22. cap. 1.* declaravit, ibi, *haec quidem illa munda oblatio est, quae nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari potest, quam Dominus per Malachiam nomine suo, quòd magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam praedixit:*

5. Tertiò, quia ad perfectionem novae legis pertinet, ut in ea sit verum & proprium sacrificium; in omni enim lege, tam naturae, quàm scripta, imò etiam apud omnes gentes barbaras fuit sacrificium externum, & visibile: ergo etiam, & multò fortiùs debet esse in lege gratiae, cùm sit omnium praestantissima.

6. Nec satisfacit haereticus dicens, statum Ecclesiae in lege gratiae esse ità perfectum, ut non indigeat sacrificii usu, quia gratia non destruxit naturam, sed perficit illam. Usus autem sacrificii, esto non sit absolutè praeceptus de lege naturae, est tamen illi valde consentaneus, & accommodatus homini viatori, viventi in societate, & in aliorum consortio, ut signis sensibilibus suam intentionem explicet circa cultum divinum, *S. Thom. 3. p. q. 83. art. 1.*

7. Quartò confirmatur, & magis declaratur; nam sacrificium externum est summus & supremus cultus Deo debitus, ut constat ex dictis; ergo si in lege gratiae non datur sacrificium propriè dictum, privatur Deus summo cultu sibi debito, & sic lex gratiae secundùm haereticos foret potiùs odii, quàm gratiae; quid enim stultiùs dici potest, quàm quòd lex gratiae non habeat peculiarem modum adorandi, & colendi Deum; nam cantio, genuflexio, & similes orationes vocales, excepto sacrificio Missae, non possunt propriè dici sacrificium, nec actus proprii, & speciales novae legis, cùm eosdem habuerint, & habeant omnes leges.

8. Confirmatur, quia lex una distinguitur ab alia per sacrificium sibi proprium, *ex cap. 7. Hebraeor.* at lex gratiae distinguitur à lege naturali & Mosaica, ergo & sacrificium. Confirmatur, quia ut constat ex praecitato loco *Hebr. 7.* translato Sacerdotio, necesse est, ut legis quoque translatio fiat; sunt enim haec duo Dei consilio adeò connexa, ut unum sequatur ad aliud, teste etiam *Trid. sess. 23. cap. 1.* ibi, *Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit; sed posita Christi morte, translata fuit lex Mosaica in legem gratiae, ut constat ex multis locis Scripturae, & fatentur etiam ipsimet haeretici; ergo & sacrificium quoque translatum fuit: ergo in nova lege datur verum sacrificium: nam ut docet Apostolus ubi supra, lex sine sacrificio stare non potest, nec e contra sacrificium sine lege, sunt enim ut meliùs dicam, haec tria, Sacerdos, lex, & sacrificium, correlativa: ità ut uno posito, ponantur & reliqua.*

9. Nec his dictis obstant haeretici dicentes, Prophetam *Malach. cit. loc.* loqui de Sacrificio invisibili, aut metaphorico, quod in oratione, vel aliis bonis operibus consistit; tum quia ista Glossa destruxit tantùm, ut patet legenti, quia loquitur de sacrificatione posita, seu ponenda super Altare; ergo de sacrificio visibili externo propriè dicto; tum etiam, quia textus loquitur absque ulla limitatione; tum item, quia orationes, & similia bona opera in Scriptura sacra non appellantur absolutè sacrificia, sed cum addito, sacrificium Spiritus, vel labiorum, aut laudis, martyrii, &c. quando ergo Scriptura loquitur de sacrificio, absque addito, venit intelligenda de vero & proprio, & non de metaphorico sacrificio: tum denique, quia cùm loquitur de sacrificio Judaeorum & gentium, illud reprobat, & istud eligit, sed reprobat illud, quod erat externum & visibile, ergo eligit, quod est & erit externum & sensibile, secùs ineptè fuisset facta comparatio.

Quaest. 9. An Missa sit verè & propriè novae legis sacrificium?

1. RESpondeo affirmativè, loquendo tamen de Missa, quatenus complectitur corpus Christi sub speciebus panis & vini, Deo Patri immolandum, à consecratione usque ad consumptionem: secus autem quatenus continet precationes, seu collectas, Epistolam, Evangelium, aliasque caeremonias, quae sunt de ornatu, non autem de substantia sacrificii; Missa enim primo modo sumpta, est de jure divino, quia fuit à Christo Redemptore instituta; secundo autem modo est de jure humano, ut docet *S. Thom. in 4. sent. dist. 13. q. 1. ad q. 5.* & decisum refert *Trid. sess. 22. c. 4. in fin.*

2. Et quamvis dicta conclusio sit de fide, adhuc tamen probatur multipliciter.

3. Primò, quia ratio sacrificii, ut docet *S. Thom. 2. 2. q. 85. art. 3. ad tertium*, postulat, ut Deo aliquid solemniter offeratur cum debitis caeremoniis, faciendo aliquid circa rem oblatam ad honorem & cultum Dei, ut dictum est hîc suprà *q. 7.* sed in Missa offeruntur Deo solemniter, & cum debitis caeremoniis species panis & vini consecratae, & fit aliquid circa illas ad honorem & cultum Dei; etenim benedicuntur, franguntur, & sumuntur, ergo Missa quatenus complectitur istam partem, est verè & propriè novae legis sacrificium incruentum.

4. Secundò, quia in mysterio Missae sunt omnia, quae requiruntur ad sacrificium, ut putà, adest Sacerdos, qui offert; item hostia, quae offertur, nempe Christus sub speciebus panis & vini; item adest & Deus, cui offertur; item & Ecclesia fidelium, pro qua offertur; item adest Altare, in quo offertur, & tandem adest sacrificatio, seu actio sacrificandi, & offerendi; ergò Missa est verè & propriè novae legis sacrificium.

5. Tertiò probatur, quia ut saepè dictum est, jus naturale dictat, dandum esse aliquod sacrificium, in quo Christiani conveniant ad colendum & placandum Deum; at Missâ exceptâ, nulla alia res potest excogitari, in qua repraesentetur sacrificium, quo Christus se ipsum obtulit in cruce moriendo, ergo; & docent *P. Franciscus Victoria de Eucharistia q. 102. & Miranda 1. p. Manual. q. 41. art. 1.*

6. Ad idem probandum afferri possunt varia testimonia sacrae Scripturae, & praecipuè illud *Daniel. 12.* ubi de ultima aetate legis gratiae, quae erit tempore Antichristi, praedicitur, cessaturum in ea juge sacrificium: ergo supponitur, praedictum Missae sacrificium esse in Ecclesia duraturum toto illo tempore praecedente dictum Antichristum, nec potest praedictus locus exponi de sacrificio invisibili, quia sacrificium invisibile nunquam cessabit, nec quidem tempore Antichristi; nam tunc etiam erunt orationes fidelium internae, ac spirituales precationes ad Deum supplicandum, ut dignetur populum Christi defendere; nec non & illud *Isaiae 19.* ubi dicitur: *Cognoscent Ægyptii Dominum, & colent eum hostiis, &c.* quo in loco Ægyptiorum nomine gentes intelliguntur, & eo-

& eorum vocatio ad fidem Christi, & ly *colent cum hostiis*, idem est, quod sacrificium offerre, ergo in Ecclesia Evangelica debet adesse, prout de facto reperitur sacrificium; cætera verò vaticinia vide apud præcitatos authores, & referuntur infrà *q.* 15.

7. Neque his nocent hæretici dicentes, primò, quòd in sacrificio res, quæ immolatur, fit primum sacra; at corpus Christi in Missæ officio sacrum non facimus. Secundò, quòd res sacrificii mactatur, at hoc de Christi corpore dici non potest, ergo. Tertiò, quia hostia seu victima est externa res, quæ aut oculis cerni potest, aut manu tangi, & contrectari, corpus autem Christi, ut est in Sacramento Eucharistiæ, sensibus minimè subjicitur, ergo. Quartò, quia in Missæ officio nihil est, quod sacrificii rationem habere queat: nisi aut species panis & vini, aut corpus Christi sub illis contentum, non primum, quia hujusmodi species Deo non libantur, nec offeruntur: non secundum, quia Corpus Christi non mutatur, sed panis & vinum in corpus & sanguinem Domini transeunt, ergo.

8. Quia prædicta omnia frivola, & ventosa sunt, unde non nocet primum, quia dum substantia panis & vini in corpus, & sanguinem Christi præscriptis ab eo verbis, & per Sacerdotem prolatis convertuntur, certum est, quod corpus Christi consecratur, offertur, & tanquam spiritalis cibus animæ sumuntur; quamobrem ipsum Domini corpus est hostia, & victima, quæ incruenté ministerio Sacerdotis offertur; neque obstat, quòd hujusmodi sacrificii hostia non mactetur, quia hoc non est de intrinseca ratione sacrificii, ut hostia mactetur; etenim antiquitùs multa esculenta & poculenta offerebantur, quæ erant vera sacrificia, & tamen non mactabantur, ut patet de Melchisedech, qui in sacrificium panem, & vinum obtulit absque ulla occisione victimæ, satis igitur ad sacrificium est, si ejus materia in se ipsa aliqua consecratione mutetur in Missæ sacrificio, ut dictum est suprà, panis & vinum re ipsâ mutantur, & vi conversionis Corpus Christi incipit esse sub specie panis & vini, cùm antea non esset: minus item obstat, quòd corpus & sanguis Domini, dum sunt in hoc sacrificio, sub sensu non cadant, sufficit enim, quod species panis & vini, quæ corpus & sanguinem Christi continent, sint res sensibus subjectæ.

9. Si roges, an species panis & vini, an potiùs Corpus Christi sit sacrificii materia? Respondemus, Corpus Domini, sub speciebus contentum, esse materiam sacrificii: quia est res, hostia & victima, quæ offertur, & incruentè immolatur; item satis aptè dici potest, ipsas species panis & vini, quatenus Christi Corpus, & sanguinem continent, esse materiam sacrificii Deo oblatam, ut præclarè docent *Irenæus lib.* 5. *cap.* 32. *Cyprianus lib.* 2. *& Epistola* 3. *& Epistola* 63. *Greg. lib.* 2. *dial. cap.* 23. *& lib.* 4. *c.* 55. *Fulgen. de fide ad Petrum, Epistola* 2. quorum verba per extensum refert *Joan. Azor.* 1. *p. instit. moral. lib.* 10. *c.* 17. *de instit. Missæ, q.* 5. *& Barthol. à S. Fausto de sacrif. Missæ, q.* 12. *§ tota.*

10. Nec obstat *Lutherus in illo pestifero libro contra Regem Angliæ, & in libro de captivitate Babylonica, de abneganda Missa privata, & in Apologia Augustana*, dicens, quòd *si Eucharistia est Sacramentum, ergo non potest esse sacrificium*; quia Catholici cum S. Thoma dicunt, quòd est utrumque simul, diversa tamen ratione: Sacramentum quidem quatenus est visibile signum invisibilis gratiæ, & refectionis spiritalis animæ: sacrificium verò, quatenus Deo offertur ad denotandum illum, esse primum principium supremum Dominum, & ultimum finem rerum omnium cæli & terræ.

11. Nec dicat Lutherus, quod Christus est Sacerdos in æternum, ergo nullos habet Sacerdotes successores; ergo in lege gratiæ nulli sunt Sacerdotes, ergo nec sacrificium.

12. Quia nimis turpiter fallitur in tot consequentiis; nam licèt Christus sit Sacerdos in æternum, ac proinde nullos habeat successores, habet tamen Ministros & Vicarios, qui in ejus absentia offerunt in Ecclesia visibile sacrificium: immò hac ratione Christus dicitur Sacerdos in æternum, quia semper per suos Ministros sacrificat, & offert.

13. Neque tandem dicat, sacrificium Crucis habere vim infinitam, ergo non egemus alio sacrificio, & multiplicare tot sacrificia Missæ, nihil aliud est, quàm negare virtutem, & sufficientiam sacrificii Crucis; quandoquidem fallitur in prædictis consectariis, & [illegible] bus; nam sacrificium Missæ, re & secundum substantiam, est idem cum sacrificio Crucis, & sic non egemus alio sacrificio, sed solùm repetitione ejusdem, ad [illegible] applicandum ejus virtutem, ut infrà dicam.

14. Nec ampliùs dicat, si sacrificium Crucis habet infinitam vim, non solùm non egemus alio sacrificio, sed neque repetitione ejusdem sacrificii, quia ut [illegible] dicitur, licèt sacrificium Crucis habeat vim infinitam tanquam causa universalis, adhuc tamen indiget repetitione ejusdem, ut virtus sacrificii Crucis nobis applicetur, ut patet de Sole, qui licèt tanquam causa universalis sit sufficientissimus ad producendum omnes effectus, adhuc tamen, ut actualiter efficiat hunc vel [illegible] prærequiritur, ut ejus virtus per causas particulares applicetur, aliàs nihil efficiet.

15. Ità à pari dicendum est, cæteris tamen [illegible] de oblatione per Christum facta in Cruce, quod [illegible] fuerit una generalis causa redemptionis, ac [illegible] tionis humanæ; ad hoc tamen, ut illa universalis efficacia ad effectus, sive ad effecta quædam particularia [illegible] hatur, prærequiritur necessariò applicatio per oblationes particulares, secus nihil operaretur, ut accurate multis ostendunt *Eminent. Cajet. opusc. tom.* 2. [illegible] *Euch. c.* 10. *& D. Melchior Canus pariter Dominicanus* [illegible] *locis, lib.* 12. *cap.* 13. *post primam Conclusionem.*

Quæst. 10. *Missa à quonam primò fuerit celebrata?*

1. **G***Ulielmus Durandus, U. J. D. Celeberrimus in rationali divin. p.* 4. *c.* 1. *ex Isidoro, lib.* 6. *de* [illegible] *Dionysio, de Ecclesiast. Monarchia*, dicit, quod S. [illegible] fuit primus, qui Missam celebravit in partibus [illegible] libus, ubi post Domini Passionem quatuor [illegible] thedram tenuit Sacerdotalem: deinde verò ac[illegible] thedram Antiochiæ, ubi tres orationes ad M[illegible] jecit; nam in primordio nascentis Ecclesiæ Missa [illegible] batur cum solis verbis consecrationis, à Christo Domino præscriptis, & Oratione Dominicali, Apostoli [illegible] illam auxerunt.

2. Alii dicunt, Jacobum Fratrem Domini, & [illegible] lium Cæsariensem, Missæ celebrationem tradidisse, [illegible] fundant *in cap. Jacobus* 47. *distin.* 1. *de Consecrat.* u[illegible] guntur hæc propria verba:

Jacobus Frater Domini secundùm carnem [illegible] *mùm credita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius* [illegible] *sariensis Episcopus, cujus claritas per totum orbem* [illegible] *fulsit, in scripturis addiderunt nobis Missæ celebrationem* hæc ibi. Verùm utrumque dictum aliis non placet, [illegible] quo *Actuum Apostol.* legitur, *Apostolos fuisse perseverantes in communicatione fractionis panis, & orationibus*, quod plerique Doctorum intelligunt de celebrat. Missæ, & hanc opinionem amplectitur *Sotus in* 4. *sent. distin.* [illegible] *ar.* 4. *post quintam considerationem, §. hoc autem*, ubi [illegible] quòd revera non est aliud verosimile, quàm quod [illegible] tim a Pentecoste sacrosanctum hoc charitatis Sacramentum

mentum celebrare inchoarent, antequam spargerentur.

3. Hinc concordant opiniones, ut quod dicitur de Petro & Jacobo, & Cæsariensi Basilio, intelligendum sit, quòd factâ Apostolorum divisione, unusquisque in sua Ecclesia solemnem celebrationem Missarum instituit, supple, ex indulta sibi authoritate Petri, qui erat Apostolorum Pontifex, ut advertit *Augustinus ad Januariu inquisitionem*, tractans illa verba Pauli, *Cætera cùm venero, disponam.* 1. *Corinth.* 11. & favet *P. Franciscus Victoria in sum. de Euch. q.* 100. & meritò, quia quæ faciunt ad ritum rerum sacrarum, & maximè quoad celebrationem Sacramenti Altaris, nequeunt institui sine speciali facultate Papæ.

4. *Gulielmus verò in cit. loc. sui rational. n.* 7. concordat opiniones, dicendo quòd Jacobus primus fuit, qui celebravit in Pontificalibus, & Petrus postmodùm in Antiochia, & Marcus in Alexandria; sed quidquid sit de his ritibus, & vestibus Pontificalibus, certum est, ut constat ex decisis, quòd Missam quoad substantiam Christus instituit, eamque voluit in sua Ecclesia semper adesse, ut benè ex multis ostendit *Cardin. Cajet. opusc. tom.* 2. *tr.* 2. *de Euch. cap.* 9. *n.* 80. *Bartol. de Angel. Dia.* 5. *de Missa, n.* 121. *& Joann. Viguer. de sacrif. Missæ, ver.* 11. ubi ex multis demonstrat, quòd hoc pronomen Missa, multa significat, *& Joannes Azor.* 1. *p. instit. lib.* 10. *cap.* 17. *q.* 4. *in fin.* ubi facili negotio hæreticorum solvit objecta.

Quæst. 11. *An sacrificium Missæ, quod nunc offertur in Ecclesia, sit ejusdem speciei cum illo, quod Christus obtulit in Cœna?*

1. AFfirmant indifferenter Catholici, quia conveniunt in omnibus essentialibus, quæ pertinent ad naturam, & rationem sacrificii; nam primò conveniunt in materia oblationis, in utroque enim est panis & vinum. Secundò in re principaliter oblata, quæ est corpus & sanguis Christi. Tertiò in forma seu actione, per quam fit oblatio; nam in utroque est eadem forma consecrationis. Quartò in principali offerente, qui est Christus Dominus, idem in Cruce, idem in Cœna, idem in quotidianis sacrificiis, per ea, quæ ad conclusionem firmandam allegat *Sac. Concil. Trid. cap.* 1. *&* 2. *sess.* 22. *de sacrificio Missæ*, quod antè docuit *Chrysostomus homil.* 2. *in posteriorem ad Timoth.* ubi sic loquitur: *Sacra ipsa oblatio sive illam Petrus, sive Paulus, sive alius cujusvis meriti Sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamquam Sacerdotes, modò quoque conficiunt; nihil habet ista, quàm illa minus. Cur idem? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam antè consecraverat.*

2. Benè tamen verum est, quòd numero, seu accidentaliter differt ab illo, quod Christus obtulit in ultima Cœna, quia illa, quæ in actione consistunt, si diversis temporibus circa diversas numero materias, in diversis locis, à diversis causis fiant, saltem numero distinguuntur; sed hæc duo sacrificia in actione consistunt, & facta sunt diversis temporibus, circa diversum numero panem & vinum, in diversis locis, à diversis causis proximis, ergo differunt numero; unde *S. Thom.* 3. *p. q.* 79. *ar.* 7. *ad tertium*, dicit, quòd in pluribus Missis multiplicatur sacrificii oblatio; sed non virtus, quia non est, nisi unum sacrificium.

3. Nec obest, quòd res principaliter oblata, sit eadem numero substantialiter, quia sicut plures Missæ à diversis Sacerdotibus celebratæ, sunt distincta numero sacrificia, quamvis res principaliter in ipsis oblata sit eadem numero, nempe Christus, quia solùm distinguuntur, quòd diversis temporibus, vel in diversis locis, à diversis Sacerdotibus offeruntur; sic ergo, & eò fortiùs dicendum est, quòd sacrificium, quod obtulit Christus in ultima Cœna, numero distinguitur ab aliis, cùm diverso tempore, loco, materia panis & vini diverso apparatu fuerit oblatum; nam Christus sine vestibus & cæremoniis, quæ nunc fiunt, illud obtulit.

4. Quòd autem plures Missæ à diversis Sacerdotibus, vel ab eodem diversis temporibus celebratæ, plura sint sacrificia numero distincta, colligitur ex *Leone Papa, epist.* 79. *ad Dioscorum, cap.* 2. quæ refertur *cap. necesse, si de consecratione, dist.* 1. ubi textus sic loquitur: *Necesse est autem, ut quædam populi pars sua devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte convenerint.* Hæc ibi, & patet ad sensum; nam si non differunt specie, ergo saltem differunt numero.

5. Et additur, quod item multis modis accidentaliter differt ab illo, quod Christus obtulit in ultima Cœna. Primò ex parte rei oblatæ, quia Christus in ultima Cœna seipsum sub speciebus panis & vini obtulit mortalem, nunc autem Sacerdotes illum offerunt immortalem; quæ differentia sicut est accidentalis in ipso Christo, ita etiam in sacrificio; nam nec substantiam rei oblatæ, nec dignitatem, & valorem ejus mutat; in sacrificio enim non offertur diversus status Christi, sed Christus ut abstrahit ab hoc vel illo modo existendi. Secundò differunt ex parte offerentis; nam quamvis Christus in utroque sacrificio sit offerens, ut dictum est, nihilominus in ultima Cœna fuit offerens immediatè, hoc est, per se, & proximè illud obtulit; in isto autem remotè, hoc est, per Sacerdotum ministerium: operari autem per se, vel per alium, sive mediatè, vel immediatè, est differentia accidentalis, quia non variat speciem actionis, nec in genere actionis, nec in genere valoris moralis, id est, meriti; nam eleemosyna proximè facta ab aliquo, & remotè per ministrum, ejusdem est valoris & meriti.

6. Tertiò differunt ex parte effectus moralis, quia sacrificium ultimæ Cœnæ, quatenus à Christo proximè oblatum, fuit meritorium, & satisfactorium: nunc verò, quatenus ab eodem offertur remotè, nec est meritorium, nec satisfactorium, quia nunc Christus non est in statu merendi; qui quippe status, sicut est Christo accidentalis, ita etiam & sacrificio.

7. Quartò differunt ex parte significationis, nam sacrificium Cœnæ significabat mortem Christi tunc futuram, sacrificium verò Missæ illam præteritam; quæ differentia non est essentialis, sed pariter accidentalis, quia non oritur ex natura signi, sed ex diverso statu; cætera vide apud *Suar.* 3. *p. disp.* 76. *sect.* 1. *Henriquez lib.* 9. *de Missa, cap.* 19. *nu.* 8. *Vasqu. tom.* 3. *disp.* 224. *cap.* 1. *Persic. lib.* 2. *de off. Sacerd. dub.* 8. *à S. Fausto lib.* 2. *de sacrif. Missa, q.* 16. *Cajet. opusc. tom.* 2. *tract.* 2. *de Euch. c.* 2. *& sequ. P. Franc. à Victoria in sum. de Euch. q.* 103. *& P. Joan. Viguer. de sacrif. Missæ, ver.* 11.

Quæst. 12. *An sacrificium Missæ sit essentialiter idem cum illo, quod Christus obtulit in Cruce?*

1. CAtholici omnes respondent ad quæsitum affirmativè, & præcipuè *S. Augustinus in Epist.* 23. *ad Bonifacium Episcopum*, ubi sic ait: *Nonne semel immolatus est Christus in seipso, sed tamen in Sacramento non solùm per omnes Paschæ solemnitates, sed omni die populis immolatur.* Quod item refertur *in Can. semel, de consecrat. distin.* 2. *S. Joan. Chrysost. hom.* 17. *in Epist. ad Hebr.* ait, *Nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus, & una est hæc hostia, non multa. Quomodo una, & multa? quia semel oblatus in* Sancta

Sancta Sanctorum: hoc autem sacrificium exemplar est illius: idipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium Agnum, crastina alium, sed semper eundem ipsum: proinde unum est sacrificium, &c. & post pauca, ait, *sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, & non multa corpora, ita etiam, & unum sacrificium. Pontifex autem noster ille est, qui Hostiam mundantem nos obtulit, ipsam offerimus, & nunc, quæ tum quidem consumi non potest, non aliud sacrificium, sicut Pontifex, sed idipsum semper facimus.*

2. *Theophylactus in cap.10. ad Hebr.* dicit, *Nos offerre Hostias incruentas quia memoriam facimus mortis Domini, estque una ipsa, non multa, quandoquidem semel oblatus est, nam eundem semper offerimus: imò potius memoriam illius oblationis facimus, quā, ipse obtulit, ceu jam nunc facta sit, proinde unum est sacrificium.*

3. Idem dicit *S. Ambrosius ad Hebr. cap.9. Gregor. homil.37. in Evang. Cyprian. lib.2. Epist.3. Fulgent. de fide ad Petrum, cap.18. S. Thom.3.p.qu.83. art.1.* ubi quærit, *An in hoc Eucharistiæ Sacramento, Christus Dominus immoletur?* quod etiam facit *Card. Cajet. opusc. to.2. tract.2. de Euchar. Jo. Viguer. de sacrif. Miss. ver.11. Sot. lib.9. de just. q.2. ar.1. & in 4. sent. dist.13. q.2. ar.1.* ubi eruditè expendit S. Thomæ dicta, quod etiam præclarè agit *Suar. to.3. ad 3. p. D. Tho. super qu.83. ar.1. disp.73.* ubi latè tractat de sacrificio Missæ, & *Joann. Azor 1. p. instit. moral. lib.10. cap.19. q.9.* & nuper opiperè *Paul. Naz. 1. p. opusc. in respon. Apologetica ad Haret. §. secundum caput*, & est de fide diffinita à *Trid. sess. 22. cap.2. de sacrif. Missæ*, ubi hæc præcisa verba leguntur, *Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur: quia in Ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit, &c.*

4. Dixi *essentialiter*, nam modaliter, ac accidentaliter differt: nam illud Crucis fuit cruentum, hoc autem Altaris, est incruentum: illud in propria specie, hoc autem in aliena specie, utpotè Panis, & Vini, illud fuit verè passio, & mactatio Christi, hoc verò mystica; illud fuit vera Redemptio, hoc applicatio Redemptionis, illud fuit per modum causæ universalis, hoc per modum causæ particularis, applicantis scilicet virtutem causæ universalis; illud sua virtute operatur, hoc autem virtute illius; illud semel cum esset Redemptio, fuit oblatum, hoc sæpius offertur, cum sit applicatio illius virtutis: illud fuit à Christo immediatè oblatum, hoc solum à Sacerdote immediatè offertur; illud operabatur ex opere operantis, tanquam opus meritorium, hoc ex opere operato, & ex Christi institutione: illud offerebatur pro omnibus, hoc autem directè non nisi pro membris Ecclesiæ; *Suar. cit. loc. disput.76. sect.1. & Paul. Naz. in cit. loc. opusc.*

Quæst. 13. *An in sacrificio Missæ principalis Sacerdos offerens, sit Christus Dominus?*

1. Hujus quæsiti affirmativa decisio habetur expressè in *cap.2. sess.22. Conc. Triden. de sacrif. Missæ*, ibi, *Una enim eademque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.*

2. Idem prius dixit *S. Aug. lib.10. de Civit. Dei, cap.20.* ibi, *per hoc, & Sacerdos est ipse Christus offerens, & ipse oblatio, cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium, cum ipsius corporis ipse sit caput; & ipsius capitis ipse sit corpus; tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam assuetus est offerre.* Hæc ibi, quæ ex ore ejusdem Aug. desumpsit *Innoc. III. in Conc. Lateran.* & repetuntur *in c. firmiter de sum. Trinit. & fide Catholica*, ibi, *una est universalis Ecclesia, extra quam nullus omninò salvatur: in qua idem ipse est Sacerdos, & sacrificium, Christus Jesus, cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris, sub specie Panis, & Vini veraciter continetur, offertur, & immolatur.*

3. Idem dixit *S. Cyprianus, Epistol.63.* ibi, *Quòd Sacerdos in Altari vice Christi fungitur, &c. S. Joan. Chrysost. homil. in Matth.* ibi, *qui tunc in illa Cœna confecit, ipse nunc quoque operatur modo; & in homil. de tradit. Judæ*, ibi, *cum videris Sacerdotem offerentem, ne ipsum considere... facientem; sed Christi Manum invisibiliter extensam ... enim est, qui offert, & qui offertur*, & post prædicta... hos Sanctos, *D. Thom.3. p. q.82. art.7. ad tertium* ibi, *... consecratione Sacramenti loquitur in persona Christi, ... vicem gerit, per ordinis potestatem, & q.83. ar.1. ad ... per eandem rationem, etiam Sacerdos gerit Imaginem ... sti, in cujus persona, & virtute verba pronunciat ad ... crandum.*

4. Quod item potest ratione probari; tum quia Christus est æternus Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech, qui ordo, ut de se patet, completur, & per... oblatione hujus Altissimi sacrificii Altaris, quod ... cruentum sub speciebus Panis, & Vini, & non in ... latione Cœnæ, vel Crucis, ubi oblatio fuit cruenta ... temporalis, ergo dicendum est, Christum ... honore, ex hoc, quod nunc, & perpetuo sacrificat ... & per suos Sacerdotes, se offerens sub speciebus Panis ... Vini, tum etiam, quia hoc idem colligitur ex illis verbis *Pauli ad Hebr.7.* ibi, *Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes; idcircò, quod morte prohiberentur permanere; hic autem eo, quod manet in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, &c.*

5. Quibus verbis insinuat Apostolus, quod ... nunc Christus offert seipsum per se, simul & per Sacerdotes, alioquin si ipse nunc omninò ab hoc officio, munere se offerendi cessaret, nulla proculdubio ... differentia, quoad pluralitatem Sacerdotum ... vam, & veterem legem; siquidem, & nunc S... moriuntur, & morte prohibentur in Sacerdotio ... nere, ergo, &c. *Suar. tom.3. ad tertiam p. D. Thom. d... sect.1. & Miranda 1. p. manual. q.41. ar.2.*

Quæst. 14. *An sacrificium Missæ sit unum, ... plura?*

1. Respondeo cum omnibus Theologis, & ... cum *S. Tho.3. p. q.73. ar.2.* sacrificium Euch... esse unum tantùm, illudque solùm esse à Christo Domino in lege nova institutum, quod non solum ... dixerunt Sancti, & maximè *S. Augustinus lib. ... vit. Dei, cap.20. & lib.17. cap.10. & lib.3. de ... ult. lib.20. contra Faustum, cap.18. & cap.21.* ver... decisum refert *Trid. in proœmio sess.22. de sacrif. M... Quatenus verum & singulare sacrificium est, & ... subseq.* de hoc sacrificio loquens, ait, fuisse à Christo Domino institutum, ibi, *Corpus, & Sanguinem suum ... ciebus Panis, & Vini Deo Patri obtulit, &c.* quod ... antea dixit *Concil. Toletanum 12. cap.5.* ubi sacri... hoc verum, & singulare vocavit, quod item ... demonstrat; etenim una tantùm est Hostia, quæ ... latur, & offertur, unus finis, in quem totum ... dirigitur: unus denique effectus, prout ex mult... dunt *Suar. in 3. p. D. Thom. disp.74. sect.4. Joann. ... Instit. Moral. lib.10. cap.19. qu.6. & Faustus lib.2. ... Missæ, q.22.*

2. Nec his obstat dicere, quod in sacrificio M... duæ consecrationes; altera Panis in Corpus Christi ... tera Vini in Sanguinem ejusdem, quarum una ... per se sufficit, ut sacrificium integrum sit; quia ... dictæ duæ consecrationes, per se sigillatim sump... sent institui in integrum sacrificium; tamen prout ... facta est institutio, ordinatæ sunt ad consum... num signum, atque unam mysticam Christi ... nem; & ideò ex utraque componitur unum sacrificium, & non duo sacrificia: attenditur enim institutio ... Christo.

3. Secun...

3. Secundò dicitur, quod Panis & Vinum, & Corpus Christi, ad unam met actionem sacram, seu sacrificationem, concurrunt, tanquam terminus à quo, & ad quem, & tanquam materia proxima, & remota oblationis; & ideò ex hoc capite, non est duplex sacrificium: imò nec est alia Corporis Christi oblatio, præter ipsam consecrationem, vanum est ergo velle, ut placet, sacrificium instituere, præter id, ad quod à Christo Domino institutum reperitur; arguere ergo à potentia ad actum, fit fallacia consequentis. Vide *D.Thom. cit.loc.*

Quæst. 15. *An sacrificium Missæ fuerit vaticinatum, & figuratum in lege veteri?*

1. Affirmativè respondent omnes Theologi, etenim omnia sacrificia legis naturæ & scriptæ, fuerunt ordinata in prædictum sacrificium, tanquam in finem ultimum, illudque adumbrabant, & significabant, veluti figuræ figuratum: *omnia enim in figura contingebant illis, 1.Corinth.cap.10.* undè hoc altissimum, & ineffabile Missæ Sacramentum, verè, & propriè debet dici sacrificium omnium sacrificiorum maximum, finis, & consumatio; nam Christus Dominus, & Salvator noster, veterum omnium sacrificiorum multitudinem & diversitatem, in hoc unum, ac singulare sui Corporis, & Sanguinis sacrificium transtulit, & commutavit.

2. Unde nostra Mater Ecclesia in *Missali Romano Dominica sexta post Penthecosten, in quadam sua collecta* dicit, *Deus qui legalium differentiam hostiarum, unius sacrificii perfectione sanxisti,* & *Trid. sess. 22. cap. 1. de sacrificio Missæ in fin.* dicit, *quod hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ, & legis tempore similitudines, figurabatur, utpotè quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consumatio, & perfectio complectitur.*

3. Hinc ritè factum est, ut S.*Thomas in opuscul. 56. jussu Urb. IV.* sub Anno 1379. ex figuris veteris testamenti composuerit illud admirabile officium Corporis Christi; non sine, ut piè creditur, speciali assistentia Spiritus Sancti, ac revelatione divina; hoc enim solum sufficit, etiam si alia non forent, ipsum Theologorum Principem, Ecclesiæ Doctorem, scripturarum Angelum, & divinæ mentis interpretem nominare.

4. Igitur, quoad speciales figuras, & vaticinia hujus augustissimi Sacramenti, legendi sunt idem *S.Thom. 1.2. q.102. art.3. 3.p. q.73. ar.1. & sequ. Sotus 4. sent. distin. 13. q. 2. art. 5. Viguerius de sacrif. Missæ, ver. 11. Azor. 1. p. instit. moral. cap. 18. q. 7. dub. 10. Suar. 3. p. disput. 76. sect. 2. Faustus de sacrif. Missæ, lib. 2. q. 23. & Persicus de offic. Sacerd. lib. 2. dub. 10.* qui quippè primò advertunt, hoc Ecclesiæ Sacramentum fuisse adumbratum in sacrificio Abelis, & Abrahæ, *Genes. 4. & 12.* unde in Canone Missæ fit horum Patriarcharum mentio, quia illorum sacrificia, fuerunt figura istius novæ legis; quia, ut dictum est, *Omnia in figuris contingebant illis, 1.Corinth. cap. 10.*

5. Secundò, in sacrificio Melchisedechi, *Genes. 14.* qui Deo Panem, & Vinum obtulit in sacrificium, pro victoria Abrahæ. Tertiò in Panibus propositionis, quos non licebat edere; nisi solis Sacerdotibus, *1. Reg. 21.* Quartò in *Psalm. 100.* ubi David, disertis verbis, sacrificium hoc, memoriale, & complementum omnium sacrificiorum, & operum mirabilium Dei vocavit, ibi, *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Quintò in *Psalm. 71.* ibi, *Erit firmamentum in summis Montium,* quem locum Chaldæi vertunt in hunc modum, (*Et erit Placenta tritici in Capitibus Sacerdotum*) & veteres Hebræi intelligunt, de quibusdam Placentis tritici delicatissimis, tempore Missæ per Sacerdotes Deo offerendis, & supra caput excolendis. Sextò in *Daniel. 12.* ubi dicitur, auferendum esse juge sacrificium, tempore Antichristi, per tres Annos, & dimidium; ubi per juge sacrificium Doctores intelligunt sacrificium Missæ, de quo dictum est supra, 7. *Malachiæ 1.* ubi reprobatur Sacerdotium Leviticum, & eligitur Sacerdotium Gentium, ibi, *ab ortu solis, usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum,* de quo loco, dictum est hic supra *q. 9.* Octavò *1. Reg. 2.* ubi quidam Propheta prædixit Heli Sacerdoti fore aliquando tempus, quo cesset sacrificium ipsius, & Patrum suorum, & surgat novus Sacerdos, qui ambulet coram Christo Dei, omnibus diebus. Nonò in illo *Proverb. 9. Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem:* immolavit sibi victimas suas, miscuit Vinum, & proposuit Mensam suam, *S. Aug. lib. 17. de Civit. Dei, cap. 20. & S.Cypr. lib. 2. Epist. 3.* Decimò *in Isaia, cap. 19.* ibi, *In die illa erit Altare Domini in medio Terræ Ægypti,* hoc est Gentium, ut dictum est supra, & cognoscent Ægyptii, id est Gentes conversi ad Christum, & colent eum in hostiis, & muneribus, de quibus locis vide præcit. Doctores.

Quæst. 16. *Sacrificium Missæ, in quanam actione essentialiter consistat?*

1. Cum sacrificium Missæ multas habeat partes, quarum aliquæ ad ejus integritatem & perfectionem pertinent, uti sunt preces, orationes, cæremoniæ, vestes, & similia, aliquæ verò ad ejus essentiam, sine quibus ratio sacrificii nequit esse, ceu sunt Panis & Vinum, consecratio, commixtio, Sacramenti distributio, ac etiam sumptio, & similes; rectè quæritur, in qua præcipua actione ratio formalis sacrificii Missæ consistat.

2. *P. Sotus in 4. sent. dist. 13. q. 2. ar. 1. § sed roges,* æstimat; rationem formalem sacrificii Missæ, in tribus Sacerdotis actibus consistere, nempè in consecratione, oblatione, & sumptione; tum quia sine consecratione, oblatio esse potest, sed non sacrificium; tum quia consecratio sine oblatione, sacrificii rationem non potest habere, ut constat ex diffinitione sacrificii; tum item, quia consecratio simul, & oblatio, sine sumptione, ad rationem sacrificii minimè sufficiunt, nam in veteribus sacrificiis res oblata, vel mactabatur, vel cedebatur, vel consumabatur, ergo etiam in sacrificio Missæ, res oblata, quæ est Corpus, & Sanguis Domini, consumi aliqua ratione debet.

3. *Dom. Melchior Canus, lib. 12. de locis, ad quartum,* dicit, ad rationem hujus sacrificii, quatuor imo quinque rationes concurrere; consecrationem scilicet, oblationem, fractionem specierum Panis & Vini, earumdem commixtionem, & tandem sumptionem, idque exinde probat; quia omnis actio, qua res, quæ offertur, sacra fit, vel qua circa rem oblatam, sacri aliquid fit, ad sacrificii naturam spectat; sed per singulas prædictas actiones, sacri aliquid fit in speciebus Panis, & Vini Corpus Christi continentibus, ergo omnes, & singulæ ad sacrificii rationem concurrunt.

4. Verumtamen communis, & vera sententia tenet, consecrationem præcipuè, ac maximè ad essentiam sacrificii Missæ pertinere, quod dictum multipliciter probatur; tum ex ipso nomine sacrificii, quod consistit in sacrificatione, quæ scilicet rem sacram facit; tum ex facto Christi, qui ab ipsis Evangelistis dicitur sacrificasse, consecrando Panem & Vinum; & ex hoc solùm colligunt Patres, illum sacrificasse, quia consecravit; ergo consecratio, primò, & principaliter, est de essentia sacrificii Missæ; tum etiam, quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi, & fit ad ipsius commemorationem, *Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem;* nihil autem magis facit Sacerdos in persona Christi, quàm consecrationem; cum dicit, *Hoc est corpus meum,* dum verò offert, non ita videtur in persona Christi facere; tum item; quia hoc sacrificium est repræsentativum

tativum sacrificii Crucis; sed hæc repræsentatio potissimùm fit per consecrationem, qua sanguis & corpus, quantum est ex vi verborum, seorsum ponuntur sub diversis speciebus, tanquam partes victimæ, ergo; tum item, quia ita docet *S. Thom. 3. p. q. 82. art. 4. ad primum*, ibi, *dicendum, quòd consecratio Chrismatis, vel cujuscunque alterius materiæ, non est sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ, & quæst. 83. ar. 4. in corp.* idem repetit, ibi, *quartò petit hoc sacrificium peractum, esse Deo acceptum, cùm dicit suprà, quæ propitio, &c.* ergo ante commixtionem, fractionem, & sumptionem, censetur sacrificium peractum.

5. Nec objicias, quòd in die Parasceves nulla omninò fit consecratio in Missa; offertur tamen verum sacrificium, ut constat ex Missali Romano, ubi Sacerdos de solito more dicit: *Orate fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum*, ergo consecratio non est de essentia sacrificii.

6. Quia hujusmodi argumentum nihil probat; etenim in Missa illius diei offertur Deo sacrificium incruentum, propriè dictum, sed impropriè, utpotè consecratum in præcedenti die, ut argutè observat *S. Thom. 3. p. q. 83. art. 2. ad secundum*, ibi, *Et ideò in die, quo ipsa Passio Domini recolitur, prout realiter gesta est, non celebratur consecratio hujus Sacramenti: ne tamen Ecclesia, ea etiam die, sit sine fructu passionis, per hoc Sacramentum nobis exhibito: Corpus Christi consecratum in die præcedenti, reservatur sumendum in illo die, &c.* ex quibus infertur, non fieri sacrificium, quando Sacerdos ostendit populo Hostiam pridie consecratam: nec ipse aliam consecrat, quamvis eam frangat, & sumat: deficit enim consecratio, quæ est præcipua, ac potior pars essentialis sacrificii Missæ.

Quæst. 17. An consecratio utriusque speciei sit de essentia sacrificii Missæ?

1. ET dico, quòd sic, secundùm tamen probabiliorem opinionem, & moveor, tum quia consecratio habet rationem sacrificii, sub ratione mysticæ mactationis, quatenus scilicet ex vi verborum, Corpus & Sanguis Christi sacramentaliter separantur, at id non fit, nisi per consecrationem utriusque speciei, quæ expressè repræsentat separationem Corporis & Sanguinis Domini, ergo; tum etiam, quia Eucharistiæ Sacramentum debet esse secundùm ordinem Melchisedechi, qui panem & vinum obtulit, *Psal. 109.* & *Hebr. 7.* tum item, quia Christus in nocte Cœnæ utramque speciem adhibuit, jussitque Apostolis, & successoribus, ut idem facerent; ergo & ratione prædictæ figuræ Melchisedech, & ratione præcepti Domini, & ratione repræsentationis mortis, & passionis Christi, dicendum est, utramque speciem esse de essentia sacrificii; ad quod facit *S. Th. 3. p. q. 80. art. 12. ad tertium*, ubi dicit, quòd repræsentatio Dominicæ Passionis agitur in ipsa consecratione hujus Sacramenti, in qua non debet corpus sine sanguine consecrari, *& q. 83. art. 1. in corp.* dicit, quòd in hoc Sacramento immolatur Christus; quatenus continet expressam repræsentationem cruenti sacrificii, ibidem *Card. Cajet.* & clariùs *tom. 2. opusc. tract. 2. cap. 9. de Euchar. Sotus 4. sent. dist. 13. art. 1. & lib. 9. de just. art. 2. noster Victoria in sum. de Euchar. q. 78. Suar. 3. p. disp. 75. sect. 6.* & alii plures, quos allegat & sequitur *Persic. lib. 2. de off. Sacerdotis, dub. 9.*

2. Dixi *secundùm opinionem probabiliorem*, quia multi probabiliter tenent, totam essentiam hujus sacrificii reperiri in consecratione unius speciei, *Adrian. in 4. sentent. distin. 6. q. 6. de Eucharist. Major in 4. distinct. 9. quæst. 3. Angel. ver. Eucharist. nu. 2. Alan. lib. de sacrific. Missæ, cap. 10.* & plerique alii, quos allegat *Azor. 1. p. instit. moral. lib. 10. cap. 19. q. 1. sub lit. C. Faustus de sacrif. Missæ, lib. 1. q. 27. in princ. & Persicus de off. Sac. lib. 2. dub. 10.*

Quæst. 18. Quotnam sint effectus sacrificii Missæ?

1. DE effectibus Sacramentorum, de solito more accuratè disputat *S. Tho. in 4. sent. distin. 11. & 3. p. q. 79.* omnesque ibi scribentes; tu autem ne labores in æquivoco, cum *Soto in 4. sent. dist. 13. q. 2. ar. 1.* diligenter adverte, quòd sacrificium Missæ triplici via attendi potest. Primò quoad se. Secundò quoad offerentes. Tertiò quoad eos, pro quibus offertur: effectus enim Sacramenti Altaris, in ratione Sacramenti, est gratia gratum faciens, qua vita spiritualis alitur, & nutritur; quod etiam dicit *Petrus à Soto lect. 7. de Euchar.*

2. Verùm alii negant, sacrificium Missæ ex sua institutione proximè & per se conferre primam gratiam, & remissionem peccatorum, sed augmentum gratiæ, ut infrà dicitur, & docet *Faustus lib. 2. de sacrif. Miss. q. 43.*

3. Effectus autem Sacramenti, quatenus est sacrificium, est duplex, unus ex virtute operis operantis, nempe devotionis, & orationis sacrificantis; alter verò virtute operis operati, hoc est, virtute hostiæ, & victimæ, quæ offertur, & hic est triplex, ut infrà *q. 32. de valore sacrif. Missæ.*

4. Offerentes autem sunt in triplici gradu, primum est Sacerdos, qui immediatè tanquam publicus Ecclesiæ minister Sacramentum consecrat & insumit, propriam Christi personam repræsentans: generalissimè verò, & mediatè, hoc est per Sacerdotem, offert totus populus Christianus, qui quodammodo singulas Missas offerunt, juxta verbum Domini, *Exod. 5. Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in deserto, & Levit. 23. & Num. 28.* Populus ipse jubebatur sacrificia offerre per manus Sacerdotum, sicut modò sacrificat Christianus populus, ad *text. cap. ipsi Sacerdotes, 1. q. 1.* ibi: *Ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt.*

5. Particularis verò, sed tamen etiam quodammodo generaliter offerunt omnes, qui aliquem specialem actum circa hoc sacrificium exercent, ut circumstantes, quorum ideò generaliter fit in Canone mentio, ibi, *& omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, &c.* etsi inter illos sint gradus; nam principalius, & specialius ministri Altaris offerunt, item chorus specialius, quàm plebs; item illi, qui Sacerdoti celebranti alimenta & subsidia subministrant, specialissimè tamen offerunt, qui peculiarem eleemosynam pro Missæ celebratione donant, ut pro se, suisque offeratur: illi autem, pro quibus offertur, & non offerunt, sunt defuncti, atque illæ personæ, pro quibus licèt nihil subsidii contulerint, nec sint præsentes, tamen Sacerdos sua sponte pro illis sacrificium offert.

6. Defuncti verò non offerunt, cùm non sint ampliùs de statu Ecclesiæ militantis, & consequenter nec in statu merendi, nisi largo modo, ut illi, qui pecuniam vel redditus pro Missarum celebratione reliquerunt.

7. Hinc vides, quòd multi sint & offerentes, & simul pro quibus offertur, uti illi, qui eleemosynam largiti sunt, & circumstantes, quippe qui omnes, dummodo sint in gratia, percipiunt fructum sacrificii, unusquisque tamen in suo ordine, aut per modum meriti, vel per modum satisfactionis, aut per modum impetrationis, quos eosdem effectus habent alii actus virtutis in homine justo; nam possunt esse meritorii de condigno, satisfactorii & impetratorii ex opere operantis; an autem sacrificium Missæ hos prædictos fructus, seu effectus habeat ex opere operato? infrà dico.

* * *

Quæst. 19.

Quæst. 16. *An sacrificium Missæ sit verè propitiatorium, seu expiatorium pro peccatis, ita, ut verè, & propriè expiet, & deleat nostra crimina, Deumque nobis reddat placatum, ac propitium, veniâ peccatorum condonatâ?*

1. PRætermissis Hæreticorum Blasphemiis, affirmativa conclusio est de fide certissima; nam *Matth. 26. num. 25.* textus sic loquitur, *Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait; accipite, & comedite, hoc est corpus meum; accipiens Calicem gratias egit, & dedit illis, dicens, bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, &c. & Lucæ 22. num. 19. accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens; hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem; Similiter & Calicem postquam cœnavit, dicens, hic est Calix novum testamentum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur, &c.*

2. Quibus verbis apertissimè constat, Christum in ultima Cœna obtulisse Sacrificium pro peccatis Apostolorum & aliorum; sed sacrificium Missæ est idem cum illo, quod Christus tunc obtulit, nam jussit Apostolis, ut idem postea frequentarent, dicens, *hoc facite in meam commemorationem*, ad quod etiam faciunt illa verba *Pauli Apostoli, in 1. Epist. ad Corinth. c. 11. nu. 23.* ibi, *ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem, similiter, & calicem, postquam cœnavit dicens, hic Calix novum testamentum est in meo Sanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis in meam commemorationem, &c.* hæc ibi.

3. Ex quibus non solum clarè colligitur, Christum instituisse hoc Sacramentum, verùm etiam, & tempore Apostolorum fuisse in usu, non solum, ut Sacramentum, sed etiam ut sacrificium, inquit quidem Apostolus: *ego enim accepi à Domino, quod, & tradidi vobis, quoniam Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, &c.* Ecce sacrificium, *hoc facite in meam commemorationem, &c.* expende quæso ly, *hoc facite*, quia præceptum Domini est, & refertur ad omnia præcedentia, in quibus unum est *quod pro vobis tradetur, & effundetur in remissionem peccatorum:* ergo sacrificium Missæ, ex divina lege, & promissione, potest remissionem peccatorum operari; ergo de se, & sua natura, est propitiatorium, seu expiatorium.

4. Confirmatur, quia idem Christus Dominus est summa veritas, & verus Deus; ergo non potest fallere, ut ad remissionem peccatorum id præcipiat, & quod ad eam obtinendam non valeat.

5. Confirmatur, nam præcipuum munus Sacerdotis est offerre sacrificium pro peccatis, ut apertè docet *Apostolus ad Hebr. 5.* ibi, *omnis Pontifex (id est Sacerdos) ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis*; sed in Ecclesia Christi est verum sacerdotium, & sacrificium, ut decisum refert *Sac. Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. & Canon. 2. & sess. 23. cap. 1. & Can. 1.* & docet *S. Thom. 3. p. qu. 79. ar. 5. & 7.* ergo necessum est, illa ad peccata purganda esse instituta.

6. Nec nocent Hæretici dicentes, quod sola mors Christi, nostra delet peccata, quia non exinde excluduntur cætera sacramenta; nam licet mors Christi, uti causa universalis, sit sufficientissima ad delendum omnia peccata, adhuc tamen, ut ejus virtus nobis actualiter applicetur, requiruntur cætera Sacramenta, ut patet de artifice faciente navem, qui etsi solus faciat navem, non ideò excluduntur ejus instrumenta, quibus navem operatur; ut benè advertit *Card. Cajet. tom. 2. opusc. tract. 2. de Euchar. c. 8.*

Nec nobis objiciant verba. *Pauli ad Hebr. 10.* ibi, *una sanctificatione, consumavit sanctificatos, & cap. 9.* ibi, *per proprium sanguinem introivit, semel in sancta, æterna Redemptione inventa*, & ibi, *neque, ut sæpe offerat semetipsum, alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine Mundi.*

8. Quia, ut ibidem *Cajet.* scitè notat, hæc, & similia illorum argumenta laborant in æquivoco, nam dicti Hæretici existimant sacrificium Altaris, esse diversum sacrificium, à sacrificio, quod obtulit Christus in Cruce: cum tamen in veritate, sit illudmet, sicut est illudmet Corpus Christi, & illemet sanguis Christi, in Altari in Cruce, & in Cœlo modò; differentia autem est in modo offerendi, ut sæpe sæpius dictum est, & iterum dico propter importunitatem Hæreticorum, quia tunc oblatum est corporaliter, modo offertur spiritualiter; tunc oblatum est in re mortis, nunc autem offertur in mysterio mortis, Paulus ergo loquitur de corporali oblatione Christi, quam fatemur esse unam, & sufficientissimam in æternum, cum autem est sermo de Eucharistiæ sacrificio, ad spiritualem oblationem Christi transitur, ut singula verba ibidem notat Cajet. ubi notat, nos non dicere, spirituale Corpus Christi offerri in sacrificio Altaris, quia si corpus est, ergo non est spiritus, & è contra, sed dicimus, spirituali oblatione offerri naturale Christi Corpus in sacrificio Altaris; quid autem sit manducare spiritualiter, & spiritualiter offerre, vide illum, quia omnia declarat.

9. Quibus adde, quod, etsi sacrificium Missæ, nostra scelera expiet; hoc tamen non est præcipuus ejus effectus, teste *Trid. sess. 13. de Euchar. Sacram. Can. 5.* ibi, *si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.*

10. Nec habet expiare peccata proximè, ac immediatè per se ipsum, eo modo, quo faciunt Sacramenta Baptismi, & pœnitentiæ, quæ immediatè, efficienter ritè suscipientes justificant; sed remittit peccata, quatenus nobis impetrat donum contritionis, & pœnitentiæ, per quod remittuntur peccata, prout docet *S. Thom. 3. p. q. 79. ar. 3. in respons. ad primum*, ibi, *vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem, vel etiam, ut nobis robur detur ad scelera vitanda*, & diffinit *Conc. Trid. sess. 22. c. 2. de sacrif. Missæ*, ibi, *sacrificium istud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si, cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reverentia, contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno; hujus quippè oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata, etiam ingentia dimittit*, hæc ibi, inter quæ nota, ly *ingentia*, & dices, ergo multò fortius dimittet venialia.

Quæst. 20. *An Sacrificium Missæ sit meritorium?*

1. QUod sacrificium Missæ, prout se tenet ex parte Sacerdotis celebrantis sit meritorium de condigno, ac etiam satisfactorium, seu impetratorium, non cadit sub dubio, si tamen sit in gratia Dei, & debita intentione, circumstantiis offerat; nam si vir Deo gratus, in omnibus suis operibus, sibi mereri potest de condigno, & aliis de congruo, sive per modum impetrationis, quod idem est, cur, & Sacerdos sibi non poterit in celebratione prædicta, quæ est omnium maxima, & excellentissima, & præstantissima?

2. An autem sit etiam meritorium, prout se tenet ex parte Christi, Missam Sacerdotis principaliter offerentis? Dubium est inter Doctores non leve, ad quod ego respondeo negativè, loquendo tamen de novo merito,

merito, ac recenti Christi satisfactione; nam hodie Christus non est viator, & consequenter, non est in statu merendi, ut dicit *S. Thom. 3. p. q. 19. ar. 3. ad primum*, ibi, *& ideo quia nunc non est viator, non est in statu merendi.* Unde Christus, non amplius meruit post instans suæ mortis, ut puta quando miles latus ejus aperuit, quando sepultus est, quando resurrexit, vel in Cœlum ascendit; quia, ut dictum est, inter conditiones ad meritum necessarias, requiritur status viæ.

3. Secus autem dicendum de sacrificio Missæ quatenus nobis applicat præterita merita Christi, & fructus passionis Dominicæ, *S. Tho. s. u. loc.*

4. Et quamvis Christus Dominus, hodie non sit in statu merendi vel satisfaciendi, est tamen in statu orandi; idcirco quando hoc sacrificium actu offertur, intelligi potest, specialiter impetrare, eodem modo, & cum eadem efficacia, qua id facit in Cœlo, pro nobis orando, præsentando scilicet Deo Patri vulnera sui Corporis, ac Passionis merita. *Suar. 3. p. disput. 79. sect. 2. sub lit. D.* ubi dicit, quod hæc impetratio, seu effectus ejus, non pertinet propriè ad opus operatum; sed alii tenent contrarium, quod scil. pertinet ad opus operatum per Christum, scil. ad illam ejus promissionem, qua vivens dixit, *ero vobiscum usque ad consumationem sæculi*, & consequenter non est nova imploratio, sed continuatio, vel applicatio ejusdem.

Quæst. 21. An Sacrificium Missæ sit satisfactorium, hoc est, remittat peccatorum pœnas, quæ post culpam dimissam, debentur divinæ Iustitiæ?

1. Affirmativè respondet *D. Thom. in 4. sent. dist. 12. q. 2. ar. 2. ad q. 3. & 3. p. qu. 79. ar. 5. in corp.* ibi, *ex cujus favore, aliquis consequitur remissionem, non solum culpæ sed etiam pœnæ, & ar. 7. in corp.* ibi, *pro Redemptione Animarum suarum, & in responsi. ad secundum*, ibi, *quod sicut passio Christi prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam, & ad remissionem culpæ, &c.* & meritò hoc dicit, tum quia dum sacrificium Missæ est propitiatorium pro culpis, ut constat ex decisis hic supra, *q. 19.* ergo multò magis erit satisfactorium pro pœnis; etenim plus est culpas remittere, quam pœnas: tum etiam, quia ita decisum refert *Conc. Trid. sess. 22. cap. 2. in fin.* ibi, *quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus, sed & pro Defunctis in Christo, non dum ad plenum purgatis, juxta Apostolorum traditionem offertur*, hæc ibi, ex quibus manifestè apparet, animas defunctorum Missæ sacrificio juvari, & à pœnis Purgatorii absolvi; unde aliter dicere, est error in fide, *Card. Cajet. cit. loc. 2. 2. & opusc. to. 2. tr. 2. de Euchar. cap. 8. Sot. in 4. sent. distin. 11. q. 2. ar. 5. concl. 4. & distin. 13. q. 2. ar. 1. ver. secundum effectum, Canus de locis, lib. 12. c. 15. ad q. Petrus Sotus, lect. 7. de Euchar. Joann. Viguer. cap 16. §. 3. ver. 15. Ledesma. qu. 25. ar. 5. & 7. de Missa, Suar. 3. p. disp. 79. sect. 6. Bellar. lib. 2. de Missa cap. 2. & 7.* & alii multi, quos allegat, & sequitur *Persicus de offic. Sacerdotis, lib. 2. dub. 9.*

Quæst. 22. An Sacrificium Missæ sit impetratorium pro bonis temporalibus?

1. Affirmat *S. Thom. 3. p. q. 79. ar. 7. in corp.* ibi, *sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, in quantum pro salute eorum offertur*, & meritò hoc dicit, quia Missæ sacrificium, non est minoris virtutis, & efficaciæ, quam sacrificia veteris legis; sed inter sacrificia veteris legis, non solum erant hostiæ pro delicto, sed etiam hostiæ pacificæ, tum pro gratiarum actione, tum etiam votivæ pro beneficiis impetrandis, ut patet *Levit. 7. & 2. Reg. ult.* ubi David obtulit pacifica, pro peste avertenda, & impetravit. Onias Summus Sacerdos *2. Machab. 3. num. 32.* obtulit hostiam salutarem, pro vita temporali Heliodori, quam impetravit; ergo multo fortius offerri potest Missæ sacrificium pro omnibus temporalibus consequendis, cum successerit omnibus sacrificiis veteris legis, illisque sit melius, ac præstantius, ut dictum est supra.

2. Ad quod item faciunt omnes antiquæ liturgiæ, quæ inter sacrificandum præcipiunt, orandum pro pace, pro copia fructuum, & pro aliis similibus temporalibus beneficiis, ut constat ex illis; quod item confirmat, *Trid. sess. 22. c. 2. in fin. & Can. 3.* & universalis usus Ecclesiæ, quæ non potest errare.

3. An verò prædicta temporalia nobis impetret ex opere operato, vel operantis? gravior quæstio est, circa quam dissentiunt Doctores; sed meo videri, potius in modo loquendi, & se explicandi, quàm in re: quandoquidem in hoc omnes concordant, quod Deus non semper largitur bona temporalia iis, pro quibus offertur, vel quia scit non esse in eis utilia ad salutem æternam, vel quia illa differt, ut opportuno tempore dentur, vel aliis de causis, licet justis, nobis tamen ignotis: discordant in declarando, an sacrificium Missæ habeat proprium effectum per modum impetrationis, condistinctum realiter ab effectu, quem habet per modum rei operatæ? hoc semel expuncto, omnis quæstio cessat.

4. Quod sacrificium Missæ aliquid operetur per modum impetrationis, tamquam effectum proprium, non cadit sub dubio; tum quia cum impetratio sit proprius effectus cujusvis sacrificii, erit etiam proprius effectus sacrificii Missæ, quandoquidem sacrificium propriè est opus orantis, & supplicantis: ergo sicut oratio, licet possit esse meritoria, quatenus fit ab homine justo, & satisfactoria, tamquam opus laboriosum; ex propria tamen natura, est impetratoria, ad hoc enim fit, ut aliquid per eam impetretur: ita sacrificium Missæ, cum sit oratio quædam, non verbalis, sed realis, est propriè secundum suam naturam impetratorium; licet etiam ob alios effectus dicatur satisfactorium, & meritorium: tum etiam, quia sacrificium Missæ, ex vi suæ institutionis, habet, ut in persona Christi offeratur, à quo habet specialem vim ad impetrandum illos effectus; pro quibus obtinendis offertur, independenter à merito ministri, propriè offerentis; ergo hoc ei competit ex sua propria natura, & non aliunde.

5. An autem hic effectus, quem habet sacrificium Missæ, per modum impetrationis, sit distinctus ab illo, quem habet ex opere operato? quæstio est inter Doctores non levis;

6. Nam *Sotus in 4. sent. dist. 11. qu. 2. artic. 7. ver. sed percontaris, & dist. 13. q. 2. ar. 1. ver isti ergo omnes.* & negat distingui ab opere operato; tum quia hic effectus, de quo agitur, non pendet ex merito, & sanctitate proximè offerentis, ut supponitur, & dictum est immediatè supra; ergo erit ex vi operis operati, seu rei oblatæ, nam omnis effectus sacrificii Missæ, vel est ex opere operato, vel operantis; non enim inter alios datur effectus medius; tum etiam, quia sacrificium Missæ, tribus modis, suos effectus operatur. Primò, per modum meriti. Secundò, per modum satisfactionis. Tertiò, per modum impetrationis: per modum meriti, tam de congruo, quam de condigno, nam de congruo confert salutem, & alia bona temporalia: quia hujusmodi bona temporalia, non cadunt sub merito de condigno, cum non certa, & infallibili lege semper petentibus, & merentibus concedantur; sed prout Deus expedire noverit ad salutem animæ.

7. Per modum verò meriti de condigno, confert augmentum gratiæ, quia offerens hoc Sacramentum, meretur

meretur augmentum gratiæ, non solum ex opere operato, id est, virtute rei oblatæ, sed etiam ex opere operantis, idest ratione oblationis, seu actus sacrificandi; nam sicut meretur per alios actus bonos, factos in gratia, & charitate; immò multò locupletius, offerendo corpus, & Sanguinem Christi, & in hoc modo effectus meriti operantis commiscetur cum effectu operis operati.

8. Per modum satisfactionis confert, certa & infallibili lege, remissionem pœnæ, peccatis jam remissis debitæ, quia hic effectus est proprius operis operati, id est rei oblatæ.

9. Per modum impetrationis, & suffragii, confert Defunctis diminutionem pœnarum Purgatorii, aut omnimodam liberationem, quæ non fit ex rigore justitiæ, per modum meriti de condigno; sed per modum deprecationis, si Deus acceptaverit, & per modum applicationis sacrificii, ad satisfaciendum pro ipsis, etiamsi singularem eleemosynam non reliquerint, de quibus omnibus legatur *Sotus cit. loc.* nam exinde colligitur, operari per modum meriti, satisfactionis, & impetrationis, respectu sacrificii Missæ, esse tres species, seu tres speciales modos, convenientes in generali ratione operis operati, differentes tamen inter se accidentaliter, ut album, & nigrum in in genere coloris, perfectum, & imperfectum in genere modi.

10. Hanc Soti opinionem tenent infiniti eruditissimi Doctores, & præcipuè *Canus de locis, lib. 12. cap. 13. ad 9. Cajet. opusc. tom. 2. tr. 2. de Euchar. Anton. Cordub. in suo quæstionario, lib. 3. not. 4. Petrus Sotus lib. 1. de instit. Sacerdot. lection. 7. de Euchar. §. 2.* ubi dicit, quod non est de essentia operis operati, ut ejus effectus sit infallibilis, *Petrus de Aragon. 2. 2. q. 65. ar. 3. Card. Bellar. lib. 2. de Missa c. 7. n. 2. 9. in primis, Azor. 1. par. instit. moral. lib. 10. cap. 20. q. 17.* & alii plures.

11. Verumtamen *P. Suar. 3. p. disp. 76. sect. 7. dict. 2.* cum aliis multis negat, sacrificium Missæ, nobis temporalia conferre ex opere operato, sed tantum per modum impetrationis, qui modus innititur misericordiæ, & liberalitati Dei: supponit enim operari per modum impetrationis, non esse proprium effectum sacrificii Missæ, at fallitur in præsupposito, ut constat ex decisis, prout etiam fallitur *Faustus de Sacram. Missæ, lib. 2. q. 40.*

12. Nec dices, quod cum Christus sit res infinita, & in hoc sacrificio Missæ offeratur, indecens est, illud ordinare ad res caducas, & temporales obtinendas, quia falsum est, esse indecens; tum quia non primariò, sed secundariò ad hoc ordinatur, cum primariò sit propter cultum Dei, & secundariò propter quietam, & tranquillam vitam nostram; tum etiam, quia ordinatur, ut causa ad effectum suum, ut ejus bonitas ostendatur; tum etiam, quia hæc bona expetuntur, non propter se, sed quatenus ad pietatem, & salutem animarum utilia sunt: unde hujusmodi Impetratio tota, vel formaliter, vel virtualiter, cedit ad Dei gloriam, & honorem.

Quæst. 23. An valor sacrificii Missæ sit infinitus?

1. Respondeo affirmativè; ex parte tamen rei oblatæ, & principaliter offerentis; & quoad sufficientiam, virtutē, & potentiam merendi, impetrandi & satisfaciendi; secùs autem, quoad actualem efficientiam in re. Ducor q; quia sacrificiū Missæ, ex parte rei oblatæ, & personæ offerētis principaliter, est idem essentialiter cum sacrificio Crucis, ut constat ex decisis, *hic supra*, & refert *Trid. sess. 22. c. 2. de sacrif. Missæ*, est enim utrobiq; idem offerens, & res oblata; at sacrificiū Crucis, fuit infiniti valoris, & dignitatis; etenim Christus ibi oblatus, & offerens, ratione unionis hypostaticæ cum verbo divino, fuit infiniti valoris, ac dignitatis: unde *Apostol. 2. ad Corinth. cap. 5. num. 15.* dicit, *quod pro omnibus Christus mortuus est, & Joann. in Epistol. cap. 2. num. 2.* ait, *quod Christus est propitiatio pro peccatis nostris, & non pro nobis tantum, sed etiam pro totius mundi*, ergo idem dicendum est de sacrificio Missæ, cum sit ejusdem speciei cum illo.

2. Dixi *secùs autem, quoad actualem efficientiam in re*, quia licet causa prima, in actu primo sit infinitæ virtutis in causando; adhuc tamen in actu secundò, cum res nulla sit capax infinitatis, nullum effectum infinitum in re producit: unde determinatur objectivè à causis secundis tam necessariis, quàm liberis, tam quoad speciem actionis, quam quoad exercitium, prout eruditè docet *S. Tho. contra gentes, cap. 76. nu. 5.* ubi docet, agentia particularia determinare actionem causæ, qui hæc indeterminata est; & liquet ibi *secunda autem agentia, quæ sunt quasi particulantes, & determinantes actionem primi agentis, &c.* & *in q. 1. de potentia ar. 4. ad tertium*, docet influentiam causæ primæ, per causam proximam determinari, & specificari; ergo valor hujus sacrificii Missæ, licet absolutè, & secundum se sumptus, sit infinitus; adhuc tamen, ut huic, vel illi applicatus, est finitus, & limitatus, quod docet *S. Thom. in 4. sent. dist. 45 ar. 4. q. 3. ad secundum*, ibi, *dicendum, quod quamvis virtus Christi, quæ continetur sub Euchar. sit infinita; tamen determinatus est effectus, ad quem illud Sacramentum ordinatur*; & *3. p. q. 79. ar. 5. in fin. corp.* ait, *& quamvis hæc oblatio, ex sui quantitate, id est, virtute, sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, tamen fit satisfactoria illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus, secundum quantitatem suæ devotionis, & non pro tota pœna.* Hæc ille, qui priùs etiam dixit, quod hoc Altaris Sacramentum, simul est sacrificium, & Sacramentum, sed rationem sacrificii habet, in quantum offertur: rationem autem Sacramenti, in quantum sumitur, & ideo habet effectum Sacramenti in eo, qui sumit: effectum autem sacrificii in eo, qui offert, vel pro quibus offertur, &c. quæ aurea doctrina D. Tho. fundatur in illis verbis Domini, *Matth. 26.* & *Luc. 22. Hic est enim Calix Sanguinis mei novi, & æterni testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, quæ verba sic explicat idem *S. Thom. cit. loc. p. 3. ar. 7. in fine corp. Qui pro vobis*, scilicet sumentibus, *& pro multis*, scilicet aliis sumentibus, *effundetur in remissionem peccatorum*, non dixit pro omnibus, quia meritum passionis Christi, non omnibus actualiter applicatur, quod item colligitur ex Canone Missæ, ubi, *quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum filii tui Corpus, & Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœli, & gratia repleantur.*

3. Sed aliis, qui non sumunt, prodest per modum sacrificii, in quantum pro salute omnium offertur, unde, & in Canone Missæ dicitur, *Memento Domine famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione Animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ.*

4. Exinde vides, effectum Sacramenti, in quantum Sacramentum est, particulari, ac determinari in sumentibus, per sumptionem, & devotionem eorundem, ut ait idem *S. Thom. cit. ar. 5.* ibi, *non quidem totus, sed secundùm modum suæ devotionis, & fervoris, &c.* & effectum ejusdem Sacramenti, in quantum sacrificium est, determinari, ac limitari, per oblationem applicatam cum devotione eorundem, & magis secundum devotionem, quàm oblationem, & applicationem, ad quod probandum *S. Tho. in cit. loc.* adducit exemplum de illa Vidua, *Luc. 21.* quæ obtulit duo æra, & tamen plus omnibus misit. Unde infert, quod in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis.

6. Hoc autem dictum D. Tho. quod scilicet sumptio, oblatio, & consecratio, cum devotione, limitant, & deter-

determinant valorem, seu virtutem Sacramenti, & sacrificii Altaris, non venit intelligendum, quasi quod hæ actiones aliquid erga divinam virtutem, ut in se est, operentur; cum hoc falsissimum sit: sed intelligitur, quod virtus divina Christi, mediantibus his secundis causis, ad effectum aliquem determinatur, hoc est, secundùm quod in secunda causa recipitur, accipit limitationem, & determinationem ex conditione causæ secundæ, tanquam ex susceptivi conditione; quia unumquodque, quod recipitur in alio, per modum recipientis recipitur, hoc est, se accommodat, & correspondet naturæ & qualitati rei recipientis, ut in simili dixit noster *Ferrariensis in prædicto loco contra gentiles.*

6. Unde certissimum est, quod causæ principales nihil efficiunt, sine causis proximis, etenim hæ se habent, ut conditio sine qua non; immò sine qua nihil, ut patet de igne, sine causa applicante; quamobrem apprimè demitor, Hæreticos sic argumentari, seu delirare: Christus semel se obtulit, ergo una est Christi oblatio, quia etsi una sit Christi oblatio, universalis, & indifferens, altera tamen est particularis, quæ generalem illam ad determinatè efficiendum applicat.

7. Etsi dicant, quod Sacerdos offerens in lege Evangelica, est finitæ virtutis, ergo non potest Christi virtutem infinitam limitare, turpiter tamen errant in præsupposito: non enim sacerdos novæ legis, est alius, & diversus à Sacerdote Christo; sed ejus minister, & Vicarius; nam ut sæpe dictum est, unus est Christus Dominus semper unus Sacerdos, qui principaliter offert, & consecrat, & ipse in suis ministris se determinat, secundùm conditionem causæ proximæ, ut benè advertunt *Card. Cajet. tom.2.opusc.tr.2.de Euchar.c.8. & 9. & tract.3. de celebrat. Missar.q.2. Viguer. de Valore Missæ, c.16.ver.15. Soto lib.9. de just.q.2.ar.2. & 4.sent.distin.11.q.2.ar.5. & dist.13.qu.2. ar.1. Sylver. Missa, qu 9. Bartol.de Angel.Dial.5.de Missa,* §.731. omnesque alii Thomistæ, qui advertunt, quod quamvis Theologi plures nullam differentiam agnoscant inter valorem Missæ, & effectum ejus; unde sæpe sæpius illos confundunt; nihilominus magna differentia est, sicut inter actum primum, & actum secundùm; Valor enim dicit dignitatem moralem & principium operandi; effectus verò idem est, quod res ab alio effectu: unde est ultimus terminus operationis valoris, à quo distinguitur, ut videre à visu; verum ad prædictorum omnium majorem claritatem, iterum quæro.

Quæst. 24. An sacrificium Missæ sit infiniti valoris, extensivè?

1. ET quidem esse, certissimum est; tum quia illud dicitur infinitum extensivè, quod non tot prodest, quin possit alis & aliis prodesse, ut patet de Sole illuminante: at sacrificium Missæ ita est: nam ratione devotionis, aut multitudinis offerentium, potest semper crescere, & augeri, in infinitum, ergo: tum etiam, quia in memento Missæ, non est determinatus numerus cogitandorum, ut liquet ex Canone, ibi, *Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio:* ergo certum est, quod sacrificium Missæ potest applicari pluribus, & pluribus in infinitum, ergo: tum item, quia aliter sequeretur Christianos detrimentum pati ex generali applicatione sacrificii, crescente Christianorum numero, quibus Ecclesia intendit sacrificium, secundùm ipsius generalem valorem applicari; tum item, quia aliter sequeretur, quò plures sunt astantes in Missa, diminui valorem Missæ, & sacrificium minus prodesse singulis, quod non est dicendum, cum Ecclesia, curet plures Missæ sacrificio interesse, cùm præsentia unius, non noceat alteri, ut docent communiter Doctores, & praxis ipsa docet, quibus astipulantur *Dominic. Montagniol. in disp. de valore, & effectu Missæ. cap. 3.4. & 5. & Joan. de la Cruce in direct. consc. de sacrif. Missæ, dub.6. Ant. Cordub. in suo quæstionar. lib.1.q.3. in opin. 4. verbis positis,* ubi ex multis ostendit, virtutem Missæ esse infinitam syncathegorematicè, hoc est, indeterminatè, *Ignac. de sacrif. Missæ, disp.4.q.ult.p.4.num.7. Lez. ver. Missa, num.4.* & alii innumeri, qui subscribunt conclusioni prædictæ: saltem quoad effectum generalem sacrificii Missæ, de quorum numero censetur *P. Suarez 3.p.disp. 79.sect.12.* in cujus principio notat, quod aliqua causa, etsi non sit infinita intensive, potest tamen esse infinita extensive, hoc est potest producere effectum suum, totum simul, ac integrum, in diversis subjectis, ut patet de voce Concionatoris, quæ eodem tempore, tota simul, & integra reperitur in singulis auribus audientium, & de igne, qui absque divisione suæ virtutis, eundem totum simul & integrum effectum producit in diversis subjectis, utputa formam caloris, ut octo.

Quæst. 25. An sacrificium Missæ, pro multis differentibus oblatum, prosit cuilibet illorum, ac si pro ipso solo offerretur?

1. CElebris, ac difficilis est quæstio, hæsitu tamen digna, circa quam duæ sunt opiniones extremæ; quarum prima affirmativa his rationibus fulcitur.

2. Primò, quia valor sacrificii Missæ, ex parte rei oblatæ, & principaliter offerentis, est infinitus, ut constat ex decisis hic supra *q.23.* sive extensive, sive intensive, parum refert; nam licet nunquam producat effectum in re infinitum, satis tamen est, quod de se habeat sufficientiam, & quod quantum est ex se, & ex parte sua, possit illum producere, si infinita dispositio adesset ex parte illius, pro quo offertur, & pro infinitis hominibus, si illi essent æque dispositi ad recipiendum hujusmodi valorem, ut patet de lucerna, quæ licet principaliter, aut specialiter accendatur Principi domus; non ideò minus illuminat cæteros, si sint æque proximi, ac dispositi, imò melius dispositi.

3. Nec nocet, si dicatur, quod licet Missæ sacrificium sit infinitum, ea ratione, qua à Christo offertur, quia tamen offertur ab ipso medio Sacerdote, ut ipsius ministro, cujus dignitas, cùm sit finita, remanet limitatum, & finitum: nam falsum est, quod valor, & dignitas causæ principalis minuatur, aut limitetur ab instrumento, ut constat de eleemosyna, cujus valor non minuitur per ministerium servi, per quem principalis Dominus pauperibus illam donat, & offert.

4. Secundò, quia ita sentiunt *B. Hier. in Regula Monach. cap. de contemplat. orat. & lect. Propositivus in 4. sent. distin.45.* & alii plures, & uti decisum refertur in *Can. non mediocriter, 24 de consecrat. dist.5.* ibi, *Dum igitur pro cunctis animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur accipitur.* Hæc ibi, ubi Glos. in casu ait, *Cum ergo pro centum defunctis oratur, tantùm unicuique confertur, ac si pro uno solo oraretur.*

5. Tertiò, quia Missa, respectu operis operati, nihil aliud est, nisi applicatio passionis Christi, quod per tale sacrificium immediatè applicatur illi, pro quo dicitur, ut constat ex decisis; at licet meritum passionis Christi multis applicetur, adhuc tamen quilibet non minus habebit, quam si solum sibi fuisset applicatum: ergo.

6. Quartò, quia fructus sacrificii Missæ commensuratur devotioni suscipientis ipsum, ut dictum est ex D. Thom. supra, sed devotio unius, pro quo offertur, non impedit devotionem aliorum, pro quibus offertur; ergo potest prodesse omnibus, & singulis, secundùm propriã devotionem, sine detrimento aliorum, ac si pro solis singulis,

gulis in particulari offerretur, si enim Aqua in Mari sit infinita, unusquisque potest ex illa haurire, quantum vult, sine detrimento aliorum, quia non potest Aqua infinita, aliis deficere, etiamsi infiniti homines illam haurirent; nam infinitum est inexhauribile, & finiti non potest.

7. Quintò, quia sacrificium Missæ, non est minoris efficaciæ, quàm Baptismus, & Pœnitentia, sed si Baptismus, vel Pœnitentia pluribus applicentur, etiam infinitis, si fieri posset: singuli eorum, qui absolvuntur, & baptizantur, tantùm fructum recipiunt, ac si soli essent; ergo idem dicendum est de fructu sacrificii Missæ, ad quod facit, quod canit Ecclesia in sequentia Missæ Corporis Christi, ibi, *Sumit unus, sumunt mille, quantum isti, tantum ille, nec sumptus consumitur*; quamvis hoc dicatur de Eucharistia, quatenus habet rationem Sacramenti.

8. Sextò, quia Rom. Pontif. sæpe reducunt immensum numerum Missarum ad certum numerum, sæpèque concedunt, ut una Missa, cum novem collectis, valeat pro novem Missis: quod non possent concedere, si sacrificium Missæ hoc non haberet ex sua natura, ut benè advertit doctissimus *Peyr. tom. 1. privil. in Constit. 6. Jul. II. num. 15.* & docent *Card. Cajet. 3. p. q. 79. ar. 5. & tom. 2. opusc. tract. 3. de celebrat. Missar. q. 2. Syl. ver. Missa 1. q. 9. Petrus Aragon. Augustin. 2. 2. q. 85. ar. 3. ver. contrariam tamen, Dominic. Montagnol. in sua disp. de valore Missæ, cap. 24.* ubi ait, ita etiam sentire universitatem Sarbonæ, *Lez. ver. Missa num. 8. Joan. Bapt. Corrad. 1. p. resp. onsf. q. 266.* & alii plures.

9. Secunda verò sententia communior, ac probabilior est, multisque modis demonstratur. Primò, quia licet Hostia, quæ sacrificio Missæ offertur in se considerata, sit infiniti valoris; & licet persona Christi ibi contenta, sit infinitè grata Deo Patri, & eam principaliter, per Sacerdotes nunc iterum offerat: nihilominus Sacerdotes, dum illam offerunt, non offerunt illam, ut rem alienam à se, sed quasi rem propriam, confectam à se, illa admirabili potestate, sibi in ordinatione tradita; *accipe potestatem, &c.* ergo sacrificium Missæ, respectu Sacerdotis, immediatè consecrantis, & offerentis, est valoris finiti, prout benè dicit *Card. Cajet. tom. 2. opusc. tract. 3. de celebrat. Missar. q. 2. nu. 50. ver. si autem sumatur hoc sacrificium.*

10. Hinc excluditur illa objectio, de servo ferente eleemosynam ad pauperes: qui ex eo, non potest limitare meritum primi agentis; quia non defert rem propriam, sed omninò à se alienam, quod non potest dici de Sacerdote, qui est causa proxima, & immediata sacrificii Missæ.

11. Secundò confirmatur, & magis declaratur, quia ratio sacrificii Missæ, consurgit ex consecratione, oblatione, & sumptione specierum consecratarum Panis, & Vini, factis immediatè à Sacerdote celebrante; at hæ actiones, prout sunt ab isto Sacerdote, sunt omnes finitæ, & determinatæ, utputa actiones hominis: ergo erit finiti, & determinati valoris.

12. Tertiò, quia valor Missæ, non excedit terminos à Christo Domino præscriptos: at Christus non præscripsit sacrificio valorem infinitum, sed finitum: nam voluit, ut frequentaretur, ut liquet ex illis verbis, *Hoc facite in meam, &c. quotiescunque feceritis,* ergo non voluit, ut haberet effectum infinitum, nam infinitum non repetitur, ergo, quod item constat ex praxi Ecclesiæ, quæ pro eadem persona, vel pro eodem beneficio obtinendo, varia consuevit offerre sacrificia, quod frustra fieret, si una sola foret infiniti valoris, quandoquidem ea sola sufficeret ad omnia, quæ petuntur. Ecclesia autem, cum sit interpres fidelis actionum Christi, & à Spiritu Sancto regatur, non potest errare, ergo.

13. Quartò, quia si sacrificium Missæ esset infiniti valoris, unico sacrificio Missæ posset evacuari Purgatorium, quod non debet dici.

14. Quintò, quia aliàs sequeretur, quod per se loquendo, pro unico sacrificio Missæ, posset Sacerdos plura stipendia integra accipere: quod pugnat cum communi consuetudine, & sensu Ecclesiæ, ut constat ex Decretis Sacr. Congreg. infrà extensis; & ita tenent infiniti Doctores, & præcipuè *Covar. tom. 1. cap. Alma Mater, 1. p. relect. §. 5. num. 9. Bellar. lib. 2. de Missa, c. 4. Azor. 1. p. instit. Moral. lib. 10. c. 20. q. 8. & c. 11. q. 1. Navar. cons. 9. de celebrat. Missar. & in summ. cap. 25. nu. 64. Bonac. multis cit. de Sacramento, disp. 4. q. ult. p. 4. nu. 6. Suar. 3. p. disp. 79. sect. 11. ver. dico secundo, & sect. 12. vers. dico tertio in fin. Viguer. de Sacram. Euchar.* ubi eruditè expungit sententiam *Cajet. Corrad. 1. p. respons. q. 266. in addit. Fraxinellus de Sacerdot. obligat. ad Missas pro alio ex Just. celebrandas sect. 3. prænot. 4. § 1. nu. 2.* ubi refert sexcentos Doctores, qui hanc opinionem defendunt, & sequitur *Alphons. de Leone de offic. Capell. q. 7. sect. 7. & q. 8. sect. 2. Rod. 1. p. sum. cap. 251. tit. de Missa num. 2. Miranda 1. par. manual. q. 41. ar. 20. Faustus lib. 2. de sacrif. Missæ q. 59. & 60.* & alii plures, qui ex præcitat. rationibus colligunt Missam oblatam pro multis copulatim, & conjunctim sumptis, utpura pro aliqua Civitate, vel Regno, ex opere operato, non ita prodesse multis, sicut prodesset uni, pro quo dumtaxat applicaretur: quorum fundamentum fuit, sæpè supra explicatum; quod scil. sicut causæ universales, non producunt effectus suos, nisi per particulares causas applicentur ad determinatum effectum, ut patet de Sole operante per causas secundas: ita Christi passio, licet in se habeat infinitam efficaciã, seu valorem, ut probant argumenta primæ sententiæ: non tamen causat in nobis aliquẽ effectum: nisi applicetur per Sacramenta, vel alias causas particulares, determinantes infinitatem illius passionis Christi. Sed in hoc sacrificio, causa particularis determinans, ex parte Sacerdotis, est ipsius intentio, ex parte verò offerentis, est devotio, sive affectus, & fides offerentis, quæ causæ sunt finitæ, ut dictum est, utputà, actiones hominis: igitur effectus, qui sequitur ex applicatione sacrificii, est etiam finitus, & per consequens Missa una celebrata pro aliquo, etsi virtute rei oblatæ, potens sit liberare eum à tota pœna, qua tenetur in Purgatorio, de facto non liberatur à tota pœna, non ratione defectus alicujus conditionis, sive ex parte offerentis, sive ejus pro quo offertur, sed quia Christus instituendo hoc Sacramentum, sive sacrificium, determinavit ut sæpè frequentaretur; ideoque prodest multiplicatio sacrificiorum, prout docuit *Sotus lib. 9. de just. q. 2. ar. 2.* ubi ait post primam conclusionem, in secunda ratione immeritò dicit, quod *Card. Cajet. in 3. p. q. 79. ar. 5. & tom. 2. opusc. tract. 3. de celebrat. Miss. q. 2.* fuit in hac parte hallucinatus, ex quo vim nullam confert huic sacrificio, ex opere operato, sed totam satisfactionis mensuram, censet ex solo devotionis gradu, seu offerentium, seu pro quibus offertur taxari, quia ibidem Cajet. hoc non dicit, sed oppositum fatetur, ut patet legenti, sed si Cajet. erravit, cur ipsemet *Sotus in 4. sent. distin. 13. q. 2. ar. 1.* se retractavit, & in opinionem Cajetani redit? ibi namque dicit, quod sacrificium Missæ, ex parte rei oblatæ, est definiti valoris, licet tamen respectu actus offerendi, sit finiti, quod docuit *Cajet. cit. loc.*

15. Dixi notanter, *pro multis copulatim*, quia secus, quando illud pro singulis sigillatim offerretur: ut si v. g. diceret, offero pro Martino, pro Marco, pro Petro, &c. quia sic essent tot oblationes, quot personæ, seu cives expressè nominati, at oblatio primo modo facta, censetur una singularis, & additur, quod oblatio singularis singulariter expressa, magis urget, aliter esset errare cum Wiclef.

16. Dixi *ex opere operato*, quia si valor Missæ considereretur

sideretur ex opere operantis, hoc est, ratione, qua proficiscitur ab offerentibus, qui affectu & devotione, cum Sacerdote, ad sacrificium offerendum operantur, tunc singuli, cæteris paribus, tantùm accipiunt, quantum si unus solus, cum eo offerret; quia valor hic circa personas offerentes, pendet ex illorum devotione. Devotio autem unius, non pendet à devotione alterius: idcircò Missa celebrata pro multis, prodest singulis, secundùm propriam devotionem, ac si pro uno tantùm diceretur, ut dictum est supra, & docent præcitati Doctores.

Quæst. 26. An intentio celebrantis, sit omninò necessaria ad perfectionem sacrificii Missæ?

1. Conclusio affirmativa est de fide, diffinita in Concil. Florentino, celebrato Anno Domini 1439. sub Eugenio Papa IV. in Decreto de Sacram. pro unione Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis, *tom. 4. Concil. fol. mihi q. 911.* ibi, *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, quorum si aliquod desit, non conficitur Sacramentum*, hæc ibi.

2. Et in *sess. 7. Sac. Concil. Trid. Can. 11. de Sacram. si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferant, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit*; ratio verò definitionis potuit esse, tum quia Sacramentalis actio debet esse humana, hoc est, judicio deliberata; ergo debet ex intentione ad proprium effectum dirigi, sicut actio artificis; nam quæ fiunt absque intentione, dicuntur fortuita, & casualia, ut ait *Philosophus in 2. physic.* quod actioni, quæ fit à ministro Dei, maximè repugnat; tum etiam, quia id quod est indifferens ad multa, debet per aliquid ad unum determinari; actio autem Sacramentalis potest referri ad multa; ergo ad hoc, ut determinetur ad effectum Sacramentalem, per formam verborum significatum, opus habet intentione determinante ad talem effectum, est enim intentio actus liber voluntatis in finem: ut docent *S. Thom. in 4. sent. dist. 6. q. 1. ar. 2. & 3. p. q. 64. ar. 8.* ubique *Cajet. S. Ant. 3. p. sum. tit. 13. cap. 6. §. 2. Joann. Viguer. de Sacram. in Genere, c. 16. de intent. ministri, ver. 7.* & post allegatos *Bartol. de Angel. de Sacram. in com. Dial. 1. num. 27.*

3. Immò *Sotus in 4. sent. dist. 1. q. 5. ar. 8. in princ.* dicit, quod prædicta definitio est de jure divino; nam ubi Christus Apostolis dixit, *Matth. 28. Baptizantes, &c.* ea intentione eis jussit munus exequi; qua ipse Sacramentum instituerat, & idem de Euchar. *hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, & de pœnit. accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* ubi subdit, quod Christus, ea ratione, Discipulos suos Sacramentorum ministros sibi instituit, ut sua ipsius intentione hujusmodi obsequia perficerent, ergo.

4. Nec nobis objicias, *D. Thom. 3. p. q. 60. ar. 7.* dicere, materiam Sacramenti, per verborum formam determinari ad effectum inferendum, ac proinde non indigere alia intentione, quia falleris in consequentia; nam illa verba, *Ego te baptizo, te absolvo, hoc est, &c.* nisi essent vestita illa intentione agendi, quod facit Ecclesia, effectum Sacramentalem non inferrent; prolatio ergo verborum, cum debita intentione, determinat Sacramentum, secus autem.

5. Nec dices, quod minister in Sacramento non operatur, nisi in quantum Instrumentum; actio autem non perficitur secundùm intentionem instrumenti; sed secundùm illam, quæ est in principali agente, movente instrumentum, ergo sufficit intentio Dei, sine alia ministri.

6. Quia pariter falleris in illatione consequentis: nam objectio prædicta procedit de solis Instrumentis animatis, fallit autem in instrumentis inanimatis, & consequenter in ministro Sacramenti, qui cum animam habeat, movet se ipsum ad operandum, & faciendum Sacramenta, prout facere intendit Christus, & Ecclesia, *S. Thom. 3. p. qu. 64. ar. 8. in respons. ad primum*, hinc sequitur, defectum intentionis ministri Sacramenti, regulariter loquendo, non posse suppleri per Ecclesiam, nec per Deum, neque per intentionem suscipientis Sacramentum; quia virtus primæ causæ modificatur in secunda, & agit ad modum ejus, quando secunda causa est animata, ut in casu nostro; nec potest aliter operari; nisi recurratur ad miracula, quæ non sunt multiplicanda, sine necessitate. *Suar. 3. p. to. 3. disp. 13. sect. 2. ver. tertiò possumus, & Alfonsus de Leone, 1. p. de Offic. & potestate Confess. recoll. 4. num. 8.*

Quæst. 27. An requiratur intentio faciendi, quod facit Ecclesia Romana, vel Catholica?

1. *Sanctus Ant. Archiep. Florent. peritissimus V. I. D. in 3. p. suæ sum. tit. 14. cap. 13. §. 10. Sot. 4. sent. dist. 1. q. 5. ar. 8. in med. Barthol. de Angel. Dial. 1. de Sacram. in com. §. 29.* & alii multi, dicunt, quod non requiritur expressio hujus, vel illius Ecclesiæ in particulari, sed sufficit generalissima intentio faciendi, quod Christus instituit, vel quod facit Ecclesia Catholica, quæcunque sit illa, & moventur ex eo, quod Hæretici non habent hujusmodi intentionem; immò intendunt facere, quod facit ipsorum Ecclesia, & nulla alia, non obstante, quod ipsorum Ecclesia sit Synagoga Sathanæ: & tamen nos non rebaptizamus ab eis baptizatos, ex quo illi intendunt facere quod Christus instituit, & dare verum Baptismum, licet putent, nos non dare verum Baptismum: nam licet errent circa veram Ecclesiam, non tamen errant, ut supponitur, in intentione generali faciendi quod facit vera Ecclesia: unde ipsorum privatus error, corrigitur per intentionem generalem faciendi, quod facit vera Ecclesia, ut benè advertit *Bonac. tom. 1. de Sacram. in genere, disp. 1. q. 3. p. 2. §. 3. n. 9.* & colligitur *ex Conc. Florent. in Decreto Eug. IV. de Sacram. Eccles. Oriental. & Occidental.* ubi dicitur, quod requiritur persona ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, absque alio superaddito, *& in Trid. sess. 7. de Sacram. Canon. 11.* apertè dicitur, quod intentio ministri debet esse saltem faciendi, quod facit Ecclesia, expende quæso illam dictionem, *(saltem)* quæ est restrictiva ad ea, quæ sunt de substantia, & necessitate præcisa, ut notat *Panor. in cap. quia propter, de elect. nu. 12.* ergo illa intentio tantum erit necessaria absolutè, & præcisè, quæ facit Sacramentum, & non alia jocosa, vel simulata, etenim inclusio unius, juxta vulgatam Regulam, est inclusio alterius.

2. Dix *requiritur intentio faciendi, quod Christus instituit, vel facit Ecclesia*, quia non copulativè requiritur intentio utriusque, sed alternativè; utpotè, alterius tantum, non quia illæ sint diversæ, seu adversa, inter quæ sæpe ponitur alternativa: sed quia una intentio, præsupponit aliam, *S. Thom. 3. p. qu. 64. ar. 8. ad primum in fin. ibi, ut scil. intendat facere quod facit Christus, & Ecclesia.*

3. Sed quid dicendum, si minister intendat facere, quod fecit Christus, & non, quod intendit facere Ecclesia Romana, facit ne Sacramentum? sub distinctione resolve, aut iste Hæreticus habet intentionem faciendi, quod fecit Christus, non verò faciendi quod facit Romana Ecclesia, cognita, ut vera, & sic non est sufficiens ad validitatem Sacramenti: etenim intendens facere quod fecit Christus, & non quod facit Ecclesia, vera instituta à Christo, & ita à se cognita, vult duo contraria

traria: si enim Christus instituit Ecclesiam veram, & tu hoc noscis, quomodò vis, ut fecit Christus, & non quod facit Ecclesia? signum est te intendere Sacramentum institutum, ut independens à Christi institutione, quæ intentiones pugnant inter se, ac proindè non conficitur Sacramentum; secus autem, si dicta Ecclesia non sit cognita ut vera, quia cum non cognoscit veram Ecclesiam, tunc errat, cùm putet, quod factum ab Ecclesia, sit diversum ab eo, quod fecit Christus, & sic non contrariæ & pugnantes voluntates; nec talis error est sufficiens ad impediendam validitatem Sacramenti, ut dictum est suprà, & docent *Zanardus in suo directorio Confess. de Sacram. pœnit. c.30. ver. sciendum est autem*, ubi hoc confirmat ex validitate Sacramentorum ab Hæreticis conficiendorum, nempe de Baptismo & absolutione in articulo mortis, *Molfes. tr.* 1. *c.* 7. n. 18. *Alfons. de Leone de off. & potest. Confess.* 1. *p. resol.* 4. *n.* 14. & ante eos *P. Suar.* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 13. *sect.* 2. *ver. superest*, licet ibi non ita clarè loquatur.

4. Sed quid dicendum, si quis è contrà intendat facere, quod facit Ecclesia; sed non quod facit Christus?

5. Sub distinctione resolve, aut iste talis putat Christum instituisse hanc Ecclesiam, quam intendit imitari & se ejus intentioni subjicere, & sic conficit; quia non intendit facere Sacramentum distinctum ab eo, quod Christus instituit, aut putat Christum non instituisse hanc Ecclesiam: & sic non conficit, ex quo intendit facere Sacramentum omninò distinctum ab eo, quod fecit Christus, ut benè advertit *de Leone cit. loc. n.* 16.

Quæst. 28. *An intentio Ministri requisita ad perfectionem sacrificii Missæ, debeat esse actualis, vel sufficiat, si sit virtualis aut habitualis?*

1. Respondent communiter Doctores, quod intentio hæc, de qua est sermo, debet esse actualis, aut ad minùs virtualis, nam habitualis ad perfectionem Sacramenti non sufficit. *Sot. in* 4. *sent. dist.* 1. *q.* 5. *ar.* 8. *circa tertium argumentum, & Cajet.* 3. *p. q.* 64. *ar.* 8. ubi in §. *in respons. ad* 3. docet differentiam inter habere aliquid in actu, vel in habitu, vel virtute, ad cujus intelligentiam hoc ponit exemplum, *habens habitum Justitiæ tunc actualiter intendit justum, quando actualiter attendit ad jus reddendum; tunc verò habitualiter intendit justum, cum retinet habitum Justitiæ etiamsi dormiat: tunc autem virtualiter intendit justum, dum vacat quidem reddendo juri, utputa, quia sedet ad Tribunal, ut faciat sicut consuevit Judicis officium, & nihil de Jure cogitat; sed mens ejus evagatur ad impertinentia, ita quod etiamsi non haberet habitum Justitiæ, ex solo hoc, quod accedit ad Judicis Officium faciendum in omnibus, quæ exercet Judicis, quamtumcunque evagetur, semper intendit justum virtualiter, eâ ratione, quia semper perseverat vis primæ intentionis, qua primò proposuit facere Judicis officium*; hæc ille, ex quibus colligitur, quod intentio virtualis præsupponit actualē, quæ movet potentias ad agendū, qui quidem motus, cessante priori intentione semper durat: nisi per contrarium actum corrumpatur, ut si quis proponit visitare Apostolorum limina, & medio itinere dormit, atque alia cogitat, dicitur habere intentionem virtualem, quia manet tunc virtus primi propositi, & si quis priùs habuit actualem intentionem consecrandi, & ex illa motus est ad se vestiendum vestibus Sacerdotalibus, posito quod postmodùm actualiter non cogitet, quando verba consecrationis profert; non ideò peccat; Deus enim nos non obligat ad impossibile: quandoquidem humanum ingenium adeò lubricum est, ut cogitationem non diu in re una retinere possit: & additur, quod non est in potestate nostra mentis alienationem non pati: nec mentis alienatio, perfectioni Sacramenti nocet, quia virtualiter manet intentio prima, & hæc sufficit: nisi contraria intentio subsequatur, & docet *Nugnus in* 3. *p. to.* 1. *q.* 64. *ar.* 8. *Sotus, ubi supra, & Bonac. de Sacram. disp.* 1. *qu.* 3. *p.* 2. §. 3. *n.* 11.

2. Neque his obstat dicere, quod *S. Thom.* 3. *p. q.* 64. *ar.* 8. *ad* 3. ait intentionem habitualem sufficere ad perfectionem Sacramenti, quia S. Thomas ut ibi monet Cajet. & laudat *Suar.* 3. *p. to.* 3. *disp.* 12. *in eod. ar. in fin.* pro intentione habituali intelligit virtualem, quæ quippè potest dici habitualis quodammodò, quia per modum habitus diu perseverat, etiam homine distracto & dormiente.

Quæst. 29. *An Missa mali vel boni Sacerdotis, sit æqualis valoris?*

1. Celebris est quæstio hæc & necessaria scitu, quam tu cum *S. Thom.* 3. *p. qu.* 82. *ar.* 2. sub distin. resolve, Missam quoad valorem operis operati esse æqualem, sive bonus, sive malus sit minister; secus autem quoad valorem operis operantis, scilicet precum & orationum, prout funduntur & recitantur à tali ministro particulari; nam quoad istam partem, majoris valoris est Missa boni Sacerdotis existentis in gratia Dei, quam mali existentis in odio Dei.

2. Decisio hæc, quoad suam primam partem manifesta est; nam ut ipsemet *S. Thom. dicit in ar.* 5. *&* 7. *ejusdem quæst.* etiam mali Sacerdotes consecrant & consecrare possunt. ut inquit *S. August. lib. de Corp. Domini*, & refertur *in cap. intra Catholicam Ecclesiam* 77. 1. *q.* 1. ibi, *in mysterio Corporis & Sanguinis Domini, nihil à bono majus, nihil à malo minus perficitur Sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in verbis perficitur Creatoris, & virtute Spiritus Sancti, &c.* ubi *Glossa* in casu ait, quod in traditione veritatis Sacramenti, non distinguntur merita conferentis vel consecrantis: nam sicut Christus est, qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum Sanctum hanc carnem efficit; quod item reperitur *in cap. utrum sub figura* 72. *de consecr. dist.* 2. ibi, *credendum est, quod in verbis Christi Sacramenta conficiantur, & in Conc. Trid sess.* 22. *de sacrif. Missæ cap.* 1. ibi *& hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitia offerentium inquinari potest, &c.*

3. Quò verò ad valorem operis operantis: certum est, quod Missa boni Sacerdotis est magis fructuosa, quàm mali: quod probat idem *S. Thom ubi supra, per cap. ipsi Sacerdotes*, 91. 1 *q.* 1. ubi textus sic loquitur, *ipsi Sacerdotes pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus & oblationibus ea delent atque consumunt: qui quantò digniores fuerint, tantò faciliùs pro necessitatibus, pro quibus clamant, exaudiuntur*: subde cum *Glossa ibid. in casu, vel fortè quia exemplo bonæ operationis, & verbo prædicationis corrigunt homines, vel ex eo, quod quia sunt in gratia Dei*; prout ex multis mirificè ostendit *Sotus in* 4. *sent. dist.* 13. *q.* 1. *ar.* 6. ubi ad finem, post argumenta, ad praxim multa refert, & concludit extra gratiam Dei, nullum meritum reperiri, ad quod facit illud dictum Cœci nati, *Deus peccatores non exaudit*, supple, per modum meriti, & de rigore Justitiæ; secus ex sua mera misericordia & pura liberalitate, unde *Bartol. de Angelis Dial.* 5. *de Missa*, §. 736. *in fin.* ait, *quod licet Deus interdùm audiat malos, tamen certum est, quod potiùs audit bonos; & ideò magis valerent orationes, si fierent à bono Sacerdote, quia tunc ex duabus partibus, opera illa meritoria essent, utpote ex opere operato, & merito operantis.*

Quæst. 30. *Sed quid dicendum est de Missa, quoad valorem precum & orationum, quæ à malo Sacerdote in Missa recitantur ex persona Ecclesiæ?*

1. RESpondet S. Thomas cum omnibus suis Discipulis *in d. q. 82 ar. 6.* dicendo Missam quoad utramque partem æqualiter valere: quia Ecclesia, quæ principaliter est offerens, semper est Deo grata; ergò licet per improbum Sacerdotem offerat, adhuc tamen nihil de ejus valore minuitur; nam sicut valor sacrificii Christi, non vitiatur per ministerium mali Sacerdotis; ita neque Sanctæ Ecclesiæ opus.

2. Veruntamen *Scotus in 4. dist. 13. qu. 12 ad 3. principale*, tenet contrarium, nam meritum inquit Ecclesiæ, non est abstractum, ut Idea Platonis ab individuis; sed est meritum applicatum per istum Ministrum; ergò ex illa parte non est tanti valoris.

3. Confirmatur, quia quandò sunt plures justi in Ecclesia, tantò Missa quæ, ejus nomine offertur est fructuosior, & plures quidem sunt justi, si Sacerdos celebrans est bonus; ergò erit fructuosior; *ad d. tex. cap. intra Cathol. Eccl. 1. q. 1.*

4. *Sotus verò cit. loc. sent. §. veritatis, in fin.* ait, hanc Scoti opinionem, non differre ab opinione D. Thomæ, tum quia licet meritum Ecclesiæ sit in personis Christianæ Reipublicæ, nihilominùs ut ipse Scotus ait, applicatur per ipsum Ministrum; quare applicatio & oblatio Sacrificii, non est tanti valoris, dum fit per pravum Sacerdotem, tum etiam, quia hoc dicit præcitatus Canon. qui clarè loquitur de Sacerdotibus, quatenus sunt Ministri Ecclesiæ, tum item, quia consulto *S. Thom. cit. loc.* non dixit, oblationem & orationem mali Sacerdotis, ut est Minister Ecclesiæ, comparativè esse tam fructuosam, quàm boni, sed absolutè esse fructuosam; tum denique quia respondens ad authoritatem S. Greg. allatam in primo argumento ait: ipsum loqui, quoad perfectionem Sacramentorum, etiamsi sint mali; Sacramenta perficiunt, ut dictum est suprà, ergò aliter dicendum est de sacrificio, cujus ratio consistit in oblatione & applicatione.

5. Hanc Soti sententiam sequuntur plures præcipuè *Miranda 1. p. Manual. q. 41. ar. 22. in fin. & Faustus lib. 2. de sacrif. Missæ q. 63. in fin.* Verumtamen eædem opiniones, meo videri, ex eodem S. Thoma, possunt in concordiam revocari: etiamsi dicatur, quod sint diversæ: nam si loquamur de precibus & orationibus particularibus ipsius Sacerdotis, ut liber fusis, certum est, eas augeri & minui, secundùm propriam devotionem: secùs autem dicendum de orationibus, quæ à Sacerdote malo recitantur vel applicantur ex persona Ecclesiæ, hoc est ex statuto seu institutione Ecclesiæ, utputa celebrare in nigris vel in Albis, cum his aut illis collectis, sacrificium offerre, hoc & illo modo, pro Papa, pro Imperatore, pro Rege & similibus, quia hæ oblationes & applicationes factæ jussu Ecclesiæ, sunt æquales: quia fructus, qui correspondet Sacrificio Missæ, ex institutione Christi & meritis Ecclesiæ, non potest impediri vel minui per improbitatem Sacerdotis, ut dictum est; cum hujusmodi fructus conferatur ex opere operato Ecclesiæ; & non dependeat à dispositione Sacerdotis celebrantis hic & nunc, si Missa consideretur, ut sacrificium ex opere operato Christi & Ecclesiæ: secùs si sacrificium consideretur, secundùm merita operantis, ut dictum est, & docent *P. Franciscus Victoria in summ. de Euchar. q. 91. Tabiena ver. Missa nu. 24.* & alii multi, quos allegat & sequitur *Bonac. to. 1. de Sacr. Euchar. disp. 4. q. ult. p. 6. n. 3.* Cum quibus omnibus stat, ut Missa boni Sacerdotis, sit simpliciter utilior, quàm Missa mali, cum undique tunc concurrat meritum, scilicet ex persona Ecclesiæ, & ex persona propria, ut bene advertit Cajet. in præcitato articulo, & sequuntur præcitati Doctores, cum duo vincula magis ligent.

Quæst. 31. *An Sacerdos, qui stipendium accepit pro Missæ celebratione, satisfaciat, si illam celebret in peccato mortali?*

1. AFfirmativè dic; quoad opus operatum, & quatenus celebrat ex persona Ecclesiæ: nam Missa mali Sacerdotis, ex opere operato, & secundum valorem quem habent ejus preces, fusæ ex persona Ecclesiæ, est æqualis valoris cum Missa boni Sacerdotis: cum utrobique sit idem sacrificium & principaliter offerens, & minister malus sit etiam Dei minister, & tanquàm ejus minister Deum oret, licet non sit æqualis valoris quoad preces fusas, motu proprio & ex propria & particulari persona, ut constat ex decisis hic immediatè suprà, *q. 29. & 30.*

Quæst. 32. *Valor Missæ quotuplex sit?*

1. SUbjicitur quæstio hæc ad incœpta hic suprà, *qu. 18.* ubi inter cætera dixi, quod fructus sacrificii Missæ est duplex: unus scilicet ex opere operantis: alter verò ex opere operato: nunc verò subdo, & hic triplex est, nempe generalissimus, medius & specialissimus. Valor generalissimus est, quem omnia Ecclesiæ membra, cum quadam proportione participant. Secundus medius, est ille, quem Sacerdos applicare debet ei, pro quo offerre tenetur. Tertius specialissimus est ille, qui correspondet ipsi Sacerdoti sacrificanti, quem alteri applicare non tenetur. Primus correspondet Christo. Secundus Ecclesiæ, & Tertius ipsi Sacerdoti offerenti: undè Ecclesia meritò vult, ut Sacerdos primò cum sacrificat, applicet Missæ valorem Papæ, Imperatori, Regi, Principi, Episcopo & cæteris Ecclesiæ fidelibus, tam pro vivis, quàm pro defunctis, ut constat ex Canone: *Te igitur, &c.*

2. Ut applicet in specie iis, quibus de Justitia applicare tenetur, & constat ex secunda parte ejusdem Canonis, ibi, *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, N. & N.*

3. In genere applicet omnibus circumstantibus & offerentibus, inter quos præcipuè annumeratur ipsemet Sacerdos, ut immediatè offerens, cui respondet propria portio, quam de Jure non cogitur alteri applicare, prout post antiquiores docent *Sotus in 4. sent. distin. 13. q. 2. ar. 1. & de Just. lib. 9. q. 2. ar. 2. ad 3. Palud. in 4. sent. dist. 45. q. 2. in fin. Ledesma in 4. secunda par. q. 16. Ant. Corduba. lib. 3. q. 3. not. 4. Petrus Arag. August. 2. 2. q. 85. ar. 3. Azor. 1. p. instit. mor. lib. 10. cap. 99. Suar. 3. par. to. 3. disp. 69. sect. 9. Lez. ver. Missa n. 7. Alphons. de Leone 3. p. de off. Capella, qu. 7. sect. 8. nu. 44. & Eruditissimus P. Verricell. in suis Moral. tract. 2. q. 29. n. 1. & 2.*

Quæst. 33. *An Sacerdos possit portionem Missæ sibi debitam alteri applicare, & consequenter duplicatum stipendium accipere?*

1. JAm diximus, Sacerdotem de jure non teneri dictam portionem sibi propriam, alteri applicare; tota igitur quæstio consistit in his tribus articulis. Primò, an si velit, possit illam alteri applicare? Secundò, an ratione talis applicationis, possit aliud stipendium accipere? Et tertiò, an talis valor sibi debitus, sit æqualis valori medio, pro quo de Jure stipendium accepit?

2. Quo-

2. Quorum primum negativè resolvunt *Scotus in quodlib. 4. ar. 9. Suar. 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 79. sect. 9. in fin. Bonac. tom. 1. disp. 4. q. ult. p. 8. n. 16. Miranda 1. p. manual. q. 41. ar. 5. Paul. Fraxinell. in disp. de obligat. sect. 3. prænotione 3. §. 1. Emm. Lugus de Euchar. disp. 19. sect. 10.* & alii eruditissimi non pauci: ducunturque, tum quia hæc specialissima pars valoris, ex sua natura pertinet ad Sacerdotem, tanquàm beneficium proprium & privilegium personale, quod de sui natura, non est alteri communicabile; respondet enim proprio labori, ac dispositioni personali & Sacerdotali, quæ est Deo omnibus vicinior; tum etiam, quia cum Sacerdos non certò sciat, se esse in gratia Dei, juxtà illud *Eccles. 9. Nescit homo, an sit dignus amore vel odio:* ergò nec certò scit, se esse capacem alicujus fructus sacrificii Missæ: quo ergò jure poterit rem sibi incertam alteri applicare? Aliud enim est loqui de re existente, & aliud de spe ad rem incertam, quæ nequit applicari; tùm item, quia quis novit, an ipse offerens tali portione indigeat? sive illa sit remissio alicujus culpæ, vel gradus gratiæ, aut absolutio à pœnis: ergò impium est dicere, illam posse applicare contra ordinem charitatis, hoc est non obstante propriâ indigentia.

3. Ad secundum articulum pariter negativè respondent ferè omnes hodierni Doctores, & præcipuè *Paul. Fraxinell. cit loc. Rod. 1. p. sum. cap. 52. de Miss. Bonac. cit. loc. Megal. tom. 2. var. resolut. 179. Cardinal. Lugo cit. loc. Dian. 2. p. tract. 14. de celebrat. Miss. resol.* 80. ubi corrigit, quod dixerat anteà in *resol. 14. & p. 5. tract. 14. miscel. resol. 45. & p. 6. tract. 6. miscell. resol. 9. ver. sed ego. Lez. in ver. Missa num. 17. in fin.* non obstante, quod antecedenter dixerat, dictum fructum specialissimum esse alteri applicabilem, *Alphons. de Leon. 3. p. de offic. Capell. q. 8. sect. 7. & mordicùs P. Verricell. in suis moral. tract. 2. q. 29.* ubi accuratè adversæ partis fundamenta cribrat, expendit & ventilat, *Pelliz. tom. 1. manual. tract. 5. cap. 9. sect. 3. q. 3. nu. 58. & Gavan. 3. p. Thesaur. tit. 12. num. 29.* & moventur pariter ex multis: tum quia peccat contractus in æqualitate, quando certum pretium recipitur, & incertum pro certo datur: quamobrem peccat vendens rem litigiosam, quamvis probabiliter credat sibi jus competere; ex quo jus incertum pro certo vendit; unde tenetur vitium aperire vel aliàs restituere, *Card. de Lugo de just. tom. 2. disp. 26. nu. 131.* tum etiam, quia etsi gravissimi Doctores doceant, valorem Missæ esse infinitum extensivè, ita ut tantùm prosit uni, quantum pluribus; hoc tamen non est omninò certum, ut liquet ex decisis hic suprà, *q. 23. & 24.* ergò celebrans unam Missam, ad finem satisfaciendi pluribus stipendiis, dat incertum pro certo stipendio; unde violat justitiam commutativam, & tenetur restituere, *Suar. 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 89. sect. 2.*

4. Confirmatur; quia esto, quod valor Missæ sit infinitus extensivè, adhuc tamen requiritur dispositio ex parte ejus, qui debet in se fructum Missæ recipere, hoc est, esse in gratia Dei, quod est incertissimum, ut constat ex decisis, ergò idem quod priùs.

5. Dices, valor Missæ medius est etiam incertus, & tamen licet pro illius applicatione stipendium accipere: sed falleris, quia stipendium non datur nec recipitur pro fructu sacrificii Missæ, quia hoc foret simoniacum, sed datur pro labore, quo quis afficitur, dum Missam celebrat: labor enim est pretio æstimabilis, & additur, quod etsi fructus medius sacrificii Missæ, quatenùs dependet ex particulari dispositione offerentis, sit incertus, quatenùs tamen offertur ex persona Christi & Ecclesiæ, certissimus extat; tum etiam, quia dans eleemosynam pro celebratione Missæ, intendit totum ejus sibi valorem applicari; prout applicabilis est absque tanta metaphysica: nam si sciret, quod Sacerdos recipiens stipendium, & promittens pro se integrè celebrare; adhuc tamen posset fructum Missæ personalem alteri applicare, & pro eo aliud stipendium recipere, abstineret ab hujusmodi eleemosynis; & nollet hujusmodi Missam mancam, (ut ita dicam) sibi celebrari; & sic minueretur Missæ sacrificium in Ecclesia Dei; tum item, quia meo videri, adversa opinio fovet avaritiã & scandala, quod quantum piaculum sit, noster *Ambrosius Catherinus, in tract. de veritate incruenti sacrificii,* sic expressit. *Est abusus eorum, qui Judam imitantur, vendentes Christum & paciscentes pro Missis, ac numero Missarum: sunt enim Sacerdotes pauperes, qui tanquàm venale exponunt sanctissimum Sacrificium, ut indè sibi comparent victum; sicuti qui ex qualibet prophana mercimonia sibi contrahunt ut vivant; O væ infœlix & æternum hujusmodi sacrilegium.* Hæc ille.

6. Tum denique, quia adversa sententia hodie pugnat cum novissimis Decretis Sac. Congreg. de celebrat. Missarum, editis jussu Urbani VIII. infrà extensis, & liquet ibi, *Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat & præcipit, ut absolutè tot Missæ dicantur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: ita, ut alioquin ii ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant (quin immò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur, &c.)*

7. Insuper eadem Sacra Congregatio interrogata, *an Sacerdotes, qui tenentur celebrare ratione beneficii, seu capellæ legati aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis aut defunctorum recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere?* Sacra Congregatio his verbis respondit.

8. *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii seu capellæ, legati aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa, utrique obligationi satisfacere.* Hæc ibi, interque expendo, ly, *non posse satisfacere,* quia fermè cuilibet ex istis, Sacerdos ex justitia tenetur ad integram applicationem absque tanta subtili anotomia; & sic dormit opinio contraria, unde meo judicio, non potest ampliùs dici probabilis, sed improbabilis; ne dicam scandalosa & erronea.

9. Et quamvis *Faustus lib. 2. de sacrif. Miss. q. 58. & q 158. & P. Gavantus in comment. ad rubric. Missalis, tom. 1. p. 3. tit. 12. nu. 29. & Bord. 1. p. resol. 25. q. 8. n. 15.* dicant opinionem contrariam esse probabilem, præcitatis Decretis non obstantibus; quæ æstimant referri ad Missas, quæ celebrantur pro applicatione fructus medii; non autem personalis, sive specialissimi & proprii, mihi tamen non placent; tum quia prædicta Decreta loquuntur absolutè ac indistinctè; tùm etiam, quia negant posse satisfacere, quod est fundamentum opinionis contrariæ, tum item, quia Sacra Congregatio respondet ad intentum partis adversæ, quæ prætendebat pro una Missa, duo stipendia accipere posse, sive pro fructu medio, sive personali & specialissimo, parum refert; licet *Alphons. de Leone 3. p. de offic. Capell. q. 8. sect. 7. in fin. & Lez. ver. Missa nu. 17. in fin.* desideret super his ad majorem claritatem, Sacram Congreg. suam mentem explicare.

10. Et tandem ad articulum tertium Doctores adversæ sententiæ dicunt, quod licet portio personalis sit alteri applicabilis; quia tamen est Deo soli cognita, & nescitur quanta sit, cum *Navarr in manual. cap. 25. num. 92.* arbitrantur, partem trium Missarum, posse supplere uni Missæ; & ita monent in praxi observandum. Verùm hodie praxis ista, ob prædicta non potest practicari, nisi de expresso & mutuo consensu partium, secùs fabricant in gehennam, & tenentur restituere.

***
***

Quæst.

Quæst. 34. *An Sacerdos celebrans in Altari privilegiato, pro Animabus defunctorum, possit duplex stipendum accipere, unum pro applicatione fructus Missæ; alterum verò pro applicatione Indulgentiæ, qua Animæ à Purgatorio absolvuntur?*

1. P*Ater Bordon.* 1.*p.consil.resol.*25.*q.*9.*n.*17. respondet ad quæsitum affirmativè: tum quia virtute fructus medii, ex Missa celebrata satisfacit obligationi ordinariæ, & mediante indulgentiâ, satisfacit alteri obligationi; nam liberatur Anima à Purgatorio ex vi illius Indulgentiæ.

2. Veruntamen contemnitur à *P. Lez.in ver.Missa, nu.* 18. & meritò; tum quia singularis est hæc opinio, & nullo bono jure fulcitur: tum etiam, quia de directo adversatur præcitatis Decretis Sacr. Congreg. tum item, quia petens Missam celebrari in aliquo Altari privilegiato, intendit applicationem, tum indulgentiæ, tum fructus, qui communiter in aliis Missis applicatur: tum denique, quia Romani Pontifices non intendunt indulgentias fieri venales, nec exindè temporale lucrum captari, sed Animas purgantes adjuvari, ut aliis citatis advertit *P. Diana p.* 10. *moral.resol.* 70. unde jure optimo idem *Bordonus decis.*104. se retractavit, & declaravit, se loqui de offerente stipem spontè ac voluntariè, secus autem.

Quæst. 35. *Stipendium, salarium & merces, quid sit & unde dicatur?*

1. STipendium dicitur à stipe, quod per stipes, id est, modica æra colligitur, *l. ager,* §. *stipendium ff. de verb.signif.* salarium derivatur à Sale, sicut via salaria, dicitur à Sale, qua ad Sabinos portari consueverat, ut docet *Plin. lib.*31.*cap.*70.*naturalis historiæ,* ubi dicit, *quod sicut vita humana, sine Sale nequit degere; ita labor sine salario:* quod secundùm Juristas, idem est, quod stipendium; merces verò dicitur à mereor mereris, eo quod, qui laborat, illam meretur: etsi illa non omnis, sed eximii laboris pretium propriè interpretatur, *l.si.pret.* §.*si quis de donat.* differunt ista vocabula à pretio, quod pretium proprissimè pertinet ad emptionem & venditionem, §.*pretium; instu. de empt.& vendit.* & quia res spirituales, non possunt enim neque vendi re temporali sine crimine simoniæ, idcircò, quod datur & recipitur pro Missa celebranda, non potest dici pretium, sed salarium, vel stipendium, aut eleemosyna, ut constat ex Decretis Sacræ Congregationis infrà extensis.

Quæst. 36. *An Sacerdos Missam celebraturus, possit de illius stipendio pacisci & convenire?*

1. UT certa ab incertis separentur, adverte, stipendium pro Missæ celebratione, triplici titulo posse dari & accipi: Primò tanquàm ipsius Missæ pretium. Secundò, ut stipendium pro sustentatione Sacerdotis. Tertiò pro labore, quem Sacerdos sustinet in Missæ celebratione, ut notant *Thomistæ cum S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *ar.*3. & præcipuè ibi *Card. Cajet. in* §. *ad secundum dub, & in summula, ver. simonia, & quolib.de simon. Dominicus Sotus, lib.* 9.*de just.q.*6 *ar.*6. *post ultimam conclusionem,* quod stipendium tanquàm ipsius Missæ pretium, non possit dari & accipi sine labe simoniæ, certissimum est; nam cùm stipendium seu salarium sit quid temporale, Missa verò quid spirituale, nequeunt ad invicem commutari sine vitio simoniæ, quæ toties committitur, quoties contingit temporale pro spirituali dari & accipi, ut liquet ex decisis, *to.*2.*p.*3.*tract.* 1. *de nat. elect.q.*21.

2. Quod item Missæ stipendium possit licitè dari & accipi pro sustentatione Sacerdotis, pariter certissimum est: sive pauper, sivè dives sit; quia unusquisque, sive pauper, sive dives, naturali jure meretur sustentari ab eo, cui inservit, & in cujus ministerio occupatur, secundùm illud *primæ ad Corinth.*9. *quis militat suis stipendiis, nunquam quis pascit Gregem, & de lacte Gregis non manducat.* sed officium Sacerdotis est Missas celebrare: ergò si in utilitatem alicujus illud officium exhibeat, justè potest ab eo hanc sustentationem petere, juxtà illud Christi Domini, *Luc.* 10. *Dignus est operarius mercede sua,* & recusantem solvere potest cogere, ut docet S. Thomas communiter receptus, 2.2.*cit.loc. in corp.* ibi *licitè possunt statuta & consueta oblationes, & quicumque alii proventus, exigi à nolentibus & volentibus solvere, authoritate Superioris interveniente.* Hæc ille.

3. Tota igitur quæstio consistit in hoc, an Sacerdos titulo laboris, quem insumit in Missæ celebratione, possit salarium accipere?

4. S. Thomas cum suis discipulis, in *cit.loc.* negat; quia dictus labor est inseparabilis ab ipsa celebratione; hanc opinionem latè confirmat *Suar. tom.* 1.*de Relig. lib.*4.*cap.* 31. *Filiuc. tract.* 4.*nu.* 176. *in fin. & tom.*3.*lib.* 45.*nu.*44.& clariùs *Reginald. lib.* 23.*prax. fori pœnitentialis, nu.*227.

5. Verùm alii eruditissimi non pauci, cum *Glossa cap. significatum de prebend.* dicunt, hunc titulum esse sufficientem ad nos eximendum à vitio simoniæ; sunt tamen alii, qui distinguendo de labore, has opiniones conciliare videntur, dum dicunt, Divum Thomam cum suis Discipulis, loqui de labore intrinseco; Glossam verò cum aliis Theologis, loqui de labore extrinseco: ut si quis procul deberet ire ad celebrandum tali horâ & loco; hanc opinionem sequitur *Ledesma p.* 2. *sua summæ Hispana, tract.* 12. *de simon. conclus.* 8. *in* 2. *difficul. fol.mihi* 644. *Faustus lib.* 2. *de sacrif. Miss. q.* 32. verùm *Alfons. de Leone* 3.*p. de offic. Capell. q.* 6.*sect.* 2.*nu.* 15. *& Persicus Neapol. lib.* 2. *de offic. Sacerd. cap.* 3.*dub.* 1. *num.* 9. hanc conciliationem despiciunt, dicentes, nunquàm fuisse dubitatum, Sacerdotem posse majus stipendium accipere pro labore extrinseco: utputà ad celebrandum summo mane, aut vesperi in locis distantibus: sed dubium esse pro labore intrinseco, hoc est, an licitum sit pro labore conjuncto celebrationi Missæ, stipendium accipere? Ad quod ex multis respondent affirmativè; cum ad eximendum à crimine simoniæ, omnis titulus sufficiat, quod dictum ego intelligo verum, quoad forum Cæsaris; secùs autem quoad forum Dei, sed de hac re latiùs infrà *q.*44. vide ibi.

Quæst. 37. *Quodnam sit justum unius Missæ stipendium?*

1. REspondeo cum *S. Thoma* 2.2.*q.*100.*ar.*3. *in corp.* illud esse Missæ justum stipendium, quod reperitur taxatum à legitimo superiore, vel approbatâ consuetudine; quia, seclusa lege, subintrat consuetudo à viris prudentibus & Dei timoratis introducta, ut patet de pretio mercium; unde non erit indivisibile: sed sicut in aliis rebus distingui potest in summum, medium, & infimum, secundùm tamen diversitatem temporum, & locorum, *Suar.* 3. *p.tom.*3.*disp.*86.*sect.* 2. ubi in *conclus.* 1. dicit, quod licet hujusmodi stipendia, non sint vera pretia, tamen quatenùs in eis dandis & recipiendis, ratio justitiæ intercedit, servant proportionem quandam, & in eis necesse est, aliquod medium æqualitatis inveniri, *Persicus lib.*2.*de offic. Sacerd.cap.* 2.*dub.*2.*nu.*3. unde sicut non est nobis integrum, rerum pretia, ut placet alterare, ita nec nobis licet Missarum stipendia ad libitum mutare; ad quod facit, quod *Cajet.* dicit in *summula, verb.* ... *simon.*

simonia, ibi, *Habes tamen ex hac Regula, quod licitum est cogere ad subventiones statutas authoritate superiorum, vel consuetudine exhibendas, &c.*

Quæst. 38. Sacerdos exigens stipendium suprà taxam, an peccet mortaliter, & teneatur restituere?

1. AFfirmativè dic; tùm quia sicut excessus justi pretii, in contractibus humanis, redolet injustitiam: ita excessus stipendiis Missæ suprà taxam, lege, vel consuetudine præscriptam, justitiæ adversatur: nisi fortè ab offerente liberè tradatur, *Rod.* 1. *p. sum. cap.* 252. *Suar.* 3. *p. tom.* 3. *disp.* 83. *sect.* 2. & *Azor.* 3. *p. lib.* 12. *cap.* 6. tum etiam quia ita reperitur decisum in præcitatis Decretis Sacræ Congreg. & liquet ibi, *Quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.*

Quæst. 39. An verò in aliquibus casibus licitum sit, plus solito stipendium excipere?

1. ET quidem licere in multis censeo. Primò quoties ab offerente liberaliter datur; quia volenti nulla fit injuria. Secundò ratione laboris extraordinarii, ut celebrandi in loco distanti, vel summo mane, vel nimis tardè. Tertiò ratione dicendi Missam cantatam, seu solemnem: ita *Fraxinell. de Sacerd. obligat. sect.* 4. *conclus.* 1. § 1. *nu.* 9. *Bonac. de Sacram. disp.* 4. *q. ult. p.* 7. *nu.* 7. & *Pelliz. tom.* 1. *manual. tract.* 5. *cap.* 9. *sect.* 2. *q.* 10. *nu.* 46. Quartò, ratione dici festi, secundùm aliquos. Verùm hodie horum opinio non potest sustineri, ob dicta Decreta Sacræ Congreg. & docent *Diana* 2. *p. moral. tract.* 14. *de celebrat. Missæ, resol.* 9. & *Faustus lib.* 2. *de sacrif. Missæ, q.* 134. *in fin.* Quintò, quando imponitur Missa cum onere recitandi Officium Defunctorum, vel jejunandi, aut alias preces extraordinarias dicendi, *Alfons. de Leone* 3. *p. Capell. q.* 6. *sect.* 10. *n.* 97.

Quæst. 40. An Episcopus possit in sua Diœcesi, justum Missarum stipendium ita taxare, ut sub pœna Anathematis, nec plus donetur, nec minus accipiatur?

1. NEgat *Sot. lib.* 9. *de just. & jur. q.* 6. *ar.* 1. *in resp. ad secundum*, ibi, *Profectò jus non video, sed scandalum*; ad quod facit *S. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *ad secundum*, ibi, *Unde illicita esset ordinatio, si in aliqua Ecclesia statueretur, quod non fieret processio in funere alicujus, nisi solveret certam pecuniæ quantitatem; quia per tale statutum præcluderetur via gratis officium pietatis aliquibus impendendi; magis autem licita esset ordinatio, si statueretur, quod omnibus certam eleemosynam dantibus talis honor exhiberetur; quia per hoc non præcluderetur via aliis exhibendi officium pietatis; & præterea prima ordinatio habet speciem exactionis, secunda tamen habet speciem gratuitæ compensationis.* Hæc ille, & sequitur *Navar. in sum. cap.* 23. *nu.* 106.

2. Verumtamen *Anton. Corduba lib.* 1. *q.* 4. *Aragon.* 2. 2. *q.* 85. *ar.* 3. *Azor.* 3. *p. inst. moral. lib.* 12. *cap.* 6. *q.* 7. *Suar.* 3. *p. D. Thom. tom.* 3. *disp.* 86. *sect.* 2. *Faustus lib.* 2. *de sacrific. Missæ q.* 138. *D. Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg.* 24. *nu.* 3. *Gavant. ver. Missa nu.* 38. & *Persicus de offic. Sacerd. cap.* 2. *dub.* 2. *nu.* 27. dicunt, quod hujusmodi stipendium ex necessitate debet taxari, ad tollendum lites & rumores inter laicos & Sacerdotes, ita ut nec Sacerdos possit ex Justitia plus à fidelibus exigere; nec ipsi fideles minus Sacerdotibus valeant erogare: salvâ tamen remanente devotione, ac libertate utriusque partis; etenim lex Justitiæ nullum præjudicium affert legi misericordiæ & charitatis. Undè sicut Sacerdos potest recipere majus stipendium suprà taxam gratis datum; ita potest minus accipere, vel totum dimittere, si ei placuerit; etenim unusquisque potest juri suo cedere, & de illo ad libitum disponere, cum quibus omnibus stat, non esse licitum prohibere Sacerdoti, ne gratis celebret, si vellet; quia hoc esset præcludere viam liberalitati, pietati & charitati Sacerdotis; & hoc est, quod intendit *D. Thom. cum suis Discipulis, cit. loc.* ut sua ratio suadet & bene advertit *Suar. ubi suprà, sub tit. D. in fine.* Unde quoad substantiam quæsiti, non est inter Doctores disputationi locus.

Quæst. 41. An Sacerdos dives possit licitè pro Missæ celebratione stipendium accipere?

1. REspondeo affirmativè: dummodò tamen illud recipiat titulo sustentationis, vel laboris; nam ratione hujus tituli, celebranti Missam, hoc salarium est debitum; ergò parùm refert; quod si dives vel pauper sit beneficiarius vel non, Religiosus vel sæcularis, Episcopus vel subditus, ut dictum est suprà: nam sicut dives ob suas divitias non amittit jus exigendi id, quod sibi ab aliis de jure debetur; ita à pari ob suas commoditates non amittet jus exigendi hujusmodi salarium, sibi ex justitia debitum; ad quod facit, quod Sacerdoti ministranti, jure divino & naturali, debetur condignum pro labore stipendium ab eo, cui servit; tum quia, ut dictum est, *Operarius est dignus sua mercede, Luc.* 10. tum quia, *qui Altari servit, de Altari vivere debet, ut dicitur* 1. *Corinth.* 9. tum etiam, quia nemo tenetur suis sumptibus alteri militare, etiamsi sit dives: ergò justè potest illud accipere, etiamsi sit dives & habet unde ali possit; quia hoc est merè per accidens, ut ex multis sapienter colligit *S. Thomas quolib.* 6. *ar.* 10. ubi quærit, an pauper teneatur decimas solvere diviti Sacerdoti? Et sequuntur omnes cum *Soto lib.* 9. *de just. & jur. q.* 6. *ar.* 1. *post ultimam conclusionem.*

2. Nec his obstat dicere *Cajet. in* 2. 2. *q.* 100. *ar.* 2. *ac Sylv. in in ver. simon. nu.* 3. docere contrarium, quia hoc non est verum: sed dicunt in casu posito, præsumi stipendium accipi, non titulo sustentationis, cùm sint divites & habeant aliundè commodè ali, sed titulo avaritiæ, at aliud est loqui de præsumptione, & aliud de veritate facti, ut notat *Navar. in sum. lat. cap.* 23. *nu.* 122. unde benè infertur, Sacerdotem divitem, suum Missæ stipendium non teneri pauperibus erogare.

Quæst. 42. An Sacerdos pauper possit ob suam paupertatem, pro una Missa duplex stipendium accipere?

1. NEgativè *Navar. in sum. latina cap.* 25. *num.* 92. tum quia paupertas dicentis Missam, non tollit justitiam alteri debitam, *argum. cap. ex tenore, de foro compet. & cap. denique* 14. *q.* 5. tum etiam, quia Ecclesia non instituit Missas ad alendos pauperes Clericos, imò sanxit, ut nullus pauper ordinetur, *cap. non liceat cap. Episcopus, cap. tuis, & cap. cùm secundùm, de præb.* ad quem facit *Trid. sess.* 21. *c.* 2. ubi statuit, neminem ad sacros ordines admittendum, nisi habeat beneficium, vel sufficiens patrimonium ad vitæ sustentationem, ne cogatur mendicare; unde si ordinatus in paupertatem inciderit, aliquâ honestâ arte vel agriculturâ est alendus, *cap. Clericus distinct.* 61. tum item, quia his non obstat illud 1. *ad Corinth.* 9. *Qui Altari servit, de Altari vivat*; quia non exindè colligitur, Sacerdotē duplex stipendium pro sua Missa accipere posse; cùm quilibet Sacerdos plus immoretur in aliis exercitiis Ecclesiæ, quàm in celebratione Missæ. Undè non tenetur ei victum præbere solus ille, pro quo celebravit; tum tandem, quia Sacra Congregatio in Decretis infrà extensis, §. 3. mandat sub obtestatione

divini

divini judicii, ut absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; ita ut ii, ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant; quinimò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

2. Nec dices, stipendium taxatum adeò tenue esse, ut nullatenùs sufficiat ad congruam sustentationem unius diei vitæ Sacerdotis; quia hujusmodi stipendium, non debet taxari in ordine ad indigentiam Sacerdotis, sed plus minusve secundùm prudentiam boni viri; ne Sacerdos avaritiæ notetur, & fideles ab oblatione eleemosynarum retrahantur, nec replices dicendo, quod Papa interdùm concedit, ut Religiosi pauperes, minori numero Missarum, pluribus stipendiis satisfaciant, quia hoc facit per modum justæ dispensationis, justa de causa applicando ex thesauro Ecclesiæ, quidquid satisfactionis minueretur, quod aliis Sacerdotibus nequit adaptari, *Suar. 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 86. sect. 2. Miranda 1. p. manual. q. 41. ar. 23. & Bonac. de Sacram. disp. 4. q. ult. p. 8. n. 14.*

Quæst. 43. Sacerdos non aliàs celebraturus, nisi ob stipendium, an committat simoniam?

1. Hujus decisio pendet ex illa, an ille, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, aliàs non iturus, peccet & simoniam committat?

2. Ad quam quæstionem respondet *S. Thom. quolib. 8. ar. 11. sub distinctione*, ibi, *Si enim hujusmodi distributiones recipiat, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit & ita mortaliter peccat. Si autem habet principalem finem Deum in tali actu, & ad hujusmodi distributiones respicit, secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita simoniam non committit nec peccat: sic enim acceptio distributionum non erit causa quare vadat, sed propriè hujusmodi determinatio quare nunc vadat, & non aliâ vice.* Hæc ille, & sequitur *Sotus lib. 9. de just. & jur. q. 6. ar. 1. ad secundum argumentum in principio*, ubi ait, quod si Sacerdos nollet celebrare, nisi ubi victus suppeditaretur, idque ei explicaret, qui pro se petit rem fieri divinam, non idcircò peccaret; idem dicendum est de Concionatore, qui non intendit concionari, nisi ubi sibi pinguius stipendium sit, ac etiam de omnibus aliis Sacramenta administrantibus, prout docent *Ledesma tract. 12. de simon. concl. 17. p. 2. sua summæ Hispanæ, Fraxinell. sect. 3. pranot. 1. §. 5. in ult. impress. Sanch. in suis consiliis moral. lib. 2. cap. 3. dub. 12. Alphons. de Leone 3. p. de offic. Capell. q. 6. sect. 3. & Egomet tom. 2. p. 4. tract. 1. de recept. q. 16. & in tract. 10. de dote Monial. q. 8.*

Quæst. 44. An Sacerdos possit pacisci de salario Missæ absque vitio simoniæ?

1. Decisio affirmativa est manifesta ex immediatè decisis, & præcipuè in *quæst. 36.* quia inter dantem stipendium pro Missa celebranda, & Sacerdotem accipientem, intercedit obligatio Justitiæ commutativæ, quæ obligatio non oritur nisi ex pacto, aliàs dictum stipendium non esset debitum ipsi Sacerdoti; nec Sacerdos unquàm esset obligatus celebrare ex just. pro alio; quod est absurdum.

2. Nec nocet *S. Thom. 2. 2. q. 100. ar. 3. in respons. ad secundum*, dicens, quod licet accipere stipendium pro Missæ celebratione: dummodò pactum non intercedat, quia tunc foret simonia; tum quia S. Thomas loquitur secundùm antiqua jura, *cap. tua nos, de simon. & cap. ult. de pactis*, quæ per contrariam consuetudinem sunt abrogata. *Sotus lib. 9. de just. & jur. q. 6. ar. 1. ad secundum, & Ledesma p. 2. sum. Hispan. tract. 12. de sim.* tum etiam, quia jura illud solum pactum damnant, in quo datur temporale, tanquam pretium rei spiritualis; non autem illud in quo promittitur justum salarium ad finem sustentationis: hoc enim in Sacris Canonibus nunquàm reperitur prohibitum, ut communiter attestantur Doctores, quos allegat & sequitur *D. Barb. de offic. & potest. Episc. allegat. 24. nu. 2.*

3. Nec item nocet *Trid. sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ, §. atque ut multa*, ubi prohibet, ne fiat ulla conventio, aut pactum super dicendarum Missarum stipendium: quia respondent *Faustus lib. 2. de sacrific. Missæ, q. 132. in fin. & Alphons. de Leone 3. p. de offic. Capell. q. 6. sect. 4. nu. 37.* Sacrum Concilium loqui de Missis novis; Verùm mihi non arridet ob textum, qui ita loquitur, *Ut multa paucis comprehendantur, in primis quoad avaritiam pertinet cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta & quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, &c.* ex quo textu clarè apparet, Concilium loqui nedum de Missis novis, verùm etiam de antiquis, imò primò & principaliter de antiquis, ut liquet ex illa dictione, (*&*) quæ conjungit diversa; & ex illa dictione *(quidquid)* quæ extendit Decretum ad casum magis dubitabilem. Unde *Cardin. Toletus in sum. cap. 28. ver. dico tertio*, negat Sacerdotem posse pacisci, etiam pro sustentatione, & sequitur *Eminentiss. Bellar. in cit. Cap. Trid. in observat. doctrinæ, §. pro Missis.* Undè meliùs est dicere, Concilium prohibere illa pacta, quæ circa celebrationem Missarum, avaritiam fovent; ergò ad tollendum omnem avaritiæ scrupulum, expressè in pactum, ut dictum est, debet deduci & exprimi, tale quid promitti & dari pro sustentatione ejusdem Sacerdotis, non aliter, nec alio modo; prout attestantur præcitati Doctores, quos sequitur *D. Barbos. in collect. ad d. Cap. Trid.* & hæc expressio, meo videri, debet fieri & enunciari ab Episcopo loci, cum in Synodo taxat justum salarium pro Missa celebranda; adeò, ut cæteris Parochianis satis sit pacisci secundùm taxam, ab Episcopo in Diœcesi taxatam, vel à legitima consuetudine introductam.

4. Amplia resolutionem prædictam ad Sacerdotes divites, qui non solùm possunt justum stipendium pro Missa celebranda accipere, ut dictum est, verùm etiam & in pactum deducere: nam dum stipendium debetur Sacerdoti ex justitia, quæ æquè fovet pauperes & divites, cur illud pauperis potest in pactum deduci, istud autem divitis nequaquàm, cum utrobique eadem sit Justitiæ ratio.

5. Nec *Cajet. in cit. loc. 2. 2.* dicit, quod pro divitibus Sacerdotibus, illicitum sit stipendium pro Missæ celebratione sibi debitum in pactum deducere; quia ut dictum est suprà, hoc absolutè ac simpliciter ibi non dicit, sed limitatè; hoc est, quando pretium non esset taxatum; qui casus hodie est impossibilis: nam ubique reperitur taxatum, vel à S. Papa, vel ab Episcopis locorum, vel consuetudine legitima.

6. Amplia, ut non solùm sit licitum de dicto stipendio pacisci, verùm etiam & illud exigere, etiam ante Missæ celebrationem: aliàs scilicet recusando celebrare, *Sot. cit. loc.* quia est certum id licere, cùm spontè ab offerente detur.

7. Nec his obstat *cap. tantùm, de Sim.* quia, ut dicit *Cajet. cit. loc.* hujusmodi exactio anticipata, non continet Simoniam, quia talis modus exigendi, non mutat modum debiti, ut clariùs ait *Sanch. in suis consil. lib. 2. c. 3. dub. 11. n. 15.* ubi subdit, *licet Sacerdos minùs benè faciat, exigens stipendium ante spiritualium collationem.*

8. Amplia, ut Sacerdos post spiritualium collationem possit, ut dictum est suprà, pro recuperando salario sibi debito, officium Judicis implorare, & cogere illum, qui

qui rem sibi voluit Sacram fieri, *Bonac.* multis citatis *de Sacram.disp.4.q.ult.p.8.n.2.* ad quod facit, *cap.ad Apostolicam, de Sim.* ubi Concilium statuit, ut Sacramenta liberè conferantur, Episcopi tamen cogant seculares observare consuetudinem, si quæ est dandi aliquid Sacerdoti, ratione sustentationis, pro ipsorum administratione.

9. Verum adverte, quod talis compulsio fieri debet per censuram Ecclesiasticam, & non aliter; ut declarat. *Joan.Andreas in d.cap.* & quia sumus in servitiis personalibus, & tractatur de sustentatione vitæ, non sunt observandæ Apices Juris; sed proceditur simpliciter, & de plano, sola facti veritate inspecta: prout advertunt Doctores scribentes *in d.cap.* qui, & addunt, quod Judex ex officio debet cogere recusantem solvere, absque libello, & prætermisso Juris ordine: nam ubi nulla datur actio, subintrat æquitas Judicis, juxta *textum l.hæreditas §.final.ff.de petit.hæredit.* ad quod vide ea, quæ eruditè refert *D. Ricc.1.p. decis.Curiæ Archiepisc.Neap. dec.85.*

10. Amplia, ut si Sacerdos, aliqua ratione nequeat dict. stipendium recuperare; possit uti secreta compensatione, quæ præcipuè habet locum in debito ex Justitia commutativa; *Rebell.1.p.de obligat.Justitiæ, lib.2.de restit. q.18.nu.4.ad finem,* quæ Justitia, ut dictum est supra, intercedit inter Sacerdotem celebrantem, & debitorem salarii: quæ quippè compensatio, non solum potest fieri per viam retentionis in foro conscientiæ, si Sacerdos habeat aliquid æquivalens apud se, quod sit ejus, qui illi Missas commendavit, sed etiam per latentem subreptionem, ut docent communiter Doctores, loquentes de compensatione, ad quod multa requiruntur. Primò, ut creditor habeat certitudinem debiti. Secundò, ut nequeat ordine Juris illud recuperare. Tertiò, ut nullum scandalum oriatur. Quartò, ut damnum, tam temporale, quàm spirituale ipsius debitoris, vel alterius tertii caveatur, nè scil. debitum iterum solvatur, de quibus conditionibus, legendi sunt *Diana 2.p. Moral.tra.2.Miscell.resol.48. & Alfons. de Leon.3.p. de off. Capell. cit. loc. num.45.*

11. Amplia, ut prædictus Sacerdos, per viam compensationis, servatis tamen servandis, possit retinere rem debitoris pœnes se depositam, *Suar. 3.p. D.Thom. tom.3.disp.86.sect.4.ver. undè consequenter, & Miranda 1. par.Manual.q.41.art.23.* alii verò negant apud *Dianam cit.loc.* quos videre non pigeat.

Quæst.45. Sacerdos, qui diminutum salarium accepit pro Missa celebranda, an teneatur totum Missæ valorem illi applicare?

1. Sotus *lib.9.de Just.& Jur.q.3.ar.1. post secundam conclus.Suar.in 3.p.D.Thom.disput.86.sect.4.Nugn.qu.83.ar.1.dub.9.Miranda 1.p.Manual. qu.41.art.23.Naldus ver.Missa,num.2.* & alii plures, quos allegat *Faustus lib.2. de Sacrif.Miss.* sub distinctione resolvunt, aut is, qui tenue accepit salarium, fuit eo voluntariè contentus, & expresè promisit unam Missam pro illo celebrare; & sic ex Justitia tenetur illi totum Missæ valorem applicare; tum quia sic cessit Juri suo, quoad complementum stipendii; tum quia ex pacto, & promissione, nascitur obligatio, secùs si nihil expresè dixerit, quia sic non præsumitur Juri suo renunciasse; tum etiam, quia ille ex Justitia tenebatur dare ei integrum stipendium; ergo si non datur, licet Sacerdoti illud à diversis accipere: tum item, quia dans minus justum salarium, injuriam facit Sacerdoti; quisque autem potest se indemnem à propria injuria servare; ergo.

2. His tamen non obstantibus, hodiè hujusmodi opinio non potest sustineri; nam reperitur expresè damnata in dict.decretis Sac.Congreg.§.3.ibi, *deindè ubi pro pluribus, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia quantumcunque incongrua, & exigua, sivè ab una, sivè à pluribus personis collata fuerint, aut in futurum conferentur. Sacra Congr.sub obtestatione Divini Judicii mandat & præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, &c.* ad quod etiam accedit alia declaratio ejusdem Sac.Congr.facta ad tertium dubium sibi propositum, sub tali tenore; *An cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, juxta qualitatem loci, personarum ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas, non obstante, præscriptas illis celebrare? Sacr.Congr.respondit; teneri,* ut melius est videre in præcitatis Decretis infrà extensis. Ideoque non est amplius huic disputationi locus, sivè promissio expressa fuerit, sivè non, *Diana p.10.tr.16. Miscell. resol.71.*

Quæst. 46. Sacerdos recipiens stipendium decem Missarum, carta involutum, putans esse justum salarium; si postea illud inveniat non esse justum; an teneatur ad integrum numerum Missarum?

1. Megalius *2.2.instit.Peregr.lib.2.cap.1.nu.21.Alfonsi de Leon.3.p.de off.Capell.qu.8.sect.4.Azor. 3. p.lib. 12.cap.6.qu.3.Fraxinell.de obligat.Sacer. sect.4.concl.1.§.2. n.7.& Diana p.10. tract.16.& 6.Miscell. resolut. 71. in fin.* dicunt, quod in tali casu, non solum potest Sacerdos minuere numerum Missarum, reducendo illum ad ratam, juxta congruam, & consuetam eleemosynam: Verum etiam potest implorare officium Judicis, pro supplemento stipendii; certiorando tamen illum de Missis non celebratis, ob defectum stipendii; nè defunctorum animæ suffragiis priventur.

Quæst. 47. Sed quid dicendum, si hujusmodi Sacerdos nequeat dantem salarium certiorare, nec illum coram Iudice convenire, potestnè, non obstantibus præcit. Decretis, numerum Missarum ad ratam celebrare?

1. Affirmant præcitati Doctores, tum quia prædicta Decreta Sac. Congr. non loquuntur in isto casu, ut constat ex §.3.ibi, *ut alioquin ii, ad quos pertinent, suæ obligationi non satisfaciant: quinimmo graviter peccent, & ad restitutionem teneantur,* quæ verba, ut vides, benè declarant, atque ostendunt, Sac. Congr.ibi supponere in Sacerdote, scientiam incongruitatis, & exiguitatis stipendii, quando acceptat tale, & tantum onus: ad quod accedit alia declaratio dict. Sac.Congr. ad dubium tertium, ibi, *Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, &c.* hoc enim verbum, (*accipientes*) indicat, & supponit scientiam circa dict. incongruitatem justi stipendii, ergo: tum etiam, quia pactum de Jure, est duorum in idem consensus; qui, ex parte Sacerdotis, in tali casu deficit: tum item, quia qui ignorat, non consentit: nam actus voluntatis tendit in præcognitum: tum denique quia obligatio nunquam contrahitur, nisi juxta intentionem, quam quis habet se obligandi: undè quantumcunque obligatio sit generalis, non tamen contrahitur ad ea, quæ non fuisset quis specialiter promissurus, ut ex multis ostendit *Sylver.oblig.n.3.* Sed ità est, quod prædictus Sacerdos, ut supponitur, in tantum habuit animum se obligandi ad dict. numerum Missarum, in quantum ei responderet justum stipendium: ergo; ad quod etiam facit illa Juris Regula, *quod ignorantes fraudem, non debent in damno esse, l. qui autem, §.hoc edictum, ff. in fraudem creditorum,* quem textum allegat *Isernia, de prohibita feudi alienat.per Federicum num. 11. ad medium.*

2. Ad quod item accedit, quod dans diminutum stipendium, suæ obligationi non satisfacit: undè ipse tenetur curare, nè depereant piæ testantium voluntates, & nè obstricta benefactorum fides violetur, nè, ut dictum est, defunctorum animæ hujusmodi suffragiis priventur.

Quæst. 48. An Sacerdos, in casu summæ inopiæ, possit ad sui sustentationem, pro una Missa plura stipendia accipere?

1. SUnt qui affirmant: quibus favent *Fraxinell. de obligat. Sacerd. sect. 5. in Corollario, n. 11. Persicus, lib. 2. de offic. sac. cap. 2. dub. 2. nu. 37. & Lez. 1. p. sum. c. 21. n. 5. in fin. & ver. Missa nu.* 24. ubi nititur responsum extendere ad paupertatem gravem, licet non sit extrema, & moventur, tum *ex cap. quod non est licitum 4. de Regul. Iur.* tum etiam, quia necessitas legem non habet; undè tempore necessitatis, licet surripere rem alienam, invito Domino; tum item, quia valor Missæ est infinitus extensivè, ità ut applicatus, tantum valeat uni, quantum pluribus; ac si pro singulis offerretur.

2. Oppositum tamen, quod est de Jure verius, tenet Doctissimus *P. Alfons. de Leon. 3. p. de off. Capell. qu. 8. sect. 6. n. 32. in fin.* tum quia Sac. Congr. in præcitatis Decretis vult, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quod ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint à donante: ly autem *absolutè*, excludit omnem casum, juxta Regulam, *qui totum dicit, nihil excludit:* tum etiam, quia dict. Sacr. Congr. ad quartum dubium sibi factum, determinat valorem Missæ applicatum, non esse infinitum extensivè; sed finitum, & liquet ibi, *non posse, eadem Missa, utrique obligationi satisfacere:* tum item, quia quamvis licitum sit, ex duabus opinionibus, probabilem sequi, probabiliori prætermissa: hoc tamen fallit, quoad animas, pro quarum lucro, in omni negotio, tutior pars est eligenda, *Bonac. de Sacram. disput. 4. qu. ult. p. 8.* tum denique, quia etsi tempore necessitatis licitum sit furari: hoc tamen fallit respectu ejus, qui reperitur in pari, vel majori necessitate: at in casu nostro, adest necessitas major, respectu ejus, qui dat salarium, pro Missa, cum sit necessitas spiritualis, quæ semper præponderat necessitati temporali, ergo; hinc benè apparet eos, qui plura stipendia ex pluribus receperunt, illisque unicam tantum Missam applicarunt, teneri, sub mortali, ad restitutionem Missarum non celebratarum: quia licet ratione modicitatis pecuniæ, videatur non teneri, nihilominùs ratione violatæ promissionis in re gravi, tenentur: immò, ità censuit Sac. Congr. ubi supra, & docent *Petrus Navarra, de restit. lib. 2. cap. 2. num. 382. & Aragon. 2. 2. qu. 85. ar. 3. & Faustus lib. 2. de sacrif. Missæ q. 136. in fin.*

Quæst. 49. Sacerdos obligatus alicubi celebrare Missam, absque tamen applicatione sacrificii, an possit pro applicatione, aliud stipendium accipere?

1. P. *Alphonsus de Leone, in tr. de Jubilæo 3. p. q. 20 n. 27. Paulus Fraxinellus, de obligat. Sacer. sect. 4. concl. 4. §. 8. & Homobonus in exam. Eccl. p. 1. tr. 4. cap. 13. q. 1. nu. 21.* affirmant, ex eo, quod confratres, qui in Oratorio faciunt celebrare diebus festivis, ob commoditatem ipsorum, aut populi vicini, absque alia expressione, non intelliguntur, sacrificii applicationem velle.

2. Verumtamen *Bartol. Gavant. in 3. p. sui thes. tr. 12. de oblig. Sacerdotum, circa Missam, nu. 5. Diana 2. p. Moral. tr. 14. de celebr. Miss. resol. 80. & Faustus lib. 2. de sacrif. Miss. q. 56.* negant, & se movent ex responsione Sac. Congr. ad quartum dub. de celebr. Miss. ubi habentur hæc præcisa verba; *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse, eadem Missa, utrique obligationi satisfacere:* hæc ibi, per quæ Sac. Congr. absolutè, & sine ulla distinctione, videtur Sacerdotibus prohibere; nè pro una Missa duplicatum stipendium accipiant, & fundamentum hujus decisionis potuit esse, quia stipendium non datur pro sacrificio ipso, & fructu ejus, nam hoc esset Simonia; sed exhibetur pro labore extrinseco, quod est pretio æstimabile, ut dicit *Emanuel. Rodriquez 1. p. sua sum. lat. cap. 252. de Missa num. 4. concl. 4.*

3. Non desinam tamen dicere, quod *idem de Leone 3. p. de off. Capell. qu. 8. sect. 8.* ex adverso contendit præsentem casum non comprehendi sub dict. Decreto Sac. Congr. eò quod solum loquitur de celebrantibus, ratione beneficii, seu legati, aut salarii, non autem de celebrantibus ad solum alicujus Ecclesiæ cultum, vel populi; quam opinionem ego veram censeo, si inter celebrantem, & dantem eleemosynam fuit expressè cautum, Missam celebrari ad cultum dumtaxat Ecclesiæ, & populi commoditatem, & salvo jure aliis applicandi fructum sacrificii; quia sic cessat ratio in contrarium adducta, nam citra controversiam est, posse Sacerdotem recipere majus stipendium supra taxam, ex consensu, & voluntate ejus, qui primum stipendium & donavit; quandoquidem volenti, & consentienti nulla fit injuria.

4. Nec Gavantus huic conclusioni, sic limitatæ adversatur: immò expressè assentitur, ibi, *secus, quando ex mera consuetudine, seu statuto Canonicali, ad majorem Ecclesiæ decorem, Missas privatas celebrant,* ad quod item adducit quandam declarationem ejusdem Sacr. Congr. factam sub die 13. Julii 1630. quia fuit dictum, quod *quando in fundatione beneficii seu Capellæ expressè cautum est, non teneri celebrantem ad applicationem sacrificii, eo casu poterit celebrans accipere novum stipendium, & unica Missa satisfacere obligationi beneficii, seu Capellæ, & item danti novum stipendium;* hæc illæ, inter quæ nota; ly *expressè,* quia secùs tacitè, nam in dubio non præsumitur datum, vel relictum pro cultu Ecclesiæ, vel populi commoditate; sed pro applicatione sacrificii.

5. Hinc infert idem *Gavant. cit. loc. in fin.* quod Capellani monialium, & alii, qui incongruo præsertim salario subeunt onus celebrandi Missas, titulo mercedis, ea conditione expressa, quod non teneantur ad applicationem sacrificii, poterunt accipere nova stipendia à Monialibus particularibus; vel ab aliis, pro applicatione sacrificii, ut praxis ipsa docet.

Quæst. 50. Sacerdos accipiens unum stipendium, pro Missa votiva, an possit aliud accipere, pro applicatione sacrificii?

1. NEgativè dic: tum quia dans eleemosynam pro celebratione cujusvis Missæ, præsumitur illam dare, pro tota applicatione sacrificii, & non pro una parte tantum, utpote pro solo valore impetratorio, vel satisfactorio, ut olim quidam malè putabant: nisi fortè aliàs expresserit; tum etiam, quia non est in potestate Sacerdotis unum fructum sine alio applicare ei, qui utriusque capax est. *Vasq. 3. p. D. Thom. tom. 3. disput. 231. cap. 6. sub num. 36.* etenim Missæ applicatio debet respondere intentioni dantis salarium *Rod. 1. p. sum. cap. 252. de Missa, num. 6. & Bonac. de Sacram. disput. 4. quæst. ult. p. 7. num. 15.* tum item, quia ita fuit à Sac. Congr. decisum in prædictis Decretis, ibi, *absolutè tot Missæ, &c.* & clarius *in resp. ad 4.* ubi expressè quæritur de recipiendo manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut defunctorum; ex quo

ex quo aliquando beneficium, seu Capellania habet onus celebrandi pro animabus defunctorum, & sic petitur valor satisfactorius, unde videbatur posse accipi aliud stipendium pro valore impetratorio; aliquando vero habet onus Missæ votivæ de B. Virgine, juxta *cap. significatum, ii, de præbendis*, ibi, *quod Missa de S. Maria*, & sic petitur valor impetratorius, ac proindè vertebatur in dubium id, quod prius. Verum hodie versamur in decisis, ut dictum est.

Quæst. 51. Sacerdos Regularis jussus à Prælato celebrare pro pace, aut pro evertenda peste; an possit alii satisfactionem applicare?

1. NEgativè, ob prædicta dicendum est: nam Prælatus, qui Missæ celebrationem jubet, intendit, ut Deus, toto sacrificii fructu placatus, suscipiat eam satisfactionem pro pœnis peccatorum Reipublicæ, sicque benignius nobis concedat pacem, aut pestis expulsionem: *Alfons. de Leon. 3. p. de off. Capell. quæst. 8. sect. 9. num. 54.*

Quæst. 52. An Parochus die, quâ in sua Paracia tenetur celebrare, possit recipere stipendium pro applicatione sacrificii?

1. CElebris est quæstio hæc, & utilis scitu: circa quam, etsi discrepent Doctores, tu tamen eam negativè absolve: tum quia dum tenetur, ut supponitur, pro suis ovibus celebrare, non habet Jus integrum, pro aliis offerre, nec ab aliis ex justitia stipendia recipere, nemo enim meretur ex Justitia salarium accipere ex eo, quod de Jure exhibere tenetur, ut patet de Patre alente filios; obligatio enim secundum Doctores *in Rubr. ff. de verb. signif.* nihil aliud est, nisi vinculum Juris, quo quis astringitur ad implendum id, quod promisit, vel alias à Jure tenetur: & dividitur in eam, quæ est ex contractu, vel quasi contractu, ut dicit. *instit. tit. de obligat. in princ.* & docet *Cardin. Cajet. 2. 2. quæst 88. art. 1. dub. 1.* tum etiam, quia ita diffinivit Sacra Congr. in præfatis Decretis de celebrat. Missarum, in respons. ad quartum, ibi, *Sacerdotes, quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere*; hæc illa, & clarius in dub. sibi proposito, tali tenore.

2. *An Parochi Terræ Urceani Fanen. Diœcesis, quibus diebus ex proprio officio, & obligatione tenentur Missam celebrare, possint pro eadem Missa in propria, vel aliena Ecclesia celebranda Manuales eleemosynas recipere.*

3. *Sacra Congr. die 1. Septemb. 1629. respondit, quibus diebus Parochi tenentur missam celebrare, non posse manualem eleemosynam recipere*, quam decisionem refert per extensum *D. Ang. Barbosa in tract. de offic. & potest. Parochi, cap. 11. num. 13.* fundamentum vero harum decisionum potuit esse, tum quia jus decimarum, & reditus beneficii, constituuntur non solum ut Parochus Populo ministret Sacramenta, ut multi putarunt, verùm etiam, ut pro toto Populo fungatur proprio officio Sacerdotis, quod est, offerre Deo pro Populo; ut ait *Apostol. ad Hebr. 5.* & docet *Sot. lib. 9. de just. q. 3. ar. 1. dub. 1. ver. nihilominus*: tum etiam, quia Parochus tenetur ad omnia illa præstanda, quæ in regimine spirituali, sunt ovibus necessaria: sed ministerium celebrationis, est Populo necessarium, omnibus diebus Dominicis, & festivis; ergo iisdem diebus, tenetur Parochus celebrare: quamobrem, si ipse abesset, vel ægrotaret, illis diebus tenetur suis expensis aliū substituere, qui possit hoc munus explere, si tamen beneficium sit sufficiens; quod expresse docet *Trid. sess. 23. cap. 14. de refor.* ubi agens de Sacerdotibus, ait, *curet Episcopus, ut hi, saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus, si autem curam habuerint Animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent*: quod idem *Sotus in 4. sent. dist. 13. qu. 2. ar. 2. dub. 1.* dicit, ibi, *Saltem diebus festis, Parochos eadem obligatione ad celebrandum præstringi, nisi legitimè fuerint impediti, qua Populus audire Missam obligatur, nam iniqua esset conditio ejus, qui audire cogeretur, ubi nemo dicere perstringitur.* Hæc ille, qui infra *ver. quibus autem sit applicandus fructus sacrificii*, ait; *tenetur Sacerdos pro suis Paracianis, à quibus decimas, vel stipendium sumit, applicare*; quare tunc non potest aliis illud tribuere, quod dictum complectitur idem *Barbosa 2. p. de off. & potest. Episc. alleg. 24. §. de oblig. Parochi, num. 23. in fin.* quod item sequitur *Bonac. tom. 1. de Sacram. disput. 14. q. ult. p. 7. sub num. 5.* ibi, *Quamobrem ego existimo, Parochum teneri Missæ sacrum suis ovibus applicare, juxta viri prudentis arbitrium, hoc est, in præcipuis solemnitatibus, & Dominicis diebus.*

4. Hinc hodie, meo videri, opinio contraria nequit sine errore sustineri, quidquid dicant *P. Diana 2. p. tract. 14. de celebr. Missar. resol. 26.* quod tamen retractavit, & meritò *p. 6. tract. 6. miscell. resol. 13. in fin. Naldus ver. Parochus, num. 19. Bordon. 1 p. consil. resol. 25. q. 2. num. 3. Faustus lib. 2. de sacrific. Miss. q. 103. & Alphons. de Leone 3. p. de off. Capell. quæst. 8. sect. 10.* ubi ex adverso contendit, præcitata Decreta Sacr. Congregat. de celebrat. Missarum, sibi non officere.

5. *Decreta de celebratione Missarum, ac de prohibitione illas moderandi, seu reducendi, absque Sedis Apostolicæ licentia, necnon de earumdem oneribus perpetuis suscipiendis, &c.*

Cum sæpè contingat in quibusdam Ecclesiis tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis Defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, ut illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri: & tamen nova onera Missarum indies suscipiantur, indeque fiat, ut depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, Defunctorum Animæ suffragiis preventur, Ecclesiis debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles gravi scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur, cumque his malis maximum inter cætera fomentum præbeat, aut quod hi, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas brevi ad pauciorem numerum à superioribus reductum iri, aut quod Ecclesiis forte pecuniarum absumpta, plerumque nuda remaneant onera Missarum, absque ullo emolumento, aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, ut non facilè inveniantur, qui velint huic se muneri subjicere; & redditus Ecclesiæ, aut Monasterii adeò exigui, ut Sacerdos pro necessaria suâ sustentatione novis se oneribus obstringere compellatur; Sacra Congreg. Card. Conc. Trid. interpretum animadvertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique, ac justitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat hunc teterrimum abusum, è Christiana Republica convellere atque eradicare: S. D. N. Urbani divina providentia Papa VIII. authoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.

6. §. 1. *Ac primò districtè prohibet atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel alias quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur, alioquin reductiones, moderationes, & commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.*

7. §. 2. Deinde, *ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis, celebrandis plura stipendia, quantumcunque incon-*

incongrua, & exigua, sivè ab una, sivè à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, Domibus, ac locis piis quibuscunque, tam Regularibus, quàm Sæcularibus, Sacr. Congreg. sub obtestatione divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quinimmò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.

8. §. 3. *Id verò, ut deinceps observetur exactius eadem Sacra Congreg. eadem authoritate revocat Privilegia, & Indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis ac locis piis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus cujuscunque Ordinis Congregationis, & Instituti quamcunque ob causam concessa, quibus indulgetur ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat.*

11. §. 4. *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam susceperit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.*

10. §. 5. *Præterea, ne in Ecclesiis in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, ut par est, adimplendis eo tepidiores, ac segniores reddantur, quod onera hujusmodi, cum nulla, aut parva sint utilitate conjuncta, statuit, atque decernit, ut pecuniæ ac bona mobilia Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasteriis, Conventibus, ac locis omnibus, tam Sæcularibus, quam Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab iis, ad quos pertinet, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda; à die realis acquisitionis, statim deponi debeant pœnes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa seu illorum pretium, quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, &c.*

Sequuntur dubia, ac declarationes aliquot Sac. Congreg. Concilii S. D. N. Urbani divina providentia Papæ VIII. authoritate edita super Decretis ejusdem Congr. de celebrat. Missar.

11. Super primo Sacræ Congregatio. Decreto de celebratione Missarum, quo prohibetur, *Ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Cap. Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.*

Quæritur, *quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis?*

Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, ut possit hujusmodi onera moderari?

12. *Secundò, super secundo ejusdem Congreg. Decreto, quo cavetur, ut celebrentur tot Missæ, quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.*

Quæritur, *an verba illa (præscriptæ fuerint) intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?*

13. *Tertiò, an cum Ordinarius præscripserit eleemosynam congruam, juxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruo, teneantur Missas illis ab offerente præscriptas celebrare?*

14. *Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu capellæ, legati, aut salarii, possint etiam manualem eleemosynam pro Missis votivis, aut Defunctorum recipere, & unico Missæ sacrificio utrique oneri satisfacere.*

15. Quinto posito, quod testator relinquat, ut celebrentur pro ejus Anima centum Missæ, absque ulla præscriptione eleemosynæ: quæritur, *an liberum sit hæredibus eleemosynam sibi benè visam præscribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?*

16. Sextò, super tertio Congreg. Decreto, in quo eadem Congregatio revocat privilegia, quibus indulgetur, *ut certarum Missarum, vel Anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat*, quæritur, *an verba (in futurum suscipiendis) intelligenda sint de oneribus suscipiendis post privilegium?*

17. Septimò, super quarto ejusdem Congreg. Decreto, quo *prohibetur Sacerdoti, qui Missam susceperit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat:* quæritur, *an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, ut retineant aliquam eleemosynarum portionem pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiæ, & similium?*

18. *Octavò, an hoc decretum habeat locum in beneficiis, quæ conferuntur in titulum*, hoc est, *an Rector beneficii, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficii?*

19. *Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solito pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt: an verò satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam?*

20. Decimò, super quinto ejusdem Congr. Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba, (*eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis satisfecerint, ut nova quoque onera obire valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis, in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.*

Quæritur, *an hoc Decretum prohibeat absolutè, quo minus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt: & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?*

21. *Undecimò, quid si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat, ut Sacerdos Missam celebret cum primùm poterit?*

22. *Duodecimò, an pœna interdicti, & alia apposita in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesiis, ut ibidem præcipitur?*

23. *Decimo tertiò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesiis in die commemorationis omnium Defunctorum, & vulgò dicuntur capsæ di morti?*

24. *Decimo quartò, an administratores Ecclesiæ, magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis non, nisi post longum tempus, satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, ut ajunt, minuantur?*

25. Decimo quintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam Sæcularium, quàm Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem privatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula universali, (*& aliis, ad quos pertinet*) supplicatur pro opportuna declaratione.

Sequuntur declarationes, seu responsiones ad supradicta dubia.

Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretrum, authoritate sibi facta à S. D. N. attributa ad singula

singula dubia superiùs posita, ad hunc modum respondit, videlicet.

26. *Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut suprà impositi ab iis, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse judicaverit, verumtamen si in ipsa beneficii erectione expresiè cautum fuerit, ut liceat Episcopo injunctum onus reducere, ac moderari legem hanc fundationis, quam decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam & observandam.*

27. *Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario: quòd si tribuens eleemosynam, numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius secundùm morem Civitatis vel Provinciæ.*

28. *Ad tertium teneri.*

29. *Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Capellæ, legati, aut salarii, si eleemosynas pro aliis etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa utrique obligationi satisfacere.*

30. *Ad quintum censuit, ubi nullam certam eleemosynam Testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ.*

31. *Ad sextum, ita esse intelligenda.*

32. *Ad septimum respondit, permittendum non esse, ut Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam utcunque minimam portionem retineat ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cum Ecclesiæ, & loca ipsa aliàs non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ: & nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quæ supersunt, expensis, ut suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

33. *Ad octavum, non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebrã eleemosynam congruam secundùm morem Civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum fuerit.*

34. *Ad nonum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse.*

35. *Ad decimum respondit, non prohibere absolutè, ac propterea, etsi oneribus jam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarũ, dummodo infrà modicum tempus possint illis satisfacere.*

36. *Ad undecimum, quamvis onera suscepta infrà modicum tempus adimpleri nequeant; si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, ut illæ tunc demum celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quominùs eo casu eleemosyna accipiatur, pro iisdem Missis juxta benefactoris consensum celebrandis.*

37. *Ad duodecimum respondit, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum, sine licentia Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii aut Generalis, vel Provincialis.*

38. *Ad decimumtertium respondit comprehendi.*

39. *Ad decimumquartum respondit, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuerunt, ut suprà in responsione ad undecimum.*

40. *Ad decimumquintum respondit, & decidit comprehendi etiam privatos Sacerdotes.*

41. Hæc quippe Decreta dubia, & responsiones habentur, ut jacent in Constit. 43. Urban. VIII. *tom. 4. Bull. Cherub. incip. Cùm sæpè contingat, fol. mihi 314. item tom. 2. Bullar. Peyr. in Constit. 9. inter Bullas ejusdem Urban. Pap. VIII. item in libello attitulato, Bullæ & Decreta recentiora. fol. mihi 149. & in Lucerna Regul. Joan. Mar. Novar. ver. Missa, sub n. 23.*

Quæst. 53. Sacerdotes Regulares, an possint hodie recipere stipendia pro celebratione Missarum?

1. RESpondeo posse, ut probat communis usus, servatis tamen propriis Constitutionibus, & prænarratis Decretis Sacr. Congregat. unde ex hac regula, & responsione excipiuntur Patres Societatis Jesu, quia in examine *cap. 1. §. 3. & 6. p. Constit. Societ. cap. 2. §. 7.* prohibentur admittere stipendium pro Missis celebrandis, vel ullius Sacramenti administratione, quamobrem tales recipientes hujusmodi stipendia, peccant contra votum paupertatis, ex quo recipiunt aliquid contra voluntatem Superiorum, quod est actus proprietatis, *Sanch. lib. 7. ad decal. cap. 28. n. 7.* quod dictum extende ad omnes alios Religiosos, habentes similes Constitutiones, *Perseus de offic. Sac. lib. 2. cap. 7. de stipendiis Missar. dub. 3.* ubi advertit, Regulares subditos absque expressa vel tacita Superiorum licentia non posse supradicta stipendia recipere, etiam justa, nec de illis disponere.

2. Dixi *servatis suprà positis Decretis Sac. Congreg.* quia etiam Regulares exempti comprehenduntur sub illis, & liquet ibi; *Monasteria, Conventus, Congregationes, &c.*

Quæst. 54. Privilegia satisfaciendi pluribus stipendiis unica Missa, an sint hodie extincta ob dicta Decreta?

1. RESpondeo affirmativè, & constat ex §. 3. *eorumdem, ibi, id verò, ut deinceps observetur exactiùs, &c.* quapropter illud privilegium à Sixto IV. Benedictinis principaliter concessum, relatum per *Graff. 1. p. decis. lib. 2. cap. 25.* item & illud à Julio II. Minimis concessum, quo Generalis Ordinis potest cum ipsis dispensare, ut dicendo unam Missam cum novem collectis, valeat pro novem Missis, quod per extensum refert *Peyr. tom. 1. privil. in Constit. 5. ejusdem Pontif.* item illud, quod ex compendio Ordinis S. Hier. in Hispania *ver. Capellania, §. 3. refert Portel. in dub. ver. Missa, n. 2.* item illud Leon. X. pro Minoribus, quod affert *Casarub. in compend. ver Missa, n. 14.* & alia hujus generis omnia hodie dormiunt, & nequeunt excitari, nisi per Romanum Pontificem.

Quæst. 55. An privilegium cap. 4. Trid. sess. 25. de refor. quo Episcopi & Generales Ordinum possunt Missarum numerum moderari, sit omninò extinctum ob prædicta Decreta?

1. M*Artinus Bonac. tom. 1. de Sacram. disp. 4. q. ult. p. 7. §. 2. nu. 11. P. Diana 2. p. moral. tract. 14. de celebr. Missar. resol. 2. in fin. & p. 10. tract. 16. miscell. resol. 65. §. nota tamen, Aversa de Sacr. Euchar. q. 11. sect. 18. §. quòd si, Bordon. 1. p. consil. resol. 25. q. 11. nu. 10. & decis. 328. in fine, §. ex quibus solvunt illud dub. Alphons. de Leon. 3. p. de off. Capell. q. 5. sect. 20. n. 289. § constat igitur, Lez. 1. p. sum. cap. 21. n. 6. § possunt tamẽ, & p. 4. ver. Missa, n. 30. § excipe, Pelliz. to. 2. manual. tract. 6 cap. 13. q. 7. nu. 17. Naldus ver. Missa, nu. 9. D. Ricc. 4. p. decis. Neapol. decis. 25. nu. 3. in fin. & D. Barbosa de offic. & potest. Episcop. allegat. 29. nu. 5. & in collect. ad d. cap. 4. Trid. n. 11.* dicunt, prædictum privilegium Concil. Trid. ob prædicta Decreta Sacr. Congregat. non esse omninò extinctum, sed moderatum & restrictum ad posse reducere onera Missarum, acceptata ante Trid.

Trid. secus autem post illud, aut imposita in limine fundationis alicujus beneficii, seu Capellæ, & moventur, tum ex eadem Sacr. Congreg. quæ in his Decretis, inhærens *Trid. cit. loc.* illud limitat, & restringit ad prædictos casus tantùm, & non ad alios, ut liquet in §. 1. ibi, *Ac districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis generalibus, vel alia quoquo modo reducant onera ulla Missarum celebrandarum, aut post idem Concil. imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducenda, &c.* Hæc ibi, inter quæ appende precor, ly *aut post idem Concil. imposita,* & ly, *aut in limine fundationis*, & dices, quòd exceptio firmat regulam in cæteris omnibus non exceptis; tum etiam, quia ita fuit declaratum in *Florentina Synodo, sub die* 18 *Maii* 1627. §. 3. *de Missarum celebrat.* ob quas rationes *Emin. Lugo de Sacram. lib. 5. cap. 12. q. 9. nu. 97.* dicit, hanc sententiam esse probabilem; unde egomet ob reverentiam Sac. Congreg. & authoritatem tot Doctorum, *tom. 1. p. 1. prax. tract. 11. de confirmat. privil. q. 16. nu. 59. fol.* 132. dixi, prædictam facultatem à Trid. ubi suprà concessam, intelligendam esse, & procedere quoad onera imposita ante Trid. secus autem post illud, prout olim eadem Sac. Congreg. declaravit apud *Quarant. ver. Missa, in fin.*

2. Verumtamen, quia stylus Curiæ Romanæ urget in contrarium, & quia præallegata Decreta Sac. Congreg. de celebrat. Miss. retrahuntur, seu extenduntur ad præterita onera, etiam imposita ante Trident. ut constat ex infrà dicendis *qu.* 63. & eadem Sacra Congreg. multis in locis declaravit, & præcipuè in *respons. ad 6. dub.* dicendum est, nulli prorsus sine speciali licentia Sacr. Congreg. licitum esse, hujusmodi onera moderari, sive citrà, sive ultrà Trid. sint, ac proinde præfatum Tridentini privilegium remanere omninò extinctum, donec à S. Papa iterum revocetur ad vitam.

Quæst. 56. An Episcopus habens privilegium reducendi onera Missarum suæ Diœcesis, possit eo uti etiam ad favorem Regularium?

1. Affirmativè *Bordon. 1. p. Concil. resolut. 25. de celebrat. Miss. q. 23. nu. 33.* cui favet *Cespedes tract. de exempt. Regul. cap. 5. dub. 97. & Pelliz. tom. 2. manual. tract. 6. cap. 3. q. 31. nu. 61.* tum quia onera Missarum Diœcesis suscepta à Regularibus, verè sunt onera Diœcesis Episcopi privilegiati; tum etiam, quia Ordinarius loci, etiam à Religiosis exemptis exigit rationem de executionibus testamenti, *Clem. de testam.* ergo multò fortiùs poterit in favorabilibus eis prodesse; tum tandem, quia gratiæ sunt amplíandæ, juxta *Jur. Regul. odia.*

2. Tu autem dic, quòd in tali casu sunt omninò attendenda verba privilegii, quæ si illud restringant ad solos Clericos sibi subjectos, non potest illo uti in ordine ad exemptos; quod item dicit *Bordon. ubi suprà, & Lezana 4. p. sum ver. Missa, nu.* 31.

Quæst. 57. An Regulares post dicta Decreta habuerint aliquod privilegium, virtute cujus possint hodie ut olim Missarum numerum moderari?

1. P*Hilibertus Marchinus de Sacram. Ordinus, tract. 3. p. 2. cap. 20. nu. 7. Ludovicus Cassensis Cæsaraugustanus Capucinus in cursu Theol. tract. 23. disp. 3. nu. 106. Ant. Diana p. 6. moral. tract. 6. miscell. resol. 11. Pelliz. tom. 2. manual. tract. 6. c. 3. q. 7. sub num. 18. ver. quin etiam,* & alii multi, respondent ad quæsitum affirmativè; & moventur ex eo, quòd post evulgata dicta Decreta Sacr. Congreg. Urbanus Papa VIII. die 13. Julii 1626. ad petitionem Deodati Lomellini Procuratoris Generalis Ordinis S. Francisci de Paula, concessit Fratribus ejusdem Ordinis, Monasterii Januensis, ut legata Missarum perpetua, & oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ, pro qualibet Missa quotidiana reducerentur: decernitque per celebrationem Missarum sic reductarum saluti animarum eorum, quorum intentione Missæ sic reductæ fundatæ fuerunt, suffragari; proinde ac si illæ verè realiter, & cum effectu celebrarentur; ut meliùs est videre in dicto privilegio, quod per extensum refert *Laur. Peyr. tom. 2. privil. in Constit. 5. ejusdem Papæ.*

2. Sed hoc privilegio in pari causa ob mutuam communicationem privil. non solùm aliæ ejusdem Ordinis domus, verùm etiam aliarum Religionum familiæ possunt frui & uti ergo.

3. Verumtamen, ut benè advertit *Lez. in ver. Missa, nu.* 31. turpiter falluntur ob multa; tum quia prædictum privilegium fuit concessum per Breve, non autem per Bullam; est enim magna differentia, ut omnes sciunt, inter Brevia, & Bullas plumbatas, quia Bullæ seu Constitutiones universales inter nos communicantur, & extenduntur de loco ad locum; non autem Brevia, ut ex multis ostendit eruditissimus *Pyrrhus Corradus in praxi dispensationum Apostolicarum lib. 9. c. 3. sub n.* 37. quis enim sani capitis dicet, Breve hujus Monasterii alienandi stabilia extendi ad omnia Monasteria hujus Provinciæ? tum etiam, quia prædictum beneficium est locale, & non universale, fuit enim à Domino Papa concessum Domui Minimorum Civitatis Januensis, ut liquet in principio dicti Privil. ibi, *quòd domus Regularis dicti Ordinis Januensis, &c.* sub generali verò communicatione Privilegiorum non veniunt ea, quæ alicui loco vel Monasterio, vel particulari personæ sunt specialiter concessa, per allegata *to. 1. prax. p. 1. tr. 7. de communicat. privil. q.* 14. secus si foret concessum Ordini Minimorum, seu Fratribus Ordinis S. Francisci: est enim differentia quoad communicationem Privil. inter hunc, & illum modum loquendi, tum item, quia errant in præsupposito: non enim ibi Papa dat illis facultatem reducendi Missas ad certum numerum; sed ipsemet Papa reducit, ut liquet ibi, *de Venerab. Fratrum nostrorum consilio, onera, seu Missas hujusmodi reducimus:* hinc die 10. Novembris 1646, eadem Sac. Congreg. per suum authenticum Decretum, quod refert idem *P. Lez. tom. 5. p. 2. in Mari Magno serv. n. 78. in fin fol. mihi* 967. prædictum librum Philiberti Marchini suspendi fecit, & decrevit, & tali modo declaravit, ibi, *gratias hujusmodi reductionis Missarum ad certum numerum, vel certam summam, aut quantitatem eleemosynæ, non posse suffragari, nisi dumtaxat illis Monasteriis seu Ecclesiis aut Ordini Regularium, quibus ex causis peculiaribus concessa fuerunt, & pro tempore conceduntur, non obstante quacunque amplissima communicatione Privilegiorum, etiam inter Mendicantes (quam nullius valoris ad hunc effectum esse declarat, ac decrevit; præcipiendo omnibus & quibuscunque Regularibus, etiam speciali nota dignis, ut si hujusmodi scriptorum opinioni, vel Privilegio communicationis innixi, tales Missarum reductiones in suis Ecclesiis aut Monasteriis seu Ordinibus facere ausi fuerint, eis nullatenus uti possint, sed adstrictos, & obligatos remanere ad eundem Missarum numerum, ad quem anteà tenebantur, reductiones prædictas irritas decernens, & inanes,* hæc ille.

4. Nec his obstat aliud Privilegium Urbani VIII. concessum Fratribus Minoribus, seu Conventualibus; tum quia id fuit eis datum per modum Constitutionis, unde respectu Fratrum Conventualium reperitur insertum inter Constitutiones eorundem, quæ apud eos Urbanæ appellantur, ex eo, quòd eis à Papa Urbano VIII. fuerunt concessæ; Constitutiones autem non extenduntur, quia ut dictum est, propria & specialia non communicantur; tum etiam, quia loquitur de reductione facienda in primo Capitulo Generali, & non alias.

aliàs: ergo si alia post dictum Capitulum Generale, facienda sit, ad Sanctam Sedem, dubio procul, recurrendum est.

Quæst. 58. An Sacerdos, in Missis celebrandis, possit uti Iure compensationis, minuendo numerum Missarum?

1. LAurentius Peyr. tom. 3. Privil. in addit. ad Constit. Pyrrhi cap. 1. num. 27. Lez. ver. Missa, num. 34. & Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 6. cap. 3. q. 22. num. 50. respondent affirmativè, nam sicut Sacerdos, accepto justo stipendio, tenetur ratione Justitiæ Missas celebrare; ita commendans Missas, tenetur ratione justitiæ, in utroque foro stipendium tribuere, *Suar. tom. 3. de Sacram. disp. 86. sect. 4. & Henriq. lib. 9. cap. 21. num. 4.* sed in obligationibus Justitiæ datur compensatio; ergo & hîc Sacerdos potest sibi damnum datum compensare, præcisè certum, & liquidum, juxta communem taxationem, quod alia via recuperare non potest, juxta ea, quæ dicta sunt hic supra, *quæst. 46. & 47.* & docent Doctores, & præcipuè *Petrus Navarra, lib. 3. de restit. cap. 1. num. 397.* Undè si quis secularis commendasset alicui Monasterio, v.g. centum Missas, & hæ æquè celebratæ essent: nihilominus pro recuperando stipendio ipsarum, aliquas expensas fecerit Monasterium, & quod qui illas commendaverat, nolebat illud solvere, si posteà idem secularis alias centum Missas eidem Monasterio commendasset, posset Monasterium compensare damnum sibi illatum, minuendo in his centum Missis id, quod consumpserat in recuperando stipendio aliarum.

2. Nec his obstat, (ajunt ipsi,) dictum Decretum Sac. Congreg. quo statuit, ut tot absolutè Missæ dicantur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint; quia Sac. Congreg. loquitur de Missis debitis ex stipendio; cum tamen in præsenti casu Missæ, quæ modo dicto omittuntur, ad faciendam justam compensationem, non possunt dici debitæ ex stipendio, quantumvis solutum fuerit stipendium ipsis respectivè correspondens, quod quippè dato Jure compensationis, fictione Juris, non censetur solutum pro Missis; sed in compensationem damni injustè illati, & consequenter non censetur solutum pro Missis celebrandis.

3. Oppositum tamen, quod solùm est de Jure verum, tenent *Ascanius Tambur. de sacr. Missæ lib. 3. cap. 1. §. 3. nu. 103. & Diana cap. 10. moral. tr. 16. & 6. Miscell. resolut. 66. in fin.* & meritò, quia etsi Sacerdos uti possit compensatione secreta, etiam per latentem subreptionem, quando nequit Missæ stipendium habere, multis tamen conditionibus adhibitis, cum illa concurrentibus copulativè, & præcipuè, dummodò ex illa compensatione non emanet damnum spirituale, vel aliud temporale ipsius debitoris, vel alterius tertii, ut dictum est supra *quæst. 46.* si ergo Missæ commendatæ sint celebrandæ pro anima purgante, vel pro impetranda sanitate ipsius commendantis, non erit huic compensationi locus; non enim æquum est pro temporalibus, spiritualia, aut pro minimo, magnum subripere, vel impedire; tum etiam, quia minuere Missarum numerum, hodie est de reservatis Papæ, nè pereant piæ testantium voluntates, & defunctorum animæ suffragiis priventur, ut dicitur in procemio dict. Decret. tum item, quia cum is Sacerdos, recipiendo novum stipendium illi promiserit ad rationem attributæ eleemosynæ Missas celebrare, non potest venire contra pactum, per quod saltem tacitè censetur Juri suo renunciasse; tum tandem, quia adversa sententia nutrit avaritiam, & damnabile lucrum.

Quæst. 59. An Superior Regularis, diminutis notabiliter fructibus capitalium pro Missis celebrandis legatorum, possit, dict. Decretis non obstantibus numerum Missarum minuere?

1. BOrdonus, 1. p. consil. 25. de celebrat. Missar. q. 26. num. 37. ver. deinde, Aversa de Sacram. Euchar. q. 11. sect. 18. §. quod si. Cardin. Lugo de Sacram. lib. 5. cap. 12. q. 9. nu. 97. Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 6. cap. 3. q. 20. nu. 48.* respondent affirmativè, dummodò tamen sint diminuti sine culpa Conventus; tum quia talis videtur mens testatoris; ut scil. celebranti detur congruum stipendium; nè gravetur Monasterium ad celebrandum, sine debita compensatione: tum etiam, quia datur beneficium, propter officium: ergo quando beneficium, hoc est, capitale, seu salarium periit, debet quoque cessare officium, hoc est, onus illi annexum celebrandi; tum item, quia in humanis contractibus locationum, non tenetur conductor solvere pensionem integram, quando propter grandines, vel alluvionem, vel simili causa, depereunt agri fructus, *cap. propter sterilitatem, de locato, & l. si quis fundum ff. locat.* ergo ità à pari, Conventus non tenetur celebrare omnes Missas impositas, quando notabiliter decrescunt redditus; tum denique, quia licet ob dict. Decreta Sac. Congreg. reductio Missarum, non pertineat ad authoritatem privatam, sed ad Papam, cujus est, ex justa causa, fundatoris, vel testatoris voluntatem commutare: hoc tamen procedit, quando numerus Missarum minuitur authoritativè, per dispensationem scil. propriam, & privatam, liberè factam. Verum quando numerus Missarum minuitur ex æquitate, sivè ex Justitia, quæ non patitur, ut Sacerdos gratis, vel minus justo salario celebret, non exigit Pontif. authoritatem.

2. Oppositum tamen, quod solùm censeo de Jure verum, tenent *Tamb. in opusc. de Sacr. Missa lib. 3. cap. 1. §. 2. num. 1. Gavant. in Manuali Episcop. ver. Missa, nu. 55. Lez. ver. Missa, num. 37. & novissimè Diana p. 10. tr. 16. & 6. Miscell. resolut. 65. ver. sed ego,* & meritò, quia Sac. Congreg. in 1. Dub. consulta, an quando ità tenue est legatum, ut non sit, qui velit onus illi injunctum subire, etsi recurratur ad Pontificem, totum, vel magna pars redditus, in necessariis expensis consumenda sit, possit per Episcopum loci, vel Prælatum Religionis, refrænari, ac minui? respondet, ut constat supra, quod ab iis, ad quos pertinet, ad S. Sedem pro moderatione recurrendum sit. Nec illa distinctio de reductione Missarum ex authoritate, vel ex æquitate, & Justitia facta, arridet, nec potest placere: quia dict. Decreta loquuntur absolutè; ergo absolutè intelligenda sunt, & cum non distinguant, nec nos distinguere debemus, *l. 1. ff. de legat. præstandis, l. prospexit ff. qui, & à quibus manumissi, & docet Bartol. in l. de pretio.* Nec his nocent rationes per adversarios adductæ, quia sunt suasivæ, non autem jurisdictionis collativæ: volo dicere, quod suadent reductionem faciendam esse ex Justitia, non autem nobis donant authoritatem illam faciendi: sint ergo plures consultores, unus autem Judex, nempè S. Papa, qui hoc judicium sibi reservavit, privativè quoad omnes.

Quæst. 60. An Regulares, pereunte omninò, & totaliter fundo, pro Missis relicto, teneantur celebrare Missas ex tali legato debitas?

1. NEgant *Fraxinell. de oblig. Sacerd. §. 27. D. Ricc. 3. p. prax. resolut. 364. in fin. Bordon. 1. p. consil. resol. 25. quæst. 21. num. 31. & contr. 40. qu. 14. & Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 6. cap. 3. qu. 19. num. 46.* tum quia beneficium datur propter officium, sic adeò, ut cessante omninò beneficio, cesset, & officium: tum item, quia sicut Em-

 phyteu-

phyteuta, quando res perit ex toto, liberatur à solutione Canonis, per ea Jura, quæ refert *Sylver. Emphyteusis q.4.* ita similiter, & Monasterium, perempto fundo ex toto, liberatur ab onere celebrandi Missas, quod dictum ego intelligo verum, perempto fundo totaliter, absque culpa monasterii; nam declaratio Sac. Congr. qua statutum est, recurrendum fore ad S. Sedem, etiam si legatum sit valdè tenue, &c. non comprehendit præsentem casum, in quo supponitur capitale omninò, & totaliter extinctum: ad quid enim recurrere ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, si res legata non extat? & lex ad actum otiosum non obliget? cum igitur præsens casus sit diversus ab illo, diversa quoque debet esse Juris dispositio. Dixi *absque culpa monasterii*, quia secus, subsistente culpa, cum nemo debeat pati damnum ex culpa aliena.

Quæst. 61. An Regulares, aucta re sibi legata cum onere Missandi, teneantur etiam ipsi numerum Missarum augere?

1. Celebris est quæstio hæc, de qua accuratè disputant *D. Marcus Ant. Genuensis Neapol. in suis practicab. Ecclesi. qu.* 230. *Novar. in noviss. dec.* 153. *D. Ricc. 3. p. praxi resolut.* 364. & 4. *p. resol.* 104. *Rod. to. 4. sum. cap. 12. de Missa num.* 10. & alii plures, quos allegat *Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 6. cap. 3. q. 17. num.* 41. tu autem sub distinctione resolve: aut tale augmentum provenit, non ex re ipsa simpliciter, sed ex industria, labore, & expensis ipsorum Regularium, & sic nullam inducit obligationem majoris oneris: secus si dict. augmentum fiat ex aliquo casu fortuito, ut si fundus assignatus pro Missis, notabiliter augeatur ex alluvione fluminis, vel territorium sit magis redditivum: nam in tali casu, inducit obligationem ad augendum majorem numerum Missarum, in utilitatem animæ testatoris; tum *ex cap. final. de verb. signif.* ubi dicitur, quod si fructus præbendarum creverit, debet augmentum converti in utilitatem Ecclesiæ, non autem dividi inter Canonicos, ut ibi dicit *Glossa in fin. casus*; tum etiam, quia sicut diminutis stipendiis, minuitur numerus missarum per legitimum superiorem, utputa per D. Papam vel Sac. Congreg. ut dictum est supra, ita æquum est, ut re legata aucta, augeatur & numerus missarum, cum commodum ab incommodo reguletur, *l. secundum naturam ff. de Regul. Jur.* verum adverte, quod *Glossa in d. cap. final. de verb. signif. in ver. excrevisse*, non admittit hujusmodi argumentum, quia etsi licitum sit Canonicis, auctis fructibus beneficii, sine licentia Papæ augere numerum Canonicorum, diminutis tamen fructibus, nullatenus licet, sine licentia Papæ Canonicorum numerum diminuere.

Quæst. 62. Pecunia legata, pro tot Missis celebrandis, an si augeatur salarium missantium, debeat minui numerus Missarum?

1. De hac quæstione subtiliter disputat ad partes *D. Marcus Ant. Genuens. Neapolit. in suis practicab. Eccl. qu.* 180. ubi pro utraque parte allegat multa Jura; qui tandem in fine concludit, hæredem teneri ad supplementum pecuniæ, ne fortè numerus Missarum minuatur, data tamen capacitate hæreditatis: tum quia testator non reliquit pecuniam simpliciter pro eleemosyna solvenda, sine onere, sed pro Missis celebrandis pro anima sua, quàm præsumitur magis amare, quam hæredem; tum etiam, quia eo tempore, quo dictam eleemosynam legavit, præstabatur minor merces pro missis celebrandis; si ergo prævidisset augmentum stipendii, non diminuisset missarum numerum, stante capacitate hæreditatis, at reliquisset justum salarium; ergo ita judicandum est, cum finis principalis fuerit refrigerium animæ, quæ cunctis bonis temporalibus præfertur, *l. Sancimus, C. de Sacrosan. Eccl.*

2. Hanc Genuens. opinionem, ad unguem sequuntur *D. Ricc. 3. p. prax. resol.* 364. *D. Barbos. allegat.* 29. *num.* 7. *Homobon. de Bonis in exam. Eccl. 1. p. tr. 4. cap. 13. qu.* 118. & *Diana 2. p. tr. 14. de celebrat. Missar. resol.* 17. & alii plures, quos sequitur *Pelliz. tom. 2. tr. 6. cap. 3. q. 18. num.* 45.

3. Sed quid dicendum, si hæres recusat illam supplere, vel si vires hæreditatis non suppetunt? respondet *Bordon. 1. p. resolut. 25. de celebrat. Miss. q. 26. num.* 37. tot Missas celebrari posse, quot capiunt ad rationem justi tunc temporis stipendii: tum quia stipendia missarum ab initio assignantur à testatoribus, vel de eorum commissione, ab hæredibus, non ad placitum proprium, sed habito respectu ad eleemosynam, quæ statuto, vel usu fuit introducta tunc temporis; ergo signum est, voluntatem Testantium impositione hujusmodi onerum, esse, ut quantitas missarum commensuretur quantitati stipendii currentis; ergo aucto stipendio, cursu temporis, minuendus est numerus missarum, non autem hæres cogendus; tum quia non obstat dictum Genuensis de præsumptione voluntatis testantis, ea Regula, quod si fuisset interrogatus de hac re, ità verè similiter disposuisset, quia in praxi, potius servatur oppositum. Testatores enim intendunt minus, quam possunt gravare hæredes; tum item, quia exigere ab hæredibus hujusmodi augmentum, est fomentum discordiarum, & litium: undè necesse esset stipendium pro Missis assignatum, in litibus expendere: tum etiam, quia hac tempestate, hæredes conveniunt cum Sacerdotibus de stipendio currente, tempore conventionis, & consequenter vigore hujus pacti, nullum jus videntur Sacerdotes habere ad augmentum salarii, & additur, quod hæredes non possunt cogi, nisi ad expressum in testamento.

4. Nec his nocent dict. Decreta Sac. Cong. ibi: *quod si legatum sit ita tenue, &c.* quia loquuntur in casu diverso, nimirum de tenui stipendio, cui stare debet Sacerdos, cum onus per hujusmodi tenue stipendium scienter acceptaverit, in casu autem nostro, supponitur ab initio justum stipendium, utputa, taxatum de mutuo consensu partium, & ab eisdem scienter, ac liberè acceptatum, ex qua acceptatione, & consensu nascitur obligatio naturalis de stando promissis, ad quod *Bordon. pro se ibid. cit. Fraxinell.* & alia multa adunat.

Quæst. 63. An dict. Decreta extendantur ad præterita, ita ut loquendo de oneribus Missarum susceptis ante publicationem prædictorum, possint Regulares, etiam hodie illa frænare, ut una, & eadem Missa, diversis oneribus satisfiat?

1. Respondeo extendi, ut liquet in fine proœmii, ibi, *hunc teterrimum abusum, à Christiana Republica convellere*; si igitur erat abusus, ergo nullam etiam in præterito possunt afferre excusationem, *argum. Textus cap. frustra distin.* 8. ubi *Glossa*, cum aliis, quos sequitur *Alfons. de Leone 3. p. de off. Capell. qu. 8. sect. 15. num.* 109. in propriis terminis terminantibus dicunt, quod lex, ubi consuetudinem improbat, non solum præteritam, sed etiam futuram damnare videtur, & clarius *in* §. 1. ubi districtè prohibet, ne Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera missarum celebrandarum, aut post Tridentinum imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Sedem Apostolicam recurratur; at Regulares post Trid. multa onera Missarum susceperunt, quæ modo ob dict. Decreta non possunt

sunt moderari,& clarissimè *in* §.2. ibi, *sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt* , *aut conferentur in futurum, &c.* expende precor, ly *collata fuerunt*, & ly, *aut conferentur in futurum*; & dices non esse dubitationi locum.

2. Nec dices, quod lex nova non trahitur ad præterita, sed tantùm ad futura, *cap. final. de constit. l. leges, C. de legibus*, quod procedit etiam, ubi ratio ipsius legis antecessisset legem, ut docent *Felin. in d. cap. fin. & Navar. in relectione, cap. si quando 21. de excep. num.* 3. quia dicta Regula fallit, quando legislator expressis verbis, se declarat, ut etiam *in d. l. leges C. de legibus*, expresse dicitur, ibi, *leges, & constitutiones certum est, futuris dare formam negotiis, non ad facta præterita revocari, nisi nominatim, & de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit*: sed dict. Decreta expresse, & nominatim loquuntur de præterito, & futuro; ergo absque ullo dubio, etiam ad præterita extenduntur, & consequenter nequeunt Regulares suis uti privilegiis ad moderandum onera Missarum, etiam suscepta ante publicationem Decretorum.

Quæst. 64. *Reductiones Missarum, ab Episcopis in Synodo Diœcesana, & Generalibus Ordinum in suis Capitulis Generalibus, ad textum cap. 4. Trid. sess. 25. de refor. facta ante dict. Decreta, an hodie sint extinctæ, & revocatæ?*

1. NEgativè *D. Maranta, tom. 3. respons. 75. num. 4.* quia Sac. Congr. per prædicta Decreta revocat Privilegia ad inposterum refrænandum onera Missarum, non vero revocat reductiones de præterito factas, ut constat ex §. 3. ubi textus ità loquitur (*ad vero, ut deinceps observetur exactius, Sac. Congr. eadem authoritate revocat privilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesiis, ac locis piis; tam sæcularibus, quam Regularibus cujuscunque Ordinis, Congregationis, & instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, ut certarum Missarum, vel anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat*, hæc ibi, inter quæ nota ly *revocat Privilegia*, non enim dicit, quod revocat reductiones, & commutationes voluntatis defunctorum per prædictos factas antecedenter ad dict. Decreta, sed firmas illas dimittit: quia lex nova, futura respicit, & non præterita, nisi in ea de præteritis caveatur, ut dictum est supra, & expresse habetur *in cap. final. de Constit.* & liquet ibi, *nisi nominatim in eis de præteritis caveatur, &c.* in his verò Decretis nihil expresse dicitur quoad reductiones factas ante dict. Decreta; ergo idem quod prius.

2. Nec obstat dicere, quod verba Decreti apprimè generalia sunt, ibi, *omnia, & quibuscunque personis, & ob quamcunque causam concessa*; ergo omnia comprehendunt, & nihil excludunt: quia hujusmodi generalitas verborum, per subsequentem speciem comprimitur: species enim limitat genus, ne in sua latitudine divagetur secundùm *Baldum in l. legatorum petitio, §. qui plures ff. de legatis 2.* undè generi per speciem derogatur, *l. in toto Jure 81. ff. de Regul. iuris*, at species subsequens ad prædicta decreta generalia apparet ibi, *quibus indulgetur, ut certarum Missarum, & anniversariorum celebratione, aut aliquibus collectis, & orationibus plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat*; ergo dict. verba generalia decreti, referuntur, & referenda sunt ad potestatem taxandi Missam, non autem ad taxas factas antecedenter ad dict. Decreta: eò magis, quia in odiosis non fit extensio extra expressa, juxta Jur. Regul. *odia*.

3. Nec dices, prædicta decreta extendi ad præterita, ut constat ex decisis, quia licet extendantur ad præterita onera, per prædictos tamen minimè taxata, nihilominus non extenduntur ad taxas per eosdem legitimè factas ante decreta: aliud enim est loqui de oneribus liberè susceptis, & non taxatis, & aliud de taxis eorumdem onerum, ut patet ad sensum.

Quæst. 65. *An dict. Decreta obligent etiam extra Italiam?*

1. ET dico quod sic: dummodo tamen utrobique publicata sint, & acceptata, & per contrarium usum non sint abolita, in totum vel in partem, *Peyr. privil. tom. 3. in addit. ad constit. Pyrrhi cap. 1. qu. 12. sub num. 29. in fin.* & moveor, tum quia lex generalis, generaliter debet intelligi: nisi habeat terminum restrictivum, tum etiam, quia si Sacra Congreg. aliter voluisset, se declarasset, prout in multis Constit. se declaravit, quas voluit non obligare extra finem Italiæ, & insularum adjacentium, ut patet de Decreto Sac. Congreg. jussu Clem. VIII. edito super absolutione à censuris, seu à casibus reservatis, quod habetur in libello attitulato *Bullæ, & Decreta recentiora, fol. 188.* & de Constit. Greg. XV. incip. *Romani Pontificis*, lata contra hæreticos commorantes in Italia, & similibus.

Quæst. 66. *An Regulares recipientes plura stipendia pro una Missa, excusentur à pœnis decret. ex quo degunt in aliqua Ecclesia magnæ devotionis, & concursus populorum offerentium Missarum eleemosynas?*

1. NEgativè *Lez. ver. Missa num. 16.* tum quia dict. Decreta Sac. Congr. generaliter loquuntur: tum quia eadem est ratio in isto, & aliis casibus, nec obstat dicere, quod si id non fiat, diminuitur Ecclesiæ cultus, devotio, ac fidelium concursus; quia hoc parum urget, respectu gravis injuriæ, quæ fit illis, qui stipendia offerunt, ad militandum pro se.

2. Benè tamen verum est, inquit ipse, quod si tacitus consensus fidelium, talia stipendia tribuentium, sit, ut illis Missis satisfaciant dicti Sacerdotes, eo modo, quo potuerint; tunc poterunt plura stipendia recipere, pro una Missa, cum ex Regula Juris, *scienti, & volenti nulla fiat injuria*, & subdit *ex Navarro*, *& aliis*, quod hujusmodi consensus tacitus raro contingere solet; nam personæ prudentes talia stipendia dantes, existimant prædictos Sacerdotes, si per se ipsos omnes Missas celebrare non possunt, per alios Sacerdotes satisfacere: simplices autem & vulgares, de ipsorum Sacerdotum obligationibus, non cogitant, vel eas ignorant, vel eorum numerum non advertunt, & ita raro, ut dixi, talis consensus tacitus reperietur.

3. Sed adverte, quòd controvertitur inter Doctores, an ubi non intervenit expressus consensus, sed tantum tacitus, sufficiat ad excusandum Sacerdotem, si pro dante eleemosynam, non offerat integrum sacrificium; sed tantum oret in memento, aut applicet valorem specialissimum, aut recitet collectam, &c. in qua controversia, distinguendi sunt duo casus, primus est de Parocho, an eo die, quo est obligatus applicare sacrificium pro ovibus, &c. & in hujusmodi casu de Parocho, videntur authores convenire pro sententia affirmativa, quod scil. possit accipere stipendium, stante tacito consensu donantis, quia *taciti, & expressi eadem est virtus*, licet dissentiant, an non solum à fidelibus suæ Parochiæ; sed etiam ab aliis alterius Pareciæ, qui etiam possunt ejusdem obligationem scire, de quo casu latè *Suar. 3. p. S. Thom. tom. 3. disput. 76. sect. 3. ver. & juxta hanc conclusionem, ad finem*; ubi etiam existimat, dictum tacitum consensum habere locum etiam ad extraneos.

4. Secundus casus est de aliis Ecclesiis, in quo, etsi aliqui

aliqui velint, etiam sufficere propter eandem rationem, quia scilicet *tacit. & expressi, eadem est virtus*: nihilominus in utroque casu contrarium dicendum est, non solùm, quia dictus tacitus consensus difficillimè in practica dari potest, ut dicit *Lez. cit. loc. post Navar. consil. 11. de celebrat. Missar. & Megalan consil.* 54. in propriis terminis terminantibus; verum etiam, quia hodie, nedum ex dict. Decretis *in respons. ad dub.* 11. *&* 14. verum etiam, ex alia ejusdem Sac. Congr. declaratione, lata sub die 13. Julii 1630. quam habes hic supra *quæst.* 49. consensus debet esse expressus, qui in consentiente claram scientiam exigit: sed ubi lex petit consensum expressum, tacitus non sufficit, quia ille censetur de forma, quæ per æquipollens adimpleri nequit. *Alphons. de Leone 3. p. de offic. Capell. q. 8. sect. 11. num. 76.*

5. Hinc caveant hujusmodi Sacerdotes fateri, hæc Missarum stipendia esse vota S. Imagini gratis promissa; ac proinde sine obligatione missandi gratis dari, ut cætera vota muris appensa, quia fallax est hæc ipsorum metaphysica, nam stipendia sunt pro celebratione Missarum; unde si ipsi ad celebrandum non sufficiunt, aut restituant, aut per alios Sacerdotes quantocius oneribus satisfaciant; quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, & Animæ suæ detrimentum patiatur?

Quæst. 67. An Regulares, qui degunt in aliqua Ecclesia magnæ devotionis, & concursus, possint eleemosynas, pro Missis celebrandis, accipere; si iisdem nonnisi post longum tempus satisfacere valeant: ne aliàs cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium minuatur?

1. Hujusmodi dubium fuit inter cætera Sacræ Congregationi propositum; & est 14. in ordine, ad quod respondit, *non posse: nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt*, ut etiam dixit *ad dub.* 11.

2. Verùm *Pelliz. tom. 2. manual. tract. 6. cap. 3. q. 23. nu. 52.* putat hunc consensum, in casu posito, posse præsumi, nam eò ipso, quod fideles volunt suas Missas in tali Ecclesia celebrari, ubi sciunt Sacerdotes ibi celebrantes, hujusmodi oneribus non satisfacere, nisi post longum tempus, videntur tacitè consentire, ut Missæ ab ipsis petitæ, nonnisi post tempus valde longum dicantur; *cum scienti, & consentienti nulla fiat injuria, & quilibet cedere possit juri suo.*

3. Hoc tamen ejus dictum mihi non placet; ex quo hodie tacitus consensus non sufficit ad excusandum Sacerdotes in casu posito, ut constat ex immediatè decisis, unde æstimo necessarium, ut ipsi Sacerdotes, recipientes eleemosynas prædictas ad missandum, non per ambages, & circumloquationes, sed clarè, & expressè offerentibus dicant, se non posse datis Missis satisfacere, nisi post valde longum tempus, ne mentes offerentium fallantur contra voluntatem Sac. Cong.

Quæst. 68. An Sacerdos Regularis, obligatus dicere Missas ex stipendio, peccet mortaliter, & teneatur restituere, si notabiliter differat satisfacere?

1. Affirmativè *Naldus in sum. ver. Missa, num. 17. Bonac. de Sacram. disput. 4. q. ult. p. 7. §. 5. nu. 2. & Diana multis cit. 2. p. tract. 14. de celebrat. Missar. resol. 25.* nisi dans eleemosynam, sciens, & volens, consentiat in talem dilationem; ducunturque ex eo, quod supradicta Missarum dilatio, potest vergere in damnum eorum, quibus sacrificium applicandum sit, cum fieri possit, ut elapsum sit tempus ad obtinendum quod intendebatur ab eo, qui dedit stipendium, aut certè tardiùs illud consequatur, ut si quis v. g. petat Missam ad impetrandam sanitatem infirmi, aut in satisfactionem Animarum Purgatorii, quæ gravissimas patiuntur pœnas, quandiu differtur oblatio sacrificii; tum etiam ex eo, quod in re gravi violat legem promissam, quo verò ad restitutionem, non video, quo jure hoc dicatur, quod nota contra *Bonacin. cit. loc.*

Quæst. 69. Quænam dilatio intelligatur per breve, sivè modicum tempus?

1. Tempus breve vel longum, sub incerta lege vagatur, nam breve tempus interdum dicitur illud spatium, quod mediat intra tres dies, ex *l. final. §. illico, l. de Jud.* aliquando, quod mediat intra decem dies, *ex l. quod dicimus, ff. de solut.* interdum, quod intercedit infra mensem unum, ut docet *Alex. in l. divortium num. 10. ff. solut. matrim.* & aliquando, quod intercedit intra duos menses, ex *l. aufertur, §. 1. ff. de jur. fisci.* Tempus decem annorum de jure, & secundum omnes, dicitur tempus antiquum, ut colligitur *ex toto titulo, C. de longi temporis præscriptione*, ergo tempus, citrà decennium, dicetur tempus breve, *Naldus in sum. ver. tempus num. 17.* tempus antiquum, in teste, est sexaginta annorum, *Rota Roman. decis. 360. nu. 8. in noviss. coram Coccino.* Modicum tempus in emptione, & venditione, est decennium, multis citatis, *D. Hector. Capyc. Latro. 1. p. consult. 63. num. 37.* modicum tempus, in materia censurarum, est spatium unius horæ; *Emin. Cajet. in summula, ver. excom. cap. 61.* sed alii dicunt, esse spatium trium dierum, *Graff. lib. 3. decis. cap. 5.* ad comparendum est spatium trium dierum, *D. Racciol. lib. 8. de jur. person. cap. 2. nu. 31. & Egomet tom. 1. p. 2. tract. 6. de Apostat. q. 4.* in materia locationum rerum Eccles. tempus breve, est spatium trium annorum, ut liquet in Extravag. *Ambitiosæ.*

2. Tempus igitur dicetur breve, vel longum, juxta naturam, & qualitatem materiæ subjectæ, ut advertit *Glos. cap. præterea, de ætat. & qualit. Ordin. in ver. breve tempus*, ubi ait, quod tempus breve dicitur diversimodè, ad quod allegat citata jura.

3. Quid ergo dicendum sit in materia missandi, ad finem satisfaciendi oneribus impositis, dissentiunt Doctores, nam *Ledesma in summ. tom. 1. cap. 18. conclus. 17. Villalobos in summ. 1. p. tract. 8. dub. 18. n. 2. Diana 2. p. tract. 14. de celebrat. Missar. resol. 25.* tenent longum tempus, ad quod Sacerdotes differentes satisfacere Missis, peccant mortaliter, esse quinquaginta, aut sexaginta dies, attamen præcit. Authores non faciunt mentionem de dict. Decretis Sacr. Congreg. Verum *Eminentiss. Lugo 3. p. de Euchar. disp. 19. sect. 2. nu. 34.* qui dict. Decreta refert, cum prædictis ait, quod per modicum tempus, illud intelligitur, quo quinquaginta, vel sexaginta Missæ dici possent; quam doctrinam Cardin. examinat *Pelliz. tom. 1. manual. tract. 5. cap. 9. sect. 3. sub q. 12. nu. 72. P. Carolus Thesaur. 2. p. prax. de pæn. Eccles. ver. Missarum onera, cap. 1. sub nu. 3. §. si quæras*, primò dicit, quod hoc relinquitur arbitrio prudentis diffiniendum, ad quod allegat, *l. si ita quis 135. §. sciacavit, de verb. obligat. Menoch. de arbitr. casu 33. nu. 2.* & mox subdit, quod ipse æstimat modicum tempus, esse spatium octo, vel decem dierum, & non ultra; *Lez. ver. Missa num. 39.* dicit, quod hoc relinquitur prudentis arbitrio diffiniendum, pensatis circumstantiis loci, temporis Missarum dicendarum, & Sacerdotum, qui illas dicere debent; ut idem *Thesaurus 1. dixit cit. loc.* unde subinfert, quod si Missa sit dicenda pro aliqua necessitate, quæ moram non admittat, v. g. pro præsenti infirmitate, tribulatione, expeditione alicujus litis, vel negotii instantis, tunc nullo modo differri potest, *Bonac. tom. 3. de suspens. omnibus in particulari, disput. 3. quæst. 8. p. 7. num. 5.* multis citatis probabilius censet tempus modicum relin-

relinqui arbitrio viri prudentis, cùm non diffiniatur in jure, ad quod allegat, *l.ab hostibus, §.fin.* ego autem dico, quod hujusmodi breve tempus, potest esse spatium trium mensium; ex causa rationabili tamen; ut in simili declaravit *Trid.in cap.12.sess.24.de refor.ad finem,* de absentia dignitatum à propria Ecclesia, ibi, *Ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis, quolibet anno abesse: salvis tamen earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt;* ergo abesse à servitio Altaris per tres menses, est breve tempus, secundum Tridentinum; longum verò ultra illos.

4. Neque his obstat declaratio Sac. Congreg. relata per *D. Barbosam in collect. Bull.ver.capsa, in fine,* ubi loquens de hoc brevi tempore ad satisfaciendum Missis, dicit, *Puta unius mensis,* tum quia non est authentica; tum quia ly, *puta unius mensis,* ponitur exempli gratia, & non per modum decisionis, ut patet legenti: Verum *Diana p.9.tract.6.miscell.resol.55.* dicit esse unius mensis. § *his tamen non obstantibus.*

Quæst.70. An Sacerdos, qui ignoranter, seu ex bona fide, vel cum aliqua opinione sibi probabili, unica Missa, satisfacit obligationi plurium missarum, ubi devenit in malam fidem, hoc est, sciverit dict. opinionem, non posse ampliùs practicari, teneatur reficere Missas, & stipendia restituere?

1. NEgat *Bordon.1.p.resolut.25.de celebrat.Missar.q.13. n.22.* tum quia obligatio restituendi oritur ex formali læsione Justitiæ, ut omnes docent; sed hic nulla est hujus generis læsio, ergo ad nihil tenetur. Minor suadetur, quia sic celebrans bona fide, vel ex opinione probabili, intendit satisfacere, & prudenter credit, cum agat ex opinione; ergo quantum est ex parte sua, non peccavit, & consequenter ad nihil tenetur, quia obligatio restitutionis supponit culpam saltem venialem: imò quidam requirunt mortalem, cum *Sanchez lib.2.sum.cap.29.n.160.* quarum utraque, cum absit, dicendum est, non adesse obligationem restituendi, tum quia ubi non est culpa, ut in casu nostro, cum egerit ex bona fide, & opinione probabili, quæ excusat à mortali; *Navar. consf.4.de usur.n.4. per cap. Capellanus de feriis;* neque adest pœna, qua cogatur ad restitutionem; tum etiam, quia ad hoc, ut quis teneatur ad restitutionem, necesse est, ut adsit formalis violatio Justitiæ, id est, ut sciat se lædere tertium, *Megal.1.2. lib.2.cap.31.num.31.* ergo cum hic ignoraverit hujusmodi læsionem, ad restitutionem non tenetur.

2. Verum hæc opinio mihi non placet, nec potest placere; tum quia de directo adversatur dictis Decretis Sacr. Congreg. in §.2.*ad finem, ibi, ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant; quinimmò graviter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Hæc ibi, quæ etsi videantur loqui de eo, qui, unica Missa, pluribus oneribus satisfacit mala fide, loquuntur tamen indefinitè: tum etiam, quia etsi ignorantia invincibilis, etiam Juris, non solùm excuset in foro conscientiæ à culpa, sed etiam à restitutione, *Sanch.lib.1. sum.cap.16.num.41. Reginald.lib.11.suæ prax. fori pœnitentialis, num.32. & Bonac.disp.2.in decal.qu.8.p.3. num.15.in fin.* quod procedit, etiamsi talis ignorantia sit circa ea, quæ ad proprium munus, & officium pertineat: adhuc tamen in casu nostro, non supponitur talis, nec dicitur, quod fuit invincibilis, nempè quod cum præcesserit cogitatio de re opinabili, & adhibita fuerit omnis diligentia ad inquirendam veritatem, non fuit inventa, *Sanchez cit.loc.cap.16.num.21.& 27.& Bonac.dicto punct. 3. nu.18.* undè ignorantia vincibilis non excusat; aliter dicendum foret, quod fornicans bona fide, putans scilicet fornicationem non esse peccatum, non peccaret, quod est falsissimum; tum etiam, quia esto, quod Sacerdos in isto casu non teneatur restituere ratione injustæ acceptionis; tenetur tamen ratione rei acceptæ, prout teneretur, qui bona fide recipit rem, quam putat suam, aut æstimat acquirere justo titulo; si postea deprehendat rem non fuisse suam, aut non fuisse acquisitam justo titulo, tenetur restituere; sic Sacerdos, de quo agitur, cognita veritate, debet, vel aliam Missam applicare, vel stipendium restituere: & hanc opinionem mordicus defendit *P. Raphael. Aversa de Sacram. Euchar.qu.11.sect.17.* cui favent *Alphons.de Leone 3.p.de off.Capell.q.8.sect.15.nu.103. Diana p.8. moral. tract.7.miscell.resol.75.& Pelliz.tom.2. manual.tract.6.cap.3.q.27.num.56.*

Quæst.71. An Sacerdos, qui stipendia accepit pro Missis celebrandis, possit illis, per alios satisfacere, retenta sibi parte dict. stipendii, sine peccato & onere restitutionis?

1. SEntentiam affirmativam, olim probabilem æstimarunt, *Sotus lib.9. de just.q.3.art.1. dub.2. Rod.1.p. sum.cap.252.de stipendio Missæ, conclus.12. Suar.in 3.p. D. Thom.to.3.disp.86.sect.3.§.ult. D.Ricc.3.p.prax.resol.363. de sacrif.Missæ,* & alii plures, de quibus *Bonac.de Sacram. disput.4.q.ult.p.8.num.18.& Diana 2.p.resol.10.* tum quia nulli facit injuriam: non enim facit injuriam Sacerdoti Missas celebranti, cum ei tantùm stipendii tradat, quantum postulat taxa communi consuetudine recepta: neque illi, qui sibi eleemosynam tradit pro Missis celebrandis: nam rependit quantum promisit, etsi per alium adimpleat; tum etiam, quia Sacerdos, qui pecuniam accepit, ut Missam per seipsum celebraret, factus est dominus pecuniæ, cum obligatione celebrandi Missas: non est enim simplex dispensator, & Missarum celebrandarum curator, ut supponitur: ergo potest partem illius pecuniæ sibi retinere, retinet enim, quod suum est, & nulli facit injuriam, ergo.

2. Veruntamen hodie non est ampliùs probabilis, sed improbabilis: nam reperitur expressè damnata in dict. Decretis *de celebrat.Miss.in §.4.ibi, Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.* Hæc ibi, quæ eadem Sacra Congregatio confirmavit in responsione ad nonum dubium: & ratio prohibitionis potuit esse, quia licet prædicta sententia, olim gravibus Doctoribus visa sit probabilis: cum fortè non sit intrinsecè mala, nec contra Justitiam, quia tamen habebat speciem mali, nempè turpis lucri, & erat quasi quædam negotiatio, ex qua multa poterant oriri scandala, cùm Missæ sacrificium, non sit materia negotiationis temporalis: nec Christi, & Ecclesiæ intentio est, ut dentur Missarum stipendia ad lucrum, sed tantùm ad necessariam ministrorum sustentationem, jure optimo fuit abolita: quamobrem, Sacerdos aliter faciens, peccat mortaliter, & tenetur restituere, ex quo violat legis præceptum in re gravi, parit scandala, & negotiatur in re prohibita.

3. Hinc demiror, *Bordon.1.p.resol.25.de celebrat, Missar.q.18.nu.28.* docere contrarium: ex quo pensat prædicta verba prohibitiva Sacr. Congregationis, non esse ita gravia, nec item Missarum stipendia, materiam gravem, ut obligent ad mortale: & hoc non intelligit solum in una, aut paucis Missis, sed absolutè, quod falsissimum est: tum quia prædicta verba Sacr. Congreg. toties geminata, ac ardenter replicata, censentur præcepta gravissima, quorum transgressio, dubio procul, mortifera

tifera est, etiamsi versemur in materia levi, ut patet de Adamo primo nostro Parente, qui ob surreptionem unius pomi, peccavit mortaliter, non ratione materiæ, quæ levis erat, at ratione præcepti superadditi, de illo non comedendo. Peccatum enim nihil aliud est, nisi legis transgressio, teste Apostolo ad *Romanos* 3. ibi, *Per legem cognitio peccati*: tum etiam, quia eadem Sacra Congregatio in *d.* §. 4. incipit suum Decretum per illam dictionem (*similiter*) quæ est repetitiva, *Surd.decis.*88. & inducit dispositionem similem præcedenti *Cardin. Seraph.Rota Roman.decis.*13.*num.*84.& ostendit similitudinem facti,& modi ad præcedentia, & denotat æqualitatem, *Menoch.cons.*124.*n.*60.& alii plures, quos allegat *D. Barbosa de dictionibus, dictio.* 316.

4. Sed Sacra Congregatio, in §.2. præcedenti, mandat, & præcipit sub obtestatione divini judicii, Undè transgressores obligat ad mortale, ac item ad restitutionem, &c. ad cujus Decreti observantiam fuerunt revocata privilegia Regularium in §.2.ibi, *Id verò, ut deinceps observetur exactius, &c.*& ad ejusdem Decreti custodiam, etiam fuit subjunctum Decretum §. 4. ac similiter Decretum de non dividendo stipendia Missarum, & similia, quæ sunt adjacentia, & annexa Decreto, §. 2. de tot Missis celebrandis, quot fuerint præscripta stipendia, sed de annexis & connexis idem est judicium, ergo *Bordono. cit. loc.* de directo loquitur contra præcitata Decreta Sacræ Congregat. tum item, quia plures portiunculæ successivè detractæ à tot Missis, faciunt unum satis, quod obligat ad restitutionē, ut aliàs dixi de furteolis successivè commissis, quæ ubi fecerint materiam gravem, ultrà peccatum furantis, sunt restituenda.

5. Nec ab his recedas, ob doctrinam P. Francisci Pellizarii, qui *tom.2.manual.tract.6.cap.3.num.*23. ait, quod si Religiosus electus in executorem testamenti, curaret minori stipendio celebrari alibi Missas præscriptas à testatore, quam si celebrarentur in loco ipso testatoris, ideoque minorem pecuniæ summam insumeret in celebratione dictarum Missarum, tuta conscientia, retinere posset residuum illud pecuniæ, quod item expendisset, si Missæ in loco testatoris celebratæ fuissent, & hoc titulo industriæ ab eodem adhibitæ in Missarum procuratione, ad quam industriam non tenebatur proportionaliter, ut dicunt Doctores communiter, eum, qui rem alienam vendit ex commissione illius, qui est Dominus ipsius rei, si sua sponte illam transferat in alium locum, ubi cariùs venditur, acquirere excessum pretii, tanquam fructum suæ industriæ specialis, ad quam non tenebatur, quia hujusmodi doctrina, pace authoris, aliàs docti, & pii, de directo adversatur Decreto Sacræ Congreg. de celebrat. Missarum, *in responsione ad nonum*, ibi, *debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse*, & quamvis idem Pellizz. ibidem dicat, prædictum Decretum Sacr. Congreg. loqui de Sacerdote suscipiente Missam à se celebrandam, non autem de Sacerdote, qui tanquam executor testamenti, curat, ut Missæ præscriptæ in testamento, ab aliis celebrentur, adhuc tamen vim Decreti non tollit, cum utrobique eadem sit ratio, utputa turpe lucrum, & negotiatio scandalosa circa stipendium Missarum; unde meritò hæc Pelizarii opinio, fuit inter alias dicti sui manualis damnata à Sacra Congregatione indicis, teste *Diana p.*10.*moral.tract.*16. *& 6.miscell.resol.* 68.*ver.sed prorsus.*

6. Ad quod facit *Eminent. de Lugo de Sacram. lib.* 5. *cap.*12.*q.*5.*num.*5.ubi notat illos, qui petunt Missas, teneri communiter ex Justitia dare justum stipendium, nisi Sacerdotes spontè contenti sint minori. Verùm etsi reperiant Sacerdotem, qui minus acceptare velit, tenentur adhuc justum & integrum salarium dare, qui ex testamento, vel ex alia commissione gravantur curare certum Missarum numerum, intelligendo juxta morem & praxim loci, quia defunctus, & quivis alius, qui committit Missas, percipiet majorem fructum ex quantitate simul eleemosynæ, quod dictum etiam amplectitur *Fagundez.*1.*p.lib.*3.*cap.*10.*n.*10. *Aversa de Sacram. Euchar.q.* 11.*sect.*7.§.*tenentur*, *& Diana cit. loc.* ubi etiam corrigit, quod priùs dixit de illo Sacerdote, qui recepit stipendium pingue pro missis à se dicendis, & reperit alium Sacerdotem, qui velit spontè Missas illas dicere minori; quia multa dicuntur spontanea & libera, quæ non sunt, ideoque circa hanc spontaneam voluntatem, est cautè procedendum, nè detur locus fraudi, & nè mens Sacræ Congregationis defraudetur, *Gavant.*3.*p. thes. tit.*12.*de obligat.Sacerd.circa Missam, n.*15. ubi ad hæc plura refert.

*Quæst.*72. *Prælati Regulares, non facientes legi Decreta prædicta, in quas pœnas dant, & à quo declarandi?*

1. QUod Prælati locales, cujuscunque Monasterii, teneantur sub pœna privationis officii, vocis activæ & passivæ, ipso facto incurrenda, curare & efficere, ut dict. Decreta in perpetuum, sexto quoque mense, id est fer.2.post primam Dominicam Adventus, & fer.6.post octavam Corporis Christi, in publica mensa perlegantur, certum est ex §.9. *eorumdem Decretorum*, & liquet ibi, *nè ullo unquam tempore, &c.*

2. Hæ autem pœnæ, cum non sint censuræ, ante Judicis declarationem, non debentur, secundum probabiliorem opinionem; hæc autem Judicis declaratoria pertinet ad superiores prædictorum; tum quia hoc delictum non spectat ad S. Officium; tum etiam, quia de hac declaratoria in dict. Constit. Urb. VIII. nihil dicitur, & casus omissus in aliqua Constit. particulari, remanet in dispositione juris communis: de jure autem communi, Regulares subditi, in casibus non exceptuatis, puniendi sunt à suis Superioribus: tum denique, quia Prælati Regulares, respectu suorum subditorum, sunt Episcopi æquipollenter, ad quos spectat executionem Apostolicarum Constitutionum procurare.

3. Sed pone, quod superior loci eo die determinato, non faciat legi supradicta Decreta, ex negligentia, vel inconsideratione, aut ignorantia; datnè in pœnas?

4. Negativè *Peyr.p.*3. *privil.cap.*12.*ad Constit.Urban. VIII.n.*4. *Bordon.decis.*188.*& Pelliz. tom.*2.*manual.tract.* 6.*cap.*3.*n.*22. dummodo tamen legantur die sequenti, vel deinceps: tum quia tempus præfixum ad legendum Decreta, non est terminus ad finiendam obligationem, sed nè dilatetur executio; quamobrem, transacto assignato termino, non cessat obligatio, *l.celsus.ff.de recept.arbitr.& cap.cum dilecti*, §.*præterea de dolo, & contum.* tum etiam, quia Prælatus localis, in casu posito, non peccat mortaliter ex doctrina *D.Thom.*1.2. *quæst.*76.*art.*3.*&* 4. quod quippè mortale peccatum regulariter prærequiritur ad incurrendum graves pœnas, sicut sunt prædictæ privationes vocum, & officiorum; tum item, quia quod Decreta legenda hodie, legantur die crastina, est parva materia, quæ excusat à pœnis; tum denique, quia potest excusari à lectione prædicta, ex quo in Refectorio adessent sæculares, aut quod abesset major pars Religiosorum.

5. Dixi *dummodo legantur die sequenti, vel deinceps*; tum quia ex declaratione Sac. Congreg. facta 21. Martii 1638. ad instantiam Procuratoris Generalis Eremitarum S. Aug. lectio prædictorum Decretorum fieri potest die sequenti, sivè infrà terminum decem dierum, immediatè sequentium: immò etiam infrà terminum unius Mensis immediatè sequentis, prout eadem Sac. Congreg. die 16. Aprilis 1638. ad petitionem Canonicorum

rum Regularium Lateranensium S. Aug. declaravit, quæ cùm sit favorabilis, & accessoria ad dictum Decretum, extenditur ad omnes Regulares, prout attestantur *Bordon. & Pelliz. cit. loc.* qui per extensum referunt formalia verba Sacræ Congregationis & addunt, quod mensis à Sacra Congregatione præfixus debet esse dierum triginta unius, computandorum à die lectionis debitæ; exclusivè tamen, cùm dies termini non computetur in termino, de qua re videndus est *Gavantus 3. p. sui Thes. tit. 12. de obligat. Sacer. circa Missam n.* 4. ubi dicit, quod pœnam prædictorum Decretorum nonnulli jam subiere apud eandem Sac. Congreg. Concilii Trid. ab eorum subditis accusati; sed non dicit, quod punitio prædicta spectet ad Sac. Congreg. privativè quoad alios.

Quæst. 73. *Si dicta Decreta legantur summariè, an fiat satis obligationi imposita?*

1. Affirmat *Bordon. dec.* 64. tum quia ratio cur legantur in mensa, est, ut memoriæ retineantur & observentur; sed meliùs ediscuntur in compendium redacta, quàm prout jacent lecta; tum etiam, quia compendium est breve summarium continens totam substantiam, cujus est compendium; ergò legens compendium, dicitur legisse totam Bullam compendiatam; tum item, quia certissimum est, dicta decreta legentem usque ad §. *porrò, ne ullo unquam tempore, &c.* satisfecisse suo muneri, quia tenetur solùm legere Decreta de celebratione Missarum, quæ autem leguntur ab illo §. *infrà*: non sunt Decreta, sed clausulæ generales omnibus Bullis communes.

2. Verumtamen hujusmodi rationes mihi non arrident; tum quia Decreta Romanorum Pontificum, non possunt à ministris, pro libito omitti aut mutari; tum etiam, quia constitutio Apostolica nihil debet obscurum vel ambiguum continere, ut expressè dicitur *in cap. quoniam, 13. de constit.* quod vix, aut nunquàm evitatur in compendiis legum, secundum illud Horatii, *dum brevis esse laboro, obscurus fio, &c.* tum item, quia videtur loqui contra intentionem Sacræ Congregationis expressam *in §. 11. ibi, & ne præmissarum ignorantia à quoquàm prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio ut præsentes ordinationes in valvis, &c.* & meritò hoc fieri jussit; quia leges & decreta debent publicari & notificari, ut jacent per extensum, non autem per summarium, seu per Compendium ipsarum; secùs non intelliguntur perfectè publicatæ.

Quæst. 74. *An Regulares subditi, casu, quo delinquant contra dicta Decreta, subjiciantur pœnis Decretorum?*

1. Respondit affirmativè Sacra Congregatio *in responsione ad dubium decimum quintum*, cùm prohibitio horum decretorum, non sit directa solis Capitulis, Collegiis, Societatibus, Congregationibus, &c. sed etiam privatis Sacerdotibus, qui comprehenduntur sub illa clausula generali, ibi, *& aliis, ad quos pertinet.*

Quæst. 75. *An Prælatus Monasterii teneatur ad restitutionem, si ejus prædecessor non curavit celebrari Missas, ad quas Monasterium tenebatur ex legato vel stipendio?*

1. Et dico quod sic: supplendo tamen vel Missas omissas, aut restituendo stipendium acceptum; tum quia sicut Prælatus monasterii tenetur solvere debita legitimè contracta à suo prædecessore, ita & onera Missarum non satisfacta: hæc enim acceptata & non soluta; debita sunt & magis urgent, quàm cætera debita temporalia, tum etiam, quia qui sentit commodum, debet sentire & incommodum; at monasterium, ut supponitur, habuit stipendia Missarum ad sui utilitatem; ergò debet similiter sentire & incommodum, nempè onus Missarū, & Prælati negligentes, aut differentes satisfacere, sunt in malo statu, ipsi viderint.

Quæst. 76. *Missarum celebratio, per Regulares adhibita in satisfactionem onerum, quomodo probetur?*

1. Peritissimus Juris Consultus *Guido Papa decis.* 514. dicit esse standum, ipsorum juramento, quia juramentum stat loco cautionis, quando legatum est sub modo, *l. si quis pro redempt. C. de Donat.* ubi idem dicunt. *Cyn. Barthol. & alii plures*: hanc verò Papæ opinionem *Gaspar. Ant. Thesaurus, qu. for. 86. lib.* 1. dicit procedere in re parva, secùs in re gravi; tum quia si staretur ipsorum testimonio, essent testes in causa propria, contra Regulam Juris, *l. nulli, C. de testibus,* tum etiam, quia ita in Senatu Pedemontano fuit indicatum: tum item, quia ita videtur fateri idem Papa, *cit. loc.* & hanc opinionem veriorem censet *D. Marcus Ant. Genuens. Neapol. in suis practicab. q.* 227. ubi subjungit, quod celebratio Missarum debet saltem probari per librum Sacristæ officialis deputati ad scribendum Missas, quæ quotidiè celebrantur in satisfactionem onerum: ubi autem non sit liber Missarum, quæ celebrantur pro oneribus injunctis à Defunctis, satis erit probare, quod Ecclesia habet onus celebrandi tot Missas in die, annotatas in tabula Missarum, affixa in sacristia, vel alibi, & quod in ea pariter tot, & plures etiam Missæ à Religiosis celebrantur, pro satisfactione obligationis, & in Altaribus deputatis: & hoc sufficit quoad Religiosos.

2. Verumtamen celebratio Missarum celebrandarum per Presbyteros sæculares, qui in suis Domibus morantur, debet probari saltem per librum Sacristæ, in quo Missæ in die celebratæ, & à quo, & pro quo, omni diligentiâ annotantur: unde Illustrissimi locorum Ordinarii, in visitationibus Ecclesiarum suæ Diœcesis, ordinariè mandant confici librum Missarum a Sacristis, & ex consuetudine illi fides adhibetur, juxta tradita per *Felin. in cap. ad audientiam, de præscriptionibus*; dummodò tamen Missæ celebrentur in Altaribus deputatis à defunctis & fundatoribus, ut benè advertit *Genuens. cit. loc.* à quo mutuavit *D. Ricc. 3. p. prax. resol.* 365.

Quæst. 77. *An Episcopus possit visitare Regulares ad videndum, an satisfecerint obligationibus Missarum?*

1. Negativè dic: quia non sunt de ejus foro, per ea multa, quæ dico *tom. 1. p. 2. tr. 13. de exempt. q.* 8. & multoties Sacra Congregatio declaravit, cujus declarationes referunt *Armend. lib. 7. de Episcopis, n. 79. ver. item, & administratores, & D. Aug. Barbos. 3. p. de off. & potestate Episcopi, allegat. 82. n. 32. in fin.*

2. Nec his nocet *Manriquez 1. p. quæstionum Vicarialium, q.* 63. ubi negat, Regulares mendicantes esse exemptos à jurisdictione Episcoporum, quandocunque tractatur de adimplenda testatoris voluntate, tàm in Missis dicendis, quàm in distribuendis legatis: tum quia per Diametrum adversatur relatis declarationibus Sacræ Congregationis, tum etiam, quia Decretum *cap. 9. Concil. Trid. sess. 22. de refor.* loquitur de executoribus piarum voluntatum, ut sunt Hæredes, non autem de legatariis hæreditatis, uti sunt Religiosi in casu posito, & esto, quod fuerint hæredes vel administratores, adhuc non comprehenduntur sub dicto decreto Trid. prout sæpe eadem Sacra

Sacra Congregatio declaravit, & referunt *Armedar. lib. 7. de Episcopis, lib. 7. nu. 78. ver. administratores, & D. Barbos. in cit. allegat.* quod iterum replicat *in collect. ad d. cap. Trid.* ibi, *Abbates, Praepositi, & Abbatissa Regularem vitam ducentes non tenentur Episcopo loci reddere rationem*; & sequitur *Cespedes in tractatu de exempt. Regul. quoad celebrationem Missarum, dub. 95. n. 2.* ad quod item facit communis usus.

Quaest. 78. *An Commissarii R. Fabricae D. Petri, possint visitare Regulares Mendicantes ad videndum, an satisfecerint obligationibus & oneribus Missarum?*

1. Respondeo affirmativè, dummodo tamen ad id expresè habeant diploma à S. Papa; tum quia Regulares Mendicantes subsunt immediatè D. Papae, privativè quoad alios; tum etiam, quia non comprehenduntur in poenalibus, nisi in specie dicantur, ut liquet ex decisis, *tom. 1. p. 2. tr. 13. de exempt. q. 8.* quippè qui RR. Commissarii, etiam in his partibus ritè instituti ad videndum, an Regulares Mendicantes satisfecerint oneribus Missarum, tenentur ex debito Justitiae in hac futura ratione, seu visitatione & computu dictae R. Fabricae, suique supremi, ac justissimi Tribunalis instructiones, ac decreta ad unguem observare; ne indultâ authoritate abutantur, ne pro liberatione animarum purgantium, quam dicunt procurare, propriam animam in infernum conjiciant, pluribus agendum non est; at appello decreta praefati sapientissimi Tribunalis, per me ipsum sollicitata, & ad mei instantiam, tunc Provincialis, typis data ad eximendum meam Provinciam à tot tantisque vexationibus, per quosdam Commissarios indebitè illatis, parcat illis Deus, & sunt tenoris sequentis.

Ordini dell' Illustriss. Signori Deputati dalla R. Fabrica di S. Pietro di Roma, diretti alli Commissarii di essa presenti, & futuri, à favore della Religione di S. Domenico.

2. *Questo Tribunale della Fabrica di S. Pietro di Roma ordina di nuovo à tutti, & singuli Commissarii sustituti, & sustituendi da esso Tribunale, che in conformità delli ordini già dati, non s'intromettano, e nessuno di essi s'intrometta à visitare in generale l'obligo delle Messe perpetue, ò temporali, à i quali fussero obligati li RR. Padri della Religione di S. Domenico, seù de Predicatori, quali si asseriscono Mendicanti nel Memoriale dato all'Illustrissimi Signori Deputati di detta Fabrica in Roma inserto nella retroscritta lettera, & ordine venendo quello scruto dall'infrascritto Secretario sotto la data della presente, però in esecutione del retroscritto Ordine di detti Signori Illustrissimi, e così del presente, si prohibisce à ciascheduno di loro la sudetta visita di Messe non celebrate, ordinandosi, che per quelle non si debbiano molestare detti RR. Padri, sotto pena di 50. scudi, contenta nella loro sicurtà data e dà darsi, mentre contravenissero à quanto se li ordina per la presente.*

3. *E perche l'originale non si può à tutti notificare, s'ordina similmente, che s'habbia da dar' fede alle copie authentiche roborate col sigillo di detta Religione come se fusse l'istesso originale, & s'alcune d'essi tenesse atti, ò scritture concernenti à visita generale di detti Monasterii, inviandone relationi, si manderà à detti Illustrissimi Signori, acciò si prenda quella resolutione, che meglio commanderanno.*

3. *Verum, rispetto delli legati particolari, che fussero detti Padri obligati di sodisfare per li pesi impostoli da Testatori, ò altri per l'heredità, benche possedano con peso di maritaggio ò altre opere pie, se ne doveranno inviare le cause à questo Tribunale; acciò intese le parti se li possa far giustitia, come s'osserva, & s'è osservato per il passato: mà se fussero lasciati con peso tantùm di Messe, giachè si presuppongono celebrate per esser questo l'officio, & obligo loro, non occorre fare altra diligenza, & in conformità doverà ciascheduno osservare, remanendo singulis vicibus la presente ò copia authentica alli presentanti, retenta copia, se la vorranno, senza pagamento, è N. S. Dio guardi le loro persone. in Napoli li 13. Maggio 1604.*

Melchior Raviglion. Secret.

5. *Illustrissimi & Reverendissimi Signori.*

Il Procuratore Generale dell'Ordine de Predicatori, humilmente espone alle Signorie loro Illustrissime, come più volte le Signorie loro hanno ordinato per lettere alli ministri della R. Fabrica del Regno di Napoli, che non molestassero li Padri dell'Ordine sudetto quali sono Mendicanti: nondimeno, perche le sudette lettere restano in mano delli sudetti ministri, spesso sono molestati li poveri Frati dà questi Commissarii, che vanno attorno, non havendo cosa alcuna in mano dà poter mostrare, pe levarseli d'avanti, sono sforzati darli alcuna somma di dinari che pigliano contro conscienza, però il detto Procuratore supplica li faccino gratia di un ordine quale resti in mano loro, acciò non sia levata à torto la robba de Conventi.

Io Melchiore Reviglione Secretario hò visto, e revisto il presente memoriale, & provisto juxtà ordinē 13. Maii 1604.

6. *Molto Eccellenti Signori come fratelli, Mandamo il congionto Memoriale delli Frati dell'Ordine de' Predicatori, & havendo Nos scruto alte volte, che non fossero molestati detti Padri, ne loro Monasterii, per le Messe non celebrate, ci par strano, che ogni hora per l'osservanza di nostri ordini, sia bisogno replicar l'istesso, però sia più diligente nell'avvenire, acciò non habbiamo causa di dolerci di lei, e la gratia del Signore stia con lei. dà Roma 1. di Maggio 1640. al piacer di V. S. molto eccellente.*

Deputati. (M. Lante, D. Arcuc.

7. *Fateor ego Notarius Marcus Antonius Servideus Terrae S. Agathae, incola Terrae Altimontis, publicus Notarius supradictam copiam continentem nonnulla Capitula circa supplicationes & provisiones directas Commissariis R. Fabricae, esse exemplatas, licet aliena manu, à suis Originalibus propriis, mihi ad collationem faciendam consignatis, & deindè collatione factà restitutis, & concordant, &c. Salva, &c. In fidem, &c. nec non copias praedictas esse roboratas, sigillo solito & consueto Provinciae. Ideo in fidem rogatus scripsi & signavi manu propriâ, &c. N. Marcus Antonius Servideus manu propria. Locus signi, extracta est praesens copia à suo proprio originali processu piae dispositionis q. Lelii Cortesii Altimontis sistentis in Tribunali R. Fabricae, tamen facta collatione concordat, meliori semper salvâ, in fidem, &c.*

Joannes Trabachus Act. Mag. imprimatur Alexander Lucianus Vic. Gener. Neap. Alexander Ruffus Canonicus dep. vidit Neap. ex Typographia Secundini Roncalioli 1640.

8. *In nomine Domini Amen, praesenti publico Instrumento cunctis ubique pateat vehementer, & notum sit, quod Anno ab ejusdem D. nostri Nativitate 1640. indit. 8. die verò 17. Febr. Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Urbani Divinâ Providentiâ Papae octavi, Anno 17. pro Ven. Religione S. Dominici contra quoscunque mi, &c. Ad R. P. F. Franciscus Galasinus dictae Ven. Religionis Procurator Generalis, ex facto produxit inhibitionem in pergameno obtentam in Tribunali Ven. Fabricae S. Petri subscriptam ab Ill. & Adm. Exc. D. Virgilio Vespignano Judice illius peracta Claudii Roncii ejus Notarii, tenoris sequentis videlicet Collegium Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalium Sacrae Congregat. Fabricae Basilicae Principis Apostol. de Urbe Praefectorum. Universis & singulis DD. quorumcunque Civitatum, Castrorum, Terrarum, & aliorum S. R. E. mediatè & immediatè subiectis, & subjectis Ordinariis, Gubernatoribus, Potestatibus, Vicariis, Commissariis tam Ordinariis, quàm extraordinariis,*

etiam

etiam nostris cujuscunque authoritatis. Baricellis quoque, & executoribus, subexecutoribus, Notariis, Mandatariis, & aliis juratis Nunciis per Civitatem & Diœcesim Cassanensem, & aliàs ubilibet constitutis, ac cui vel quibus præsentes ostensæ fuerint, vel aliàs quoquo modo præsentabuntur, Salutem in Domino, & nostris hujusmodi, imò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis fuisse sub infrascripta die, coram infrascripto nostro Generali Auditore, & dictæ Fabricæ Judice ordinario comparitum, pro parte Adm. R. P. M. F. Francisci Galass. Ven. Religionis S. Dominici Gen. Procuratores, & expositum, quod die 22. Aprilis 1626. seu, &c. causa & occasione quarumdam molestiarum, quæ tunc per aliquos ejusdem Fabricæ Commissarios inferebantur aliquibus Ven. Conventibus, & Fratribus dictæ Ven. Religionis per Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinales ejusdem Sacræ Congregationis, fuit ordinatum, prout infra, videlicet Illustriss. & Reverendiss. Domini Cardinales Fabricæ S. Petri de Urbe in Congregatione Generali habita die dicta, inter alia revocarunt omnia, per D. Andream Lilli Commissarium dictæ Fabricæ, prout in Memoriali in ea porrecto, gesta tanquàm injusta, & mandarunt scribi Revigliono, ut provideat, & Commissarii abstineant se à publicatione talium edictorum super revisione celebrationis Missarum, & aliis per dictum Commissarium in præmissis malè & nulliter gestis. & aliàs, prout continetur in eo, & consequènter non potuisse, nec posse per aliquos ejusdem Fabricæ Commissarios dictam Ven. Religionem, ejusque Conventus & Monasteria, ac fratres molestari, nec modo aliquo inquietari: nihilominus D. Commissarius ejusdem Fabricæ in Civitate Altimontis, sive alterius nominis nuncupatæ, Cassanensis Diœcesis residens, se in præmissis ingerere, & eandem Religionem ejusque Fratres, & præsertim Ven. Conventum, & Fratres S. Dominici Altimontis Cassanensis Diœcesis super dicta revisione computorum celebrationis Missarum, aliorumque Divinorum Officiorum molestare & inquietare, Cedulonesque contra eos affigique facere, sibique victum & habitationem subministrari facere, & alia gravamina inferre eisdem contra formam dictæ resolutionis, in grave damnum & præjudicium dictæ Religionis. Conventusque & Fratrum S. Dominici Altimontis, quorum indemnitati providendo eodem D. S. instante, & petente dicto D. Procuratore Gen præsentem inhibitionem de nihil contra dictum Conventum, & Fratres S. Dominici dicti loci Altimontis, desuper & infra dictum innovando, & aliter, ut infrà, concedendam fore & esse duxit & concessit, sicuti nos etiam concedimus & servari mandamus respectivè per præsentes: quo circa authoritate Apostolica nobis concessa, & qua fungimur in hac parte, vobis omnibus & singulis supradictis, & vestrum cuilibet, cæterisque nunc, & pro tempore in dicta Civitate & Diœces. Cassanens. pro ipsa Fabrica, residentibus Commissariis, & aliis in executione præsentium nominandorũ inhibemus & inhibendo expresse præcipimus & mandamus, ut visis & receptis præsentibus sub 100. duc. eidem Fabricæ applicandis, & pro illis mandati executivi, & in Juris subsidium excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, audeatis, seu præsumatis, aut aliquis vestrum audeat, seu præsumat dictum Ven. Conventum, & Fratres S. Dominici Altimontis, quoquomodo ad instantiam ipsius Fabricæ, illiusque Officialium, & aliorum ab ea facultatem nunc & pro tempore haben. in & super revisione computorum, celebrationis Missarum, aliorumque divinorum officiorum molestare, nec molestari facere: minusque contra eos Cedulones aliquos affigere, affigique facere, nec eosdem cogi, cogique facien. alicui Fabricæ prædictæ, nunc & pro tempore, præmissorum occasione, Commissario, nunc & pro tempore in dicta Civitate Cassanens. ejusque Diœc. residente, victum & habitationem præstare, seu præstari facien. minusque aliquid aliud contra eos innovare, &c. sub quovis prætextu, &c. quod si secùs, &c. absolutionem &c. & in fidem, &c. datum Romæ ex dicto Collegio hac die 10. Decembris 1639. Virgilius Vespignanus Judex; pro D. Claudio Ronerio Secretario, Victorius Justinianus sub Secretarius. loco † Sigilli, super quibus omnibus & singulis supradictis petitum fuit à me R. Cam. Apost. Notario infrascripto, ut præsens confiterem atque traderem instrumentum. Ego Bartholomæus Brunorus R. Cam. Apostol. Notarius de præmissis rogatus; præsens Instrumentum subscripsi, & publicavi requisitus. locus sigilli. Nos Octavianus Raggius Prothonotarius Apostolicus V. Sig. Sanctissimi D. N. PP. Referendarius: nec non causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, &c. fidem facimus, & testamur supradictum D. Bartholomæum Brunorum esse talem, qualem se facit, ejusque scripturis publicis, in judicio & extrà semper adhibitum fuisse, & de præsenti indubiam adhiberi fidem, &c. in quorum fidem, &c. datum Romæ ex ædibus nostris hac die 18. Februarii 1640. Adrianus Gallus Curiæ Caus. Cam. Apost. Not. &c. locus sigilli. Imprimatur Alexander Lucianus Vic. Gen. Neap. Alexander Rustus Canonicus Dep. vidit. Neapoli, ex Typographia Secundini Roncalioli 1640.

Quæst. 79. An Regulares satisfaciant applicando generaliter Missas iis, quibus illas debent?

1. AFfirmativè dic: tum quia indistinctè applicando, coràm Deo reverà exhibent suffragia iis, quibus debentur. Deus enim optimè novit, quibus suffragia Missarum debeantur; tum etiam, quia cùm hominis memoria sit valde labilis, non est possibile, hujusmodi celebrantes habere distinctam & singularem memoriam de tot præteritis defunctis, qui reliquerunt onera Missarum, *Navar. in sum. cap. 25. n. 111. ver. 7.* tum etiam, quia sic celebrantes se referunt ad superiores, vel ad instrumenta, seu Tabulam onerum Missarum in Sacristia affixam, vel alibi, in qua regulariter habentur nomina & cognomina benefactorum, pro quibus est celebrandum, & relatum est in referente cum qualitatibus suis: tum item, quia ita probat communis usus superiorum, qui in communi & in genere commendant subditorum Missis & orationibus, animas benefactorum existentes in Purgatorio.

2. Non desinam tamen dicere, quod si applicarent distinctè, meliùs facerent; applicatio enim specialis magis prodest, quàm generalis, etenim quæ in particulari dicuntur, cum majori affectu proferuntur, penes quem quantificatur fructus sacrificii, ut ex D. Thoma pluries dictum est.

Quæst. 80. An Sacerdos possit anticipatè celebrare pro iis, qui stipem primò oblaturi sunt?

1. OPinio affirmativa, ante tempora Clementis VIII. seu Pauli V. à nonnullis eruditis, pensabatur probabilis, ex quo licet hujusmodi opus sit præteritum, respectu nostri, in Dei tamen acceptatione & æternitate est præsens; unde respectu Dei acceptantis, est ita recens ac præsens, ac si eodem momento offerretur.

2. Verumtamen hodie censetur improbabilis: nam tanquam periculosa & scandalosa fuit jussu Clementis VIII. nec non per Decretum Pauli V. latum die 15. Novembris 1605. à Sacra Congreg. damnata & explosa, cujus Decretum per extensum referunt *D. August. Barbosa 2. p. de off. & potestate Episcopi, allegat. 24. n. 12. & D. Ricc. 3. p. prax. resol. 361. & Lez. ver. Missa n. 50.* & ratio decisionis potuit esse multiplex; tum quia prædicta opinio redolet nimiam lucri cupiditatem; tum quia par est, ut qui tradet eleemosynam, sciat Missam, quæ pro se offertur, ut meliùs se disponat ad recipiendum Sacrificii fructum, qui potest esse major, vel minor, juxtà majorem vel minorem illius dispositionem, prout ex multis ostendit noster *Nugnus 3. p. D. Thom. q. 83. ar. 1. § in 3. p.*

dub. 5. ver. respondetur; tùm quia homines retrahi possent ab eleemosynis in futurum tradendis pro celebratione Missarum, si Sacerdos offerenti eleemosynam responderet, applico tibi Missas, quas aliàs celebravi, quod foret ridiculum, & fideles sibi persuaderent Sacerdotem accipere stipendium, & non persolvere onus, pro quo stipendium accepit, ita multis citatis, *Petrus Arag. 2. 2. de just. q. 85. ar. 3. dub. de illis, qui dicunt Missas anticipatas, & Suar. tom. 3. de Sacram. disp. 79. sect. 9.* tùm item, quia fructus sacrificii Missæ, non debent remanere in suspenso, tanquàm idæa Platonis, seu illicò applicari personæ certæ & indigenti, juxta institutionem Christi & Ecclesiæ; *Faustus lib. 2 de sacrif. Missæ, q. 165.* ubi etiam refert supradictum Decretum Pauli V. *& Bonac. tom. 1. de Sacram. disp. 4. q. ult. p. 7. §. 5. num. 3.* tum tandem, quia non est in potestate Sacerdotis suspendere fructus sacrificii.

3. Nec his officit, quod de hac re nihil reperiatur in prædictis Decretis de celebratione Missarum, quia satis est, quod circà eam adsit Decretum Clementis VIII. quod etiam refert *Petrus Cenedus in quæst. Canon. q. 28. n. 6.* & meminit *P. Diana 2. p. tr. 14. de celebr. Miss. resol. 15. Gavant. in Manuali, ver. Missa n. 33.* & novissimè post Doctorum collectaneum, Eruditissimus *D. Angelus Maria Verricell. in suis Moral. tr. 1. q. 21. n. 4.*

Quæst. 81. An Episcopus possit procedere contra Regulares celebrantes Missas anticipatè, pro primo stipendium daturo?

1. Respondent negativè *Cespedes. in tr. de exempt. Regul. quoad celebrationem Missarum c. 5. dub. 96.* ob publicam & notoriam exemptionem illorum, à jurisdictione Episcopi loci, ut liquet ex decisis suprà, *tom. 1. de exempt.*

2. Nec nocet *Homobonus 3. p. de exam. tr. 15. cap. 9. §. secundæ quæst. resolutio.* ubi in propriis terminis dicit, quod Episcopus loci potuit excommunicare & suspendere à Confessionibus quendam Regularem, qui dictam opinionem sustinebat & seminabat; tum quia idem *Homobonus cit. loc. in fin.* mutat sententiam, dicitque non licere Episcopo ex defectu potestatis excommunicare Regulares exemptos; tum etiam, quia ex dicto Decreto Sacræ Congregationis, edito jussu Clementis VIII. colligitur oppositum: nam non Episcopis, sed Generalibus & Capitibus Ordinum fit facultas, & imponitur hoc onus, ut tollant à Regularibus subditis hunc abusum, & liquet ibi, *ut scilicet & ipsi (supple Generales Regularibus sibi subditis, talibus applicationibus, ejusdem pœnis propositis interdicant, &c.* tum etiam, quia in dictis Decretis Urbani VIII. de celebrat. Missarum fit facultas Illustrissimis Ordinariis locorum procedendi contra Regulares exemptos transgressores Decretorum, ut constat ex lectura ipsorum, ad quod faciunt ea, quæ adunat Doctissimus *P. Sanch. opusc. lib. 5. cap. 9. dub. 3.* ubi ex Felino, Navarro & aliis, magnam agnoscit differentiam inter Regulares exemptos, & pia loca exempta.

Quæst. 82. An Capellanus, qui tenetur singulis hebdomadis aliquas missas celebrare, satisfaciat, si anticipatè illas celebret?

1. Affirmativè D. *Ricc. 1. p. prax. dec. 400. in 1. edit. & resol. 338. in 2. edit. D. Barbos. allegat. 24. n. 14. Petrus Ledesma in sum. 1. p. de Sacram. Euchar. c. 18. concl. 17. Rod. in sum. 1. p. cap. 252. concl. 8. Bonac. to. 1. de Sacram. disput. 4. q. ult. p. 7. §. 5. n. 4. Faustus lib. 2. de sacrif. Miss. q. 165. Gavant. Manual. ver. Missa n. 34. & Lez. ver. Missa n. 52.* dummodò tamen aliud non fuerit expressum in fundatione Capellæ, & moventur ex multis; tum quia sic celebrans non fraudat eum, cui applicandum est sacrificium; cum is participet fructum sacrificii, qui in ipsum dirigitur & ordinatur; tum quia anticipata solutio, non præjudicat creditori: imò prodest; ergò anticipata suffragia citiùs prosunt defunctis, quam si dilatata fuissent in sequentem hebdomadam; tum item, quia sicut officium solitum dici de nocte, potest dici de se, ob aliqualem causam, ut docet *S. Thom. in quolib. 5. ar. 28.* ita Missa debita in hebdomada, potest rectè dici ante hebdomadam, ad quod facit *rationale divinorum, tit. de divinis offic. circa medium*, ibi, *Missæ defunctorum possunt præveniri, non autem postponi:* quibus accedit, quod ubi legatum factum, ut dividatur inter pauperes post mortem, potest dividi in vita, & sic tempus præveniri ex deductis per Doctores *in l. post mortem C. de fideicommissis*, & decisum refert *Regens de Franchis dec. 706.*

2. Dixi, *dummodò aliud non sit dictum in fundatione Capellæ*, quia in tali casu servanda est voluntas Testatoris: nam ipsa censetur Regina, & dominatur verbis, *l. in conditionibus, ff. de condit. & demonstrat. l. cum virum C. de fideicommissis*, & habetur expressè *in cap. tua nobis 17. de Testam.* unde Capellanus nihil potest agere contra voluntatem Testatoris, *ad textum cap. decernimus 32. 16. q. 7.* & additur, quod sicut Capellanus potest anticipare, ita pariter ex causa potest Missas debitas differre in sequentem hebdomadam vel mensem: dummodò ei non resistat voluntas defuncti, vel Synodus Diœcesana, *Pelliz. tom. 1. tr. 5. c. 9. sect. 4. sub quæst. 26. nu. 129 in fin.*

Quæst. 83. Si Sacerdos offerat missam pro ea Anima Purgatorii, quam Deus vult eo sacrificio liberari, an prosit alicui ex Animabus Purgatorii?

1. Sententia affirmativa est communis & indubitata; tum quia Deus optimè novit, quibus Missarum suffragia debeantur applicari, ut dictum est *q. 70.* tum etiam, quia abrenunciare propriæ libertati, & se committere Deo omnipotenti, ac omnia cognoscenti & moderanti, etiam minima, optimum consilium est: imò præceptum, ibi, *Sic enim orabis, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra*; ad quod faciunt orationes præparatoriæ ad missandum, quæ solent dici à Sacerdote ante Missam; in quibus Sacerdos totum negotium committit Deo, scienti omnem nostram obligationem; quod post allegatos docet *Navar. in sum. lat. cap. 25. n. 13. ver. 6. & 7.* ubi ponit modum breviter & expeditè orandi coràm Domino.

2. Verùm doctissimus *P. Angelus Maria*, Alumnus Theatinus benemeritus, in suis *moral. 1. p. tr. 1. q. 21.* dicit, quod hujusmodi Missa, nulli animarum existenti in purgatorio, in tali casu suffragatur; sed remanet in thesauro Ecclesiæ sicut cætera omnia non applicata, duciturque ex multis. Primò, quia Deus cum sit causa prima universalis; determinatur objectivè à causis secundis, tàm necessariis, quàm liberis, etiam quoad exercitium actus, teste *S. Thom. 3. contra Gentes, cap. 66. & 76.* Secundò, quia Deus dedit potestatem Sacerdoti applicandi sacrificium, ut patet ad *Hebræos 5.* ibi, *Debet Sacerdos quemadmodum pro populo, ita & pro seipso offerre sacrificium:* unde in forma suæ ordinationis dicitur; *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis*; ergò determinatio oblationis est penes Sacerdotem, ergò si ipse non determinat Animam, pro qua offerat, Deus nullam Animam Purgatorii determinabit. Tertiò, quia invalidè consecrat Sacerdos, si velit consecrare eam Hostiam ex tribus præsentibus, quam Deus determinat, par enim ratio est consecrandi & offerendi. Quartò, quia potestas consecrandi & offerendi data est homini, ut ea humano modo utatur; at Sacerdos in casu posito, non humano

mano modo utitur, sed supernaturali, ergò. Quintò, quia Sacra Congregatio jussu Clem. VIII. in Decreto de celebrat. Missarum. decrevit invalidè offerri sacrificium pro ea persona, quam Deus videt primò daturum eleemosynam, &c. ergò.

3. Quæ quippe rationes, licet sint subtiles & dignæ suo authore: mihi tamen non quadrant, salvâ pace tam pii ac doctissimi viri; non prima, quia licet *D. Thom. cit. loc. contra Gentiles* dicat, quod Deus limitatur objectivè in causis secundis; non venit tamen ita intelligendus, quasi quod causæ secundæ aliquid ergà divinam virtutem, ut in se est, operentur, quia hoc est falsissimum; sed intelligitur, quod mediantibus his causis secundis, ad effectum aliquem determinatur à se, seu sese determinat in illis, secundùm conditionem illarum; unde cum liberis liberè, & cum necessariis necessariò concurrit, secundùm conditionem susceptivi; etenim unumquodque quod recipitur, secundùm conditionem recipientis recipitur, ut latè dico *suprà q.23. in fine.*

4. Non secunda, quia non facit ad casum nostrum, imò eum confirmat; nam ibi Deus potestatem dedit Sacerdoti offerendi pro Populo in genere, & pro sein specie; ergò Sacerdos ex institutione divina, habet offerre pro vivis & defunctis in genere & in specie; ad quod facit institutum Ecclesiæ in Canone, ibi, *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio*; ergò Ecclesia in applicatione sacrificii, se remittit notitiæ & cognitioni Dei, qui non potest falli, nec fallere.

5. Nec est verum, quod Sacerdos activè limitat & determinat valorem sacrificii, quasi ipse habeat aliquam actionem, seu efficientiam circa divinam virtutem Christi, sed quia Christus patitur fructus sacrificii fidelibus imperturi, secundùm devotionem & affectum ipsius Sacerdotis, ut ibidem dictum est; ad quod facit, quod ipse Sacerdos celebrans nullam habet potestatem applicandi vel impediendi fructum generalem Missæ: fructus enim generalis, seu generalissimus, in principio Canonis ab Ecclesia reperitur applicatus; Sacerdos autem non potest mutare intentionem Ecclesiæ, quæ semper voluit & vult sacrificium Missæ pro vivis & defunctis in genere & in specie, & utroque modo his & illis suffragari, secundum quod bene visum fuerit divinæ majestati, quæ omnia moderatur, secundùm propositum voluntatis suæ.

6. Non tertia, quia nec item facit ad rem; tum quia judicium Ecclesiæ cadit super his tantùm, quæ foris sunt nota & manifesta; non enim judicat de occultis; ideoque non se intromittit quoad ea, quæ tantùm cadunt sub Dei occulto judicio: tum etiam, quia aliud est loqui de consecratione, quæ est de essentialibus, & requirit certam ac determinatam materiam, secundum institutum Ecclesiæ; & aliud de applicatione, quæ potest cadere suprà materiam genericam, ut patet de Missis dictis in die Defunctorum, quæ indifferenter applicantur Animabus omnium Defunctorum, plus & minus, prout melius Deo expedire videtur.

7. Non quarta, quia applicare suffragia Missæ in genere & in specie, eaque committere cognitioni divinæ, non excedit modum humanum: imò correspondet institutioni Ecclesiæ, ut dictum est, & liquet ibi. *Quorum tibi fides cognita est, & nota devotio*; nec ultima, quia in allegato Decreto edito tempore Clem. VIII. & publicato, tempore Pauli V. nihil dicitur de sacrificio Missæ; sed tantùm improperatur illa opinio, quæ ex adverso contendebat, Sacerdotes celebrantes sine eleemosyna, posse Missæ fructum generalem applicare his, qui primò post celebrationem essent celebrationem postulaturi, & eleemosynam præbituri, ut constat ex dicto Decreto, quod est tenoris sequentis.

8. *Superioribus diebus significatum fuit S. D. N. paucis ab hinc annis in Hispania, novam consuetudinem recentiorum aliquot Theologorum opinioni nixam sensim receptam, indies magis invaluisse, ut Sacerdotes Missam celebrantes, ejus valorem generalem applicent his, qui postea Missæ celebrationem postulaturi, ac pro ea eleemosynam præbituri sunt; tamen si antequàm Missæ sacrificium perageretur, neque à Sacerdote illud rogassent, neque ei hac de causa præstitissent eleemosynam; quam rem cum Sanctitas sua ad Sacram Congregat. Cardin. Concil. Trid. interpretum pro materiæ gravitate examinandam rejecisset, in ipsa Congregatione primùm de ea actum fuit dilgentissimè, ac deinde relatum ad Sanctitatem suam, qui ex ejusdem Congregat. sententia hujusmodi consuetudinem, tanquàm pluribus nominibus periculosam, fidelium scandalis & offensionibus obnoxiam, atque à vetusto Ecclesiæ more nimium abhorrentem explosit ac improbavit, atque amplitudini tuæ literas dari, quod fecimus, mandavit, ut omnibus illius Regni Archiepiscopis atque Episcopis, in quorum Diœcesibus hujusmodi applicatio in usum inducta fuerit per literas, aut alias scripto injungat, ut talem usum aboleant ac prohibeant, excommunicationis, atque aliis, quas opportunas & necessarias existimaverint pœnis, idemque præcipiat Generalibus & Capitibus Ordinum, quos in istis Regnis nunc noverit commorari, ut scilicet & ipsi Regularibus sibi subditis, talibus applicationibus eisdem pœnis propositis interdicant, quæ omnia pro sua pietate, & S. D. N. jussu obsequendi studio, amplitudinem tuam sedulo effecturum sperantes, omnipotentem Deum rogamus, ut eam quotidiè cœlestis suæ gratiæ donis velit auctiorem. Romæ die 15. Novembris 1605.* Hæc ibi.

9. Cujus Decreti rationes habes immediatè suprà; tum quia scilicet dicta opinio fovet damnabile lucrum; tum etiam, quia retrahit fideles à dandis eleemosynis pro celebratione Missarum: tum item, quia abhorret ab antiquo ritu Ecclesiæ: tum denique, quia supponit, licet falsò, fructum sacrificii remanere in suspenso, sub celebrantium potestate, in futurum applicandum, ut libet iis, qui primò stipem dederint, & similes, quæ non procedunt in casu posito; ergò nec dicta dispositio: etenim ubi non militat ratio legis, nec lex ipsa potest militare, *cap. cessante de Constitut.* quibus adde, quod si Sacerdos applicet suum sacrificium, referendo intentionem suam ad intentionem Prælati; vel alterius, illo monito & applicante, absque ullo dubio fructificat, quia in tali casu fructus sacrificii non suspenditur, sed manet mox applicatus, cui Prælatus applicavit, *Suar. tom. 3. de Sacram. disput. 79. sect. 9. § ex his colligo, Bonac tom. 1. de Sacram. disput. 4. q. ult. p. 7. §. 5. nu. 3. Faustus lib. 2. de sacrif. Missæ, q. 165. & Lez. ver. Missa. n. 52.*

Ergò à fortiori dicendum est, quod si Sacerdos applicet sacrificium, referendo intentionem suam ad intentionem Dei, suos fructus faciet, & non pigebit, cùm Deus sit inspector omnium rerum, eumque latere nihil possit.

Quæst. 84. An Sacerdos peccet mortaliter, si Missam celebret non recitatis Matutinis?

1. Partem negativam veriorem putat *D. Ricc. 3. p. prax. resolut. 362. & Barbosa alleg. 24. & ante eos Sot. lib. 10. de just. q. 5. ar. 4. conclus. 2. & in 4. sentent. distin. 13. q. 2. Corrad. in respons. casuum conscientiæ, q. 242. Lopez in instr. consc. p. 1. cap. 79. de Euchar. ver. denique Nugn. in 3. p. q. 83. ar. 2. Suar. 3. p. tom. 3. disp. 83. sect. 1. & tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 24. nu. 6. Petrus Ledesma in sum. p. 1. de Sacram. Euch. cap. 23. ver. 8. Naldus ver. Missa nu. 8. Miranda 1. p. manual. q. 40. ar. 12.* & alii plures, quos allegat *Faustus lib. 2. de sacrif. Miss. q. 296.* tum quia non videtur tanta connexio inter Missam, & Horas Canonicas, ut convertens hunc ordinem, fiat reus culpæ mortalis: & si fieri possit

possit venialis, defectu debitæ devotionis, quam fortè majorem haberet, prærecitando Matutinum, vel quia tardiùs, quàm par sit, recitet horas: tum etiam, quia hoc nullo jure cautum est, ut celebrans prætermissis horis, peccet mortaliter: ergò ubi lex non loquitur, nec nos loqui debemus: *l.1.C.de aleatoribus,& l. pretio, ff. de public.* tum item, quia non sunt multiplicanda præcepta sine necessitate, juxtà juris regul. *odia.*

2. Dixi *veriorem*, quia *S. Anton. 3.p.summ.tit.13.cap.6. §. 4. in fin. S. Raymund. in sua sum. lib.3. tit. de Sacram. iterand. in Gloss. ver. pro Defunctis. Armill. in summ. ver. Missa, Tab. eodem ver. nu.7. Bartol. de Angel. dial. 5. de Missa, §.240 Jacob. de Graff. decis. aur. lib. 3. cap. 40. nu. 6.* & alii infiniti, quos allegat *D. Barbos. cit. loc.* apprimè probabiliter dicunt, Sacerdotem in casu posito peccare mortaliter, ex quo violat rubricas in re gravi, & venit contra antiquissimum usum Ecclesiæ. Unde Sacerdotes timoratæ conscientiæ, sine magna causa non audent celebrare non solutis matutinis, ad quod facit, quod dicitur *Eccles. 21. Lascivus & imprudens non servat tempus.*

Quæst. 85. An Superior monasterii possit præcipere subditis, ut Missam applicent secundùm ejus intentionem, & hi teneantur obedire?

1. Affirmativè *Syl. ver. Missa, q.12. nu.12.* cui favet *Confectius in summ. Mater privil. Ordin. mendic. tit.19. de divinis officiis, & Missar. celebr. cap.13. in fin. §. advertendum, fol. mihi 379.* tum quia naturali jure, qui sentit commodum, tenetur sentire incommodum, & econtra, juxtà *Jur. regul. 55. qui sentit onus in 6.* at fratres subditi sentiunt commodum beneficiorum collatorum ad missandum; ergò tenentur missare in satisfactionem eorumdem; tum etiam, quia sicut Prælatus est dispensator commodorum, ita & operum debitorum: tum item, quia Religiosus ex obedientia in professione promissa, tenetur obedire Prælato usque ad mortem: tum item, quia præcipere, quæ spectant ad bonum regimen Monasterii, ceu sunt celebratio divinorum, & satisfactio onerum Missarum, spectant ad Prælatum ejusdem, ut constat ex decisis, *tract. de voto obedientiæ*; tum denique, quia subditi professi non habent velle & nolle diversum à Prælato, *cap. non dicatis, 22.q.1. cap. si Religiosus, de elect. in 6. & cap. final. de sepulturis.*

2. Quod dictum non solùm procedit de Superiore Regulari, respectu Religiosorum sibi subditorum, verum etiam de quocunque alio Superiore Ecclesiastico, habente subditos, ex quo omnes isti habent jurisdictionem spiritualem, quâ saluti animarum sibi commissarum possunt & tenentur providere, ut omnes docent; quamobrem Religiosus subditus, in casu posito, transgrediens præceptum sui Superioris, duplex peccatum committit, unum contra Justitiam, alterum verò contra obedientiam: imò tenetur ad restitutionem, dicens, aut dicere faciens alias Missas. *Rod. in Bulla composit. casu 11. nu.50. & 1.p.sum c. 252. de Missa concl.10. n. 10. Sot. lib.9. de just. q.3. ar.1. Suar. tom. 3. disput. 86. sess.3. & Ant. Cordub. lib.1. q.3. dub.1. not.5.*

3. Nec dices, quod facultas præcipiendi non extenditur ad actus internos alterius voluntatis; unde proverbium est, quod Ecclesia non judicat de internis; at applicatio respicit actum internum, ergò non potest esse materia præcepti: quia ut dictum est in *tract. de voto obedientiæ*, distinguendum est assumptum, aut actus interni, non sunt necessarii ad aliquod esse mortale externum, & sic non possunt esse materia præcepti; secùs si sint necessarii, seu quatenùs sunt rationes exteriorum actuum, seu quatenùs colleguntur & conjunguntur cum externis actibus, prout communiter asserunt Doctores, quos sequitur *Suar. lib. 4. de leg. cap. 13. n.6. Alfons. de Leone 3.p. de off. Capell. q.1. sect. 4. n. 19. Sanchez lib. 6. Decal. c.2.n. 6. ad fin. Miranda 1.p. Manual. q.26. ar.3. & Egomet cit. loc. de Obed.* ubi latè de hoc actu interno colligato & conjuncto cum operatione externa.

Quæst. 86. Sed quid dicendum, si subditus de facto applicavit suam Missam contra expressum præceptum sui Superioris, cuinam valet sacrificium, illi, cui applicavit Prælatus, vel cui applicavit subditus?

1. Notabilis est quæstio hæc & utilis scitu, circà quam extant duæ extremæ sententiæ; nam *Sylv. ver. Missa, num. 12. Tambur. de Jur. Abbat. tom. 2. disp. 5. q.8. Suar. tom.3. in 3. p. D. Thom. disp. 79. sect 9. §. alii. Laur. Peyr. tom.1. de subd. q. 1. §. unic. Henriquez, lib. 9. cap. 21. n. 6. Filiucc. tom.1. tr.8. cap. 4. nu. 95. Faustus de suffragiis lib.1. q.70. in novis, Fagundez tr.1. lib.1. cap. 10. n. 4. Villalobos in sum.1.p. tr.8. dub. 10. nu.2. Pelliz. 1. p. Manual. tr.5. cap.9. sect.1. q. 9. n.17.* & alii plures, dicunt Sacrificium valere, cui subditus applicavit, etiam contra positivam voluntatem sui Superioris, tum quia hæc applicatio est actus potestatis ordinis, & sic immediatè exercetur in persona Christi; ergò non pendet à voluntate Prælati, sed à libera voluntate celebrantis, ac proindè quantumcunque superior conetur hunc fructum alicui applicare, si tamen celebrans eum non applicet, ille nihil efficiet; tum etiam, quia Prælatus non est Dominus actus interni principaliter dependentis à voluntate subditi, applicantis fructum sui sacrificii.

2. Confirmatur, consecratio facta à subdito, *invito* Prælato, est valida, ut patet de baptizato à Parocho invito Episcopo, ergò ita à pari, valida erit applicatio facta à subdito, etiam invito Prælato; alias rationes non pigeat videre apud præcitatos authores; qui tamen communiter concludunt, subditum in casu posito committere duplex mortale peccatum, unum contra justitiam, alterum verò contra votum obedientiæ, ac item teneri ad restitutionem, nempe stipendii accepti, vel ad aliam Missam celebrandam juxtà voluntatem Prælati.

3. Oppositum tamen tenent *Scotus quolib. 20. Gabriel. lect. 26. in Canon. & Ledesma in 4.2. p. q. 16.*

4. Tu autem sub distinctione resolve, aut Prælatus præcepit subditis celebrare secundùm suam intentionem cum Decreto irritante, annullando scilicet & irritando voluntatem contravenientium, & sic prævalet applicatio superioris, secùs autem si præcipit sine dicto Decreto; quia multa Jure fieri prohibentur, quæ facta tenent, licet peccent contrarium facientes prout dicunt *Rod. 1. p. sum. c. 252. de Missa concl. 10. in medio, Ant. Cord. lib.2. q.3. notab. 5.* ubi pro se allegat *Gerson. super magnificat. 9. Alphab. c.9. D. Barbos. 2. p. de off. & potestate Episcop. allegat. 28. ad finem, Diana 2. p. tr.14. de celebrat. Miss. resol. 72.* ubi hanc opinionem censet probabiliorem, *Fraxinell. de obligat. Sacerd. ad celeb. sect. 7. §. 7. Gavant. 3. p. Thes. tit. 12. n.28. Bordon. 1. p. resolut. 25. de cel. Miss. q. 4. n. 10. Alfons. de Leon. 3. p. de off. Capell. q. 1. sect. 4. n. 40.* & alii multi, quos omitto ob brevitatem, quam affecto: ducunturque, tum quia Prælati sunt Domini operationum subditorum, quæ possunt officere obedientiæ, quæ illis promittitur in solemni voto; hæc autem intentio, quidquid alii dicant, est subjecta eorum voluntati, aliàs transgressores non peccarent mortaliter; nam ideo peccant, quia tenentur obedire & non obediunt, ergò; tum etiam, quia aliàs nulla esset potestas superioris circà celebrationem divinorum officiorum & Missarum, quod est contra præallegata Jura immediatè suprà: tum etiam, quia supe-

superior, in casu posito, prohibet subdito Missam celebrare cum alia intentione, excepta tamen sua, ergo præceptum cadit super actum exteriorem, & non interiorem, ut multis firmavi, tract. de voto Obedientiæ; tum item, quia superior potest irritare subditorum vota, non solùm facta, sed etiam facienda, ut liquet ex decisis; *tom.2. prax.p.4.tr.5.q.12.* & docet *Sanchez lib.4.sum.c.24. & 25.* ergo potest etiam irritare applicationem faciendam à subdito contra ejus præceptum; non enim est major ratio de uno, quam alio: nam ita præjudicat authoritati superioris applicatio Missæ facta contra superioris præceptum, sicut & votum emissum contra voluntatem ejusdem: immò magis applicatio, quam votum: nam id soli prælato præjudicat, ea vero etiam aliis, quibus satisfaciendum est ex obligationibus Missarum: tum etiam, quia Religiosus in sua professione absolutè abrenuntiat suo velle, & nolle, tam respectu votorum, quàm respectu cæterorum, quæ possent impedire commune bonum; tum item, quia sicut Prælatus ex justa causa potest suspendere subditum à tota celebratione Missæ; ita, & ab ista applicatione; idem enim argumentum currit de potestate Prælati ad totam celebrationem, & ad aliquam partiunculam ejusdem; ergo subditus per dictum prævium præceptum superioris, censetur suspensus ab hujusmodi parte; tum denique; quia secùs onera Monasteriorum subjacerent periculo, & dubitationi, an persolverentur: ad quod item facit communis usus Religiosorum, in quibus superiores in principio sui Regiminis, hoc sibi vendicant, applicando Missas subditorum secundum necessitatem Conventus, & elemosynas acceptas; ergo signum est, quod superiores possunt illas applicare, etiam invito subdito, qui ut dictum est, tenetur in omnibus obedire Prælato; tanquam Deo, cujus vices in his gerit.

5. Quod dictum extende ad alios ejus Prælati Ministros; adeò ut subditi Sacerdotes teneantur, etiam obedire Sacristæ Ecclesiæ, qui nomine Prælati, mandat Missas celebrari, quod enim per alios facimus, nos ipsi facimus, *Lessius lib.2.de Just. & jur.cap.41.dub.9.*

6. Nec nobis objicies, quod superiores Regulares non possunt impedire applicationem Missæ, sicut nec consecrationem ejusdem, cum Sacerdos, in tali actu, sit Minister Christi, & in ejus persona celebrat, & quod Sacramenta non subsint Dominio Ecclesiæ, quia non currit similitudo de consecratione, & applicatione, quia intentio Sacerdotis, in consecratione, est de essentia ipsius sacrificii, ideò non potest à Prælato impedire, aliàs non esset sacrificium; quod autem valor sacrificii Missæ applicetur huic, vel illi, non est de essentia sacrificii; quamobrem, si à Prælato impediatur, ne huic, vel illi applicetur, non ideò impeditur confectio sacrificii: sunt enim consecratio, & applicatio duo diversa, ut patet de Sacerdote consecrante, & minimè applicante, cujus sacrificium, licet perficiatur, meritum tamen ejus reponitur in Thesauro Ecclesiæ: unde non valet illatio, Prælatus non potest impedire intentionem consecrandi, ergo nec intentionem applicandi: fallit enim consequentia; quia, ut dictum est, sunt duo diversa, quorum unum potest stare sine alio, & à diversis non fit illatio.

7. Sunt tamen, qui dicunt, licet falsò, *Suar.cit.loc.* loqui de Sacerdote subdito Episcopo, non autem de Religioso subdito Regulari Prælato, est enim magna differentia inter hunc, & illum subditum, propter votum Religionis in professione promissum, quo Religiosus se privat velle, & nolle; secus autem Sacerdos sæcularis; quo fit, ut Prælatus Regularis sit Dominus applicationis Sacerdotis Regularis sui subditi, ut dictum est supra, secùs autem Episcopus.

8. Sed dices, quod etiam Sacerdotes Regulares accipiunt facultatem in ordinatione offerendi, eodem modo, quo Sacerdotes subditi Episcopo; ergo sicut Episcopus non potest irritare voluntatem Sacerdotis sæcularis, sic etiam nec & superior Regularis: verumtamen falleris in paritate, quia subditus Regularis cessit juri suo in professionis emissione, quod non fecit sæcularis, ut dictum est supra.

9. Dixi, *quod Prælatus Regularis potest applicationem sui subditi annullare, antequam Missam celebret, non autem postquam illam celebravit*, quia non est amplius in potestate illius, fructus Missæ impedire, vel suspendere, cum, nulla postposita mora, Missæ fructus conferantur, quibus debentur, per applicationem factam: nisi fortè hi ponerent obicem, quia in tali casu, reponuntur in Ecclesiæ Thesauro: unde superiores Regulares, prudenter agunt, si in principio officii, oneribus Missarum, subditorum applicent Missas, ut dictum est supra.

10. An autem dicta irritatio fieri possit per solum actum internum, non dicunt Doctores, & quamvis ita fieri possit, esset tamen valde periculosum; unde graviter peccaret Prælatus ita irritando, argumento eorum, quæ de revocatione Indulgentiarum dixit, *Alphons.de Leone in recoll.de Jubil.1.p.n.222.* & replicat *cit.loc.3.p.de off. Capell.nu.48.* quapropter debet subdito innotescere, ut abstineat ab hujusmodi applicatione, vel alio modo procuret oneribus acceptis satisfacere.

Quæst. 87. *Religiosi Monasterii, qui jussi celebrare Missas, ex stipendio debitas; si de facto illas non celebrent, an teneantur restituere ex bonis sibi concessis ad usum?*

1. Quod hi ex Justitia teneantur ad restitutionem, dictum est supra, cum obligatio earum reducatur ad contractum virtualem, initum inter benefactores, & Ordinem, seu Prælatos, ac fratres illius loci, cui beneficia sunt collata: ergo, eò ipso, quo dolosè omiserunt oneribus satisfacere, tenentur restituere pro rata, saltem ex bonis ad usum sibi concessis, ad quod item per ipsorum Prælatos possunt cogi & astringi: qui superiores, si hoc omiserint facere, tenentur & ipsi de sibi similiter concessis satisfacere, in pœnam eorum negligentiæ: si verò tam subditi, quam superiores sint impotentes, restitutio hujusmodi facienda est ex bonis Monasterii, sint tamen superiores memores illius Jur. Regulæ, *qui non potest in re seu in bonis, luat in corpore. Fagundez præcept. 1.Eccl.lib.3.c.10.nu.5. & Pelliz.tom.1.Manual.tract.5.cap. 9.sect.4.quæst.27.num.152.*

2. Dixi, *saltem ex bonis sibi ad usum concessis*, quia possunt Missas non dictas, per se, vel per alium tertium supplere, vel restituere stipendia accepta, seu restituere damnum illatum.

Quæst. 88. *Pecunia relicta Regularibus, pro missis perpetuò celebrandis, an possit implicari in Fabricam Ecclesiæ, vel non monasterii?*

1. Quod pecunia hujusmodi debeat implicari super bonis stabilibus fructiferis certum est *ex 6. 5 d. Decret.* & liquet ibi *ad effectum illa, seu illorum pretium, quam primum investiendi in immobilibus fructiferis, cum expressa & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur, &c.* quod item Fabrica Ecclesiæ, seu Monasterii, sit de genere stabilium, exploratissimi Juris est; tota igitur difficultas consistit in hoc, an dicta Fabrica, facta, seu restaurata tali pecunia, sit fructifera, secundum Decretum Sacr. Congreg: quæ vult hujusmodi pecuniam, investiri super bonis stabilibus fructiferis, ad hoc ut ex ipsorum fructibus, sustentari possint Sacerdotes in futurum celebraturi *Peyr. in suo formul.lit.A.cap.11.nu.2.post*

Martam in suis decis. voto 24. *num.* 2. affirmativè dicit ad quæsitum, dummodo hi Regulares non possint aliunde dictam Ecclesiam, vel Monasterium fabricare, & quod in illa imponant obligationem celebrandi Missam perpetuam, juxta mentem testatoris, quippè quæ obligatio debet posteris innotescere, monumento de tali onere posito in Ecclesia, vel Sacristia, ad omnium videntium memoriam.

2. Hanc opinionem Peyrini, egomet tenui, *tom.* 1. *prax. p.* 2. *tr.* 14. *de reb. Monast. non alien. q.* 14. ex quo dicta Ecclesia sic fabricata vel restaurata, nedum sit res commoda, verùm etiam utilis & fructifera Monasterio: tum quia in Ecclesia diruta non potest celebrari, nec cadavera defunctorum sepeliri, ergo nec ex ea possunt recipi emolumenta quæ ex Ecclesiis rectè administratis recipiuntur; tum etiam, quia prius est locus, quàm locatum; si ergo Missa debet celebrari in Ecclesia, ibique exequi divina & pia officia, si illa non adest, ergo nec ante dicta pia officia in ea peragi possunt, ad quotum omissionem pereunt eleemosynæ, seu redditus Monasterii: tum item, quia dicti Religiosi, si non haberent Conventum ad habitandum, possent ad hunc effectum domum conducere, & pro ea annuam pensionem solvere; ergo ad evitandum tale damnum, poterunt ex illa jam dicta onerosa pecunia, dictam Ecclesiam ædificare, quæ in casu posito, non solum fructificat virtualiter, verùm etiam formaliter, & in actu.

3. Hinc mihi non arrident *Bordon.* 1. *par. Consil. resol.* 25. *de Celeb. Miss. sub. q.* 24. *num.* 34. *Diana p.* 10. *tr.* 16. *&* 6. *Miscell. resol.* 72. *Tamb. in opusc. de Sacram. Miss. lib.* 3. *cap.* 1. §. 6. *num.* 9. *Lez.* 4. *p. sum. ver. Missa, sub n.* 37. *& Pelliz. to.* 2. *Manual. tr.* 6. *c.* 3. *q.* 24. *nu.* 53. quia falluntur in præsupposito: nam supponunt Ecclesiam de novo factam, seu restauratam, in casu posito, non fructificare actualiter, nec augere novos redditus; quod est falsum, ut constat ex supradictis, unde pecunia sic inversa, dicitur investita super bonis immobilibus fructiferis, stantibus tamen conditionibus adjectis, & non aliter.

4. Amplia, ut pecunia prædicta possit etiam erogari in omnem aliam fabricam cujusvis domus, fructiferæ tamen, & necessariæ, ob cujus carentiam, cogitur Monasterium aliam conducere, & consequenter aliquod damnum pati: quam ampliationem amplectuntur etiam præcitati Doctores, *ubi supra*, & *Lez.* extendit ad vineam, ex cujus locatione percipiuntur annui fructus; quod ego latiùs dico, *cit. loc. q.* 73.

5. Amplia, ut dict. pecunia nobis relicta testantium ordinatione, possit investiri in redemptionem, & extinctionem aliorum censuum Monasterii, propter eandem rationem, quia scil. per hujusmodi extinctionem, & affrancationem, crescunt fructus, & reditus Monasterii, per ea multa, quæ dico, *cit. loc. q.* 74.

6. Nec his nocet *Bordon. cit. loc. ad* 4. *Peyr.* dicens, quod extinctio census, non est implicatio, seu investitio pecuniæ, sed æris alieni solutio, quia fallitur toto Cœlo; nam annui census, in hoc Regno, imponuntur super bonis stabilibus fructiferis, tit. venditionis, ex parte vendentis, cum potestate affrancandi quandocunque; & titulo exemptionis, ex parte ementis, ergo, extinctio hujusmodi census, impositi super stabili fructifero Monasterii, nedum est quædam virtualis investitio talis pecuniæ, ut dicit *Lez. cit. loc.* sed etiam formalis implicatio secundùm mentem Sac. Congregat. nam sic faciens, non solùm extinguit debitum, verùm etiam emit, & comparat, quod vendidit monasterium, & consequenter auget fructus, & redditus Monasteri, ut latè dixi *cit. loc.*

Quæst. 89. ***Si Regulares, sine licentia sui Superioris, recipiant onus quotidie celebrandi, per centum Annos, & pecuniam sibi ad finem solutam, super stabilibus fructiferis, non investiant, an fiant Rei dict. Decretorum?***

1. Negativè *Bordonus* 1. *p. consil. qu.* 25. *de celeb. Miss. nu.* 36. cui favent plures, & præcipuè *Lez. ver. Missa, sub nu.* 27. *Pelliz. to.* 2. *Manual. tr.* 6. *c.* 3. *q.* 25. *nu.* 54. *& Diana p.* 10. *tr.* 16. *&* 6. *Miscell. resolut.* 72. §. *verum*, quia dicta Decreta loquuntur de recipientibus onera perpetua; Tempus autem centum Annorum, non dicitur perpetuum, sed ad tempus, *l. Juris peritos, ff. de excusat.* ergo, quod dictum ego intelligo verum, respectu præfat. Decretorum, maximè cum versemur in fructibus. Veruntamen non potest negari, quin possint puniri, ex quo, inscio Prælato, contraxerunt hujusmodi onus; cum careant velle, & nolle, nullumvè sit tempus, in quo non possint ab illo applicari ad aliquid peragendum, & ita dictarum Missarum celebratio foret incerta.

2. Quibus adde, quod distinguendum est, de titulo pecuniæ solutæ, an fuerit consignata pro capitali? an vero pro stipendiis Missarum? nam in primo casu, investienda est super bonis stabilibus fructiferis, cum clausula, ut ejus annuus census salvetur Monasterio, per tot Annos, pro stipendio oneris, & finito stabilito tempore, census una cum capitali, pertineat ad hæredes Testatoris.

3. In secundo autem casu, castigabiles sunt hujusmodi subditi, qui usurpant sibi eleemosynas, & sicuti jurium superiorum usurpatores, & fures eleemosynarum, possunt puniri, & moneta soluta debet reponi in tuto deposito, ad finem prædictum, ne deficiant futura stipendia Missarum, quibus deperditis, non dicerentur Missæ, vel debet, ut supra, investiri super aliquo stabili fructifero, nomine Monasterii, cui cedat res empta, & fructus ejus, ad finem prædictum.

4. Nec his nocet *Pelliz. tom.* 1. *Manual tract.* 5. *cap.* 9. *sect.* 1. *q.* 14. dicens, Regulares Sacerdotes posse licitè se obligare ad certum numerum Missarum absque licentia proprii Prælati: tum quia Regulares non sunt Domini operationum, quæ possunt communitati nocere: tum etiam, quia loquitur contra *capitulum Monacho* 22. 20. *q.* 4. ubi textus ita loquitur, *Monacho non licet votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, frangendum erit.*

Quæst. 90. ***An utilius sit, Missas in vita sibi celebrari facere, quam post mortem?***

1. Affirmat *Fraxinell. de obligat. Sac. prænot.* 4. §. 3. *in principio*, quia exinde majora beneficia sibi comparat; nam Missæ, pro aliquo dictæ post mortem, sunt solum satisfactoriæ pro pœnis, quas animæ patiuntur in Purgatorio: at in vita pro aliquo celebratæ, non solum sunt satisfactoriæ, sed etiam propitiatoriæ, meritoriæ, & impetratoriæ, & sic juvant in vita, & post mortem: immò tantæ devotionis esse possunt sacrificia in vita alicujus oblata, ut totam pœnam, quæ illi in Purgatorio debebitur, auferant, & deleant, ita ut ille moriens, Cœlum immediatè consequatur, ad quod facit illud dictum *S. Greg. lib.* 4. *Dial. c.* 58. *tutior est via, ut bonum, quod quisque post mortem suam sperat agi per alios, ipse dum vivit, per se agat; beatius quippe est liberum exire, quam post vincula, libertatem quærere, hæc ille Sanctus.*

Quæst. 91. *An quis, dum vivit, possit sibi celebrari facere Missas, vel officium defunctorum, illisque interesse, ac si esset defunctus?*

1. DOctissimus *P. Paulus Layman. Societ. Jesu, in sua Theologia morali lib.5. cap.2. de sacrif. Miss. num.* 15. respondet ad quæsitum negativè, vultque contrariam consuetudinem, non esse introducendam, introductamvè abolendam, & uti ferè superstitiosam, ab omni praxi & usu eliminandam: tum quia Ritibus & ordinationibus Ecclesiæ Romanæ conformis non est; tum etiam, quia non videt, quam utilitatem talis sacrificandi modus habere possit; nam ex sacrificio potissimum effectus provenire solet ex opere operato, & infallibilis, quatenus oblatio fit in Christi persona; & hic fructus statim provenit ei, pro quo offertur, & capax est: nec potest in futurum suspendi, ut omnes dicunt, & consequenter hujusmodi sacrificia, non liberabunt hominem à Purgatorio, si contingat cum post mortem Reum esse; sed solùm conferunt ad remissionem pœnæ temporalis consequendam, dum vivus est, cujusmodi fructus, etiam per alia sacrificia similiter consequi potest, ad quid ergo Ritum Ecclesiæ mutare? alter est fructus, qui per modum impetrationis provenit, quatenùs cum Sacrificio juncta sunt Ecclesiæ suffragia, sive preces: & hæ quidem secundum propriam suam institutionem, tum significationem, referuntur ad solos mortuos, ut non nisi impropriè, & impertitè, & fortè superstitiosè, vivis applicari possint, ad quod accedit, quod Sacerdos in his suffragiis, propria sua intentione, non potest mutare intentionem Ecclesiæ: intentio autem Ecclesiæ est, ut Missa, quæ dicitur de Requiem, & officium funebre, dicatur pro mortuis: nam ad talem finem collectæ, & preces factæ sunt, ergo inutiliter & infructuosè, ne dicam superstitiosè dicuntur pro vivis, quippè præter, aut contra intentionem Ecclesiæ: hanc opinionem lætanter sequitur *Diana par.5. tr.13. Miscell. resol.2. Pelliz. tom.1. Manual. tr.5 c.9. sect.3. sub q.9. num.66.* ubi dicit, quod ridiculum sit, aliquem viventem, esse jam mortuum, & pro eo, ut jam mortuo, campanas sonare, pro officio defunctorum, *Franciscus de Nigro, in addit. ad Ruiz. p.2. Regul.3. q.5.* qui etiam pro se allegat *Puteum de Sacram. Missæ lib.2. disp.4. q.1. num.2. & P. Trimarchum.*

2. Verùmtamen *Zerola 2.p. suæ prax. Episcop. ver. Missa* §.10. *Lucas Pinellus lib.2. de missa c.7. q.3. Laur. Peyr. 3.p. Privil. c.1. num.21. D. Aug. Barbosa in Collect. Doct. ad cap.2. Trid. sess.22. de effectu sacrificii missæ num.8. Homobonus de bonis, de exam. Eccl. tr.4. c.14. q.127. Faustus lib.2. de sacrif. missæ q.148. Joan. Corona 1. par. Var. lect. seu desilueris c.32. fol. mihi 85. Joann. Ant. Novar. 1. p. summ. Bull. tit. de miss. celebrat. num.7 in 2. sum. Lez. 4. p. sum. ver. missa num.54.* & alii plures, dicunt, hoc, quod quæritur, non solùm esse licitum, verùm etiam optimum Consilium: dummodò non dicantur Orationes, quæ demonstrant aliquem esse jam mortuum, ceu est illa Collecta, *inclina Domine, &c.* in qua habentur hæc verba, *quam de hoc sæculo migrare jussisti, &c.* & hocnè mendacium committatur.

3. Verùm hanc limitationem, non esse necessariam, putat *Faustus cit. loc.* quia etiam in Missis de Requiem, quæ dicuntur iis, qui jam sunt in Purgatorio, dicitur in officio Missæ; *Ne cadant in obscurum, ne absorbeat eas Tartarus, &c.* in qua oratione Ecclesia orat, ne Animæ Defunctorum, ad pœnas ignis detrudantur, cum tamen illæ sint in eodem igne: & tamen dum sic orat, nullum mendacium committit, quia, ne committatur sufficit, quod Ecclesia repræsentet illas Animas Christo, ac si tunc essent Agonizantes; & pro iis orat, ut à Purgatorii pœnis liberentur: sic etiam in casu, de quo est sermo, ut veritas salva persistat, sufficit si Sacerdos oret pro vivis, & repræsentet eos Christo Domino, ac si jam essent mortui; modus autem anticipatè loquendi, usitatissimus est in Ecclesia: & moventur ex multis.

4. Primò, quia hæredes, regulariter loquendo, solent esse pigri, & negligentes in his suffragiis faciendis; non sine detrimento Animarum suorum defunctorum. Secundò, quia valor Missæ, ex opere operato, idem est, sive Missa dicatur de vivis, sive de defunctis; & magis prodest vivis, quam defunctis, quia his est tantùm satisfactorius, illis verò est satisfactorius, meritorius, ac etiam impetratorius, ut sæpè dictum est. Tertiò, quia licet Collectæ Missarum de defunctis actiores, ac fructuosiores sint illis, quam vivis, ex quo specialia præferuntur generalibus, *cap. generi de regul. Juris in 6.* adhuc tamen, etiam vivis utiles ac fructuosæ sunt; cum comparativum non tollat positivum, ut in propriis terminis docet *Navarr. lib.3. de celeb. Miss. consil.6. nu.5.* ubi latè de mortuis. Quartò, quia pium est credere, sacrificium Missæ, & officium Defunctorum, ita à Christo Domino, suaque Ecclesia respectivè instituta esse, ut prodesse possint ei, cui applicantur, pro quacunque necessitate, & occasione, in qua futurus sit capax effectus illorum; ita ut interim non remaneat suspensus, ut pensat *Layman.* sed reservatus in acceptatione divina, ad modum, quo dicunt Theologi, merita mortificata per peccatum, manere in divina acceptatione retribuenda, dum homo capax illorum fuerit: unde hoc non est simpliciter loquendo, applicare pro vivis, sed applicare pro mortuis; nam applicantur vivis, pro tempore, quo fuerint mortui. Quintò, quia id, de quo agitur, censetur licitum, ut opus supererogationis, nempè, ad majorem devotionem, pietatem, humiliationem, dispositionem benè moriendi, ac satisfaciendi anticipatè pœnis luendi in Purgatorio; ergo hujusmodi opinio favet pietati, humiliari, & memoriæ mortis, ad evitandum peccata, juxta illud, *Memorare novissima tua, & non peccabis in æternum.* Sextò tandem, quia idipsum nos docent tot homines, scientia, pietate, ac devotione insignes, etenim S. Albertus Magnus Ordinis Prædicatorum, multò ante mortem, locum sui sepulchri, quotidiè visitabat, & officia ibidem pro se, ac si esset defunctus, persolvebat, ut constat ex *compendiosa Chronica Reverendiss. Generalium Ordinis Prædicatorum, in fine Const. de Magistro Umberto V. Generali Ordinis, fol. mihi* 47. & magis expressè ex historia suæ vitæ extensa in princ. suorum operum, in nuperrima edit.

5. Item Henricus Comes Ratenech, Episcopus Ratisponens. 33. per quatuordecim annos, ante obitum suum, Anniversarium pro se legi curavit; teste Wiguleo Hundio in Historia. Item Carolus V. Imperator Romanus Augustus, occasione exequiarum, quas Matri anniversarias persolverat, desiderabat, si liceret & suas celebrandi; re communicata cum Joanne Regula, de Dominicana familia, qui tunc temporis, ejus conscientiam moderabat, quamvis insolitum quidem illud, pium tamen, ac salutare dixisset, jussit quam primum sibi funus apparari, exequi, & peragi, more magnatum; & ipse suo funeri superstes, veluti defunctus, in defunctorum strato jacebat: quod funus eleganti proxa extendit, & narrat *P. Famianus Strada in 1. libro historiæ Flandriæ.* Item Dominus Petrus Veglius Japponensis, instructione, & ope S. Francisci Xaverii, qui meritò Indiarum Apostolus solet applicari; ubi omnia sua pauperibus erogavit, petiit Sacramenta sibi administrari, & defunctorum exequias fieri: quibus peractis, obdormivit in Domino, ut piè creditur, prout attestantur *P. Horatius Tursellinus in vita prædicti S. Francisci Xaver. lib.5. cap.3. & P. Joan. Lucenensis in vita ejusdem Sancti lib.10. cap.25.* item *P. Lucas Pinellus cit. loc.* fatetur, totam Lotharingiam esse in tali consuetudine; quam laudabilem ac fructuosam, ex pluribus ostendit,

ostendit, per quæ supradicta, non solùm tela Adversariorum retunduntur, verum etiam & opinio, quam sequimur, apprimè virtuosa declaratur.

Quæst. 92. Missa de Sancto, an ita prosit defunctis, ac si de mortuis diceretur?

1. SAnctus Thomas *in 4. sent. distin. 45. q. 2. ar. 3. q. 1. ad quintum*, dicit, quod sic, quoad sacrificium; quò autem ad orationes, magis prodest ea, quæ pro defunctis est ab Ecclesia assignata: huic tamen defectui satisfacit major devotio, vel effectio ejus, qui Missam de Sancto celebrat, vel facit celebrare, & liquet ibi, *Ad quintum dicendum, quod in officio Missæ, non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes: & ideo Missa sacrificium continet duo, quæ hic Aug. numerat. scilicet orationem, & sacrificium: ex parte igitur sacrificii oblati, Missa æqualiter prodest defuncto de quocunque dicatur, & hoc est præcipuum, quod fit in Missa, sed ex parte orationum, magis prodest illa, in qua sunt orationes, ad hoc determinatæ: sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus, qui dicit Missam, vel ejus qui facit dicere, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.* Hæc ille.

2. Hinc *Eminen. Hugo Cardinal.* consuevit dicere, quod ipse celebrando pro Domina nostra, sciebat celebrare pro Defunctis, teste *Tabiena ver. Missa nu. 52.* ad quod item allegat Hostiensem: Unde non est benè factum relinquere Missas ordinarias, quando debent dici pro Missis Defunctorum. *Armill. ver. Missa nu. 32.* quamobrem si testator leget Sacerdoti agrum cum onere celebrandi quotidie de Requiem; non ideò hujusmodi legatarius indiget Papæ dispensatione, ad satisfaciendum legato in diebus Dominicis, & Festis majoribus, in quibus non licet de Requiem celebrare; tum quia dicta verba intelligenda sunt moraliter, hoc est, ut quolibet die, non impedito celebret de Requiem: non enim potest præsumi, quod Testator voluerit derogare ordinationi, ac ritui Ecclesiæ; aliter rejiceretur, ut turpiter volens; tum etiam, quia omnes Missæ, ut dictum est, sunt ejusdem valoris, ex opere operato, quovis titulo dicantur; tum item, quia impeditus satisfacere in uno die, potest in subsequentem transferre, prout Sacr. Congr. declaravit, & refert *Lez. ver. Missa, nu. 46. D. Barbos. de off. & potest. Parochi c. 11. n. 26.*

3. Amplia, ut si Missa de Requiem, in subsequentem diem prorogata nequeat celebrari, possit absque peccato dimitti, nam magis standum est rubricis, & ordinationibus Ecclesiæ, quàm voluntati simplicis hominis *Lez. cit. loc. & 1. p. summ. cap. 21.* Verumtamen melius, & utilius erit, diebus impeditis, Missas currentes celebrare pro iis, quibus in specie satisfacere tenetur, *Syl. ver. Missa 1. q. 8. dict. 5. Sotus in 4. sent. distin. 13. q. 2. ar. 1. Navar. de celebr. Miss. lib. 3. cons. 6. Miranda 1. p. manual. q. 41. ar. 21. Gavant. 1. p. Thes. tit. 4. sub nu. 3. § non est duplex, & 3. p. tit. 12. nu. 10. § cæterum, tract. 2. Thesauri decis. 151. & Dian. 2. p. tract. 14. de celebr. miss. resol. 31.*

Quæst. 93. Fideles, si audiant Missam in Festis & Dominicis diebus apud Ecclesias Regularium, an satisfaciant præcepto Ecclesiastico?

1. REspondeo affirmativè: tum quia hujusmodi præceptum adimpletur ubicunque missa audiatur; etiam in domo privata. *Syl. ver. missa, 2. q. 5. cui favet D. Barbos. [illegible] & potest. Episcop. allegat. 24. num. 28.* tum etiam [illegible] communi [illegible], & universalis consuetudine [illegible] scita & tolerata à Parochis, & abrogat, [illegible] quum abrogat, si quod esset in contrarium, & novum privilegium concedit. *Tabiena [illegible] missa nu. 51.* tum item, quia ita Leo X. declaravit, sub [illegible] tenore.

2. *Leo Papa X. Universis, & singulis præsentes [illegible] inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem, [illegible] ximus quosdã in dubium revocare, & perinde timor [illegible] scientiis scrupulum injicere si Christi fideles, qui Dom[inicis] & Festis diebus, extra Ecclesias suas Parochiales miss[as au]diunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium, [Ec]clesiæ præcepto de missa audienda satisfaciant. Nos enim [am]biguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum [qu]ieriori conscientia fideles quique Deo Creatori suo serviant, [au]thoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus, [om]nes Christi fideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinum mendicantium, Dominicis, & Festis diebus missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamvè propterea incurrere, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, & quia difficile foret præsentes literas nostras originaliter ad loca omnia, (ubi opus foret) deferri, volumus, & decernimus, ut earum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, ea fides (ubi opus fuerit) detur, quæ originalibus ipsis daretur, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 13. Novemb. 1517. Pontificatus nostri, Anno quinto.*

3. Et est 12. inter Bullas ejusdem Papæ, apud Confectium, eamque similiter refert idem *Barbosa cit. loc. & in tractatu de off. & potestate Parochi, c. 11. num. 15.* tum etiam, quia hoc idem declaravit Clem. VIII. Brevi quodam directo ad Illustrissimum Nuncium Sedis Apos[tolicæ] inferioris Germaniæ, de Anno 1592. die 2. Septemb[ris] & habetur *in collect. privil. Rodr. pag. mihi 520. sub nu. 4.* [qui] similiter priùs declaravit Pius V. in Bulla sui motus [pro]prii, lata Mense Julio 1567. incip. *etsi Mendicantium, &* quæ, quoad hoc, non fuit revocata à Greg. XIII. cum non adversetur Trid.

4. Unde sæculares, non possunt cogi ab Episcopis per censuras Ecclesiasticas, ut audiant Missas in suis Parochiis, quia *Concil. Trid. sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione missæ*, non dicit, ut præcipiant, [sed] solum, ut moneant: quod verbum necessitatem non [im]portat, sed consilium, ut advertunt *Navar. in sum. c. [21. n.] 4. & Rodr. 1. p. sum. c. 123. de oblig. n. 6. cum suo Comp[endio] 25. de celeb. missarum nu. 4.*

5. Qui quidem Episcopi, si secus præciperent, [pecca]rent mortaliter, ob scandalum laicis, & monachis [da]tum, *Navar. cit. loc.* & præceptum factum non tene[ret], per allegata per *Syl. cit. loc. & Bartol. de Angelis, dial. 5. de missa § 789.* immò essent reprehendendi, prout quidam in facti contingentia, reprehensi sunt à Sac. Congr. Purpuratorum, teste *Emin. Bellar. in d. Decret. Concil. Trid. sess. 22. in ver. moneant*, ad quod item *D. Barbos. de off. & potestate Parochi cap. 11.* refert declarationem Sac. Congr. latam sub die 1 Junii 1606. & *Rortell. in dub. ver. missa, n. 1. & 2. in addit.*

6. Nec obstat *cap. ut Dominicis 2. de Parochis*, quia ibi solum, ad summum, dicitur, peccare mortaliter illos, qui proprio contempto Parocho, Parochiam deserunt, ut alibi Missam audiant, quia nos non negamus, hujusmodi, ratione contemptus, peccare mortaliter; at non proinde non satisfaciunt præcepto de audienda Missa in diebus festivis: immò exinde à contrario sensu deducitur satisfacere omnes huic præcepto, si eam alibi audiant, sive cum contemptu, sive sine contemptu Parochi, ut optimè docent *Cardin. Tolet. in instruct. Sacerd. lib. 6. c. 7. n. 1. Azor. 1. p. instit. moral. lib. 7. c. 6. q. 4.* ubi Juris communis Decreta appendit, & inde infert, jus commune solum vetare, ne quis, diebus festivis, extra Parochiam Sacrum audiat

audiat, contempto Parochio, idem dicit *Suar. tom. 3 de Sacr. disput. 88 sect. 2. §. sed in primis*, & *D. Barbos. de off. & potestate Parochi, cap. 11. nu. 19.* & 20. qui ibi ponderat rationem *d. cap. 2. de Paroch.* dicitque, ideo *in d. cap.* jubentur ejici à Parochiis alieni Parochiani; si ibi ante Missam inveniantur; quia si audirent, satisfacerent, etiam cum præsumptione contemptus Parochi: quod dictum mihi arridet; tum quia in præcit. decretis Juris communis, non habetur Decretum irritans contrarium factum, tum etiam, quia aliàs hujusmodi alienus Parochianus teneretur confiteri duplex peccatum commisisse, unum ratione contemptus ad Parochum, & aliud ratione non adimpleti præcepti, tum item, quia non potest præsumi contemptus in eo, qui servat communem consuetudinem.

7. Benè tamen verum est, Episcopum loci posse cogere Regulares, ut in offertorio Missarum, quæ Dominicis diebus in Monasteriis celebrantur, declarent fidelibus, quæ festivitates, & jejunia in illa Hebdomada occurrant, ne ignorantiâ prædictorum, præcepta Ecclesiastica à fidelibus violentur: & ipsi Regulares tenentur obedire, ob commune bonum animarum. *Rodr. tom. 1. q. 43. ar. 7. cum suo comp. cit. loc. Portell. in dub. ver. Episc. nu. 7.* & *D. Barbos. in d. allegat. 24. nu. 21.* & *ad d. cap. 8. Trid. sess. 22. de sacrif. missæ nu. 36.*

Quæst. 94. An Sacerdos Regularis, teneatur sub mortali celebrare in die Festo, ut populus Missam audiat, aliàs non auditurus, ob carentiam Sacerdotis sæcularis?

1. NEgativè *Pelliz. tom. 1. Manual. tr. 5. cap. 9. sect. 1. sub q. 5. nu. 9.* si tamen ipse satisfecit præcepto, audiendo missam alterius Sacerdotis, duciturque ex eo, quod Sacerdos in hoc casu, non potest dici obligatus ad hoc, nisi ex charitate, quæ non obligat sub mortali ad subveniendum necessitati spirituali proximi: nisi sit magna, & gravis; quæ in præsenti casu non procedit, cum populus in casu posito censeatur non habere copiam Sacerdotis ad celebrandum, & consequenter non tenetur ad auditionem missæ.

2. Verùm ego censeo, in casu posito, concurrere urgentem necessitatem, ad cavendum tot homines à peccato mortali: Ideoque Sacerdotem Regularem, etiamsi alterius Sacerdotis missam audierit, obligari sub mortali ad celebrandum, ut populus missam audiendo, satisfaciat præcepto, cum ex una parte urgeat spiritualis necessitas proximi, & ex alia, Sacerdos sine notabili suo incommodo possit subvenire, ut supponitur, ergo; mandavit enim Deus unicuique de proximo suo, & additur, quod Regulares censentur subrogati ad satisfaciendum necessitati proximi, in defectu Parochorum, ad quæ faciunt, quæ dicit *P. Diana 2. p. moral. tr. 14. de celeb. missarum, resolut. 63.* & *64.*

Quæst. 95. An Regulares, sub mortali teneantur celebrare ad consecrandam particulam, per modum Viatici, præbendam infirmo, aliàs morituro, absque communione Eucharistica?

1. ET dico, quod non: quia Regularis in hoc casu, non potest obligari ad celebrandum, nisi ex charitate, cum non sit Parochus, nec alio titulo ad hoc teneatur, ut supponitur, Charitas autem non obligat sub mortali, nisi in casu gravis necessitatis proximi, sive spiritualis, sive temporalis sit, qualis in casu posito non concurrit: cum Sacramentum Eucharistiæ, non sit adeò necessarium ad salutem, nec cadat sub præcepto, ut Sacramentum pœnitentiæ: unde Parochus, tempore Pestis, tenetur sub mortali administrare suis Ovibus Sacramentum Pœnitentiæ, etiam cum periculo vitæ suæ, non autem Sacramentum Eucharistiæ, cum non sit tantæ necessitatis, Teste *Diana 3. par. Moral. tr. 4. de Sacram. resolut. 174. ver. notandum est.*

Quæst. 96. An Regularis Sacerdos, sub mortali teneatur ad solvenda suffragia, quæ pro defunctis præscribi solent, ex statuto, sive Regula, aut mandato superioris

1. REspondeo non teneri: nisi aliter exprimatur in statuto, aut in Regula alicujus Religionis, vel superior ea indicens, sufficienter se declaraverit obligare ad mortale: quia prædicta, regulariter loquendo, non habent vim præcepti, sed tantum simplicis obedientiæ, seu ordinationis, & præcipuè in ordine Prædicatorum, ubi ultra essentialia, nullum præceptum est, nisi expressè dicatur, vel sub censura præcipiatur, quod item habet locum in multis aliis Religionibus, utpotè in Ordine Illustrissimæ, ac utilissimæ Societatis Jesu; Theatinorum, & Minimorum.

2. Non tamen potest negari, quin Religiosus, omittens ex negligentia adimplere, sit magna repræhensione dignus, ex eo, quod cum vivens, suffragia defunctis sui Ordinis non persolverit, post mortem, Deo permittente, in pœnam suæ negligentiæ suffragia defunctorum non expectet, secundum illud Dei dictum, *eadem mensura, qua mensi estis aliis, metietur vobis.* Dixi *omittens ex negligentia*, quia si omittat ex contemptu, peccaret utique mortaliter, ob quod solum potest in Infernum conjici, perpetuò puniendus; latè *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 8. cap. 2. nu. 5.*

Quæst. 97. An Regularis Sacerdos possit, unica Missa, pluribus, ut singulis, ex charitate satisfacere: sibi tamen impositis ex Regula, vel à superiore, ut immediatè supra?

1. REspondeo affirmativè: si sit impeditus, pro singulis, singulas missas celebrare: inhærendo tamen illi sententiæ probabilissimæ, de infinito valore sacrificii Missæ extensivè, de quo latè dictum est supra, quæ quippè sententia, nullatenùs fuit in dict. Decretis de celebrat. missar. reprobata, ut patet ex lectura eorumdem, quia Sacr. Congreg. in illis prohibet, pro una missa, plura stipendia accipere; non autem in illa, pro pluribus Deum orare: immò supponit illam, dum in dict. Decretis supponit, Sacrificium missæ, ex institutione Ecclesiæ pluribus applicari, utpotè, Papæ Imperatori, Regi, Principi, Episcopo, necnon in specie his, & illis, & in genere circumstantibus omnibus, ac vetat ex his accipere plura stipendia pro eadem missa, ad evitandum damnabile lucrum, ut in §. ergo ubi cessat lucrum, non censetur prohibitum, ita applicare, *cessante enim legis fine, cessat legis dispositio, cap. cessante de constit.*

2. Ampliat hoc dictum *P. Lez. 4. par. summ. ver. Missa num. 22.* ut celebrans ex stipendio Missam, possit illamet, ex charitate pluribus, uti singulis satisfacere, utputa amicis, consanguineis, fratribus defunctis, benefactoribus, & similibus, eodem fundamento fultus, quod scilicet valor Missæ sit infinitus extensivè, & quod hujusmodi opinio sit probabilissima, & in dict. Decretis minimè reprobata, & quod dicta Decreta prohibent, pro una & eadem Missa, plura stipendia accipere, & non pro pluribus ex charitate applicare, gratis & sine stipendio. Verum hanc Lezanæ ampliationem, quidam non admittunt, quorum opinionem probabilem existimat, *Diana*

ostendit, per quæ supradicta, non solùm tela Adversariorum retunduntur, verum etiam & opinio, quam sequimur, apprimè virtuosa declaratur.

Quæst. 92. Missa de Sancto, an ita prosit defunctis, ac si de mortuis diceretur?

1. *Sanctus Thomas in 4. sent. distin. 45. q. 2. ar. 3. q. 1. ad quintum*, dicit, quod sic, quoad sacrificium; quò autem ad orationes, magis prodest ea, quæ pro defunctis est ab Ecclesia assignata: huic tamen defectui satisfacit major devotio, vel effectio ejus, qui Missam de Sancto celebrat, vel facit celebrare, & liquet ibi, *Ad quintum dicendum, quod in officio Missæ, non solum est sacrificium, sed etiam sunt ibi orationes: & ideò Missæ sacrificium continet duo, quæ hic Aug. numerat scilicet orationem, & sacrificium: ex parte igitur sacrificii oblati, Missa æqualiter prodest defuncto de quocunque dicatur, & hoc est præcipuum, quod sit in Missa; sed ex parte orationum, magis prodest illa, in qua sunt orationes, ad hoc determinatæ: sed tamen iste defectus recompensari potest per majorem devotionem, vel ejus, qui dicit Missam, vel ejus, qui facit dicere, vel iterum per intercessionem Sancti, cujus suffragium in Missa imploratur.* Hæc ille.

2. Hinc *Eminen. Hugo Cardinal.* consuevit dicere, quod ipse celebrando pro Domina nostra, sciebat celebrare pro Defunctis, teste *Tabiena ver. Missa nu. 52.* ad quod item allegat Hostiensem: Unde non est benè factum relinquere Missas ordinarias, quando debent dici pro Missis Defunctorum. *Armill. ver. Missa nu. 32.* quamobrem si testator leget Sacerdoti agrum cum onere celebrandi quotidie de Requiem; non ideò hujusmodi legatarius indiget Papæ dispensatione, ad satisfaciendum legato in diebus Dominicis, & Festis majoribus, in quibus non licet de Requiem celebrare; tum quia dicta verba intelligenda sunt moraliter, hoc est, ut quolibet die, non impedito celebret de Requiem: non enim potest præsumi, quod Testator voluerit derogare ordinationi, ac ritui Ecclesiæ; aliter rejiceretur, ut turpiter volens; tum etiam, quia omnes Missæ, ut dictum est, sunt ejusdem valoris, ex opere operato, quovis titulo dicantur; tum item, quia impeditus satisfacere in uno die, potest in subsequentem transferre, prout Sacr. Congr. declaravit, & refert *Lez. ver. Missa, nu. 46. D. Barbos. de off. & potest. Parochi c. 11. n. 26.*

3. Amplia, ut si Missa de Requiem, in subsequentem diem prorogata nequeat celebrari, possit absque peccato dimitti, nam magis standum est rubricis, & ordinationibus Ecclesiæ, quàm voluntati simplicis hominis *Lez. cit. loc. & 1. p. summ. cap. 21.* Verumtamen melius, & utilius erit, diebus impeditis, Missas currentes celebrare pro iis, quibus in specie satisfacere tenetur, *Syl. ver. Missa 1. q. 8. dict. 5. Sotus in 4. sent. distin. 13. q. 2. ar. 1. Navar. de celebr. Miss. lib. 3. cons. 6. Miranda 1. p. manual. q. 41. ar. 21. Gavant. 1. p. Thesaur. 4. sub nu. 3. § non est duplex, & 3. p. tit. 12. nu. 10. § cæterum, tract. 2. Thesauri decis. 151. & Dian. 2. p. tract. 14. de celebr. miss. resol. 31.*

Quæst. 93. Fideles, si audiant Missam in Festis & Dominicis diebus apud Ecclesias Regularium, an satisfaciant præcepto Ecclesiastico?

1. Respondeo affirmativè: tum quia hujusmodi præceptum adimpletur ubicunque missa audiatur, etiam in domo privata. *Syl. ver. missa, 2. q. 5. cui favet D. Barbos. 2. p. de off. & potest. Episcop. allegat. 24. num. 28.* tum etiam, quia ita obtinet communis, ius, & universalis consuetudo totius Ecclesiæ, scita & tolerata à Parochis, & Prælatis; quæ jus antiquum abrogat, si quod esset in contrarium, & novum privilegium concedit. *Tab. ibi. ver. missa nu. 51.* tum item, quia ita Leo X. declaravit, [illegible] tenore.

2. *Leo Papa X. Universis, & singulis præsentes [illegible] inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem, [illegible] ximus quosdā in dubium revocare, & perinde timoratæ [illegible] scientiis scrupulum injicere si Christi fideles, qui Do[illegible] & Festis diebus, extra Ecclesias suas Parochiales miss[illegible] diunt in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium [illegible] clesiæ præcepto de missa audienda satisfaciant. Nos enim [illegible] biguitatem hujusmodi penitus tollere volentes, ut cum [illegible] riori conscientia fideles quique Deo Creatori suo serviant, [illegible] thoritate Apostolica tenore præsentium, notum facimus, omnes Christi fideles utriusque sexus, qui (non contempto proprio Sacerdote Parochiali) in Ecclesiis Fratrum Ordinum mendicantium, Dominicis, & Festis diebus missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de missa audienda, nec in aliquam labem mortalis peccati, pœnamvè propterea incurrere, in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque, & quia difficile foret præsentes literas nostras originaliter ad loca omnia, (ubi opus foret) deferri, volumus, & decernimus, ut earum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati in dignitate Ecclesiastica constituti munitis, ea fides (ubi opus fuerit) detur, quæ originalibus ipsis daretur, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 13. Novemb. 1517. Pontificatus nostri, Anno quinto.*

3. Et est 12. inter Bullas ejusdem Papæ, apud Confectium, eamque similiter refert idem *Barbosa cit. loc. & in tractatu de off. & potestate Parochi, c. 11. num. 15.* tum etiam, quia hoc idem declaravit Clem. VIII. Brevi quo[illegible] directo ad Illustrissimum Nuncium Sedis Apostolicæ, inferioris Germaniæ, de Anno 1592. die 2. Septem[illegible] & habetur *in collect. privil. Rodr. pag. mihi 520. sub nu. 4.* quod similiter priùs declaravit Pius V. in Bulla sui motus [illegible] prii, lata Mense Julio 1567. incip. *etsi Mendicantium*, & quæ, quoad hoc, non fuit revocata à Greg. XIII. cum non adversetur Trid.

4. Unde sæculares, non possunt cogi ab Episco[illegible] per censuras Ecclesiasticas, ut audiant Missas in suis P[illegible] chiis, quia *Concil. Trid. sess. 22. in Decreto de observandis & evitandis in celebratione missæ*, non dicit, ut præcipiant, [illegible] solum, ut moneant: quod verbum necessitatem non [illegible] portat, sed consilium, ut advertunt *Navar. in sum. c. [illegible] 4. & Rodr. 1. p. sum. c. 123. de oblig. n. 6. cum suo Comp[illegible] 25. de celeb. missarum nu. 4.*

5. Qui quidem Episcopi, si secùs præciperent, [illegible] rent mortaliter, ob scandalum laicis, & monac[illegible] tum, *Navar. cit. loc.* & præceptum factum non teneret, per allegata per *Syl. cit. loc. & Bartol. de Angelis, dial. [illegible] de missa* § 789. immò essent reprehendendi, prout quidam in facti contingentia, reprehensi sunt à Sac. Congr. Purpuratorum, teste *Emin. Bellar. in d. Decret. Concil. Trid. sess. 22. in ver. moneant*, ad quod item *D. Barbos. de off. & potestate Parochi cap. 11.* refert declarationem Sac. Congr. latam sub die 1 Junii 1606. & *Rortell. in dub. ver. missa, n. 1. & 2. in addit.*

6. Nec obstat *cap. ut Dominicis 2. de Parochiis*, quia ibi solum, ad summum, dicitur, peccare mortaliter illos, qui proprio contempto Parocho, Parochiam deserunt, ut alibi Missam audiant, quia nos non negamus, hujusmodi, ratione contemptus, peccare mortaliter; at non proinde non satisfaciunt præcepto de audienda Missa in diebus festivis: immò exinde à contrario sensu deducitur satisfacere omnes huic præcepto, si eam alibi audierint, sive cum contemptu, sive sine contemptu Parochi, ut optimè docent *Cardin. Tolet. in instruct. Sacerd. lib. 6. c. 7. n. 1. Azor. 1. p. instit. moral. lib. 7. c. 6. q. 4.* ubi Juris communis Decreta appendit, & inde infert, jus commune solum vetare, ne quis, diebus festivis, extra Parochiam Sacrum audiat

audiat, contempto Parocho, idem dicit *Suar. tom. 3 de Sacr. disput. 88. sect. 2. §. sed in primis, & D. Barbos. de off. & potestate Parochi, cap. 11. nu. 19. & 20.* qui ibi ponderat rationem *d. cap. 2. de Paroch.* dicitque, ideo *in d. cap.* jubentur ejici à Parochiis alieni Parochiani; si ibi ante Missam inveniantur; quia si audirent, satisfacerent, etiam cum præsumptione contemptus Parochi: quod dictum mihi arridet; tum quia in præcit. decretis Juris communis, non habetur Decretum irritans contrarium factum, tum etiam, quia aliàs hujusmodi alienus Parochianus teneretur confiteri duplex peccatum commisisse, unum ratione contemptus ad Parochum, & aliud ratione non adimpleti præcepti, tum item, quia non potest præsumi contemptus in eo, qui servat communem consuetudinem.

7. Benè tamen verum est, Episcopum loci posse cogere Regulares, ut in offertorio Missarum, quæ Dominicis diebus in Monasteriis celebrantur, declarent fidelibus, quæ festivitates, & jejunia in illa Hebdomada occurrant, ne ignorantiâ prædictorum, præcepta Ecclesiastica à fidelibus violentur: & ipsi Regulares tenentur obedire, ob commune bonum animarum. *Rodr. tom. 1. q. 43. ar. 7. cum suo comp. cit. loc. Portell. in dub. ver. Episc. nu. 7. & D. Barbos. in d. allegat. 24. nu. 21. & ad d. cap. 8. Trid. sess. 22. de sacrif. missæ nu. 36.*

Quæst. 94. An Sacerdos Regularis, teneatur sub mortali celebrare in die Festo, ut populus Missam audiat, aliàs non auditurus, ob carentiam Sacerdotis sæcularis?

1. NEgativè *Pelliz. tom. 1. Manual. tr. 5. cap. 9. sect. 1. sub q. 5. nu. 9.* si tamen ipse satisfecit præcepto, audiendo missam alterius Sacerdotis, duciturque ex eo, quod Sacerdos in hoc casu, non potest dici obligatus ad hoc, nisi ex charitate, quæ non obligat sub mortali ad subveniendum necessitati spirituali proximi: nisi sit magna, & gravis; quæ in præsenti casu non procedit, cum populus in casu posito censeatur non habere copiam Sacerdotis ad celebrandum, & consequenter non tenetur ad auditionem missæ.

2. Verùm ego censeo, in casu posito, concurrere urgentem necessitatem, ad cavendum tot homines à peccato mortali: Ideoque Sacerdotem Regularem, etiamsi alterius Sacerdotis missam audierit, obligari sub mortali ad celebrandum, ut populus missam audiendo, satisfaciat præcepto, cum ex una parte urgeat spiritualis necessitas proximi, & ex alia, Sacerdos sine notabili suo incommodo possit subvenire, ut supponitur, ergo; mandavit enim Deus unicuique de proximo suo, & additur, quod Regulares censentur subrogati ad satisfaciendum necessitati proximi, in defectu Parochorum, ad quæ faciunt, quæ dicit *P. Diana 2. p. moral. tr. 14. de celeb. missarum, resolut. 63. & 64.*

Quæst. 95. An Regulares, sub mortali teneantur celebrare ad consecrandam particulam, per modum Viatici, præbendam infirmo, aliàs morituro, absque communione Eucharistica?

1. ET dico, quod non: quia Regularis in hoc casu, non potest obligari ad celebrandum, nisi ex charitate, cum non sit Parochus, nec alio titulo ad hoc teneatur, ut supponitur, Charitas autem non obligat sub mortali, nisi in casu gravis necessitatis proximi, sive spiritualis, sive temporalis sit, qualis in casu posito non concurrit: cum Sacramentum Eucharistiæ, non sit adeò necessarium ad salutem, nec cadat sub præcepto, ut Sacramentum pœnitentiæ: unde Parochus, tempore Pestis, tenetur sub mortali administrare suis Ovibus Sacramentum Pœnitentiæ, etiam cum periculo vitæ suæ, non autem Sacramentum Eucharistiæ, cum non sit tantæ necessitatis, Teste *Diana 3. par. Moral. tr. 4. de Sacram. resolut. 174. ver. notandum est.*

Quæst. 96. An Regularis Sacerdos, sub mortali teneatur ad solvenda suffragia, quæ pro defunctis præscribi solent, ex statuto, sive Regula, aut mandato superioris

1. REspondeo non teneri: nisi aliter exprimatur in statuto, aut in Regula alicujus Religionis, vel superior ea indicens, sufficienter se declaraverit obligare ad mortale: quia prædicta, regulariter loquendo, non habent vim præcepti, sed tantum simplicis obedientiæ, seu ordinationis, & præcipuè in ordine Prædicatorum, ubi ultra essentialia, nullum præceptum est, nisi expresè dicatur, vel sub censura præcipiatur, quod item habet locum in multis aliis Religionibus, utpotè in Ordine Illustrissimæ, ac utilissimæ Societatis Jesu; Theatinorum, & Minimorum.

2. Non tamen potest negari, quin Religiosus, omittens ex negligentia adimplere, sit magna repræhensione dignus, ex eo, quod cum vivens, suffragia defunctis sui Ordinis non persolverit, post mortem, Deo permittente, in pœnam suæ negligentiæ suffragia defunctorum non expectet, secundum illud Dei dictum, *eadem mensura, qua mensi estis aliis, metietur vobis.* Dixi *omittens ex negligentia*, quia si omittat ex contemptu, peccaret utique mortaliter, ob quod solum potest in Infernum conjici, perpetuò puniendus; latè *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 10. lib. 8. cap. 2. nu. 5.*

Quæst. 97. An Regularis Sacerdos possit, unica Missa, pluribus, ut singulis, ex charitate satisfacere: sibi tamen impositis ex Regula, vel à superiore, ut immediatè supra?

1. REspondeo affirmativè: si sit impeditus, pro singulis, singulas missas celebrare: inhærendo tamen illi sententiæ probabilissimæ, de infinito valore sacrificii Missæ extensivè, de quo latè dictum est supra, quæ quippè sententia, nullatenùs fuit in dict. Decretis de celebrat. missar. reprobata, ut patet ex lectura eorumdem, quia Sacr. Congreg. in illis prohibet, pro una missa, plura stipendia accipere; non autem in illa, pro pluribus Deum orare: immò supponit illam, dum in dict. Decretis supponit, Sacrificium missæ, ex institutione Ecclesiæ pluribus applicari, utpotè, Papæ Imperatori, Regi, Principi, Episcopo, necnon in specie his, & illis, & in genere circumstantibus omnibus, ac vetat ex his accipere plura stipendia pro eadem missa, ad evitandum damnabile lucrum, ut *in §.* ergo ubi cessat lucrum, non censetur prohibitum, ita applicare, *cessante enim legis fine, cessat legis dispositio, cap. cessante de constit.*

2. Ampliat hoc dictum *P. Lez. 4. par. summ. ver. Missa num. 22.* ut celebrans ex stipendio Missam, possit illamet, ex charitate pluribus, uti singulis satisfacere, utputa amicis, consanguineis, fratribus defunctis, benefactoribus, & similibus, eodem fundamento fultus, quod scilicet valor Missæ sit infinitus extensivè, & quod hujusmodi opinio sit probabilissima, & in dict. Decretis minimè reprobata, & quod dicta Decreta prohibent, pro una & eadem Missa, plura stipendia accipere, & non pro pluribus ex charitate applicare, gratis & sine stipendio. Verum hanc Lezanæ ampliationem, quidam non admittunt, quorum opinionem probabilem existimat, *Diana*

na p.10.tr.15.& 6. Miscell.resol.43.& Bordonus,1.p.consil. resol.25.de celebrat.Missar.quæst.6.num.11.

3. Dixi *si sit impeditus*, quia re vera, ut sæpe dictum est, melius, & utilius est, in specie celebrare, nam quæ in specie dicuntur, cum majori affectu proferuntur, pœnes quem quantificatur fructus sacrificii, ut liquet ex decisis.

Quæst. 98. Sacerdos, qui simplici promissione, liberaliter, & gratis promisit alicui sacrum facere, an peccet mortaliter, si promissum non observet?

1. Navarrus *in sum.lat.c.25.nu.92.* in medio respondet affirmativè, ibi, *qui tenetur ad dicendum unam Missam alicui, sive, quia liberaliter eam illi promissit, sive, &c. non satisfacit illi, eam pro alio dicendo, nisi ille tacitè, aut expresse consentiat*, idem dicunt *Ledesma 2.p.quarti, q. 16. ar.14.in fin. Petrus Navar.lib.2.de restit.cap.2.dub.7.n.329. Corollario tertio. Bonac.de contract.disp.3.q.11.p.1.nu.8.* qui addunt, promittentem, peccare læthaliter, si omittat adimplere: tum quia detrimentum spirituale, ex omisso sacrificio, est magnum, graviusque quocunque temporali; tum etiam, quia vovens Deo Sacrum, nec implens, mortaliter peccat.

2. Verum hanc opinionem rigidam, & minus veram existimat *Sanch.lib.1.de Matri.disp.5.de Sponsal.dub. 3.num.25.* quia damnum spirituale, non est conferendum cum temporali, ad hoc ut dicatur magnum; aliàs promittens semel orationem Angelicam, & omittens, peccaret mortaliter, & similiter consulens veniale, peccaret mortaliter, ex quo omissio illius orationis, & ex veniali admisso, cum spirituale sit, antefertur cuicunque temporali, quod est falsum; quamobrem, ad judicandum, an sit damnum grave, conferendum est temporale cum temporali, & spirituale cum spirituali, in genere autem spiritualium, non est tanti momenti omissio sacri, liberaliter promissi, ut censenda sit mortalis, quod item docuit *Lud.Lopez.1.p.instruct.in nova edit.c.180.§.tertio sequitur*, ubi cum Joanne de la Pegna ait, quod quamvis furtum decem argenteorum esset mortale, non tamen esset sufficiens materia, ut violatio promissionis donandi illos, esset mortalis, secùs si esset promissio damni centum. Unde *Sanchez cit.loc.* credit, quadruplo majorem materiam exigi in promissione, quàm in furto; qui ambo sunt legendi, quia latè docent contra Navarrum, quæ censenda sit materia gravis in promissione simplici, ad hoc ut ejus violatio sit mortalis, & addit, quod non est simile de voto: nam pertinet ad Religionem, & est in ordine ad Deum, ac proinde obligat, unde vovens se quotidie recitaturum tertiam partem Rosarii, semel omittens, peccat mortaliter, ob promissionem factam Deo; secùs si promitteret homini.

3. Hanc sententiam sequuntur plures, & maximè *Ant. Cord. lib.1. q.4. dub.1. in fine*, ubi ait, non videtur mortale, sed veniale mendacium, si Sacerdos, sine stipendio accepto, liberaliter promittit tot dicere Missas; & non nisi collectas ponat, vel etiam si nullas dicat Missas, vel orationes, *P. Henriquez lib.9 de Missa cap.21. nu.8.in fin.& comm.lit.V.Fagund.p.1.lib.3.cap.8.nu.11. & 12. Portell.in dub.ver.Missa,nu.10.Rodr. in addit. ad sum. tom.4. cap.107.nu.4.Suar. de Sacram.disp.86. in princ. de justo Missæ stipendio, Ant.Diana multis allegatis 3.p.tr.17. & 3. Miscell.resol.9.§.hinc etiam nota. Peyr.to.3. Privil.in addit. ...stit.Pyrrhi,cap.1.q.11.nu.28.& Pelliz.tom.1.Manual. ...sect.1.q 10.num.9.* & moventur, tum quia ex hac ...i promissione, non resultat major obligatio, ...x quacunque alia simplici promissione alterius ... etiam, quia deficere in hac promissione gratuita, ...ullum nocumentum infert proximo, cum ei nihil ... ex Justitia, ut supponitur; tum etiam, quia violatio simplicis, nudæ, & puræ promissionis, de genere suo, ad summum obligat ad veniale; secùs non foret nuda, & simplex promissio; sed aliqua qualitate vallata; tum item, quia materia hujus promissionis, non est bonum spirituale ipsius Missæ promissæ, prout quidam malè putant; sed stipendium temporale ipsius Missæ: materia autem stipendii temporalis unius Missæ, non est sufficiens ad inducendum peccatum mortale in promissione, ut liquet ex supra decisis; tum denique, quia non potest præsumi, quem se velle obligare ad mortale per suam nudam, ac simplicem promissionem, quæ regulariter fit ex quadam decentia, & urbanitate, ergo.

4. Tu autem cum *Rodriquez 1.p.sum.lat. cap. 252.de missa, concl.5.nu.5.& Persycus lib.2.de Sac.off.cap.6.dub.4. nu.62.in fin.* dic, quod aut ista promissio fit cum intentione obligandi, & adimplendi, & omittens læthaliter peccat, quia multa in principio sunt libertatis, quæ post factum, sunt necessitatis: aut fit solum ad externam satisfactionem, ne sacerdos videatur avarus illi, qui Missam petit; & sic potest inculpabiliter omittere, quia hujusmodi promissio nascitur ex quodam metu reverentiali, qui in foro conscientiæ tollit obligationem; quod intellige verum; nisi fortè ille, qui Missam promisit sine animo se obligandi, sciret eum, qui petit, teneri Missam illam celebrare, aut celebrari facere; quia in hoc casu tenetur promissionem adimplere; nam petens, putans ipsum promisisse ex animo, non curat amplius illam dicere.

Quæst. 99. Sacerdos, qui promisit alicui unam Missam ex recepto stipendio, si omittat illam dicere, an peccet mortaliter?

1. Negat *Pelliz. tom.1. Manual. tr.5. cap.9. sect.1. sub q.10.nu.20.* quia, aut iste peccat ratione damni temporalis, & hoc non; cum stipendium unius Missæ regulariter juxta communissimam Doctorum sententiam, non constituat materiam gravem; vel ratione damni spiritualis, quod oritur ex omissione unius sacri promissi, & hoc neque obligat ad mortale, cum hoc similiter non faciat materiam gravem, ut dictum est supra, quod item replicat idem *Pelliz.tom.2. Manual.tr.6. c.3.sub q.2.nu.4.* ubi contendit, dicta decreta Sac.Congr. admittere parvitatem materiæ, & consequenter non obligare ad mortale.

2. Verumtamen errat in præsupposito; nam lex Ecclesiastica, ex suo genere, & de intrinseca sua natura obligat sub mortali; dummodo ex parte ipsius, adsit debita materia, & voluntas legislatoris, *S.Thom.2.2.q.104.ar.1. & q.105.& q.147. Sotus lib.1.de Just.q.6.ar.4. Navar. in sum.cap.23.nu.55.in medio, Covar.in Regul.peccatum, p.2. §.5.nu.2.& egomet to.1.prax.p.1.de leg.q.28.*

3. Sed utrumque habetur in dict. Decretis, ut puta materia, nedum gravis, sed gravissima, sicuti sunt Justitia, Charitas, Fidelitas, Dei cultus, & abrogatio Avaritiæ, nec non expressa voluntas Sac. Congr. ibi, *mandat, & præcipit sub obtestatione divini judicii, ut absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, &c.* tum ibi, *ita accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerunt, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis*, hæc ibi, ad quorum observantiam apponuntur censuræ; ergo nullatenus dubitandum est, prædicta Decreta sub mortali obligare.

4. Et quamvis materia levis possit excusare transgressorem à peccato mortali, ut Doctores communiter volunt; nihilominus, an sit levis, vel gravis; debet regulari ex fine proximo legis, & proportione medii præcepti ad finem consequendum, ut latè dico *cit. loc. quæst.29.*

quaest. 29. finis autem proximus dictæ legis Decretorum est Justitia, Fidelitas, Charitas Dei, & proximi, religiosus cultus, & extirpatio vitiorum, ut dictum est: in casu autem posito intrinsecè læditur justitia debita ex contractu oneroso, seu ex stipendio: etenim inter dantem stipendium, & recipientem nascitur obligatio legalis, & naturalis, nempè do, ut facias: ergo omittens facere, nedum peccat moraliter, verum tenetur restituere; quia violat Justitiam in re gravi, hoc est, in fine principali, à lege intento.

5. Item dixi, quod materia gravis legis, debet attendi ex proportione medii ad custodiam finis principalis; etenim fieri potest ut materia in se considerata sit levis; verum in ordine ad finem, sit gravis. Furtum enim unius acus, præscindendo ab omnibus aliis, levis in se materia est, at respectu Sartoris, qui ex opere suæ manus tantum vivit, si alium non habeat, gravis materia est: Accessus subditi ad communem ortum Monasterii, in se consideratus, levis materia est, at relativè ad custodiam Religiosæ honestatis, gravis materia est: ita à pari, prætermissio unius Missæ promissæ ex stipendio, licet in se considerata, possit esse materia levis, adhuc tamen relata ad custodiam fidelitatis promissæ, & Justitiæ debitæ, gravis materia est, ut pluribus firmavi *cu. loc.* ergo materia legis dictorum Decretorum, debet attendi, non ex quantitate stipendii, ut putat Pelliz. sed ex fine intento, & medio ad finem consequendum:

6. Quibus adde inconvenientia quæ exinde sequuntur, & primò, quod pro una Missa, duo stipendia accipere, secundum Pelliz. non est peccatum mortale, quia est materia levis, secundum ipsum; item si quis ab aliquo reciperet stipendium pinguius, posset absque peccato, & onere restitutionis, justum stipendium alii dare, & partem excedentem justum salarium, sibi retinere, quæ omnia apertè, manifestè, & per diametrum advertantur prædictis decretis Sac. Congr. de celeb. Missarum.

7. Insuper & adde; si donans stipendium, in casu posito sit pauperrimus, & ex voto teneatur ad dictam Missam; nunquid erit materia levis, respectu hujusmodi pauperis, & voti promissi? dicant alii; dum ego censeo abstinendum esse à dict. doctrina Pellizzarii.

Quaest*. 100. *An Sacerdos Regularis peccet mortaliter, si in Canone Missæ pro nomine Episcopi, ponat nomen Generalis sui Ordinis?

1. ET dico quod sic; tum quia sic faciens violat præceptum Pii V. qui voluit nihil addi Canoni Missæ sine licentia Papæ; tum etiam, quia ita fuit à Sac. Congr. declaratum ad Instantiam Illustriss. Nuntii Hispaniæ, quam declarationem, per extensum refert *Rod. tom. 4. sum. addit. cap. 51. num. 13. Portell. in dub. ver. missa, num. 14. & Diana 2. p. moral. tr. 14. de celeb. miss. resol.* 40. tum item, quia ita fuit reconfirmatum per Sac. Congreg. Rituum 11. Novembris 1615. Teste *Gavant. 2. p. Thes. tit. 8. de Canon. missa, ver. Antistite nostro*, ubi monet Regulares de non nominando suum Generalem in Canone, pro Episcopo loci, ad evitandum peccatum mortale: de qua declaratione dubitat *Hier. Rod. in suo comp. resol. 25. de cel. Miss. nu.* 24. an sit authentica? sed immeritò, quia res toties repetita, & à pluribus decantata, non cadit sub dubio.

2. Benè verùm est, quod hujusmodi transgressor potest à mortali excusari, si prædicta prudenter ignoret, quia scilicet quæsivit scire & non potuit sapere, præcipuè apud fratres, qui regulariter his non ita disertè vacant; quod dictum amplectitur *Bordon. 1. p. Consil. resol. 25. q. 14. de cel. miss.*

Quaest*. 101. *An obligatus quotidie celebrare, possit singulis Hebdomadis semel quiescere?

1. D. *Ang. Barbos. 2. p. de off. & potestate Episcopi, allegat. 24. num.* 28. sub distinctione resolvit, aut obligatio quotidianæ Missæ refertur ad locum, vel ad personam Sacerdotis: si referatur ad locum, ut si dicatur, celebretur quotidie in tali Ecclesia, in tali Altari, seu in tali Capella: & tunc Sacerdos, qui hujusmodi onus habet, tenetur sine vacantia, quotidie celebrare, per se, vel per alium: si vero Missæ quotidianæ institutio referatur ad personam Sacerdotis, his verbis, vel per se, vel per alium celebret; institutio Missæ vacantiam non admittit; si verò absolutè, & simpliciter dicitur, ut instituatur Capellanus, qui quotidie celebret, tunc Sacerdos institutus, non tenetur quotidie celebrare; sed quantò frequentiùs potest, salva honestate, *juxta cap. quotidie 13. distin. 2. de consecrat. & cap. significatum 11. de præbend.* ibi, *ut Sacerdos prædictus, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium impendere Ecclesiæ memoratæ & quantò frequentiùs potest salva honestate sua, & debita devotione Missarum solemnia celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo*, hæc ibi, de quibus *Graffius 1. p. decis. Aur. lib. 2. cap. 34. num. 8. D. Ruc. 1. p. prax. decis.* 403. *nu. 1. in 1. edit. P. Victor. in sum. de Sacram. Euchar. q. 85. Azor. 1. p. instit. lib. 10. cap. 24. q. 7. Rod. 1. p. sum. cap. 42. concl. 2. & Navar. in suo Manuali cap. 25. num.* 135. ubi unam continuam vacationem concedit, & aliquando duas, honestum enim est ut Capellanus semel in Hebdomada vacet, dummodo non teneatur per alium celebrare, ut dictum est, quod repetit, *Consil. 6. nu. 8. de præbend. in novis.*

2. Qui quidem Doctores advertunt, quod etsi liceat dict. Capellano semel in septimana quiescere, non tamen ei licet, accepta stipe, in die vacantiæ celebrare: quia sic ageret contra dict. Decreta Sacr. Congregat. de celeb. Missar.

3. An autem Capellanus, in dict. vacantia, possit ex charitate pro se, vel pro parentibus celebrare? affirmat *Peyr. tom. 3. privil. cap. 1. nu. 23. in fin.* quia secus dura nimis esset ejus captivitas, ut nullo unquam tempore posset pro se, vel suis unam Missam celebrare, quod colligit ex dicto verbo (*salva honestate*) quia honestum est, ut aliquando pro se, vel pro suis consanguineis celebret. Item ex illis, *Non sibi liceat hoc illi subtrahere sive causa volupt. &c.* ergo si non licet vacare à dicta celebratione Missarum, causa voluptatis temporalis, licebit causa devotionis, & charitatis; quod dictum ampliat ad præceptum Prælati Regularis; qui etsi subditis præcipiat, ut quotidie celebrent; adhuc tamen tale præceptum debet intelligi humano modo; ut scilicet interdum licitum sit subditis aliquando quiescere, & tempore talis vacantiæ, pro suis consanguineis Deum orare.

Quaest*. 102. *Prælati Regulares, an teneantur sub mortali Missam Conventualem dicere, vel dici facere?

1. ET dico, quod sic: loquendo tamen de jure communi, & colligitur ex *ex c. cùm creatura ii de celebrat Miss.* ubi sic ait, *Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus, & pro Anniversariis Defunctorum & pro festo vel feria secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia Conventualiter celebretis, &c.* & ex *Clem. gravi*, 1. *eod. tit. in 6.* ibi, *Sancimus, ut illi ad quos id pertinet & in eorum, si utique exempti non sint, negligentiã, vel defectum locorum Ordinariis: si verò exempti fuerint, aut aliàs circa hoc privilegiati Superiores ipsorũ omni negligentia, vel incuria penitùs relegata, circa reformanda,*

na p.10.tr.15.& 6. Miscell.resol.43.& Bordonus,1.p.consil. resol.25.de celebrat.Missar.quæst.6.num.11.

3. Dixi *si sit impeditus*, quia re vera, ut sæpe dictum est, melius, & utilius est, in specie celebrare, nam quæ in specie dicuntur, cum majori affectu proferuntur, pœnes quem quantificatur fructus sacrificii, ut liquet ex decisis.

Quæst. 98. *Sacerdos, qui simplici promissione, liberaliter, & gratis promisit alicui sacrum facere, an peccet mortaliter, si promissum non observet?*

1. NAvarrus *in sum.lat.c.25.nu.92.* in medio respondet affirmativè, ibi, *qui tenetur ad dicendum unam Missam alicui, sive, quia liberaliter eam illi promisit, sive, &c. non satisfacit illi, eam pro alio dicendo, nisi ille tacitè, aut expressè consentiat*, idem dicunt *Ledesma 2.p.quarti, q. 16. ar.14.in fin. Petrus Navar.lib.2.de restit.cap.2.dub.7.n.329. Corollario tertio. Bonac.de contract.disp.3.q.11.p.1.nu.8.* qui addunt, promittentem, peccare læthaliter, si omittat adimplere: tum quia detrimentum spirituale, ex omisso sacrificio, est magnum, graviusque quocunque temporali; tum etiam, quia vovens Deo Sacrum, nec implens, mortaliter peccat.

2. Verum hanc opinionem rigidam, & minus veram existimat *Sanch.lib.1.de Matri.disp.5.de Sponsal.dub. 3.num.25.* quia damnum spirituale, non est conferendum cum temporali, ad hoc ut dicatur magnum; aliàs promittens semel orationem Angelicam, & omittens, peccaret mortaliter, & similiter consulens veniale, peccatet mortaliter, ex quo omissio illius orationis, & ex veniali admisso, cum spirituale sit, antefertur cuicunque temporali, quod est falsum; quamobrem, ad judicandum, an sit damnum grave, conferendum est temporale cum temporali, & spirituale cum spirituali, in genere autem spiritualium, non est tanti momenti omissio sacri, liberaliter promissi, ut censenda sit mortalis, quod item docuit *Lud. Lopez.1.p.instruct.in nova edit.c.180.§.tertio sequitur*, ubi cum Joanne de la Pegna ait, quod quamvis furtum decem argenteorum esset mortale, non tamen esset sufficiens materia, ut violatio promissionis donandi illos, esset mortalis; secùs si esset promissio damni centum. Unde *Sanchez cit.loc.* credit, quadruplo majorem materiam exigi in promissione, quàm in furto; qui ambo sunt legendi, quia latè docent contra Navarrum, quæ censenda sit materia gravis in promissione simplici, ad hoc ut ejus violatio sit mortalis, & addit, quod non est simile de voto: nam pertinet ad Religionem, & est in ordine ad Deum, ac proinde obligat, unde vovens se quotidie recitaturum tertiam partem Rosarii, semel omittens, peccat mortaliter, ob promissionem factam Deo; secùs si promitteret homini.

3. Hanc sententiam sequuntur plures, & maximè *Ant. Cord. lib.1. q.4. dub.1. in fine*, ubi ait, non videtur mortale, sed veniale mendacium, si Sacerdos, sine stipendio accepto, liberaliter promittit tot dicere Missas; & non nisi collectas ponat, vel etiam si nullas dicat Missas, vel orationes, *P. Henriquez lib.9 de Missa cap.21. nu.8.in fin. & comm.lit.V. Fagund.p.1.lib.3.cap.8.nu.11. & 12. Portell.in dub.ver.Missa,nu.10. Rodr. in addit. ad sum. tom.4. cap.107.nu.4. Suar. de Sacram. disp.86. in princ. de justo Missæ stipendio, Ant. Diana, multis allegatis 3.p. tr.17. & 3. Miscell.resol.9.§.hinc etiam nota. Peyr.to.3. Privil.in addit. ad constit.Pyrrhi,cap.1.q.11.nu.28.& Pelliz.tom.1.Manual. tr.5.c.9.sect.1.q 10.num.9.* & moventur, tum quia ex hac simplici promissione, non resultat major obligatio, quam ex quacunque alia simplici promissione alterius rei; tum etiam, quia deficere in hac promissione gratuita, non multum nocumentum infert proximo, cum ei nihil debeatur ex Justitia, ut supponitur; tum etiam, quia violatio simplicis, nudæ, & puræ promissionis, de genere suo, ad summum obligat ad veniale; secùs non foret nuda, & simplex promissio; sed aliqua qualitate vallata; tum item, quia materia hujus promissionis, non est bonum spirituale ipsius Missæ promissæ, prout quidam malè putant; sed stipendium temporale ipsius Missæ: materia autem stipendii temporalis unius Missæ, non est sufficiens ad inducendum peccatum mortale in promissione, ut liquet ex supra decisis; tum denique, quia non potest præsumi, quem se velle obligare ad mortale per suam nudam, ac simplicem promissionem, quæ regulariter fit ex quadam decentia, & urbanitate, ergo.

4. Tu autem cum *Rodriquez 1.p.sum. lat. cap. 252.de missa,concl.5.nu.5.& Persycus lib.2.de Sac.off.cap.6.dub.4. nu.62.in fin.* dic, quod aut ista promissio fit cum intentione obligandi, & adimplendi, & omittens læthaliter peccat, quia multa in principio sunt libertatis, quæ post factum, sunt necessitatis: aut fit solum ad externam satisfactionem, ne sacerdos videatur avarus illi, qui Missam petit; & sic potest inculpabiliter omittere, quia hujusmodi promissio nascitur ex quodam metu reverentiali, qui in foro conscientiæ tollit obligationem; quod intellige verum; nisi fortè ille, qui Missam promisit sine animo se obligandi, sciret eum, qui petit, teneri Missam illam celebrare, aut celebrari facere; quia in hoc casu tenetur promissionem adimplere; nam petens, putans ipsum promisisse ex animo, non curat amplius illam dicere.

Quæst. 99. *Sacerdos, qui promisit alicui unam Missam ex recepto stipendio, si omittat illam dicere, an peccet mortaliter?*

1. NEgat *Pelliz. tom.1. Manual. tr.5.cap.9. sect.1. sub q.10.nu.20.* quia, aut iste peccat ratione damni temporalis, & hoc non; cum stipendium unius Missæ regulariter juxta communissimam Doctorum sententiam, non constituat materiam gravem; vel ratione damni spiritualis, quod oritur ex omissione unius sacri promissi, & hoc neque obligat ad mortale, cum hoc similiter non faciat materiam gravem, ut dictum est supra, quod item replicat idem *Pelliz.tom.2. Manual.tr.6. c.3.sub q.2.nu.4.* ubi contendit, dicta decreta Sac. Congr. admittere parvitatem materiæ, & consequenter non obligare ad mortale.

2. Verumtamen errat in præsupposito; nam lex Ecclesiastica, ex suo genere, & de intrinseca sua natura obligat sub mortali; dummodo ex parte ipsius, adsit debita materia, & voluntas legislatoris, *S.Thom.2.2.q.104.ar.1. & q.105.& q.147. Sotus lib.1.de Just.q.6.ar.4. Navar. in sum.cap.23.nu.55.in medio, Covar.in Regul.peccatum, p.2. §.5.nu.2.& egomet to.1.prax.p.1.de leg.q.28.*

3. Sed utrumque habetur in dict. Decretis, ut puta materia, ne dum gravis, sed gravissima, sicuti sunt Justitia, Charitas, Fidelitas, Dei cultus, & abrogatio Avaritiæ, nec non expressa voluntas Sac. Congr. ibi, *mandat, & præcipit sub obtestatione divini judicii, ut absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, &c.* tum ibi, *ita accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerunt, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis*, hæc ibi, ad quorum observantiam apponuntur censuræ; ergo nullatenus dubitandum est, prædicta Decreta sub mortali obligare.

4. Et quamvis materia levis possit excusare transgressorem à peccato mortali, ut Doctores communiter volunt; nihilominus, an sit levis, vel gravis; debet regulari ex fine proximo legis, & proportione medii præcepti ad finem consequendum, ut latè dico *cit. loc. quæst.29.*

quaest. 29. finis autem proximus dictæ legis Decretorum est Justitia, Fidelitas, Charitas Dei, & proximi, religiosus cultus, & extirpatio vitiorum, ut dictum est: in casu autem posito intrinsecè læditur justitia debita ex contractu oneroso, seu ex stipendio: etenim inter dantem stipendium, & recipientem nascitur obligatio legalis, & naturalis, nempè do, ut facias: ergo omittens facere, nedum peccat moraliter, verum tenetur restituere; quia violat Justitiam in re gravi, hoc est, in fine principali, à lege intento.

5. Item dixi, quod materia gravis legis, debet attendi ex proportione medii ad custodiam finis principalis; etenim fieri potest ut materia in se considerata sit levis; verum in ordine ad finem, sit gravis. Furtum enim unius acus, præscindendo ab omnibus aliis, levis in se materia est, at respectu Sartoris, qui ex opere suæ manus tantum vivit, si alium non habeat, gravis materia est: Accessus subditi ad communem ortum Monasterii, in se consideratus, levis materia est, at relativè ad custodiam Religiosæ honestatis, gravis materia est: ita à pari, prætermissio unius Missæ promissæ ex stipendio, licet in se considerata, possit esse materia levis, adhuc tamen relata ad custodiam fidelitatis promissæ, & Justitiæ debitæ, gravis materia est, ut pluribus firmavi *cit. loc.* ergo materia legis dictorum Decretorum, debet attendi, non ex quantitate stipendii, ut putat Pelliz. sed ex fine intento, & medio ad finem consequendum:

6. Quibus adde inconvenientia quæ exinde sequuntur, & primò, quod pro una Missa, duo stipendia recipere, secundum Pelliz. non est peccatum mortale, quia est materia levis, secundum ipsum; item si quis ab aliquo reciperet stipendium pinguius, posset absque peccato, & onere restitutionis, justum stipendium alii dare, & partem excedentem justum salarium, sibi retinere, quæ omnia apertè, manifestè, & per diametrum adversantur prædictis decretis Sac. Congr. de celeb. Missarum.

7. Insuper & adde; si donans stipendium, in casu posito sit pauperrimus, & ex voto teneatur ad dictam Missam; nunquid erit materia levis, respectu hujusmodi pauperis, & voti promissi? dicant alii; dum ego censeo abstinendum esse à dict. doctrina Pellizzarii.

Quaest. 100. *An Sacerdos Regularis peccet mortaliter, si in Canone Missæ pro nomine Episcopi, ponat nomen Generalis sui Ordinis?*

1. ET dico quod sic; tum quia sic faciens violat præceptum Pii V. qui voluit nihil addi Canoni Missæ sine licentia Papæ; tum etiam, quia ita fuit à Sac. Congr. declaratum ad Instantiam Illustriss. Nuntii Hispaniæ, quam declarationem, per extensum refert *Rod. tom. 4. sum. addit. cap. 51. num. 13. Portell. in dub. ver. missa, num. 14. & Diana 2. p. moral. tr. 14. de celeb. miss. resol. 40.* tum item, quia ita fuit reconfirmatum per Sac. Congreg. Rituum 12. Novembris 1615. Teste *Gavant. 2. p. Thes. tit. 8. de Canon. missæ, ver. Antistite nostro*, ubi monet Regulares de non nominando suum Generalem in Canone, pro Episcopo loci, ad evitandum peccatum mortale: de qua declaratione dubitat *Hier. Rod. in suo comp. resol. 25. de cel. Miss. nu. 24.* an sit authentica? sed immeritò, quia res toties repetita, & à pluribus decantata, non cadit sub dubio.

2. Benè verùm est, quod hujusmodi transgressor potest à mortali excusari, si prædicta prudenter ignoret, quia scilicet quæsivit scire & non potuit sapere, præcipuè apud fratres, qui regulariter his non ita disertè vacant; quod dictum amplectitur *Bordon. 1. p. Consil. resol. 25. q. 14. de cel. miss.*

Quaest. 101. *An obligatus quotidie celebrare, possit singulis Hebdomadis semel quiescere?*

1. D. *Ang. Barbos. 2. p. de off. & potestate Episcopi, allegat. 24. num. 28.* sub distinctione resolvit, aut obligatio quotidianæ Missæ refertur ad locum, vel ad personam Sacerdotis: si referatur ad locum, ut si dicatur, celebretur quotidie in tali Ecclesia, in tali Altari, seu in tali Capella: & tunc Sacerdos, qui hujusmodi onus habet, tenetur sine vacantia, quotidie celebrare, per se, vel per alium: si vero Missæ quotidianæ institutio referatur ad personam Sacerdotis, his verbis, vel per se, vel per alium celebret; institutio Missæ vacantiam non admittit; si verò absolutè, & simpliciter dicitur, ut instituatur Capellanus, qui quotidie celebret, tunc Sacerdos institutus, non tenetur quotidie celebrare; sed quantò frequentiùs potest, salva honestate, *juxta cap. quotidie 13. distin. 2. de consecrat. & cap. significatum 11. de præbend.* ibi, *ut Sacerdos prædictus, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium impendere Ecclesiæ memoratæ & quantò frequentiùs potest salva honestate sua, & debita devotione Missarum solemnia celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo*, hæc ibi, de quibus *Graffius 1. p. decis. Aur. lib. 2. cap. 34. num. 8. D. Ricc. 1. p. prax. decis. 403. nu. 1. in 1. edit. P. Victor in sum. de Sacram. Euchar. q. 85. Azor. 1. p. instit. lib. 10. cap. 24. q. 7. Rod. 1. p. sum. cap. 42. concl. 2. & Navar. in suo Manuali cap. 25. num. 135.* ubi unam continuam vacationem concedit, & aliquando duas, honestum enim est ut Capellanus semel in Hebdomada vacet, dummodo non teneatur per alium celebrare, ut dictum est, quod repetit, *Consil. 6. nu. 8. de præbend. in novis.*

2. Qui quidem Doctores advertunt, quod etsi liceat dict. Capellano semel in septimana quiescere, non tamen ei licet, accepta stipe, in die vacantiæ celebrare: quia sic ageret contra dict. Decreta Sacr. Congregat. de celeb. Missar.

3. An autem Capellanus, in dict. vacantia, possit ex charitate pro se, vel pro parentibus celebrare? affirmat *Peyr. tom. 3. privil. cap. 1. nu. 23. in fin.* quia secus dura nimis esset ejus captivitas, ut nullo unquam tempore posset pro se, vel suis unam Missam celebrare, quod colligit ex dicto verbo (*salva honestate*) quia honestum est, ut aliquando pro se, vel pro suis consanguineis celebret. Item ex illis, *Non sibi liceat hoc illi subtrahere sive causa volupt. &c.* ergo si non licet vacare à dicta celebratione Missarum, causa voluptatis temporalis, licebit causa devotionis, & charitatis; quod dictum ampliat ad præceptum Prælati Regularis; qui etsi subditis præcipiat, ut quotidie celebrent; adhuc tamen tale præceptum debet intelligi humano modo; ut scilicet interdum licitum sit subditis aliquando quiescere, & tempore talis vacantiæ, pro suis consanguineis Deum orare.

Quaest. 102. *Prælati Regulares, an teneantur sub mortali Missam Conventualem dicere, vel dici facere?*

1. ET dico, quod sic: loquendo tamen de jure communi, & colligitur ex *ex c. cùm creatura 11 de celebrat. Miss.* ubi sic ait, *Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus, & pro Anniversariis Defunctorum & pro festo vel feria secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia Conventualiter celebretis, &c.* & ex *Clem. gravi, 1. eod. tit. in 6.* ibi, *Sancimus, ut illi ad quos id pertinet & in eorum, si utique exempti non sint, negligentiã, vel defectum locorum Ordinarii: si verò exempti fuerint, aut aliàs circa hoc privilegiati Superiores ipsorũ omni negligentia, vel incuria penitùs relegata, circa reformanda,*

manda præmissa, & eorum singula corrigenda, necnon ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis debitis, devotè psallatur: in aliis verò convenienter, & devotè celebretur divinum officium, diurnum, & Nocturnum, si Dei, & Apostolicæ sedis indignationem evitare voluerint, &c.

2. Quæ quippè Clem. videtur, quod expressè loquatur, tam de celeb. Missarum, quàm de aliis horis, quia priùs ibi loquitur de divinis officiis: nomine autem officii divini, venit Missa Conventualis, quæ solet esse finis officiorum; hinc *Syl. in ver. missa* 1.*q.*4. ait, quod in Ecclesiis Collegiatis, vel Conventibus, missa de officio quotidie celebranda est.

3. Nec obstat dicere, quod dicta jura loquuntur tantùm de Ecclesiasticis, & Clericis, non autem de Monasteriis Monachorum: nam prædicta Clementina clarè loquitur de Regularibus, ut liquet in textu superiùs extenso, & additur cum Panormitano, & Doctoribus communiter scribentibus in *cap. ex parte de postulat.* quod quando aliqua Constitutio Papalis fit respectu Religionis, quæ potest convenire Monachis, & Clericis Regularibus, & non signantur; *Nisi aliqui eorum*; ligat omnes Regulares, etiam utriusque sexus; adeò, ut comprehendat etiam Moniales, etiamsi diversa nomina habeant, quia ubi est eadem ratio finalis legis, & idem jus legis debet adesse; *cap. cessante de Constit.*

4. *Rodriquez tamen* 1.*p.q.*9.*Regul.q.*43.*ar.*14.*cum suo compend. resol.*25.*de celebr. miss. tr. nu.*12.*Portell. in dub. ver. missa nu.*7.*Peyr. tom.*3.*privil. cap.*1.*q.*5.*nu.*19. limitant dictam resolutionem: dummodo in dict. Conventibus adsit mediocris numerus Sacerdotum, utputa, adminus tres, nam tres necessariò requiruntur ad faciendum Collegium, & dummodò hujusmodi fratres, vel Moniales vivant ex eleemosynis, quia sic tenentur quotidie celebrare, vel celebrari facere missam Conventualem, pro benefactoribus vivis, & defunctis: nisi fortè essent legitimè impediti, utputa si omnes essent infirmi, aut si una tantùm missa esset in die festo, & occurreret defunctus, pro quo necessariò esset celebrandum de Requiem: secus si non viverent ex eleemosynis, sed ex suis redditibus, *Rod. tom.*4.*addit. ad sum. cap.*51.*conclus.*2.*cum suo comp. cit. loc. & Portell. ubi supra.*

5. Sed quidquid sit de redditibus; curent Prælati, ne suis in Ecclesiis deficiat juge sacrificium missæ, quia res hæc multum pertinet ad commune bonum fidelium; idcircò talis obligatio gravis est, teste *Soto in* 4.*sent. dist. in.*13.*q.*2.*ar.*1. & præferenda omni particulari bono: & adde, quod si missa Conventualis pluries deficit, Populus valdè scandalizatur; & væ illi per quem scandalum venit.

Quæst. 103. *Sed quid dicendum, si dict. Prælati Regulares, sine causa omittant Missam Conventualem cantari; peccantnè mortaliter?*

1. Affirmat Doctissimus *Peregrinus* in *com. ad Constit. Theat.* 1.*p. cap.* 1.*lit. E.* quia superior omittens, sine causa, dict. Missam cantari, non solùm peccat ratione scandali, si exinde scandalum oriretur apud sæculares; sed etiam, quia rumpit rationabilem consuetudinem illam cantandi, quæ est conformis Sacris Canonibus, Rubricis, & Praxi universali Ecclesiæ, cujus transgressio ex negligentia, est peccatum mortale, cum sit materia gravis: quibus ego addo *tex. d. Clem. gravi,* 1.*de celebrat. miss.* ibi, *ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis debitis, devotè psallatur, &c.* qui textus obligat sub mortali, & liquet ibi, *Si Dei indignationem evitare voluerint*; & comprehendit expressè celebrationem Missæ, quia ut dictum est immediatè suprà, nomine divini officii, venit missa Conventualis, & constat ex Rubrica dict. Clem. quæ ponitur sub tit. de celebrat. miss. & obligat omnes Regulares, ac etiam Moniales, ut dictum est.

2. Nec his nocet *Diana* 3.*p. tract.*2. *de dub. Regul. in fol.*8. dicens, quod eorum Constitutiones non obligant ad peccatum mortale; ergo nec illa consuetudo cantandi Missam; quia est accessoria ad dictas constitutiones, nec fuit introducta cum intentione obligandi ad mortale, tum quia præcepta divina, aut Pontificia contenta in Regula, obligant transgressorem ad duplicem pœnam, unam scilicet ratione violatæ divinæ, vel Pontificiæ legis, alteram verò ratione legis Constitutionis, ut plures dico, & patet de fornicario, qui punitur duplici pœna, una, ob transgressionem legis Dei; altera verò ob transgressionem legis Constitutionũ ergo transgressor in casu posito, non solum est transgressor suarum Constitutionum, quæ non obligant ad mortale, verùm etiam est transgressor legis Pontificiæ rationabilis consuetudinis, usus, & praxis Ecclesiæ universalis, quæ utique obligant ad mortale; tum etiam, quia dicta consuetudo non est nova, nec accessoria ad constitutiones jam dictas, sed antecedens, & principalis totius Ecclesiæ universalis Romanæ, per quam transiit ad Ecclesiam particularem, cum omnibus qualitatibus: nisi fortè reperiatur à S. Papa limitata; ergo judicium judicandi de ea, an sit mortalis, vel venialis, non est desumendum à propriis constitutionibus, sed ab Ecclesia universali, à qua particularis mutuavit: in qua particulari, si nihil de hac limitatione dicatur, remanet decisio in dispositione juris communis, secundùm communem Juris regulam, qua dicitur, quod casus omissus in aliqua dispositione speciali, remanet in dispositione juris communis.

Quæst. 104. *An in Ecclesiis Regularium sint cantandæ duæ Missæ in Feriis Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, in quibus festum novem lectionum occurrerit; una scil. de Feria, altera de Sancto; an verò sufficiat eas privatas, seu bassas dicere?*

1. Resolutio hujus dubii pendet ex illo, an Ecclesiæ Regularium dicantur Collegiatæ? Nam quod Ecclesiæ Collegiatæ teneantur ad prædictas, certum est ex *cap. cum creatura ii, de celeb. missar.* ibi, *Mandamus, &c.* quod verbum, est præceptivum obligans ad mortale, nec non ex Rubrica Missalis Romani, reformati à Pio V. qui vult, ut in Ecclesiis Collegiatis duæ Missæ dicantur in Quadragesima, Adventu, & in vigiliis; una scilicet de Feria, & alia de Sancto currenti, ad quod, *Gavantus* 3.*p. Thes. tit.*11.*num.*11. refert decreta Sac. Congr. Rituum, lata die 16. Maii 1626. & die 16. Januarii 1627. quæ loquuntur de Collegiatis.

2. *Rodriquez tom.*1. *q.*43. *ar.*12. negat Regulares comprehendi sub dictis Rubricis, & Decretis: quia Regulares, in odiosis, non comprehenduntur, nisi exprimantur. *Gavantus autem cit. loc. num.*12. admittit Ecclesias Regularium non esse Collegiatas, non propter rationem Rod. sed quia Ecclesiæ Regularium appellantur propriè Conventuales ab Innocent. IV. in *Bulla cum* 7 *in Bull. Cherub.* ubi *Flavius Cherub. in compend. Bullar. schol.*1. dicit, eo titulo appellari ad differentiam Collegiatarum, quæ sunt propriè Canonicorũ. Item in *Clem. gravi* 1.*de celeb. miss. ex Concil. Viennens.* distinguuntur Ecclesiæ Regulares à Cathedralibus, & Collegiatis: quibus postremis dumtaxat imponitur onus de duabus his missis, quibus adde, Rubricas aliquas esse strictioris juris in Missis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, quam Regularium, *Gavantus cit. loc. num.*4. ergo ab una Ecclesia, ad alteram non licet argumentari. *l. Pomponius.*

3. Qui.

3. Quibus adde privilegium Martini Papæ V. quo concessit Fratribus S. Hieronymi, & consequenter, ob communicationem privilegiorum, omnibus Mendicantibus, ut in quatuor temporibus, vel in diebus Quadragesimæ, aut, &c. Sufficiat in Monasteriis celebrare missam de feria, si hoc velint, cum commemoratione festi, quod in ipsa die celebratur, nisi eadem die sit duplex, aut semiduplex, super hoc tamen onerat conscientiam Prælatorum, si non est tanta multitudo fratrum, qui possint duas missas dicere, ut liquet in dict. privileg. quod per extensum refert *Roder. cit. loc.* & habetur *in comp. privil. Mendicantium, vers. missa quoad modum* §. 17.

4. *Peyrinus verò tom. 3. privil. cap. 1. num.* 19. ait, quod quando dicendæ sunt dict. duæ missæ, satis est, ut una cantetur, & altera privatim dicatur, quia Decreta Sacr. Congreg. dicunt, quod dicantur duæ, non autem dicunt, quod cantentur, & addit, quod dict. præcepta intelliguntur illata modo humano, ut in causa justa, & honesta, possint prætermitti sine peccato mortali: ad quod faciunt ea multa, quæ adunat doctissi. *P. Verricellus 1. p. moral. tract. 8. Miscell. q. 30. num. 2. & seq.*

Quæst. 105. An legatum pro Missis celebrandis debeat præferri cæteris piis legatis; si ad omnia legata, hæreditas non sufficiat? vel potius sint omnia pro rata solvenda?

1. QUod deficientibus viribus hæreditatis pro adimpletione legatorum omnium, sint ipsa legata profana diminuenda pro rata, non cadit sub dubio, nam habetur expressè in *l. pro debito 6. C. lib. 7. auth. de bonis tit. 72.* & liquet ibi, *æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest*, & in *l. si vero composita*, §. 1. *ff. de militari testamento*, & in *l. si quis testamento 82. §. apud Julianum, ff. de legatis* 1. & in *l. si post missionem* 17. & in *l. in ratione legis falcidiæ* 30. § *ult. ff. ad legem falcidiam tit. 2.* quod adeo verum extat, ut si uni legatario integraliter facta est solutio per hæredes, possit alter legatarius agere contra eum, cui facta est solutio ad contributionem, & restitutionem suæ partis, ad *text. l. 2. §. 1. ff. de conditionibus in debit.* & attestantur *Gomesius var. resolut. tom. 1. cap. 12. num. 34. Boërius decis. 145. num. 5. & D. Regens Capyc. Latro tom. 1. decis. 12. num. 3.* & ratio potest esse, quia legata non debentur ultra vires hæreditarias, ut dicitur in *l. 1. §. 1. ff. de condit. indebit.* ubi *Alex. nu. 3. & Jason. & D. Reg. de Franchis decis.* 236. tum etiam, quia hæres, ubi hæreditatem adivit, quasi ex contractu tenetur æque omnibus creditoribus, juxta vires hæreditarias satisfacere: tum item, quia debita sunt merè personalia, ad quod facit *l. 1. ff. de pollicitationibus*; ergo creditores idem jus habent super bonis defuncti, ut in *d. l. pro debito C. de bonis.*

2. Dubium tamen est, an concurrentibus legatis piis, & non piis, omnia legata sint diminuenda pro rata? Vel prius sint solvenda legata pia integrè, & postmodum prophana? vel potius hæc, & illa, pro rata? Si ad omnia legata hæreditas non sufficiat, ut dictum est supra.

3. Pro negativa sententia sunt Doctores non pauci, & quidem eruditissimi, quos allegat *D. Ricc. 1. p. decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 221. in princ.* quibus adde *Molfes. ad consuet. Neap. tom. 1. consil. 13. num. 6. Surd. de aliment. tit. 8. privil. 30. nu. 3. Cardin. Lugo de just. tom. 1. disput. 20. nu. 90. Diana p. 7. tract. 10. resolut. 4. Joan. Mar. Novar. in tract. de privil. miser. person. privileg. 22.* & alii plures; & moventur ex multis infra dicendis.

4. Sententia tamen affirmativa verior, & communior est; eamque amplectuntur infiniti DD. quos allegant & sequuntur *Syl. ver. legitima portio q. 10. & ver legatum, nu. 20. Tab. nu. 1. Armilla n. 41. eod. ver. Tiraquellus de privil. pia causæ privil. 26. nu. 9. & privil. 72. P. Sanch. in sum. lib. 4. cap. 15. n. 40.* post Doctorum collectaneum, & ita fuisse decisum in Sac. Concil. Neapol. & Curia Archiepiscopali Neap. refert *D. Ricc. in d. decis.* 221. & ita præctari in Tribunalibus scribit *Molfes. cit. loc.* quamvis ipse contrarium defendat, *Consil. 13. nu. 5.* & hanc opinionem esse magis approbatam in hoc Regno, ait sapientissimus *D. Reg. Capyc. Latro 1. p. decis. 12. num. 4. D. Reg. de Franch. decis. 236. nu. 2. D. Reg. Rovitus decis. 87. nu. 2. & 3. Martha de succ. ess. legali p. 4. q. 18. ar. 9. Greg. Lopez in l. 1. Glos. 1. tit. 11. p. 6. Cevallos pract. 4. q. 103. Gutier. in l. nemo potest. nu. 97. ff. de leg. 1. Bonac. de contractibus disp. 3. q. ult. p. ult. num. 27. Comitolus Responsorum lib. 7. q. 10. nu. 10. Diana multis allegatis p. 3. moral. tract. 5. resolut. 60. Alphons. de Leone 3. p. de offic. Capell. q. 5. sect. 7. num. 82.* ubi limitat supradictam generalem conclusionem in missis celebrandis unica vice, in die funeris *D. Thorus 1. p. decis. Neap. ver. legata pia,* & in *resol. decis. Cur. Arch. Neap. ver. eodem*; & alii quamplures, quos allegat, & sequitur eruditissimus *P. Angelus Maria Verricellus Theatin. 1. par. moral. tract. 8. Miscell. qu.* 64. ubi de re accuratè discurrit, & decisionem R. Fabricæ S. Petri refert, editam Neapoli die 17. Novembris 1643. ad beneficium Ordinis nostri, & moventur similiter ex multis.

5. Primò, quia eædem rationes allatæ pro legatis prophanis, militant etiam in legatis piis, nam omnes legatarii, sive sint prophani, sive pii, sunt æque Creditores, & Donatarii super hæreditate defuncti; ergo habent unam, & eandem rationem personalem super dicta hæreditate; ergo una, & eadem lance librandi.

6. Secundò moventur ex præsumpta voluntate testatoris, quem non potest prudenter præsumi, in casu posito, velle legatarios missarum præferri cæteris legatariis sibi amicis, vel conjunctis; ita ut illi habeant integra legata; isti autem valdè diminuta; non obstante, quod sint ipsius amici, vel consanguinei, & quod ipse nihil dixit: non enim æquum est, ut in re communi sibi æqualiter debita, quidam esuriant, quidam verò abundent.

7. Tertiò, quia cum legata omnia, sive sint pia, sive prophana, in universum sunt pro rata solvenda; ut constat ex relatis legibus: ab hujusmodi autem regula, & legibus prædictis recedendum minimè est: nisi ob speciale privileg. concessum legatis piis, per quod derogetur tot legibus in contrarium expressè loquentibus, quod privilegium nullatenus reperitur in jure, ut scilicet deficientibus viribus hæreditatis, pia legata solvantur integrè, primò, & planè, & alia non pia, secundariò, ac diminutè; ergo minimè asserendum est, ne velimus tot leges, sine causa destruere.

8. Nec refert, quod legatum pium habeat privilegium, ut non patiatur diminutionem ex falcidia, tum quia hoc privilegium est diversum à diminutione ex defectu virium hæreditatis; & privilegium non extenditur de persona ad personam, neque de casu ad casum, etiam ob identitatem, vel majoritatem rationis, ut constat ex decisis, *tom. 1. prax. p. 1. tract. 3. q. 4. nu. 8. & tract. 6. q. 1. nu. 5.* ad quod facit *cap. sanè de privil.* non enim sunt multiplicanda privilegia, neque asserenda, nisi in jure reperiantur expressa; *l. quod vero, ff. de legibus*, & docent indifferenter Doctores, præcipuè *Socinus Junior in l. 1. nu. 12. & in l. sciendum nu. 100. ff. de legat. 1.* tum etiam, quia ex privilegio, ne legatum primò patiatur diminutionem ex falcidia, non infertur privilegium, ne patiatur diminutionem ex defectu virium hæreditatis, nam legata relicta à milite in militia, non patiuntur detractionem falcidiæ: & tamen patiuntur diminutionem ex defectu virium hæreditatis: & omnia legata relicta in Castris, ac post missionem ex militia, pro rata solvuntur; *l. si certarum, §. final. & l. sequenti, ff. de militari testamento, l. si post missionem Jason in l. si quis testamento 82. §. 1. num. 2. ff. de legat.*

legat.1.Guttierez in l. nemo potest num.97. ff. de de legat.1.& alii multi probant, quod deficientibus viribus hæreditatis, omnia legata pia & prophana, solvenda sunt pro rata.

9. Hinc *P.Verricellus cit.loc.sub num.12.* benè infert, si legata pia, & prophana pro rata solvuntur; à fortiori, & legata pro missis & pro fabrica Ecclesiæ, debent pro rata solvi: absurdum enim est, legatum prophanum concurrens cum legato pio, pro rata solvi, & legatum pium pro fabrica Ecclesiæ, concurrens cum alio legato magis pio, omninò excludi; nam major est affectio testatoris ad legatum pium, comparatione prophani, quam ad legatum missarum, comparatione alterius legati pii, utpotè fabricæ Ecclesiæ, sed legata pia, & prophana pro rata solvuntur; ergo etiam pro rata solvenda sunt pia legata, & magis pia, quandoquidem est major distantia, seu diversitas inter legatum prophanum, & pium, quàm inter pium, & magis pium, quibus additur, quod sicut exigitur privilegium ad hoc, ut legatum pium præferatur prophano; ita à pari, & fortiùs requiritur privilegium, ut legatum magis pium præferatur minus pio; sed illud non apparet, & multo minus & istud; ergo standum est juri communi, quod non læditur, nec potest lædi; nisi per privilegium, quod est attentè legendum; ad quod facit *Glossa in l. privilegia, ff. de privilegiis Clericorum.*

10. Nec his obstat dicere, quod sacrificium Missæ securius, & uberiùs prodest animæ testatoris, quàm legatum pro fabrica Ecclesiæ; tum quia non spectatur, quod magis prosit; sed quod testator disposuerit, & jura præcipiunt: unde dici solet, quod fiat jus, & pereat Mundus; tum etiam, quia nullibi legitur, quod illa major securitas, & ubertas sacrificii missæ, det prælationem in piis legatis, tum item, quia licet legatum missæ, quantum est ex se, magis prosit animæ testatoris, quam cætera legata; nihilominus incertum est, an anima illius capax sit fructus missæ, sed tantùm piè creditur: at non est violanda Justitia pro pia credulitate; ergo.

11. Amplia dict. resolutionem, etiam si legatum missarum foret primò nominatum inter cætera pia legata, quia ordo scripturæ non dat legatis prælationem, ut patet ex *text. l. si cui, §. si plures, ff. ut in possess. legatorum* ibi, *inter legatarios nullum ordinem observamus, sed simul omnes æqualiter tuemur.* Nec obstat *text. in l. generaliter 24. §. quid ergo, ff. de fidei commissariis*; nam ut benè docent *D. Regens de Franchis decis.236 in fin. & D. Reg. Capyc. Latro tom.1. decis.12. in fin.* textus ille procedit, ut diminutio non fit facienda pro rata, sed ordo scripturæ attendatur, quando legata essent individua, ut relicta libertate pluribus pretio mediante, quod non sufficit ad liberationem omnium, nam in tali casu, non fiet diminutio pro rata, sed primò nominatus, juxta ordinem scripturæ, erit liber, quia legatum tale est individuum; ut manifestè apparet ex *tex. authent. hoc amplius, C. de fidei commissis*, ubi dicitur, quod in manumissione servorum attenditur ordo scripturæ, qui ordo non attenditur in aliis legatis, sed cætera omnia solvuntur pro rata.

12. Nec item obstat, *tex. l. hæredes mei, 56. §. peto, ff. ad trebellianum* nam ibi constabat de voluntate testatoris, quod non plures simul, sed unus tantùm admitteretur ad fideicommissum: unde necesse erat ordinem nominationis attendi.

13. An autem legatum speciei, deficientibus viribus hæreditatis, veniat in contributionem cum cæteris legatis? an verò aliis præfertur? quæstio est inter Doctores non levis: quod tamen venire docet communis opinio: itaut legatarii speciei, deficientibus viribus hæreditatis, patiantur diminutionem, & admittantur pro rata, juxtà *text. in l. quærebatur, ff. ad legem falcidiam* & docent plerique Doctores: ac decisum referunt *D. de Franch. decis. 236. num.12. Gratianus discept. forens. cap.64. num.12. & D. Reg. Capyc. Latro 1. par. decis.12. num.5.* cætera verò vide apud præcitatos Doctores, qui de re ad satietatem loquuntur.

Quæst. 106. Missam celebrans, si Sacerdos non sit, in quas pœnas dat?

1. RESpondeo, quod hujusmodi præsumptuosus, de jure communi, est omninò deponendus, & non amplius ordinandus, juxta *textum cap. si quis baptizatum, 1. cap. ex literis 2. de Clerico non ordinato ministrante*; immò hodie debet cognosci, & puniri ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, prout declaravit Paulus IV. in sua Constit. incip. *officii nostri partes*, edita die 6. August. 1474. Pontif. Anno 3. *in §.2. ibi, nos itaque, &c.* insuper, & prævia degradatione, curiæ seculari, debitis pœnis ab ea plectendus, debet tradi, juxta dispositionem Const. Clem. VIII. incip. *etsi aliàs Fel. Recor. Paulus IV. &c.* quam per extensum habes in libello attitulato, Bullæ, & Decreta recentiora, *fol. mihi 238. & in Bullar. Cherub. tom.3.* quæ est 81. inter Bullas ejusdem, fol. mihi 138. quam constitutionem Urbanus VIII. sua Constit. incip. *Apostolatus officium, quæ est 79. inter Bullas illius, in 4. tom. Bull. Cherub.* ampliat ad homines minoris ætatis vigintiquinque: dummodo tamen vigesimum Annum compleverint, *ut in §.4.* ibi, *ipseque non promotus, sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, sive laicus, sive Clericus secularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam de necessitate exprimenda Regularis, aut cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, nobisque, & Apostolicæ Sedi immediate subiecti, necnon militiarum quarumcumque, etiam S. Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiæ seculari, pœnis debitis plectendus*, hæc ibi, de qua re, ad ornatum, legendi sunt noster *Palud. in 4. sent. distin.17. q.3. ar.1 Concl.1. & distin.22. q.3. Concl.2. S. Ant.3. p. tit.17. cap.1. §.1. Syl. ver. Confessor.3. in princ. Victoria in sum. & Armilla ver. absolutio §.9. Martin. Ledesma, 2. p. q.7. ar.3. dub ult. Sot. in 4. sent. distin.18. qu.4. ar.1. Navar. in Manuali cap.27. num.242. Sayr. de censur. lib.7. c.5. num.8. & P. Carol. Thes. de pœnis Eccles. 2. p. prax. ver. Ordines cap.32.* ubi latè de actibus Ordinum, & illos exercentibus.

Quæst. 107. An quis audiens Missam è fenestra Domus, satisfaciat præcepto audiendi Missam?

1. RESpondeo affirmativè cum Doctissimo *Vericello 1. p. Moral. tr.8. Miscell. q.56.* dummodo tamen ab illa Fenestra Sacerdotè possit audire, & Missam videre, ducorque, quia licet præceptum audiendi Missam in diebus Festivis, postulet præsentialem, & corporalem assistentiam, ad finem percipiendi sensibiliter verba, & cæremonias Missæ, ut liquet *ex cap. Missas 63. distin.1. de Consecr.* ibi, *Missas, die Dominico, secularibus totas audire speciali Ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat, &c.* adhuc tamen per talia verba non exigit propinquissimam, ac immediatam assistentiam corporalem, ac immediatam cum Sacerdote, sed moralem, talem scil. quæ sufficiens sit ad finem prædictum, prout egregiè exponit noster *Sotus in 4. sent. distin.13. q.2. ar.1. ad finem §. in Calce demum*, ibi, *cum dicimus audire Missam, intellige præsentem esse; nam qui in magna Ecclesia, Sacerdotem à longè spectat, licet non audiat, præceptum implet, veluti qui Græcam audiret Missam, cujus nullum verbum intelligeret*; hinc colligitur, (inquit ipse,) attentionem, quæ sub præcepto necessaria est ad audiendam Missam, non esse tantam, quanta in Officio Canonico persolvendo requiritur, sed sat est, quod sit actus humanus, sic etiam intelligit ly *audire totas Missas*, moraliter scilicet sive civiliter,

secun-

secundum actus humanos, quod dictum amplectitur *Navar. in sum. cap. 21. de 5. precepto Eccl. num. 8. in medio*, ibi, *quia satis est ex longinquo Missitanti adesse, & Azor. 1. p. instit. lib. 7. cap. 3. q. 4.* dicit, quod qui è longinquo Missæ Sacrificio præsentes adsunt, præceptum adimplent, quia dictum verbum audiendi Missam, non sumitur expressè, ac strictè, sed largè, seu moraliter, quod est à longè Sacrificio interesse, quod ante eos, erudité dixit *S. Anton. Archiep. Florent. 2. p. summ. sub tit. 9. cap. 10. de negligentia Missarum §. 1. dub. 5.* ubi quærit: *Utrum sit necessarium, sensim; seu paulatim, & distinctè audire verba Missæ?* ad quod respondet negativè; nam aliàs sequeretur: quod qui audirent Missam ab his, qui submissè dicunt, cum multitudo adest, & qui remoti sunt, non implerent præceptum, quod est falsum, similiter, & qui surdi essent, vel hebetem auditum habent, quapropter subjungit, quod intelligentia dict. præcepti desumenda est *ex cap. humanæ aures, 22. q. 5.* in quo dicitur, quod apud Deum, mens potius, quam verba attenduntur, ad quod facit *cap. Marchion. 1. q. 1. & extrav. præterea, de verb. signif. & cap. intelligentia 23. q. 1.* ex quibus colligit, quod intentio Ecclesiæ in illo Decreto est, quod quis præsens sit in Missa, & vacet Deo, si etiam intelligens est, dignum & justum est, ut intelligat, & conentur intelligere, quæ dicuntur populo in Missa, quod sequitur, *Sylv. ver. Missa 2. q. 6. Tab. eod. verb. nu. 49. & Armilla eod. tit. nu. 31.*

2. Unde constat, quod pro adimplemento dict. præcepti, non est necessarium auribus propriis audire verba, licet sit benefactum: sed sufficit præsentem ibi esse, & vacare pro illo tempore his, quæ dicuntur, & aliis non se occupare; quamobrem benè dicitur, quod præsens moraliter Sacrificio Missæ, satisfacit præcepto audiendi Missam; tum quia ille dicitur moraliter præsens, qui videt, & intelligit ea, quæ aguntur, ad textum expressum *in l. coram Titio, 209. ff. de verb. significat.* ibi, *coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse: nisi is intelligat*, ubi, *Rebuffus ver. 8.* ait, *quod ubi Jus requirit præsentiam personæ, non intelligitur aliquis præsens, nisi intelligat, quæ aguntur*, quocirca Doctores indifferenter dicunt, eum præsentem dici, qui percipit ea, quæ fiunt, & docet *Glossa in extrav. execrabilis, de præbendis, & dignitat. Joan. 22. in 6. tit. 3. ad finem ver. coram*, ibi, *tunc coram aliquo fieri dicitur cum fit eo præsente, & intelligente, licet alias volente*, ad quod refert relatam legem, coram Titio; tum etiam, quia in Jure, paria sunt, esse sub eodem Tecto, vel cubiculo, & in ea distantia, ut humana vox altè clamantis, exaudiri possit; *ad text. l. etsi §. eodem ff. ad Sillianum*, ibi, *quicunque eo loco fuerint, unde vocem exaudire potuerunt, hi puniantur, quasi sub eodem tecto fuerint*: ubi Doctores ibi scribentes notant, vicinos dici eos, quorum voces altè clamantium exaudiri possunt: unde *Ancaranus in cap. Canonum statuta nu. 284. de Constit.* ait, *vicinos dici usque ad locum ubi potest exaudiri vox hominis clamantis*, vox tamen communis, & secundum naturalem, & communem usum temporum, idem cæteris allegatis, dicit *Menochius de Arbitr. casu 221. n. 15.*

3. Quapropter is, qui è fenestra suæ Domus videt, & audit vocem Sacerdotis altè Missitantis, absque ullo dubio debet dici, quod sit præsens, vicinus, & unus de circumstantibus ad Missam, hinc plura inferuntur.

4. Primò, quod si Parochus existens in Altari conspiceret in fenestra opposita duos ineuntes matrimonium, & perciperet eorum mutuum consensum, utique tale matrimonium validum esset, quia censeretur factum præsente Parocho, juxta tradita per *Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 39. nu. 1.* Secundò, quod si Sacerdos sit in Altari, & videat existentem in fenestra opposita vulneratum clamantem (Confessione, Confessione,) potest ex eodem Altari eum absolvere; nam illud pronomen, *te absolvo*, refertur ad personam proximè secum colloquentem, & docet in simili casu, *Regnaldus lib 8. nu. 32.* Tertiò, quod qui ex fenestra suæ Domus ex intentione conspiceret duos in duello pugnantes, in domo sibi proxima, incideret in excommunicationem latam, contra spectatores duelli, quia censeretur moraliter præsens, *D. Gregor. Carrafa meritissimus Episcopus Cassanens. de duello tr. 2. sect. 3. q. 11. nu. 4.* ob rationem prædictam. Quartò, quod Sacerdos potest consecrare Hostiam existentem in tanta distantia, ut possint duo homines ad invicem colloqui, prout notat noster *Viguerius in Instit. tit. de Euch. 156.* ubi in fine dicit, quod ad hoc, ut materia sit præsens in hoc Sacramento, duo requiruntur. Primò, quod aliquo sensu, ejus præsentia à consecratore percipi possit. Secundò, quod sonus verborum possit illam contingere, quod tamen dictum, non approbat *Suar. 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 43. sect. 5. ver. sed quæres*, at propugnat *Verricell. cit. loc. num. 10.*

6. Nec his obstat *Diana 4. p. tr. 4. Miscell. resol. 154.* dicens oppositum resolutionis prædictæ, quia inhæret opinioni *Filiuccii to. 1. tr. 5. cap. 7. num. 209. & Portell. in dub. ver. Indulg. in addit. num. 8.* qui negant eos, qui è fenestra, vel porta Ecclesiæ Missam audiunt, vel vident, esse moraliter præsentes sacrificio Missæ: qui tamen non sunt audiendi, tum quia loquuntur contra jura allegata, & rationes adductas: tum etiam, quia eis resistit quotidiana praxis, qua videmus in Nundinis, existentes in foro, audire Missam, quæ celebratur in loco patente, & eminente; sic quoque existentes in Castris, vel navibus, audire, vel videre Missam, quæ in portu dicitur in aliqua ædicula patente; & quamvis, ob distantiam, Missæ verba non audiant, adhuc tamen Missæ præcepto satisfaciunt, quia, ut dictum est, non obligat cum tanto rigore.

TRACTATUS OCTAVUS.

DE CONFRATERNITATIBUS LAICORUM.

Quæst. 1. *Confraternitas quid sit, & quotuplex, & unde dicatur?*

1. Confraternitas genericè sumpta, idem est, quod Societas hominum, sub certis legibus inter se initorum, ad munus aliquod, sive sacrum, sive profanum, peragendum; quæ quippè Societas solet interdum appellari Corpus, fictum scilicet, fictione Juris. Unde antiquitus Confraternitates dicebantur corpora, ut multi colligunt *ex l. rerum ff. de usu cap.* ubi Pomponius ait. *Corpus sumus de conscientia Religionis, & Disciplinæ unitate, & spei fœdere, coimus in cœtum, & Congregationem, & Callistratus lib. 4. de cognitionibus* inquit: *eos, qui in corporibus sunt, veluti Fabrorum immunitatem habere dicimus*, *Navar. tom. 4. de orat. Miscell. 4. n. 1.*

2. Præterea, Confraternitates aliquando appellantur Collegia, Sodalitates, & Militiæ, ut ex multis ostendit *D. Consalvus Poncè in tr. de Sodalitiis, c.1. & 2.* ubi ad intentum plura adunat, & Jura allegat, ad quod facit id, quod dicit *S.Thom. in 4. Sent. distin. 28. q. final. ar. 1. ad 4.* ibi, *duplex est Congregatio, altera Politica, sicut Civitas & Regnum, altera verò Oeconomica, cujus curam gerit ille, qui præest sicut Paterfamilias.*

3. Verum quoad intentum, dicendum est cum *Baldo in l. si quis ad declinandam, §. final. nu. 19. C. de Episc. & Cleric.* quod Confraternitas est collegium personale, voluntarium, Religionis causa congregatum, & colligitur *ex l. 1. § sed Religionis, ff. de Colleg. illicitis*, in qua diffinitione ponitur Collegium, loco generis: dantur enim Collegia multarum specierum, de quibus *in d. l. 1. de Colleg. illicit.* & subjungitur, *Personale*, ad differentiam Collegii naturalis, seu realis, prout est Capitulum, Villa, Oppidum, & Civitas; est enim differentia inter hoc & illud, quia Collegium naturale, seu reale, de necessitate exigit locum; adeò, ut ex hominibus in loco collectis, resultet naturale Collegium, non autem Collegium personale, quod fictione Juris, supponit pro persona præcisa, disjuncta à loco, & additur, *voluntarium*, quia nemo cogitur invitus Confraternitatem intrare: unde quilibet sua sponte potest fraternitatem deserere, dummodò de bonis nihil retineat, prout dicitur *in d. l. 1. de Colleg. illic.* & docet *Gutierez. Canon. quæst. lib. 1. cap. 35. num. 21.* Dicitur denique *Religionis causa congregatum*, ad differentiam illorum, quæ Artium causa congregantur, ut in *d. l. 1. ff. de Colleg. illicitis, Megal. in suo Prompt. ver. Collegium num. 2.*

4. Et dicitur *à con*, id est, *simul*, & *fraternitate*, hoc est, *unitate*, sunt enim Confratres, quasi Fratres, simul uniti in pace, & charitate, sub certis fœderibus, ad exequendum Dei mandata; quandoquidem ab his tanquam in Republica, res omnes communiter peraguntur, & fiunt, nemine discrepante, ad æmulandum Charismata meliora, *Syl. & Tabiena, ver. Confraternitas.*

5. Hinc apparet, quam maligna, & invida sit Hæreticorum malitia, qui duplici via sanctum, & laudabile Confraternitatum usum reprehendunt; prima, dicendo, quod Confraternitates sint quoddam novum figmentum, recens à Catholicis inventum: altera, & à priori, quam longissimè abhorrente, quod sint ab Ethnica Religione mutuatæ; non erubescunt Hæretici contraria fateri; sunt enim versatiles, variique prothei, versipelles, & veluti camæleontes, diversâ varietate conspersi, Si Confraternitates sunt ab Ethnica Religione mutuatæ, ergo non debent dici, quod sint recentes in Mundo, & quod sit figmentum Catholicorum; non enim novum dici potest, quod, ut diximus, semper apud veteres fuit, & quod cum ipsa Ecclesia incœpit, coaluit, & consenuit; quonam modo hæ novissimæ Confraternitates dicuntur novum inventum, dum descendunt ab illo Ritu, quem servabant Apostoli in principio nascentis Ecclesiæ, quibus erat cor unum, labium unum, Pax, & Charitas uniformis? audiant Hæretici Chrysostomum, sic eleganter *in Homil. 7. in Matth.* loquentem; *sicut in corporali ædificio, lapis ad lapidem, cæmento mediante constringitur; sic in ædificio Ecclesiæ, Christianus ad Christianum, charitate mediante, connectitur; ideo super fraternitatem charitatis Ecclesia, composuit fundamenta, ut radicibus Charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos*, & ille Magnus Basilius, *in oratione de Divinis promissis*, dicit, *Christi morientis legatum, fuisse pacem, & concordiam*, unde subjungit. *Si turpe fuit antiquis, paternam hæreditatem relinquere, & sine honore, & hæredis nomine tacere judicium defuncti parentis, quamvis nihil commodi ex illius hæreditate sperari potuisset: si veteres leges filios vel invitos cogebant, patrum hæredes esse; quare Christiani Christi è vita jam discedentis, nobilissimum illud prælatum, pacem nempè repudiabunt?* Hæc ille, ex quibus, nedum prosternitur primum jam dictum Hæreticorum jaculum: verùm etiam respuitur, & retunditur, prout pariter rejicitur & secundum; nam si integrum fuit Paganis sodalitia, collegia, sive collegas, & sodales, ad cultum suorum falsorum Deorum instituere; cur non licebit Christianis, vero Deo sodalitates dicare? cur non erit nobis licitum, Christianæ Religioni quid simile permittere? nonne Elias, ut facta testatur Historia, nonne Joannes Baptista discipulorum Congregationem instituit, & habuit? nonne pariter & Christus? nunquid & hi mutuarunt ab Ethnicis? taceant Hæretici, & veritatem addiscant.

Quæst. 2. Confraternitas, cujusnam authoritate, erigi possit?

1. SUb distinctione resolve: aut loquimur de Confraternitate erigenda, absque usu sacrorum, & sine Saccis, & potest erigi sola authoritate eorum, qui simul in ea conveniunt, etiam si erigatur Religionis causa, ut constat *ex l. 1. §. sed Religionis, & l. final. de Colleg. illicit.* ibique docet *Barthol. num. 6. & Bald. consil. 407. num. 8. ver. tangitur, & Abbas in cap. dilecta, de excessibus Prælat. ver. vel si fiant causa pietatis.*

2. Secùs autem dicendum, si debeat erigi cum usu sacrorum, vel saccis, aut speciali indumento: nam sic non potest erigi sine authoritate Apostolica, vel ordinaria Episcopi loci, *cap. Patentibus, de privil.* & docent, *Felin. in cap. sicut num. 29. de sent. & re judic. D. Alex. Sperellus, 1. p. dec. 87. num. 18. in fin. & clarius 2. p. decis. 153. nu. 23. & decis. 155. num. 3.* & clarissimè constat ex Bulla *Clem. 8.* incip. *Quæcunque à Sede Apostolica*, de qua latè hic infrà *q. 7.*

Quæst. 3. Confraternitas ubi nam erigi possit?

1. ET dico, quod potest erigi, & congregari ubi magis placet, etiam sine licentia Episcopi: exceptis tamen Ecclesiis monialium, ut in facti contingentia respondit Sacr. Congreg. Episcop. 14. Augusti 1584. nam cum Confraternitas non sit Collegium reale, sed personale, ut non sit annexa loco, sed consideretur separatè, de per se, ut liquet ex dictis *hic supra q. 1.* & docent *Innoc. in cap. dilecta num. 5. de excessibus Prælat. Abbas consil. 31. nu. 1. ver. sed his non obstantibus, Petrus de Ubaldis in tr. de Canonica Episcop. num. 9. & 22. Rota Rom. coram Coccin. dec. 472. num. 2.* & alii multi, quos allegat, & sequitur *D. Ricciull. Lucubrat. Ecclesiast. lib. 4. cap. 3. n. 2. ubi in nu. 3. ex Rota Rom. cit. loc. num. 7.* ampliat, dicendo, quod si fuerit in alterius Ecclesia recepta, potest ad libitum exinde recedere, & ejici.

2. Dixi, *exceptis Ecclesiis Monialium*; tum ob Rotam Romanam, *cit. loc. nu. 3. & 4.* tum etiam, quia ita Sacra Congregatio Episcopor. respondit Episcopo Barensi 6. Aprilis 1595. & meritò, quia monialibus interdicta est hominum Conversatio, *cap. pervenit 18. q. 2.* ergò ad omnem bonum finem, non debent ibi homines congregari.

Quæst. 4. Quotnam personæ requirantur ad constituendam Confraternitatem?

1. CUm Collegium, Congregatio, & Confraternitas, convertantur, *l. fin. in fin. ff. de Colleg. illicit.* dicendum est de Confraternitate, sicut de Collegio dictum est, *tom. 2. Prax. p. 3. tr. 2. de loco elect. q. 5.* quod scilicet de

de Jure Civili, ad minùs requiruntur tres Idoneæ personæ, prout expresse dicitur *in l. Horatius*: etsi de Jure Canonico sufficiant duæ: prout idem expresse dicitur *in cap. nullus de elect.* ibi, *duo, vel tres fuerint in Congregatione*, ubi, *Glossa in ver. duo*, ait, *quod duo faciunt Congregationem, tres vero Collegium*.

2. Quod dictum, respectu Confraternitatis Ecclesiasticæ, procedit, sive dicti Confratres sint masculi, sive fœminæ: nam quantum attinet ad Dei cultum, non est masculus, neque fœmina, nec liber, neque servus: omnes enim in Christo eamdem mercedem percipere debent, §. *hinc autem authent. de Monach.* & ob id omnes possunt esse de Confraternitate: si tamen Confraternitas sexui, vel statui non repugnet. *Bald in d. l. final. nu.* 16. *ff. de Colleg. illicitis*, quod etiam procedit, sive sint majores, sive minores: dummodò usum liberi Arbitrii habeant, & Christianam Doctrinam non ignorent, nec sint homines facinorosi, nec aliqua infamia notati, quod item procedit, ut non solùm possint esse de una Confraternitate, sed etiam plurium: dummodò statutum unius, non repugnet alteri, *Barthol. in d. l. final. de Colleg. illicit.* & tandem procedit, sive sint laici, sive Religiosi Regulares; nam etiam hi possunt esse de Confraternitate, de licentia tamen sui Superioris; & dummodò servitia propriæ Religionis non retardentur, ut infrà dicitur, & docet *Barthol. cit. loc.*

3. Sed dices, servi Christianorum possuntne Confraternitatem ingredi? Et dico, quod sic: de consensu tamen dominorum suorum: & dummodò illorum obsequia non impediantur: secùs autem, nam sicut volente Domino, possunt esse de Collegio, *l. 3. ff. de Colleg. illicitis*; ita possunt esse de Congr. Quod enim Domino non nocet, & servo prodest, admittendum est, & maximè in causa Religionis.

4. Dixi, *secùs*, quia reluctante Domino, vel si ejus servitia impediantur, non debent admitti, quia licet servus quoad exercitia spiritualia non subjiciatur Domino suo, sed tantum quoad personalia: adhuc tamen quando ista per illa impediuntur, non debet in Confraternitatem admitti, aliàs præjudicium fieret ejus Domino, & quod dico de servo, extende ad Monachum, qui, ut dictum est, de consensu sui superioris, & dummodò servitia suæ Religionis non retardentur, potest Confraternitati incorporari.

Quæst. 5. An Rector sit de necessitate Confraternitatis, & an debeat esse Clericus, vel Laicus, & qualis ejus potestas?

1. Negativè ad primam quæstionem respondet *D. Ricciull. cit. loc. cap.* 8. cum deficiente Rectore, loco illius præsideat magis dignus; ad secundam dicit, quod potest esse tam Clericus, quam Laicus; cum Confraternitas constet ex utrisque, ad tertiam verò subjungit, quod caret potestate coactiva, cùm non possit invitos Confratres in Confraternitatem trahere, nec exinde invitos expellere: habet tamen potestatem fraternalem, hoc est, quamdam præeminentiam, quam in domo habet frater major in minores; adeò, ut hoc modo, Rector Laicus possit, etiam in confratrem Clericum advertere; ad quod pro se allegat Baldum, quæ omnia intellige procedere de Jure Communi, secùs autem si aliter dicatur in propriis statutis.

* * *

Quæst. 6. An Regulares possint erigere, instituere, & aggregare Confraternitates, & quo Iure?

1. Et quidem posse ex privilegio, variis Ordinibus concesso à variis Pontificibus, certum est ex lectura eorum privil, & præcipuè quoad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, respectu Dominicanorum, potest legi Constitutio 40. Clem. VII. incip. *Etsi temporalium*, edita octavo Idus Maii 1534. Item Constitutio 86. Pii V. incip. *Inter*, edita 28. Junii 1569, Item Const. 21. Sixti V. incip. *Dum ineffabilia*, edita 30. Januarii 1586. quibus fit facultas nostro Reverendissimo P. Magistro Generali Ordinis, ejusque Vicario Generali, erigendi, instituendi, & aggregandi Confraternitatem jam dictam B. M. V. Rosarii, ac etiam concedendi Indulgentias, & alias gratias, ut ibidem.

2. Verum, quia præfati Summi Pontifices concesserunt dictam facultatem absque ulla certa forma faciendi prædicta, multæ pravæ consuetudines irrepserunt, multaque incommoda exinde provenerunt, sive negligentia superiorum, sive aliorum officialium instituentium, erigentium, seu aggregantium præfatas Confraternitates, quibus inconvenientibus, & incommodis volens occurrere Clem. VIII. sua Constit. incip. *Quæcunque à Sede Apostolica*, edita die 7. Decembris, anno Domini 1604. præscripsit formam & modum, in dict. privil. non assignatum, ut constat ex Bulla jam dicta, & est 115. inter Bullas ejusdem Papæ, in 3. tom. Cherub. fol. mihi 164. & habes apud *Quarantam ver. Confraternitates in princ.* & apud *Joan. Ant. Novar. 2. p. summæ Bull. sub tit. de Confraternitatibus fol.* 179. & liquet ibi, §. 1. *cum itaque à pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & forsitan etiam à nobis, nonnullis Regularibus, Ordinibus, Religionibus, & institutis ac etiam Christi fidelium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum nationum, &c.* ad quæ lectorem remitto.

Quæst. 7. Quænam sit ista forma resultans ex dict. Bulla Clem. VIII. & observanda hodiè in rebus prædictis?

1. Et dico, quod consistit in multis. Primò, quod unica Confraternitas in Regularium, & aliorum Ecclesiis, sive locis instituatur, & aggregetur, supple ejusdem generis. Secundò, quod institutio, & aggregatio non fiat, nisi de consensu Ordinarii loci, & cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis erigendæ seu aggregandæ pietas seu institutum, & Christianæ charitatis officia, quæ obire cupit, & solet, commendentur. Tertiò, quod Prælati instituentes, aut aggregantes Confraternitatem, ipsi ea tantum privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ordini, Religioni, ac institutó erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti, nominatim, & in specie, non autem, quæ per extensionem, vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expresse, & in specie communicent. Quartò, ut statuta Confraternitatis instituendæ, aut aggregandæ, prius examinentur ab ordinario loci, pro ratione loci approbentur, ac ejusdem Ordinarii Decretis, moderationi, & correctioni omninò subjaceant. Quintò, ut aggregatio Confraternitatis fiat juxtà formulam à Clemente VIII. approbatam, quam Cherubinus in Compendio Bullarum super citata Bulla Clementis 115. putat esse illam, quam ipsemet refert, utpote ab omnibus usu receptam, & nos aliam infrà immediatè ponimus, quoad Patrem Generalem Ordinis, respectu Societatis Rosarii. Sextò, ut gratiæ, ac indulgen-

2. Præterea, Confraternitates aliquando appellantur Collegia, Sodalitates, & Militiæ, ut ex multis ostendit *D. Consalvus Poncè in tr. de Sodalitiis*, *c.1.& 2.* ubi ad intentum plura adunat, & Jura allegat, ad quod facit id, quod dicit *S.Thom. in 4. Sent. distin.28. q.final. ar.1. ad 4.* ibi, *duplex est Congregatio, altera Politica, sicut Civitas & Regnum, altera verò Oeconomica, cujus curam gerit ille, qui præest, sicut Paterfamilias.*

3. Verum quoad intentum, dicendum est cum *Baldo in l. si quis ad declinandam, §. final. nu. 19. C. de Episc. & Cleric.* quod Confraternitas est collegium personale, voluntarium, Religionis causâ congregatum, & colligitur *ex l.1. § sed Religionis, ff. de Colleg. illicitis*, in qua diffinitione ponitur Collegium, loco generis: dantur enim Collegia multarum specierum, de quibus *in d. l.1. de Colleg. illicit.* & subjungitur, *Personale*, ad differentiam Collegii naturalis, seu realis, prout est Capitulum, Villa, Oppidum, & Civitas; est enim differentia inter hoc & illud, quia Collegium naturale, seu reale, de necessitate exigit locum; adeò, ut ex hominibus in loco collectis, resultet naturale Collegium, non autem Collegium personale, quod fictione Juris, supponit pro persona præcisa, disjuncta à loco, & additur, *voluntarium*, quia nemo cogitur invitus Confraternitatem intrare: unde quilibet sua sponte potest fraternitatem deserere, dummodò de bonis nihil retineat, prout dicitur *in d. l.1. de Colleg. illic.* & docet *Guttierez. Canon. quæst. lib.1. cap.35. num. 21.* Dicitur denique *Religionis causa congregatum*, ad differentiam illorum, quæ Artium causâ congregantur, ut in *d. l.1. ff. de Colleg. illicitis*, *Megal. in suo Prompt. ver. Collegium num.2.*

4. Et dicitur *à con*, id est, *simul*, & *fraternitate*, hoc est, *unitate*, sunt enim Confratres, quasi Fratres, simul uniti in pace, & charitate, sub certis fœderibus, ad exequendum Dei mandata; quandoquidem ab his tanquam in Republica, res omnes communiter peraguntur, & fiunt, nemine discrepante, ad æmulandum Charismata meliora, *Syl. & Tabiena, ver. Confraternitas.*

5. Hinc apparet, quam maligna, & invida sit Hæreticorum malitia, qui duplici via sanctum, & laudabile Confraternitatum usum reprehendunt; prima, dicendo, quod Confraternitates sint quoddam novum figmentum, recens à Catholicis inventum: altera, & à priori, quam longissimè abhorrente, quod sint ab Ethnica Religione mutuatæ; non erubescunt Hæretici contraria fateri; sunt enim versatiles, variique prothei, versipelles, & veluti camæleontes, diversâ varietate conspersi, Si Confraternitates sunt ab Ethnica Religione mutuatæ, ergo non debent dici, quod sint recentes in Mundo, & quod sit figmentum Catholicorum; non enim novum dici potest, quod, ut diximus, semper apud veteres fuit, & quod cum ipsa Ecclesia incœpit, coaluit, & consenuit; quonam modo hæ novissimæ Confraternitates dicuntur novum inventum, dum descendunt ab illo Ritu, quem servabant Apostoli in principio nascentis Ecclesiæ, quibus erat cor unum, labium unum, Pax, & Charitas uniformis? audiant Hæretici Chrysostomum, sic eleganter *in Homil. 7. in Matth.* loquentem; *sicut in corporali ædificio, lapis ad lapidem, cæmento mediante constringitur; sic in ædificio Ecclesiæ, Christianus ad Christianum, charitate mediante, connectitur; ideo super fraternitatem charitatis Ecclesia, composuit fundamenta, ut radicibus Charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos*, & ille Magnus Basilius, *in oratione de Divinis promissis*, dicit, *Christi morientis legatum, fuisse pacem, & concordiam*, unde subjungit. *Si turpe fuit antiquis, paternam hæreditatem relinquere, & sine honore, & hæredis nomine tacere judicium defuncti parentis, quamvis nihil commodi ex illius hæreditate sperari potuisset: si veteres leges filios vel invitos cogebant, patrum hæredes esse; quare Christiani Christi è vita jam discedentis, nobilissimum illud prælatum, pacem nempè repudiabunt?* Hæc ille, ex quibus, nedum prosternitur primum jam dictum Hæreticorum jaculum: verùm etiam respuitur, & retunditur, prout pariter rejicitur & secundum; nam si integrum fuit Paganis sodalitia, collegia, sive collegas, & sodales, ad cultum suorum falsorum Deorum instituere; cur non licebit Christianis, vero Deo sodalitates dicare? cur non erit nobis licitum, Christianæ Religioni quid simile permittere? nonne Elias, ut sacra testatur Historia, nonne Joannes Baptista discipulorum Congregationem instituit, & habuit? nonne pariter & Christus? nunquid & hi mutuarunt ab Ethnicis? taceant Hæretici, & veritatem addiscant.

Quæst. 2. Confraternitas, cujusnam authoritate, erigi possit?

1. SUb distinctione resolve: aut loquimur de Confraternitate erigenda, absque usu sacrorum, & sine Saccis, & potest erigi sola authoritate eorum, qui simul in ea conveniunt, etiam si erigatur Religionis causâ, ut constat *ex l.1. §. sed Religionis, & l. final. de Colleg. illicit.* ibique docet *Barthol. num.6. & Bald. consil.407. num. 8. ver. sanguin, & Abbas in cap. dilecta, de excessibus Prælat. ver. vel si fiant causa pietatis.*

2. Secùs autem dicendum, si debeat erigi cum usu sacrorum, vel saccis, aut speciali indumento: nam sic non potest erigi sine authoritate Apostolica, vel ordinaria Episcopi loci, *cap. Patentibus, de privil.* & docent, *Felin. in cap. sicut num.29. de sent. & re judic. D. Alex. Spredlius, 1. p. dec.87. num.18. in fin. & clarius 2. p. decis.153. nu.23. & decis.155. num.3.* & clarissimè constat ex Bulla Clem.8. incip. *Quæcunque à Sede Apostolica*, de qua latè hic infrà *q.7.*

Quæst. 3. Confraternitas ubi nam erigi possit?

1. ET dico, quod potest erigi, & congregari ubi magis placet, etiam sine licentia Episcopi: exceptis tamen Ecclesiis monialium, ut in facti contingentia respondit Sacr. Congreg. Episcop. 14. Augusti 1584. nam cum Confraternitas non sit Collegium reale, sed personale, ut non sit annexa loco, sed consideretur separatè, de per se, ut liquet ex dictis *hic supra q.1.* & docent *Innoc. in cap. dilecta num.5. de excessibus Prælat. Abbas consil.31. nu.1. ver. sed his non obstantibus, Petrus de Ubaldis in tr. de Canonica Episcop. num. 9. & 22. Rota Rom. coram Coccin. dec.472. num.2.* & alii multi, quos allegat, & sequitur *D. Ricciull. Lucubrat. Ecclesiast. lib.4. cap.3. n.2. ubi in nu.3. ex Rota Rom. cit. loc. num.7.* ampliat, dicendo, quod si fuerit in alterius Ecclesia recepta, potest ad libitum exinde recedere, & ejici.

2. Dixi, *exceptis Ecclesiis Monialium*; tum ob Rotam Romanam, *cit. loc. nu.3. & 4.* tum etiam, quia ita Sacra Congregatio Episcopor. respondit Episcopo Barensi 6. Aprilis 1595. & meritò, quia monialibus interdicta est hominum Conversatio, *cap. pervenit 18. q.2.* ergò ad omnem bonum finem, non debent ibi homines congregari.

Quæst. 4. Quotnam personæ requirantur ad constituendam Confraternitatem?

1. CUm Collegium, Congregatio, & C[...]tas, convertantur, *l. fin. in fin. ff.* [...] dicendum est de Confraternitate, sic[...] ctum est, *tom.2. Prax. p.3. ar.2. de* [...]

de Jure Civili, ad minùs requiruntur tres Idoneæ personæ, prout expressè dicitur *in l. Horatius*: etsi de Jure Canonico sufficiant duæ: prout idem expressè dicitur *in cap. nullus de elect.* ibi, *duo, vel tres fuerint in Congregatione*, ubi, *Glossa in ver. duo*, ait, *quod duo faciunt Congregationem, tres verò Collegium.*

2. Quod dictum, respectu Confraternitatis Ecclesiasticæ, procedit, sive dicti Confratres sint masculi, sive fœminæ: nam quantum attinet ad Dei cultum, non est masculus, neque fœmina, nec liber, neque servus: omnes enim in Christo eamdem mercedem percipere debent, *§. hinc autem authent. de Monach.* & ob id omnes possunt esse de Confraternitate: si tamen Confraternitas sexui, vel statui non repugnet. *Bald. in d. l. final. nu. 16. ff. de Colleg. illicitis*, quod etiam procedit, sive sint majores, sive minores: dummodò usum liberi Arbitrii habeant, & Christianam Doctrinam non ignorent, nec sint homines facinorosi, nec aliqua infamia notati, quod item procedit, ut non solùm possint esse de una Confraternitate, sed etiam plurium: dummodò statutum unius, non repugnet alteri, *Barthol. in d. l. final. de Colleg. illicit.* & tandem procedit, sive sint laici, sive Religiosi Regulares; nam etiam hi possunt esse de Confraternitate, de licentia tamen sui Superioris; & dummodò servitia propriæ Religionis non retardentur, ut infrà dicitur, & docet *Barthol. cit. loc.*

3. Sed dices, servi Christianorum possuntne Confraternitatem ingredi? Et dico, quod sic: de consensu tamen dominorum suorum: & dummodò illorum obsequia non impediantur: secùs autem, nam sicut volente Domino, possunt esse de Collegio, *l. 3. ff. de Colleg. illicitis*; ita possunt esse de Congr. Quod enim Domino non nocet, & servo prodest, admittendum est, & maximè in causa Religionis.

4. Dixi, *secùs*, quia reluctante Domino, vel si ejus servitia impediantur, non debent admitti, quia licet servus quoad exercitia spiritualia non subjiciatur Domino suo, sed tantum quoad personalia: adhuc tamen quando ista per illa impediuntur, non debet in Confraternitatem admitti, aliàs præjudicium fieret ejus Domino, & quod dico de servo, extende ad Monachum, qui, ut dictum est, de consensu sui superioris, & dummodò servitia suæ Religionis non retardentur, potest Confraternitati incorporari.

Quæst. 5. An Rector sit de necessitate Confraternitatis, & an debeat esse Clericus, vel Laicus, & qualis ejus potestas?

1. NEgativè ad primam quæstionem respondet *D. Ricciull. cit. loc. cap.* 8. cum deficiente Rectore, loco illius præsideat magis dignus; ad secundam dicit, quod potest esse tam Clericus, quam Laicus; cum Confraternitas constet ex utrisque, ad tertiam verò subjungit, quod caret potestate coactiva, cùm non possit invitos Confratres in Confraternitatem trahere, nec exinde invitos expellere: habet tamen potestatem fraternalem, hoc est, quamdam præeminentiam, quam in domo habet frater major in minores; adeò, ut hoc modo, Rector Laicus possit, etiam in confratrem Clericum advertere; ad quod pro se allegat Baldum, quæ omnia intellige procedere de Jure Communi, secùs autem si aliter dicatur in propriis statutis.

Quæst. 6. An Regulares possint erigere, instituere, & aggregare Confraternitates, & quo Iure?

1. ET quidem posse ex privilegio, variis Ordinibus concesso à variis Pontificibus, certum est ex lectura eorum privil., & præcipuè quoad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, respectu Dominicanorum, potest legi Constitutio 40. Clem. VII. incip. *Etsi temporalium*, edita octavo Idus Maii 1534. Item Constitutio 86. Pii V. incip. *Inter*, edita 28. Junii 1569, Item Const. 21. Sixti V. incip. *Dum ineffabilia*, edita 30. Januarii 1586. quibus fit facultas nostro Reverendissimo P. Magistro Generali Ordinis, ejusque Vicario Generali, erigendi, instituendi, & aggregandi Confraternitatem jam dictam B. M. V. Rosarii, ac etiam concedendi Indulgentias, & alias gratias, ut ibidem.

2. Verum, quia præfati Summi Pontifices concesserunt dictam facultatem absque ulla certa forma faciendi prædicta, multæ pravæ consuetudines irrepserunt, multaque incommoda exinde provenerunt, sive negligentia superiorum, sive aliorum officialium instituentium, erigentium, seu aggregantium præfatas Confraternitates, quibus inconvenientibus, & incommodis volens occurrere Clem. VIII. sua Constit. incip. *Quacunque à Sede Apostolica*, edita die 7. Decembris, anno Domini 1604. præscripsit formam & modum, in dict. privil. non assignatum, ut constat ex Bulla jam dicta, & est 115. inter Bullas ejusdem Papæ, in 3. tom. Cherub. fol. mihi 164. & habes apud *Quarantam ver. Confraternitates in prin.* & apud *Ioan. Ant. Novar. 2. p. summæ Bull. sub tit. de Confraternitatibus fol.* 179. & liquet ibi, §. 1. *cum itaque à prioribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & deinde etiam a nobis, nonnullis Regularibus, Ordinibus, Religionibus, & institutis ac etiam Christi fidelium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum* [illegible] *&c.* ad quæ lectorem remitto.

Quæst. 7. Quænam sit ista forma resultans [illegible] *Bulla Clem. VIII. & observanda* [illegible] *prædictis?*

1. ET dico, quod consistit in [illegible] nica Confraternitas in Re[illegible] Ecclesiis, sive locis instituatur [illegible] dem generis. Secundò, quod [illegible] non fiat, nisi de consensu [illegible] ejus testimonialibus, quibus [illegible] seu aggregandæ pietas [illegible] charitatis officia, quæ [illegible] tur. Tertiò, quod [illegible] Confraternitatem [illegible] tias, facultates, [illegible] ordini, Religioni, [illegible] communicatio [illegible] tioni [illegible] q[illegible] [illegible] e [illegible] i- [illegible] e- [illegible] en- [illegible] tes, [illegible] adi- [illegible] o ex- [illegible] n Con- [illegible] e tamen [illegible] dulgentiis [illegible] *is concessis,* [illegible] *, fruebantur,* [illegible] *& licite valeant,* [illegible] *nia, proinde ac si* [illegible] *, & indulgemus non obstan-*

na p.10.tr.15.& 6. Miscell.resol.43.& Bordonus,1.p.consil. resol.25.de celebrat.Missar.quæst.6.num.11.

3. Dixi *si sit impeditus*, quia re vera, ut sæpe dictum est, melius, & utilius est, in specie celebrare, nam quæ in specie dicuntur, cum majori affectu proferuntur, pœnes quem quantificatur fructus sacrificii, ut liquet ex decisis.

Quæst. 98. *Sacerdos, qui simplici promissione, liberaliter, & gratis promisit alicui sacrum facere, an peccet mortaliter, si promissum non observet?*

1. NAvarrus *in sum.lat.c.25.nu.92.* in medio respondet affirmativè, ibi, *qui tenetur ad dicendum unam Missam alicui, sive, quia liberaliter eam illi promissit, sive, &c. non satisfacit illi, eam pro alio dicendo, nisi ille tacitè, aut expressè consentiat,* idem dicunt *Ledesma 2.p.quarti, q.16. ar.14.in fin. Petrus Navar.lib.2.de restit.cap.2.dub.7.n.329. Corollario tertio. Bonac.de contract.disp.3.q.11.p.1.nu.8.* qui addunt, promittentem, peccare læthaliter, si omittat adimplere: tum quia detrimentum spirituale, ex omisso sacrificio, est magnum, graviusque quocunque temporali; tum etiam, quia vovens Deo Sacrum, nec implens, mortaliter peccat.

2. Verum hanc opinionem rigidam, & minus veram existimat *Sanch.lib.1.de Matri.disp.5.de Sponsal.dub. 3.num.25.* quia damnum spirituale, non est conferendum cum temporali, ad hoc ut dicatur magnum; aliàs promittens semel orationem Angelicam, & omittens, peccaret mortaliter, & similiter consulens veniale, peccaret mortaliter, ex quo omissio illius orationis, & ex veniali admisso, cum spirituale sit, antefertur cuicunque temporali, quod est falsum; quamobrem, ad judicandum, an sit damnum grave, conferendum est temporale cum temporali, & spirituale cum spirituali, in genere autem spiritualium, non est tanti momenti omissio sacri, liberaliter promissi, ut censenda sit mortalis, quod item docuit *Lud. Lopez.1.p.instruct.in nova edit.c.180.§.tertio sequitur,* ubi cum Joanne de la Pegna ait, quod quamvis furtum decem argenteorum esset mortale, non tamen esset sufficiens materia, ut violatio promissionis donandi illos, esset mortalis; secùs si esset promissio damni centum. Unde *Sanchez cit.loc.* credit, quadruplo majorem materiam exigi in promissione, quàm in furto; qui ambo sunt legendi, quia latè docent contra Navarrum, quæ censenda sit materia gravis in promissione simplici, ad hoc ut ejus violatio sit mortalis, & addit, quod non est simile de voto: nam pertinet ad Religionem, & est in ordine ad Deum, ac proinde obligat, unde vovens se quotidie recitaturum tertiam partem Rosarii, semel omittens, peccat mortaliter, ob promissionem factam Deo; secùs si promitteret homini.

3. Hanc sententiam sequuntur plures, & maximè *Ant. Cord. lib.1. q.4. dub.1. in fine,* ubi ait, non videtur mortale, sed veniale mendacium, si Sacerdos, sine stipendio accepto, liberaliter promittit tot dicere Missas; & non nisi collectas ponat, vel etiam si nullas dicat Missas, vel orationes, *P. Henriquez lib.9 de Missa cap.21.nu.8.in fin.& comm.lit.V. Fagund.p.1.lib.3.cap.8.nu.11.& 12. Portell.in dub.ver.Missa,nu.10. Rodr. in addit. ad sum. tom.4. cap.107.nu.4. Suar. de Sacram. disp.86. in princ. de justo Missæ stipendio, Ant. Diana, multis allegatis 3.p. tr.17.& 3. Miscell.resol.9.§.hinc etiam nota. Peyr.to.3. Privil.in addit. ad constit.Pyrrhi,cap.1.q.11.nu.28.& Pelliz.tom.1.Manual. tr.5.c.9.sect.1.q 10.num.9.* & moventur, tum quia ex hac simplici promissione, non resultat major obligatio, quam ex quacunque alia simplici promissione alterius rei; tum etiam, quia deficere in hac promissione gratuita, non multum nocumentum infert proximo, cum ei nihil debeatur ex Justitia, ut supponitur; tum etiam, quia violatio simplicis, nudæ, & puræ promissionis, de genere suo, ad summum obligat ad veniale; secùs non foret nuda, & simplex promissio; sed aliqua qualitate vallata; tum item, quia materia hujus promissionis, non est bonum spirituale ipsius Missæ promissæ, prout quidam malè putant; sed stipendium temporale ipsius Missæ: materia autem stipendii temporalis unius Missæ, non est sufficiens ad inducendum peccatum mortale in promissione, ut liquet ex supra decisis; tum denique, quia non potest præsumi, quem se velle obligare ad mortale per suam nudam, ac simplicem promissionem, quæ regulariter fit ex quadam decentia, & urbanitate, ergo.

4. Tu autem cum *Rodriquez 1.p.sum. lat. cap. 252.de missa, concl.5.nu.5.& Persycus lib.2.de Sac.off.cap.6.dub.4. nu.62.in fin.* dic, quod aut ista promissio fit cum intentione obligandi, & adimplendi, & omittens læthaliter peccat, quia multa in principio sunt libertatis, quæ post factum, sunt necessitatis: aut fit solum ad externam satisfactionem, ne sacerdos videatur avarus illi, qui Missam petit; & sic potest inculpabiliter omittere, quia hujusmodi promissio nascitur ex quodam metu reverentiali, qui in foro conscientiæ tollit obligationem; quod intellige verum; nisi fortè ille, qui Missam promisit sine animo se obligandi, sciret eum, qui petit, teneri Missam illam celebrare, aut celebrari facere; quia in hoc casu tenetur promissionem adimplere; nam petens, putans ipsum promisisse ex animo, non curat amplius illam dicere.

Quæst. 99. *Sacerdos, qui promisit alicui unam Missam ex recepto stipendio, si omittat illam dicere, an peccet mortaliter?*

1. NEgat *Pelliz. tom.1. Manual. tr.5.cap.9.sect.1.sub q.10.nu.20.* quia, aut iste peccat ratione damni temporalis, & hoc non; cum stipendium unius Missæ regulariter juxta communissimam Doctorum sententiam, non constituat materiam gravem; vel ratione damni spiritualis, quod oritur ex omissione unius sacri promissi, & hoc neque obligat ad mortale, cum hoc similiter non faciat materiam gravem, ut dictum est supra, quod item replicat idem *Pelliz.tom.2. Manual.tr.6. c.3.sub q.2.nu.4.* ubi contendit, dicta decreta Sac.Congr. admittere parvitatem materiæ, & consequenter non obligare ad mortale.

2. Verumtamen errat in præsupposito; nam lex Ecclesiastica, ex suo genere, & de intrinseca sua natura obligat sub mortali; dummodo ex parte ipsius, adsit debita materia, & voluntas legislatoris, *S.Thom.2.2.q.104.ar.1. & q.105.& q.147. Sotus lib.1.de Just.q.6.ar.4. Navar. in sum.cap.23.nu.55.in medio, Covar.in Regul.peccatum, p.2. §.5.nu.2.& egomet to.1.prax.p.1.de leg.q.28.*

3. Sed utrumque habetur in dict. Decretis, ut pura materia, ne dum gravis, sed gravissima, sicuti sunt Justitia, Charitas, Fidelitas, Dei cultus, & abrogatio Avaritiæ, nec non expressa voluntas Sac. Congr. ibi, *mandat, & præcipit sub obtestatione divini judicii, ut absolutè tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosynæ præscriptæ fuerint, &c.* tum ibi, *ita accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerunt, ut nova quoque onera suscipere valeant, alioquin omninò abstineant ab hujusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis,* hæc ibi, ad quorum observantiam apponuntur censuræ; ergo nullatenus dubitandum est, prædicta Decreta sub mortali obligare.

4. Et quamvis materia levis possit exculpare transgressorem à peccato mortali, ut Doctores communiter volunt; nihilominus, an sit levis, vel gravis; debet regulari ex fine proximo legis, & proportione medii præcepti ad finem consequendum, ut latè dico *cit. loc. quæst.29.*

quaest. 29. finis autem proximus dictæ legis Decretorum est Justitia, Fidelitas, Charitas Dei, & proximi, religiosus cultus, & extirpatio vitiorum, ut dictum est: in casu autem posito intrinsecè læditur justitia debita ex contractu oneroso, seu ex stipendio: etenim inter dantem stipendium, & recipientem nascitur obligatio legalis, & naturalis, nempè do, ut facias: ergo omittens facere, nedum peccat moraliter, verum tenetur restituere; quia violat Justitiam in re gravi, hoc est, in fine principali, à lege intento.

5. Item dixi, quod materia gravis legis, debet attendi ex proportione medii ad custodiam finis principalis; etenim fieri potest ut materia in se considerata sit levis; verum in ordine ad finem, sit gravis. Furtum enim unius acus, præscindendo ab omnibus aliis, levis in se materia est, at respectu Sartoris, qui ex opere suæ manus tantum vivit, si alium non habeat, gravis materia est: Accessus subditi ad communem ortum Monasterii, in se consideratus, levis materia est, at relativè ad custodiam Religiosæ honestatis, gravis materia est: ita à pari, prætermissio unius Missæ promissæ ex stipendio, licet in se considerata, possit esse materia levis, adhuc tamen relata ad custodiam fidelitatis promissæ, & Justitiæ debitæ, gravis materia est, ut pluribus firmavi *cit. loc.* ergo materia legis dictorum Decretorum, debet attendi, non ex quantitate stipendii, ut putat Pelliz. sed ex fine intento, & medio ad finem consequendum:

6. Quibus adde inconvenientia quæ exinde sequuntur, & primò, quod pro una Missa, duo stipendia accipere, secundum Pelliz. non est peccatum mortale, quia est materia levis, secundum ipsum; item si quis ab aliquo reciperet stipendium pinguius, posset absque peccato, & onere restitutionis, justum stipendium alii dare, & partem excedentem justum salarium, sibi retinere, quæ omnia apertè, manifestè, & per diametrum adversantur prædictis decretis Sac. Congr. de celeb. Missarum.

7. Insuper & adde; si donans stipendium, in casu posito sit pauperrimus, & ex voto teneatur ad dictam Missam; nunquid erit materia levis, respectu hujusmodi pauperis, & voti promissi? dicant alii; dum ego censeo abstinendum esse à dict. doctrina Pellizzarii.

Quæst. 100. *An Sacerdos Regularis peccet mortaliter, si in Canone Missæ pro nomine Episcopi, ponat nomen Generalis sui Ordinis?*

1. Et dico quod sic; tum quia sic faciens violat præceptum Pii V. qui voluit nihil addi Canoni Missæ sine licentia Papæ; tum etiam, quia ita fuit à Sac. Congr. declaratum ad Instantiam Illustriss. Nuntii Hispaniæ, quam declarationem, per extensum refert *Rod. tom.* 4. *sum. addit. cap.* 51. *num.* 13. *Portell. in dub. ver. missa, num.* 14. *& Diana* 2. *p. moral. tr,* 14. *de celeb. miss. resol.* 40. tum item, quia ita fuit reconfirmatum per Sac. Congreg. Rituum 12. Novembris 1615. Teste *Gavant.* 2. *p. Thes. tit.* 8. *de Canon. missæ, ver. Antistite nostro*, ubi monet Regulares de non nominando suum Generalem in Canone, pro Episcopo loci, ad evitandum peccatum mortale: de qua declaratione dubitat *Hier. Rod. in suo comp. resol.* 25. *de cel. Miss. nu.* 24. an sit authentica? sed immeritò, quia res toties repetita, & à pluribus decantata, non cadit sub dubio.

2. Benè verùm est, quod hujusmodi transgressor potest à mortali excusari, si prædicta prudenter ignoret, quia scilicet quæsivit scire & non potuit sapere, præcipuè apud fratres, qui regulariter his non ita disertè vacant; quod dictum amplectitur *Bordon.* 1. *p. Consil. resol.* 25. *q.* 14. *de cel. miss.*

Quæst. 101. *An obligatus quotidie celebrare, possit singulis Hebdomadis semel quiescere?*

1. D. *Aug. Barbos.* 2. *p. de off. & potestate Episcopi, allegat.* 24. *num.* 28. sub distinctione resolvit, aut obligatio quotidianæ Missæ refertur ad locum, vel ad personam Sacerdotis: si referatur ad locum, ut si dicatur, celebretur quotidie in tali Ecclesia, in tali Altari, seu in tali Capella: & tunc Sacerdos, qui hujusmodi onus habet, tenetur sine vacantia, quotidie celebrare, per se, vel per alium: si vero Missæ quotidianæ institutio referatur ad personam Sacerdotis, his verbis, vel per se, vel per alium celebret; institutio Missæ vacantiam non admittit; si verò absolutè, & simpliciter dicitur, ut instituatur Capellanus, qui quotidie celebret, tunc Sacerdos institutus, non tenetur quotidie celebrare; sed quantò frequentiùs potest, salva honestate, *juxta cap. quotidie* 13. *distin.* 2. *de consecrat. & cap. significatum* 11. *de præbend.* ibi, *ut Sacerdos prædictus, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, assiduè debeat obsequium impendere Ecclesiæ memoratæ & quantò frequentiùs potest salva honestate sua, & debita devotione Missarum solemnia celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere, sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo*, hæc ibi, de quibus *Graffius* 1. *p. decis. Aur. lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 8. *D. Ricc.* 1. *p. prax. decis.* 403. *nu.* 1. *in* 1. *edit. P. Victor. in sum. de Sacram. Euchar. q.* 85. *Azor.* 1. *p. instit. lib.* 10. *cap.* 24. *q.* 7. *Rod.* 1. *p. sum. cap.* 42. *concl.* 2. *& Navar. in suo Manuali cap.* 25. *num.* 135. ubi unam continuam vacationem concedit, & aliquando duas, honestum enim est ut Capellanus semel in Hebdomada vacet, dummodo non teneatur per alium celebrare, ut dictum est, quod repetit, *Consil.* 6. *nu.* 8. *de præbend. in novis.*

2. Qui quidem Doctores advertunt, quod etsi liceat dict. Capellano semel in septimana quiescere, non tamen ei licet, accepta stipe, in die vacantiæ celebrare: quia sic ageret contra dict. Decreta Sacr. Congregat. de celeb. Missar.

3. An autem Capellanus, in dict. vacantia, possit ex charitate pro se, vel pro parentibus celebrare? affirmat *Peyr. tom.* 3. *privil. cap.* 1. *nu.* 23. *in fin.* quia secus dura nimis esset ejus captivitas, ut nullo unquam tempore posset pro se, vel suis unam Missam celebrare, quod colligit ex dicto verbo (*salva honestate*) quia honestum est, ut aliquando pro se, vel pro suis consanguineis celebret. Item ex illis, *Non sibi liceat hoc illi subtrahere sive causa volupt. &c.* ergo si non licet vacare à dicta celebratione Missarum, causa voluptatis temporalis, licebit causa devotionis, & charitatis; quod dictum ampliat ad præceptum Prælati Regularis; qui etsi subditis præcipiat, ut quotidie celebrent; adhuc tamen tale præceptum debet intelligi humano modo; ut scilicet interdum licitum sit subditis aliquando quiescere, & tempore talis vacantiæ, pro suis consanguineis Deum orare.

Quæst. 102. *Prælati Regulares, an teneantur sub mortali Missam Conventualem dicere, vel dici facere?*

1. Et dico, quod sic: loquendo tamen de jure communi, & colligitur ex *c. cùm creatura* 11 *de celebrat. Miss.* ubi sic ait, *Mandamus quatenus nullum in vos torporem negligentiæ obrepere permittatis, quominus, & pro Anniversariis Defunctorum & pro festo vel feria secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia Conventualiter celebretis, &c.* & ex *Clem. gravi,* 1. *eod. tit. in* 6. ibi, *Sancimus, ut illi ad quos id pertinet & in eorum, si utique exempti non sint, negligentiã, vel defectum locorum Ordinarii: si verò exempti fuerint, aut aliàs circa hoc privilegiati Superiores ipsorũ omni negligentia, vel incuria penitùs relegata, circa reformanda,*

manda præmissa, & eorum singula corrigenda, necnon ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis debitis, devotè psallatur: in aliis verò convenienter, & devotè celebretur divinum officium, diurnum, & Nocturnum, si Dei, & Apostolicæ sedis indignationem evitare voluerint, &c.

2. Quæ quippè Clem. videtur, quod expresè loquatur, tam de celeb. Missarum, quàm de aliis horis, quia priùs ibi loquitur de divinis officiis: nomine autem officii divini, venit Missa Conventualis, quæ solet esse finis officiorum; hinc *Syl. in ver. missa* 1. *q.* 4. ait, quod in Ecclesiis Collegiatis, vel Conventibus, missa de officio quotidie celebranda est.

3. Nec obstat dicere, quod dicta jura loquuntur tantùm de Ecclesiasticis, & Clericis, non autem de Monasteriis Monachorum: nam prædicta Clementina clarè loquitur de Regularibus, ut liquet in textu superiùs extenso, & additur cum Panormitano, & Doctoribus communiter scribentibus in *cap. ex parte de postulat.* quod quando aliqua Constitutio Papalis fit respectu Religionis, quæ potest convenire Monachis, & Clericis Regularibus, & non signantur; *Nisi aliqui eorum*; ligat omnes Regulares, etiam utriusque sexus; adeò, ut comprehendat etiam Moniales, etiamsi diversa nomina habeant, quia ubi est eadem ratio finalis legis, & idem jus legis debet adesse; *cap. cessante de Constit.*

4. *Rodriquez tamen* 1. *p. q.* 9. *Regul. q.* 43. *ar.* 14. *cum suo compend. resol.* 25. *de celebr. missar. nu.* 12. *Portell. in dub. ver. missa nu.* 7. *Peyr. tom.* 3. *privil. cap.* 1. *q.* 5. *nu.* 19. limitant dictam resolutionem: dummodo in dict. Conventibus adsit mediocris numerus Sacerdotum, utputa, adminus tres, nam tres necessariò requiruntur ad faciendum Collegium, & dummodò hujusmodi fratres, vel Moniales vivant ex eleemosynis, quia sic tenentur quotidie celebrare, vel celebrari facere missam Conventualem, pro benefactoribus vivis, & defunctis: nisi fortè essent legitimè impediti, utputa si omnes essent infirmi, aut si una tantùm missa esset in die festo, & occurreret defunctus, pro quo necessariò esset celebrandum de Requiem: secus si non viverent ex eleemosynis, sed ex suis redditibus, *Rod. tom.* 4. *addit. ad sum. cap.* 51. *conclus.* 2. *cum suo comp. cit. loc. & Portell. ubi supra.*

5. Sed quidquid sit de redditibus; curent Prælati, ne suis in Ecclesiis deficiat juge sacrificium missæ, quia res hæc multum pertinet ad commune bonum fidelium; idcircò talis obligatio gravis est, teste *Soto in* 4. *sent. distin.* 13. *q.* 2. *ar.* 1. & præferenda omni particulari bono: & adde, quod si missa Conventualis pluries deficit, Populus valdè scandalizatur; & væ illi per quem scandalum venit.

Quæst. 103. *Sed quid dicendum, si dict. Prælati Regulares, sine causa omittant Missam Conventualem cantari; peccantnè mortaliter?*

1. Affirmat Doctissimus *Peregrinus* in *com. ad Constu. Theat.* 1. *p. cap.* 1. *lit. E.* quia superior omittens, sine causa, dict. Missam cantari, non solùm peccat ratione scandali, si exinde scandalum orietur apud sæculares; sed etiam, quia rumpit rationabilem consuetudinem illam cantandi, quæ est conformis Sacris Canonibus, Rubricis, & Praxi universali Ecclesiæ, cujus transgressio ex negligentia, est peccatum mortale, cum sit materia gravis: quibus ego addo *tex. d. Clem. gravi,* 1. *de celebrat. miss.* ibi, *ut in Cathedralibus, Regularibus, & Collegiatis Ecclesiis, horis debitis, devotè psallatur, &c.* qui textus obligat sub mortali, & liquet ibi, *Si Dei indignationem evitare voluerint*; & comprehendit expresè celebrationem Missæ, quia ut dictum est immediatè suprà, nomine divini officii, venit missa Conventualis, & constat ex Rubrica dict. Clem. quæ ponitur sub tit. de celebrat. miss. & obligat omnes Regulares, ac etiam Moniales, ut dictum est.

2. Nec his nocet *Diana* 3. *p. tract.* 2. *de dub. Regul. resol.* 8. dicens, quod eorum Constitutiones non obligant ad peccatum mortale; ergo nec illa consuetudo cantandi Missam; quia est accessoria ad dictas constitutiones, nec fuit introducta cum intentione obligandi ad mortale; tum quia præcepta divina, aut Pontificia contenta in Regula, obligant transgressorem ad duplicem pœnam, unam scilicet ratione violatæ divinæ, vel Pontificiæ legis, alteram verò ratione legis Constitutionis, ut plures dico, & patet de fornicario, qui punitur duplici pœna, una, ob transgressionem legis Dei; altera verò ob transgressionem legis Constitutionũ ergo transgressor in casu posito, non solum est transgressor suarum Constitutionum, quæ non obligant ad mortale, verùm etiam est transgressor legis Pontificiæ rationabilis consuetudinis, usus, & praxis Ecclesiæ universalis, quæ utique obligant ad mortale; tum etiam, quia dicta consuetudo non est nova, nec accessoria ad constitutiones jam dictas, sed antecedens, & principalis totius Ecclesiæ universalis Romanæ, per quam transiit ad Ecclesiam particularem, cum omnibus qualitatibus: nisi fortè reperiatur à S. Papa limitata; ergo judicium judicandi de ea, an sit mortalis, vel venialis, non est desumendum à propriis constitutionibus, sed ab Ecclesia universali, à qua particularis mutuavit: in qua particulari, si nihil de hac limitatione dicatur, remanet decisio in dispositione juris communis, secundùm communem Juris regulam, qua dicitur, quod casus omissus in aliqua dispositione speciali, remanet in dispositione juris communis.

Quæst. 104. *An in Ecclesiis Regularium sint cantandæ duæ Missæ in Feriis Quadragesimæ, quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, in quibus festum novem lectionum occurrerit; una scil. de Feria, altera de Sancto; an verò sufficiat eas privatas, seu bassas dicere?*

1. Resolutio hujus dubii pendet ex illo, an Ecclesiæ Regularium dicantur Collegiatæ? Nam quod Ecclesiæ Collegiatæ teneantur ad prædictas, certum est ex *cap. cum creatura ii, de celeb. missar.* ibi, *Mandamus, &c.* quod verbum, est præceptivum obligans ad mortale; nec non ex Rubrica Missalis Romani, reformati à Pio V. qui vult, ut in Ecclesiis Collegiatis duæ Missæ dicantur in Quadragesima, Adventu, & in vigiliis; una scilicet de Feria, & alia de Sancto currenti, ad quod, *Gavantus* 3. *p. Thes. tit.* 11. *num.* 11. refert decreta Sac. Congr. Rituum, lata die 16. Maii 1626. & die 16. Januarii 1627. quæ loquuntur de Collegiatis.

2. *Rodriquez tom.* 1. *q.* 43. *ar.* 12. negat Regulares comprehendi sub dictis Rubricis, & Decretis: quia Regulares, in odiosis, non comprehenduntur, nisi exprimantur. *Gavantus autem cit. loc. num.* 12. admittit Ecclesias Regularium non esse Collegiatas, non propter rationem Rod. sed quia Ecclesiæ Regularium appellantur propriè Conventuales ab Innocent. IV. in *Bulla* 7. *in Bull. Cherub.* ubi *Flavius Cherub. in compend. Bullar. schol.* 1. dicit, eo titulo appellari ad differentiam Collegiatarum, quæ sunt propriè Canonicorũ. Item in *Clem. gravi* 1. *de celeb. miss. ex Concil. Viennens.* distinguuntur Ecclesiæ Regulares à Cathedralibus, & Collegiatis: quibus postremis dumtaxat imponitur onus de duabus his missis, quibus adde, Rubricas aliquas esse strictioris juris in Missis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, quam Regularium, *Gavantus cit. loc. num.* 4. ergo ab una Ecclesia, ad alteram non licet argumentari. *l. Pomponius.*

3. Qui.

3. Quibus adde privilegium Martini Papæ V. quo concessit Fratribus S. Hieronymi, & consequenter, ob communicationem privilegiorum, omnibus Mendicantibus, ut in quatuor temporibus, vel in diebus Quadragesimæ, aut, &c. Sufficiat in Monasteriis celebrare missam de feria, si hoc velint, cum commemoratione festi, quod in ipsa die celebratur, nisi eadem die sit duplex, aut semiduplex, super hoc tamen onerat conscientiam Prælatorum, si non est tanta multitudo fratrum, qui possint duas missas dicere, ut liquet in dict. privileg. quod per extensum refert *Roder. cit. loc.* & habetur *in comp. privil. Mendicantium, vers. missa quoad modum* §. 17.

4. *Peyrinus verò tom. 3. privil. cap. 1. num. 19.* ait, quod quando dicendæ sunt dict. duæ missæ, satis est, ut una cantetur, & altera privatim dicatur, quia Decreta Sacr. Congreg. dicunt, quod dicantur duæ, non autem dicunt, quod cantentur, & addit, quod dict. præcepta intelliguntur illata modo humano, ut in causa justa, & honesta, possint prætermitti sine peccato mortali: ad quod faciunt ea multa, quæ adunat doctiss. *P. Verrucellus 1. p. moral. tract. 8. Miscell. q. 30. num. 2. & seq.*

Quæst. 105. *An legatum pro Missis celebrandis debeat præferri cæteris piis legatis; si ad omnia legata, hæreditas non sufficiat? vel potius sint omnia pro rata solvenda?*

1. QUod deficientibus viribus hæreditatis pro adimpletione legatorum omnium, sint ipsa legata profana diminuenda pro rata, non cadit sub dubio, nam habetur expressè in *l. pro debito 6. C. lib. 7. auth. de bonis tit. 72.* & liquet ibi, *æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest*, & in *l. si vero composita*, §. 1. *ff. de militari testamento*, & in *l. si quis testamento 82. §. apud Julianum, ff. de legatis 1.* & in *l. si post missionem 17.* & in *l. in ratione legis falcidiæ 30. § ult. ff. ad legem falcidiam tit. 2.* quod adeo verum extat, ut si uni legatario integraliter facta est solutio per hæredes, possit alter legatarius agere contra eum, cui facta est solutio ad contributionem, & restitutionem suæ partis, ad *text. l. 2. §. 1. ff. de conditionibus in debit.* & attestantur *Gomesius var. resolut. tom. 1. cap. 12. num. 34. Boërius decis. 145. num. 5. & D. Regens Capyc. Latro tom. 1. decis. 12. num. 3.* & ratio potest esse, quia legata non debentur ultra vires hæreditarias, ut dicitur in *l. 1. §. 1. ff. de condit. indebit.* ubi *Alex. nu. 3. & Jason. & D. Reg. de Franchis decis. 236.* tum etiam, quia hæres, ubi hæreditatem adivit, quasi ex contractu tenetur æque omnibus creditoribus, juxta vires hæreditarias satisfacere: tum item, quia debita sunt merè personalia, ad quod facit *l. 1. ff. de pollicitationibus*; ergo creditores idem jus habent super bonis defuncti, ut in *d. l. pro debito C. de bonis.*

2. Dubium tamen est, an concurrentibus legatis piis, & non piis, omnia legata sint diminuenda pro rata? Vel prius sint solvenda legata pia integrè, & postmodum prophana? vel potius hæc, & illa, pro rata? Si ad omnia legata hæreditas non sufficiat, ut dictum est supra.

3. Pro negativa sententia sunt Doctores non pauci, & quidem eruditissimi, quos allegat *D. Ricc. 1. p. decis. Cur. Archiep. Neap. decis. 221. in princ.* quibus adde *Molfes. ad consuet. Neap. tom. 1. consil. 13. num. 6. Surd. de aliment. tit. 8. privil. 30. nu. 3. Cardin. Lugo de just. tom. 1. disput. 20. nu. 90. Diana p. 7. tract. 10. resolut. 4. Joan. Mar. Novar. in tract. de privil. miser. person. privileg. 22.* & alii plures; & moventur ex multis infra dicendis.

4. Sententia tamen affirmativa verior, & communior est; eamque amplectuntur infiniti DD. quos allegant & sequuntur *Syl. ver. legitima portio q. 10. & ver legatum, nu. 20. Tab. nu. 1. Armilla n. 41. eod. ver. Tiraquellus de privil. pia causa privil. 26. nu. 9. & privil. 72. P. Sanch. in sum. lib. 4. cap. 15. n. 40.* post Doctorum collectaneum, & ita fuisse decisum in Sac. Concil. Neapol. & Curia Archiepiscopali Neap. refert *D. Ricc. in d. decis. 221.* & ita practari in Tribunalibus scribit *Molfes. cit. loc.* quamvis ipse contrarium defendat, *Consil. 13. nu. 5.* & hanc opinionem esse magis approbatam in hoc Regno, ait sapientissimus *D. Reg. Capyc. Latro 1. p. decis. 12. num. 4. D. Reg. de Franch. decis. 236. nu. 2. D. Reg. Rovitus decis. 87. nu. 2. & 3. Martha de success. legali p. 4. q. 18. ar. 9. Greg. Lopez in l. 1. Glos. 1. tit. 11. p. 6. Cevallos pract. 4. q. 103. Gutier. in l. nemo potest. nu. 97. ff. de leg. 1. Bonac. de contractibus disp. 3. q. ult. p. ult. num. 27. Comitolus Responsorum lib. 7. q. 10. nu. 10. Diana multis allegatis p. 3. moral. tract. 5. resolut. 60. Alphons. de Leone 3. p. de offic. Capell. q. 5. sect. 7. num. 82.* ubi limitat supradictam generalem conclusionem in missis celebrandis unica vice, in die funeris *D. Thorus 1. p. decis. Neap. ver. legata pia*, & in *resol. decis. Cur. Arch. Neap. ver. eodem*; & alii quamplures, quos allegat, & sequitur eruditissimus *P. Angelus Maria Verricellus Theatin. 1. par. moral. tract. 8. Miscell. qu. 64.* ubi de re accuratè discurrit, & decisionem R. Fabricæ S. Petri refert, editam Neapoli die 17. Novembris 1643. ad beneficium Ordinis nostri, & moventur similiter ex multis.

5. Primò, quia eædem rationes allatæ pro legatis prophanis, militant etiam in legatis piis, nam omnes legatarii, sive sint prophani, sive pii, sunt æque Creditores, & Donatarii super hæreditate defuncti; ergo habent unam, & eandem rationem personalem super dicta hæreditate; ergo una, & eadem lance librandi.

6. Secundò moventur ex præsumpta voluntate testatoris, quem non potest prudenter præsumi, in casu posito, velle legatarios missarum præferri cæteris legatariis sibi amicis, vel conjunctis; ita ut illi habeant integra legata; isti autem valdè diminuta: non obstante, quod sint ipsius amici, vel consanguinei, & quod ipse nihil dixit: non enim æquum est, ut in re communi sibi æqualiter debita, quidam esuriant, quidam verò abundent.

7. Tertiò, quia cum legata omnia, sive sint pia, sive prophana, in universum sunt pro rata solvenda; ut constat ex relatis legibus: ab hujusmodi autem regula, & legibus prædictis recedendum minimè est: nisi ob speciale privileg. concessum legatis piis, per quod derogetur tot legibus in contrarium expressè loquentibus, quod privilegium nullatenus reperitur in jure, ut scilicet deficientibus viribus hæreditatis, pia legata solvantur integrè, primò, & planè, & alia non pia, secundariò, ac diminutè; ergo minimè asserendum est, ne velimus tot leges, sine causa destruere.

8. Nec refert, quod legatum pium habeat privilegium, ut non patiatur diminutionem ex falcidia, tum quia hoc privilegium est diversum à diminutione ex defectu virium hæreditatis; & privilegium non extenditur de persona ad personam, neque de casu ad casum, etiam ob idenditatem, vel majoritatem rationis, ut constat ex decisis, *tom. 1. prax. p. 1. tract. 3. q. 4. nu. 8. & tract. 6. q. 1. nu. 5.* ad quod facit *cap. sanè de privil.* non enim sunt multiplicanda privilegia, neque asserenda, nisi in jure reperiantur expressa; *l. quod vero, ff. de legibus*, & docent indifferenter Doctores, præcipuè *Socinus Junior in l. 1. nu. 12. & in l. sciendum nu. 100. ff. de legat. 1.* tum etiam, quia ex privilegio, ne legatum primò patiatur diminutionem ex falcidia, non infertur privilegium, ne patiatur diminutionem ex defectu virium hæreditatis, nam legata relicta à milite in militia, non patiuntur detractionem falcidiæ: & tamen patiuntur diminutionem ex defectu virium hæreditatis: & omnia legata relicta in Castris, ac post missionem ex militia, pro rata solvuntur; *l. si certarum, §. final. & l. sequenti, ff. de militari testamento, l. si post missionem Jason in l. si quis testamento 82. §. 1. num. 2. ff. de legat.*

legat.1. Guttierez in l. nemo potest num.97.ff. de de legat.1. & alii multi probant, quod deficientibus viribus hæreditatis, omnia legata pia & prophana, solvenda sunt pro rata.

9. Hinc *P. Verricellus cit. loc. sub num.12.* benè infert, si legata pia, & prophana pro rata solvuntur; à fortiori, & legata pro missis & pro fabrica Ecclesiæ, debent pro rata solvi: absurdum enim est, legatum prophanum concurrens cum legato pio, pro rata solvi, & legatum pium pro fabrica Ecclesiæ, concurrens cum alio legato magis pio, omninò excludi; nam major est affectio testatoris ad legatum pium, comparatione prophani, quam ad legatum missarum, comparatione alterius legati pii, utpotè fabricæ Ecclesiæ, sed legata pia, & prophana pro rata solvuntur; ergo etiam pro rata solvenda sunt pia legata, & magis pia, quandoquidem est major distantia, seu diversitas inter legatum prophanum, & pium, quàm inter pium, & magis pium, quibus additur, quod sicut exigitur privilegium ad hoc, ut legatum pium præferatur prophano; ita à pari, & fortiùs requiritur privilegium, ut legatum magis pium præferatur minus pio; sed illud non apparet, & multo minus & istud; ergo standum est juri communi, quod non læditur, nec potest lædi; nisi per privilegium, quod est attentè legendum; ad quod facit *Glossa in l. privilegia ff. de privilegiis Clericorum.*

10. Nec his obstat dicere, quod sacrificium Missæ securius, & uberiùs prodest animæ testatoris, quàm legatum pro fabrica Ecclesiæ; tum quia non spectatur, quod magis prosit; sed quod testator disposuerit, & jura præcipiunt: unde dici solet, quod fiat jus, & pereat Mundus; tum etiam, quia nullibi legitur, quod illa major securitas, & ubertas sacrificii missæ, det prælationem in piis legatis, tum item, quia licet legatum missæ, quantum est ex se, magis prosit animæ testatoris, quam cætera legata; nihilominus incertum est, an anima illius capax sit fructus missæ, sed tantùm piè creditur: at non est violanda Justitia pro pia credulitate; ergo.

11. Amplia dict. resolutionem, etiam si legatum missarum foret primò nominatum inter cætera pia legata, quia ordo scripturæ non dat legatis prælationem, ut patet ex *text. l. is, cui, § si plures, ff. ut in possess. legatorum* ibi, *inter legatarios nullum ordinem observamus, sed simul omnes æqualiter tuemur.* Nec obstat *text. in l. generaliter 24. § quid ergo, ff. de fidei commissariis*; nam ut benè docent *D. Regens de Franchis decis.236 in fin. & D. Reg. Capyc. Latro tom.1. decis.12 in fin.* textus ille procedit, ut diminutio non sit facienda pro rata, sed ordo scripturæ attendatur, quando legata essent individua, ut relicta libertate pluribus pretio mediante, quod non sufficit ad liberationem omnium, nam in tali casu, non fiet diminutio pro rata, sed primò nominatus, juxta ordinem scripturæ, erit liber, quia legatum tale est individuum; ut manifestè apparet ex *tex. authent. hoc amplius, C. de fidei commissis*, ubi dicitur, quod in manumissione servorum attenditur ordo scripturæ, qui ordo non attenditur in aliis legatis, sed cætera omnia solvuntur pro rata.

12. Nec item obstat, *tex. l. hæredes mei, 56. § peto, ff. ad trebellianum* nam ibi constabat de voluntate testatoris, quod non plures simul, sed unus tantùm admitteretur ad fideicommissum: unde necesse erat ordinem nominationis attendi.

13. An autem legatum speciei, deficientibus viribus hæreditatis, veniat in contributionem cum cæteris legatis? an verò aliis præfertur? quæstio est inter Doctores non levis: quod tamen venire docet communis opinio: itaut legatarii speciei, deficientibus viribus hæreditatis, patiantur diminutionem, & admittantur pro rata, juxtà *text. in l. quærebatur, ff. ad legem falcidiam* & docent plerique Doctores: ac decisum referunt *D. de Franch. decis. 236. num.12. Gratianus discept. forens. cap.64. num.12. & D. Reg. Capyc. Latro 1. par. decis.12. num.5.* cætera verò vide apud præcitatos Doctores, qui de re ad satietatem loquuntur.

Quæst. 106. Missam celebrans, si Sacerdos non sit, in quas pœnas dat?

1. RESpondeo, quod hujusmodi præsumptuosus, de jure communi, est omninò deponendus, & non amplius ordinandus, juxta *textum cap. si quis baptizatum, 1. cap. ex literis 2. de Clerico non ordinato ministrante*; immò hodie debet cognosci, & puniri ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, prout declaravit Paulus IV. in sua Constit. incip. *officii nostri partes*, edita die 6. August. 1474. Pontif. Anno 3. *in § 2. ibi*, *nos itaque, &c.* insuper, & prævia degradatione, curiæ seculari, debitis pœnis ab ea plectendus, debet tradi, juxta dispositionem Const. Clem. VIII. incip. *etsi aliàs Fel. Recor. Paulus IV. &c.* quam per extensum habes in libello attitulato, Bullæ, & Decreta recentiora, *fol. mihi 238. & in Bullar. Cherub. tom.3.* quæ est 81. inter Bullas ejusdem, fol. mihi 138. quam constitutionem Urbanus VIII. sua Constit. incip. *Apostolatus officium, quæ est 79. inter Bullas illius, in 4. tom. Bull. Cherub.* ampliat ad homines minoris ætatis vigintiquinque: dummodo tamen vigesimum Annum compleverint, *ut in § 4.* ibi, *ipseque non promotus, sic delinquens, nulla habita consideratione præfatæ minoris ætatis, sive laicus, sive Clericus secularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, etiam de necessitate exprimendæ Regularis, aut cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, nobisque, & Apostolicæ Sedi immediatè subjecti, necnon militiarum quarumcumque, etiam S. Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiæ seculari, pœnis debitis plectendus*, hæc ibi, de qua re, ad ornatum, legendi sunt noster *Palud. in 4. sent. distin.17. q.3. ar.1 Concl.1. & distin.22. q.3. Concl.2. S. Ant.3. p. tit.17. cap.1. § 1. Syl, ver. Confessor.3. in princ. Victoria in sum. & Armilla ver. absolutio § 9. Martin. Ledesma, 2. p. q.7. ar.3. dub ult. Sot. in 4. sent. distin.18. qu.4. ar.1. Navar. in Manuali cap.27. num.242. Sayr. de censur. lib.7. c.5. num.8. & P. Carol. Thes. de pœnis Eccles. 2. p. prax. ver. Ordines cap.32.* ubi latè de actibus Ordinum, & illos exercentibus.

Quæst. 107. An quis audiens Missam è fenestra Domus, satisfaciat præcepto audiendi Missam?

1. RESpondeo affirmativè cum Doctissimo *Verricello 1. p. Moral. tr.8. Miscell. q.56.* dummodo tamen ab illa Fenestra Sacerdotē possit audire, & Missam videre, ducorque, quia licet præceptum audiendi Missam in diebus Festivis, postulet præsentialem, & corporalem assistentiam, ad finem percipiendi sensibiliter verba, & cæremonias Missæ, ut liquet *ex cap. Missas 63. distin.1. de Consecr.* ibi, *Missas, die Dominico, secularibus totas audire speciali Ordine præcipimus, ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat, &c.* adhuc tamen per talia verba non exigit propinquissimam, ac immediatam assistentiam corporalem, ac immediatam cum Sacerdote, sed moralem, talem scil. quæ sufficiens sit ad finem prædictum, prout egregiè exponit noster *Sotus in 4. sent. distin.13. q.2. ar.1. ad finem § in Calce demum*, ibi, *cum dicimus audire Missam, intellige præsentem esse; nam qui in magna Ecclesia, Sacerdotem à longè spectat, licet non audiat, præceptum implet, velut qui Græcam audiret Missam, cujus nullum verbum intelligeret*, hinc colligitur, (inquit ipse,) attentionem, quæ sub præcepto necessaria est ad audiendam Missam, non esse tantam, quanta in Officio Canonico persolvendo requiritur, sed sat est, quod sit actus humanus, sic etiam intelligit ly *audire totas Missas*, moraliter scilicet sive civiliter, secun-

secundum actus humanos, quod dictum amplectitur *Navar. in sum. cap. 21. de 5. precepto Eccl. num. 8. in medio*, ibi, *quia satis est ex longinquo Missitanti adesse*, & *Azor. 1. p. instit. lib. 7. cap. 3. q. 4.* dicit, quod qui è longinquo Missæ Sacrificio præsentes adsunt, præceptum adimplent, quia dictum verbum audiendi Missam, non sumitur expressè, ac strictè, sed largè, seu moraliter, quod est à longè Sacrificio interesse, quod ante eos, eruditè dixit *S. Anton. Archiep. Florent. 2. p. summ. sub tit. 9. cap. 10. de neglegentia Missarum §. 1. dub. 5.* ibi quærit: *Utrum sit necessarium, sensim, seu paulatim, & distinctè audire verba Missæ?* ad quod respondet negativè; nam aliàs sequeretur: quod qui audirent Missam ab his, qui submissè dicunt, cum multitudo adest, & qui remoti sunt, non implerent præceptum, quod est falsum, similiter, & qui surdi essent, vel hebetem auditum habent, quapropter subjungit, quod intelligentia dict. præcepti desumenda est *ex cap. humanæ aures, ns, 22 q. 5.* in quo dicitur, quod apud Deum, mens potius, quam verba attenduntur, ad quod facit *cap. Marchion. 1. q. 1. & extrav. præterea, de verb. signif. & cap. intelligentia 23. q. 1.* ex quibus colligit, quod intentio Ecclesiæ in illo Decreto est, quod quis præsens sit in Missa, & vacet Deo, si etiam intelligens est, dignum & justum est, ut intelligat, & conentur intelligere, quæ dicuntur populo in Missa, quod sequitur, *Sylv. ver. Missa 2. q. 6. Tab. eod. verb. nu. 49. & Armilla, eod. tit. nu. 31.*

2. Unde constat, quod pro adimplemento dict. præcepti, non est necessarium auribus propriis audire verba, licet sit benefactum: sed sufficit præsentem ibi esse, & vacare pro illo tempore his, quæ dicuntur, & aliis non se occupare: quamobrem benè dicitur, quod præsens moraliter Sacrificio Missæ, satisfacit præcepto audiendi Missam; tum quia ille dicitur moraliter præsens, qui videt, & intelligit ea, quæ aguntur, ad textum expressum *in l. coram Titio, 209. ff. de verb. significat*, ibi, *coram Titio aliquid facere jussus, non videtur præsente eo fecisse: nisi is intelligat*, ubi, *Rebuffus ver. 8.* ait, *quod ubi Jus requirit præsentiam persona, non intelligitur aliquis præsens, nisi intelligat, quæ aguntur*, quòcirca Doctores indifferenter dicunt, eum præsentem dici, qui percipit ea, quæ fiunt, & docet *Glossa in extrav. execrabilis, de præbendis, & dignitat. Joan. 22. in 6. tit. 3. ad finem ver. coram*, ibi, *tunc coram aliquo fieri dicitur cum fit eo præsente, & intelligente, licet alias volente*, ad quod refert relatam legem, coram Titio; tum etiam, quia in Jure, paria sunt, esse sub eodem Tecto, vel cubiculo, & in ea distantia, ut humana vox altè clamantis, exaudiri possit; *ad text. l. etsi §. eodem ff. ad Sillianum*, ibi, *quicunque eo loco fuerint, unde vocem exaudire potuerunt, hi puniantur, quasi sub eodem tecto fuerint*: ubi Doctores ibi scribentes notant, vicinos dici eos, quorum voces altè clamantium exaudiri possunt: unde *Ancaranus in cap. Canonum statuta nu. 284. de Constit.* ait, *vicinos dici usque ad locum ubi potest exaudiri vox hominis clamantis*, vox tamen communis, & secundum naturalem, & communem usum temporum, idem cæteris allegatis, dicit *Menochius de Arbitr. casu 221. n. 15.*

3. Quapropter is, qui è fenestra suæ Domus videt, & audit vocem Sacerdotis altè Missitantis, absque ullo dubio debet dici, quod sit præsens, vicinus, & unus de circumstantibus ad Missam, hinc plura inferuntur.

4. Primò, quod si Parochus existens in Altari conspiceret in fenestra opposita duos ineuntes matrimonium, & perciperet eorum mutuum consensum, utique tale matrimonium validum esset, quia censeretur factum præsente Parocho, juxta tradita per *Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 39. nu. 1.* Secundò, quod si Sacerdos sit in Altari, & videat existentem in fenestra opposita vulneratum clamantem (Confessione, Confessione,) potest ex eodem Altari eum absolvere; nam illud pronomen, *te absolvo*, refertur ad personam proximè secum colloquentem, & docet in simili casu, *Regnaldus lib 8. nu. 32.* Tertiò, quod qui ex fenestra suæ Domus ex intentione conspiceret duos in duello pugnantes, in domo sibi proxima, incideret in excommunicationem latam, contra spectatores duelli, quia censeretur moraliter præsens, *D. Gregor. Carrafa meritissimus Episcopus Cassanens. de duello tr. 2. sect. 3. q. 11. nu. 4.* ob rationem prædictam. Quartò, quod Sacerdos potest consecrare Hostiam existentem in tanta distantia, ut possint duo homines ad invicem colloqui, prout notat noster *Viguerius in Instit. tit. de Euch. 156.* ubi in fine dicit, quod ad hoc, ut materia sit præsens in hoc Sacramento, duo requiruntur. Primò, quod aliquo sensu, ejus præsentia à consecratore percipi possit. Secundò, quod sonus verborum possit illam contingere, quod tamen dictum, non approbat *Suar. 3. p. D. Thom. tom. 3. disp. 43. sect. 5. ver. sed quares*, at propugnat *Verricell. cit. loc. num. 10.*

6. Nec his obstat *Diana 4. p. tr. 4. Miscell. resol. 154.* dicens oppositum resolutionis prædictæ, quia inhæret opinioni *Filuccii to. 1. tr. 5. cap. 7. num. 209. & Portell. in dub. ver. Indulg. in addit. num. 8.* qui negant eos, qui è fenestra, vel porta Ecclesiæ Missam audiunt, vel vident, esse moraliter præsentes sacrificio Missæ: qui tamen non sunt audiendi, tum quia loquuntur contra jura allegata, & rationes adductas: tum etiam, quia eis resistit quotidiana praxis, qua videmus in Nundinis, existentes in foro, audire Missam, quæ celebratur in loco patente, & eminente; sic quoque existentes in Castris, vel navibus, audire, vel videre Missam, quæ in portu dicitur in aliqua ædicula patente; & quamvis, ob distantiam, Missæ verba non audiant, adhuc tamen Missæ præcepto satisfaciunt, quia, ut dictum est, non obligat cum tanto rigore.

TRACTATUS OCTAVUS.

DE CONFRATERNITATIBUS LAICORUM.

Quæst. 1. *Confraternitas quid sit, & quotuplex, & unde dicatur?*

1. Confraternitas genericè sumpta, idem est, quod Societas hominum, sub certis legibus inter se initorum, ad munus aliquod, sive sacrum, sive profanum, peragendum; quæ quippè Societas solet interdum appellari Corpus, fictum scilicet, fictione Juris. Unde antiquitus Confraternitates dicebantur corpora, ut multi colligunt *ex l. rerum 1. ff. de usu cap.* ubi Pomponius ait. *Corpus sumus de conscientia Religionis, & Disciplinæ unitate, & spei fœdere, coimus in cœtum, & Congregationem, & Callistratus lib. 4. de cognitionibus* inquit, *eos, qui in corporibus sunt, veluti Fabrorum immunitatem habere dicimus*; *Navar. tom. 4. de orat. Miscell. 4. n. 1.*

2. Prætetea, Confraternitates aliquando appellantur Collegia, Sodalitates, & Militiæ, ut ex multis ostendit *D. Consalvus Poncè in tr. de Sodalitiis, c.1. & 2.* ubi ad intentum plura adunat, & Jura allegat, ad quod facit id, quod dicit *S. Thom. in 4. Sent. distin. 28. q. final. ar. 1. ad 4.* ibi, *duplex est Congregatio, altera Politica, sicut Civitas & Regnum, altera verò Oeconomica, cujus curam gerit ille, qui præest, sicut Paterfamilias.*

3. Verum quoad intentum, dicendum est cum *Baldo in l. si quis ad declinandam, §. final. nu. 19. C. de Episc. & Cleric.* quod Confraternitas est collegium personale, voluntarium, Religionis causa congregatum, & colligitur *ex l. 1. §. sed Religionis, ff. de Colleg. illicitis*, in qua diffinitione ponitur Collegium, loco generis: dantur enim Collegia multarum specierum, de quibus *in d. l. 1. de Colleg. illicit.* & subjungitur, *Personale*, ad differentiam Collegii naturalis, seu realis, prout est Capitulum, Villa, Oppidum, & Civitas; est enim differentia inter hoc & illud, quia Collegium naturale, seu reale, de necessitate exigit locum; adeò, ut ex hominibus in loco collectis, resultet naturale Collegium, non autem Collegium personale, quod fictione Juris, supponit pro persona præcisa, disjuncta à loco, & additur, *voluntarium*, quia nemo cogitur invitus Confraternitatem intrare: unde quilibet sua sponte potest fraternitatem deserere, dummodò de bonis nihil retineat, prout dicitur *in d. l. 1. de Colleg. illic.* & docet *Guttierez. Canon. quæst. lib. 1. cap. 35. num. 21.* Dicitur denique *Religionis causa congregatum*, ad differentiam illorum, quæ Artium causa congregantur, ut in *d. l. 1. ff. de Colleg. illicitis, Megal. in suo Prompt. ver. Collegium num. 2.*

4. Et dicitur *à con*, id est, *simul*, & *fraternitate*, hoc est, *unitate*, sunt enim Confratres, quasi Fratres, simul uniti in pace, & charitate, sub certis fœderibus, ad exequendum Dei mandata; quandoquidem ab his tanquam in Republica, res omnes communiter peraguntur, & fiunt, nemine discrepante, ad æmulandum Charismata meliora, *Syl. & Tabiena, ver. Confraternitas.*

5. Hinc apparet, quam maligna, & invida sit Hæreticorum malitia, qui duplici via sanctum, & laudabile Confraternitatum usum reprehendunt; prima, dicendo, quod Confraternitates sint quoddam novum figmentum, recens à Catholicis inventum: altera, & à priori, quam longissimè abhorrente, quod sint ab Ethnica Religione mutuatæ; non erubescunt Hæretici contraria fateri; sunt enim versatiles, variique prothei, versipelles, & veluti camæleontes, diversa varietate conspersi, Si Confraternitates sunt ab Ethnica Religione mutuatæ, ergo non debent dici, quod sint recentes in Mundo, & quod sit figmentum Catholicorum; non enim novum dici potest, quod, ut diximus, semper apud veteres fuit, & quod cum ipsa Ecclesia incœpit, coaluit, & consenuit; quonam modo hæ novissimæ Confraternitates dicuntur novum inventum, dum descendunt ab illo Ritu, quem servabant Apostoli in principio nascentis Ecclesiæ, quibus erat cor unum, labium unum, Pax, & Charitas uniformis? audiant Hæretici Chrysostomum, sic eleganter *in Homil. 7. in Matth.* loquentem; *sicut in corporali ædificio, lapis ad lapidem, cæmento mediante constringitur; sic in ædificio Ecclesiæ, Christianus ad Christianum, charitate mediante, connectitur; ideo super fraternitatem charitatis Ecclesiæ, composuit fundamenta, ut radicibus Charitatis exuberans, quasi humor ascendat in ramos*, & ille Magnus Basilius, *in oratione de Divinis promissis*, dicit, *Christi morientis legatum, fuisse pacem, & concordiam*, unde subjungit. *Si turpe fuit antiquis, paternam hæreditatem relinquere, & sinè honore, & hæredis nomine tacere judicium defuncti parentis, quamvis nihil commodi ex illius hæreditate sperari potuisset: si veteres leges filios vel invitos cogebant, patrum hæredes esse; quare Christiani Christi è vita jam discedentis, nobilissimum illud prælatum, pacem nempè repudiabunt?* Hæc ille, ex quibus, nedum prosternitur primum jam dictum Hæreticorum jaculum: verùm etiam respuitur, & retunditur, prout pariter rejicitur & secundum; nam si integrum fuit Paganis sodalitia, collegia, sive collegas, & sodales, ad cultum suorum falsorum Deorum instituere; cur non licebit Christianis, vero Deo sodalitates dicare? cur non erit nobis licitum, Christianæ Religioni quid simile permittere? nonne Elias, ut sacra testatur Historia, nonne Joannes Baptista discipulorum Congregationem instituit, & habuit? nonne pariter & Christus? nunquid & hi mutuarunt ab Ethnicis? taceant Hæretici, & veritatem addiscant.

Quæst. 2. Confraternitas, cujusnam authoritate, erigi possit?

1. SUb distinctione resolve: aut loquimur de Confraternitate erigenda, absque usu sacrorum, & sine Saccis, & potest erigi sola authoritate eorum, qui simul in ea conveniunt, etiam si erigatur Religionis causa, ut constat *ex l. 1. §. sed Religionis, & l. final. de Colleg. illicit.* ibique docet *Barthol. num. 6. & Bald. consil. 407. num. 8. ver. sanguitur, & Abbas in cap. dilecta, de excessibus Prælat. ver. vel si fiant causa pietatis.*

2. Secùs autem dicendum, si debeat erigi cum usu sacrorum, vel saccis, aut speciali indumento: nam sic non potest erigi sine authoritate Apostolica, vel ordinaria Episcopi loci, *cap. Patentibus, de privil.* & docent, *Felin. in cap. sicut num. 29. de sent. & re judic. D. Alex. Sperellus, 1. p. dec. 87. num. 18. in fin. & clarius 2. p. decis. 153. nu. 23. & decis. 155. num. 3.* & clarissimè constat ex Bulla Clem. 8. incip. *Quæcunque à Sede Apostolica*, de qua latè hic infrà *q. 7.*

Quæst. 3. Confraternitas ubi nam erigi possit?

1. ET dico, quod potest erigi, & congregari ubi magis placet, etiam sine licentia Episcopi: exceptis tamen Ecclesiis monialium, ut in facti contingentia respondit Sacr. Congreg. Episcop. 14. Augusti 1584. nam cum Confraternitas non sit Collegium reale, sed personale, ut non sit annexa loco, sed consideretur separatè, de per se, ut liquet ex dictis *hic supra q. 1.* & docent *Innoc. in cap. dilecta num. 5. de excessibus Prælat. Abbas consil. 31. nu. 1. ver. sed his non obstantibus, Petrus de Ubaldis in tr. de Canonica Episcop. num. 9. & 22. Rota Rom. coram Cocem. dec. 472. num. 2.* & alii multi, quos allegat, & sequitur *D. Ricciull. Lucubrat. Ecclesiast. lib. 4. cap. 3. n. 2. ubi in nu. 3. ex Rota Rom. cit. loc. num. 7.* ampliat, dicendo, quod si fuerit in alterius Ecclesia recepta, potest ad libitum exinde recedere, & ejici.

2. Dixi, *exceptis Ecclesiis Monialium*; tum ob Rotam Romanam, *cit. loc. nu. 3. & 4.* tum etiam, quia ita Sacra Congregatio Episcopor. respondit Episcopo Barensi 6. Aprilis 1595. & meritò, quia monialibus interdicta est hominum Conversatio, *cap. pervenit 18. q. 2.* ergò ad omnem bonum finem, non debent ibi homines congregari.

Quæst. 4. Quotnam personæ requirantur ad constituendam Confraternitatem?

1. CUm Collegium, Congregatio, & Confraternitas, convertantur, *l. fin. in fin. ff. de Colleg. illicit.* dicendum est de Confraternitate, sicut de Collegio dictum est, *tom. 2. Prax. p. 3. tr. 2. de loco elect. q. 5.* quod scilicet de

de Jure Civili, ad minùs requiruntur tres Idoneæ personæ, prout expressè dicitur *in l. Horatius*: etsi de Jure Canonico sufficiant duæ: prout idem expressè dicitur *in cap. nullus de elect.* ibi, *duo, vel tres fuerint in Congregatione*, ubi, *Glossa in ver. duo*, ait, *quod duo faciunt Congregationem, tres verò Collegium.*

2. Quod dictum, respectu Confraternitatis Ecclesiasticæ, procedit, sive dicti Confratres sint masculi, sive fœminæ: nam quantum attinet ad Dei cultum, non est masculus, neque fœmina, nec liber, neque servus: omnes enim in Christo eamdem mercedem percipere debent, §. *hinc autem authent. de Monach.* & ob id omnes possunt esse de Confraternitate: si tamen Confraternitas sexui, vel statui non repugnet. *Bald in d. l. final. nu. 16. ff. de Colleg. illicitis*, quod etiam procedit, sive sint majores, sive minores: dummodò usum liberi Arbitrii habeant, & Christianam Doctrinam non ignorent, nec sint homines facinorosi, nec aliqua infamia notati, quod item procedit, ut non solùm possint esse de una Confraternitate, sed etiam plurium: dummodò statutum unius, non repugnet alteri, *Barthol. in d. l. final. de Colleg. illicit.* & tandem procedit, sive sint laici, sive Religiosi Regulares; nam etiam hi possunt esse de Confraternitate, de licentia tamen sui Superioris; & dummodò servitia propriæ Religionis non retardentur, ut infrà dicitur, & docet *Barthol. cit. loc.*

3. Sed dices, servi Christianorum possuntne Confraternitatem ingredi? Et dico, quod sic: de consensu tamen dominorum suorum: & dummodò illorum obsequia non impediantur: secùs autem, nam sicut volente Domino, possunt esse de Collegio, *l. 3. ff. de Colleg. illicitis*; ita possunt esse de Congr. Quod enim Domino non nocet, & servo prodest, admittendum est, & maximè in causa Religionis.

4. Dixi, *secùs*, quia reluctante Domino, vel si ejus servitia impediantur, non debent admitti, quia licet servus quoad exercitia spiritualia non subjiciatur Domino suo, sed tantùm quoad personalia: adhuc tamen quando ista per illa impediuntur, non debet in Confraternitatem admitti, aliàs præjudicium fieret ejus Domino, & quod dico de servo, extende ad Monachum, qui, ut dictum est, de consensu sui superioris, & dummodò servitia suæ Religionis non retardentur, potest Confraternitati incorporari.

Quæst. 5. *An Rector sit de necessitate Confraternitatis, & an debeat esse Clericus, vel Laicus, & qualis ejus potestas?*

1. Negativè ad primam quæstionem respondet *D. Ricciull. cit. loc. cap. 8.* cum deficiente Rectore, loco illius præsideat magis dignus; ad secundam dicit, quod potest esse tam Clericus, quam Laicus; cum Confraternitas constet ex utrisque, ad tertiam verò subjungit, quod caret potestate coactiva, cùm non possit invitos Confratres in Confraternitatem trahere, nec exinde invitos expellere: habet tamen potestatem fraternalem, hoc est, quamdam præeminentiam, quam in domo habet frater major in minores; adeò, ut hoc modo, Rector Laicus possit, etiam in confratrem Clericum advertere; ad quod pro se allegat Baldum, quæ omnia intellige procedere de Jure Communi, secùs autem si aliter dicatur in propriis statutis.

Quæst. 6. *An Regulares possint erigere, instituere, & aggregare Confraternitates, & quo Iure?*

1. Et quidem posse ex privilegio, variis Ordinibus concesso à variis Pontificibus, certum est ex lectura eorum privil. & præcipuè quoad Confraternitatem Sanctissimi Rosarii, respectu Dominicanorum, potest legi Constitutio 40. Clem. VII. incip. *Etsi temporalium*, edita octavo Idus Maii 1534. Item Constitutio 86. Pii V. incip. *Inter*, edita 28. Junii 1569, Item Const. 21. Sixti V. incip. *Dum ineffabilia*, edita 30. Januarii 1586. quibus fit facultas nostro Reverendissimo P. Magistro Generali Ordinis, ejusque Vicario Generali, erigendi, instituendi, & aggregandi Confraternitatem jam dictam B. M. V. Rosarii, ac etiam concedendi Indulgentias, & alias gratias, ut ibidem.

2. Verum, quia præfati Summi Pontifices concesserunt dictam facultatem absque ulla certa forma faciendi prædicta, multæ pravæ consuetudines irrepserunt, multaque incommoda exinde provenerunt, sive negligentia superiorum, sive aliorum officialium instituentium, erigentium, seu aggregantium præfatas Confraternitates, quibus inconvenientibus, & incommodis volens occurrere Clem. VIII. sua Constit. incip. *Quæcunque à Sede Apostolica*, edita die 7. Decembris, anno Domini 1604. præscripsit formam & modum, in dict. privil. non assignatum, ut constat ex Bulla jam dicta, & est 115. inter Bullas ejusdem Papæ, in 3. tom. Cherub. fol. mihi 164. & habes apud *Quarantam ver. Confraternitates in princ.* & apud *Joan. Ant. Novar. 2. p. summa Bull. sub tit. de Confraternitatibus fol.* 179. & liquet ibi, §. 1. *cum itaque à pluribus Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, & forsitan etiam à nobis, nonnullis Regularibus, Ordinibus, Religionibus, & institutis ac etiam Christi fidelium Archiconfraternitatibus, & Congregationibus diversarum nationum, &c.* ad quæ lectorem remitto.

Quæst. 7. *Quænam sit ista forma resultans ex dict. Bulla Clem. VIII. & observanda hodiè in rebus prædictis?*

1. Et dico, quod consistit in multis. Primò, quod unica Confraternitas in Regularium, & aliorum Ecclesiis, sive locis instituatur, & aggregetur, supple ejusdem generis. Secundò, quod institutio, & aggregatio non fiat, nisi de consensu Ordinarii loci, & cum literis ejus testimonialibus, quibus Confraternitatis erigendæ seu aggregandæ pietas seu institutum, & Christianæ charitatis officia, quæ obire cupit, & solet, commendentur. Tertiò, quod Prælati instituentes, aut aggregantes Confraternitatem, ipsi ea tantum privilegia, Indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias, & indulta, quæ ordini, Religioni, ac instituto erigenti, instituenti, ac communicanti, seu Archiconfraternitati, & Congregationi aggreganti, nominatim, & in specie, non autem, quæ per extensionem, vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, & illa quidem non sub generali forma verborum, vel ad instar, sed expressè, & in specie communicent. Quartò, ut statuta Confraternitatis instituendæ, aut aggregandæ, prius examinentur ab ordinario loci, pro ratione loci approbentur, ac ejusdem Ordinarii Decretis, moderationi, & correctioni omninò subjaceant. Quintò, ut aggregatio Confraternitatis fiat juxtà formulam à Clemente VIII. approbatam, quam Cherubinus in Compendio Bullarum super citata Bulla Clementis 115. putat esse illam, quam ipsemet refert, utpote ab omnibus usu receptam, & nos aliam infrà immediatè ponimus, quoad Patrem Generalem Ordinis, respectu Societatis Rosarii. Sextò, ut gratiæ, ac indulgen-

dulgentiæ communicatæ Confraternitati, non promulgentur; nisi prævia recognitione Ordinarii, qui adhibitis duobus de Capitulo suæ Ecclesiæ, ea juxtà Concilii Trident. Decretum promulganda decernat. Septimò, quod Confraternitas eleemosynas excipiat solùm juxtà modum, ac formam per Ordinarium præscribendam, & quidem remotis mensis, pelvibus, & capsis, quæ in Ecclesiis, ac Oratoriis publicè ad hoc exponi solent, ac eleemosynæ expendantur in bonum Ecclesiæ Confraternitatis aggregantis, aut aggregatæ, aut in alios usus pios, arbitrio ipsius Ordinarii. Octavò, quod Confessarii, (qui fortè ex Privilegio Confraternitatis eligi possint) sint approbati ab Ordinario loci: immò si sint Regulares, etiam à suis superioribus, atque Confratres absolvant, juxtà privilegia ipsis competentia solùm quatenùs sunt in usu, & non advertantur Concil. Tridènt. Decretis, ac Romanorum Pontificum Bullis. Nonò, quod literæ institutionis, seu aggregationis, aut communicationis gratiarum, gratis, omninò, ac nùlla prorsus mercede, etiam à sponte dantibus accepta, expediri, & concedi debeant, ut meliùs est videre in dict. Bulla Clem. VIII. quam per extensum habes apud præcitatos Authores, immediatè supra *q.6.*

Quæst.8. An Regulares possint hodiè, non obstante dict. Bullâ Clem. VIII. novas Confraternitates Laicorum in suis Ecclesiis erigere, sine consensu Episcopi loci?

1. NEgat *D. Ricciull. Lucubrat. Eccl. lib. 4. de Confrat. cap. 2. num. 3.* tum quia dicta Constitutio est novum Jus; tum quia ita in facti contingentia respondit Sacra Congreg. die sexta Decembris 1616. rescribens Episcopo Chiensi, cui favet *Novar. in Lucerna Regul. ver. Confraternitas, n.1.*

2. Veruntamen, quia postea jussu Pauli V. quædam declaratio Sacr. Congr. emanavit sub anno 1607. quam refert *Lauretus de Franchis in controvers. Episcop. & Regul. & Lezana 2. p. summ. cap. 15. num. 40. de Confrat.* in qua decernitur, superiores Regulares, quibus concessa est nova facultas instituendi Confraternitates secundùm formam hujusmodi Constitutionis, supple Clem. VIII. posse confirmare sine Ordinarii consensu Confraternitates jam pridem ante publicationem illius, canonicè erectas in propriis Ecclesiis, ubi sub regulari vita degunt duodecim, consensus ordinarii requiritur, & quia in dict. declaratione dicitur, (*quibus nova facultas concessa est, &c.*) oportet cum *Lezana cit. loc. num.* 40. advertere, quod Paulus V. in sua Bulla, incip. *Cum certas,* edita die 30. Octobris 1606. concessit Reverendissimo P. Generali Carmelitarum, & eo absente, Vicario Generali, facultatem instituendi Confraternitates ad præscriptum dictæ Constitutionis, Clem. VIII. absque consensu ordinarii, qua gratia, ob Communicationem privilegiorum, uti possunt omnes alii Ordinum Generales, juxtà dictam declarationem præfatæ Sacræ Congreg. quod dictum, ac resolutum meliùs apparet ex Epistola Sac. Congreg. ab Illustriss. & Reverendiss. D. Card. Arigon. ad Illustrissimum Archiepiscopum Civitatis Bononiæ sub tali tenore transmissa.

3. *Molt' Illustre, e Reverendissimo Monsignore. Havendo risoluto questi miei Illustrissimi Signori della Congregatione delle Indulgenze, con autorità, & ordine particolare hauuto viva vocis oraculo della Santità di Nostro S. di levare alcune difficoltà, che si trouano nell' esequire la Constitutione di Clemente VIII. felic. memoria, fatta già sopra le Congregationi delle Confratrie, dichiarando ancora alcune cose concernenti le Constitutioni antiche fatte da superiori Regulari, a' quali è stata concessa nuova facoltà da sua Beatitudine di instituire Confraternità secolari secondo la forma della sudetta Constitutione, possino confermare senza consenso dell' Ordinario de' luochi, quelle Confraternità, quali si trovano canonicamente erette da modesimi Superiori Regulari avanti si publicasse listessa Constitutione nelle Chiese proprie loro Regolari Collegiate, dove stiano almeno dodeci Religiosi di famiglia ordinaria, non obstante che nella Patente della confermatione si dica espressamente farsi ciò di consenso dell' Ordinario medesmo, dichiarando però, che nel far nuove institutioni nelle Chiese proprie loro Regolari, quanto secolari di qualunque sorte, e nel confermare etiamdio l' antique erette in Chiese secolari di qualunque sorte, e nel confermare etiamdio l' antique erette in Chiese secolari ancora, nelle quali non stiano dodeci Religiosi si debba necessariamente haver il testimonio, e consenso dell' Ordinario, e servare tutto il restante, che si prescrive nell' istessa Constitutione.*

4. *Permettono similmente, che i medesimi Regolari, à quali è stata concessa la nuova sodetta facoltà de instituire, possino confermare le Confratrie antique, & instituirne di nuovo, ancorche non sia tutta quella distanza de luochi, oue sono, e saranno tali Confratrie, che viene prescritto da brevi Apostolici, mentre però oltre tutti gli altri requisiti concorra anche à questo il consenso particolare dell' Ordinarii, del luogo, il quale si dourà essibire in scritto prima, che si scopra tal distanza, e non altrimente.*

5. *Permettono ancora, che ritrovandosi diverse Confratrie de' secolari antiche erette canonicamente, come sopra in Chiese Regolari Collegiate de' dodeci Religiosi almeno, si possino confermare, servata però in tutto il resto la forma data dalla medema Constitutione, e parimente, che essendo in una Città, ò Terra più d' una Confraternità vogliono le SS. Illustrissime, che una sola se ne possi fare in qualunque Città, Terra, ò luogho, accettuando però la Compagnia del SS. Sacramento, quale concedono, anzi desiderano sia eretta in ogni Chiesa Parrocchiale, non ostante, che ci si troui eretta prima qualsivoglia altra Confraternità.*

6. *E perche molti dubitano, se per la Constitutione di Sua Beatitudine sopra l' Indulgenze concesse ultimamente alle persone Religiose con revocatione dell' antiche venghino revocate anche le Indulgenze concesse alle Chiese Regolari, & à quei, che le visitano ancorche la Constitutione comprendi chiaramente solo le persone Regolari senza estendersi alle Chiese loro, tuttavia la Congregatione per levar ogni dubbio dichiara, che le Indulgenze concesse à quelli, che visitano le Chiese de' Regolari stiano nella lor forza, e vigore, fin tanto che la Santità Sua fà altra deliberatione, e però si possino lasciar publicare, quando non osti altra cosa.*

7. *Tutto questo è parso alla Congregatione di scriverli à V.S. acciò nell' occorrenze di cotesta Chiesa sappia ciò, che passa in questo particolare, e lo faccia sapere, &c. Di Roma alli 7. Settembre 1607. Di V.S. &c.* & habetur extensum ut jacet, apud *Cesped. in tr. de exempt. Regul. cap. sar. 24. dub. 386. f. 563.*

Quæst.9. Quotnam conditiones requirantur ad hoc ut inter Cofraternitates fieri possit Communicatio Indulgent. & Privil.?

1. REspondeo, quod hujus dubii decisio liquet ex præallegatis, adeò ut primò Confraternitas petens aggregationem, sit legitimè erecta juxta dictam bull. Clem. VIII. incip. *Quæcunque à Sede Apostolica.* Secundò, ut hujusmodi communicatio fiat de consensu, & cum literis testimonialibus Illustrissimi loci Ordinarii, qui apud Confraternitatem aggregantem commendet officia pietatis, quæ solet exercere Confraternitas aggreganda. Tertiò, quod communicatio Indulgentiarum, & Privilegiorum, quibus gaudet aggregans, fiat ab aggregante

gante nominatim, & in specie, nominando Indulgentias, & favores, quos communicat, ita quod non sufficit communicatio in genere, neque ad instar, in quo differunt à Regularibus, qui inter se, & æque primò privilegia participant. Quartò, quod Indulgentiæ, & favores communicati, antequam publicentur, debent ab Ordinario loci cognosci cum duobus de ejusdem Ecclesiæ Capitulo, juxtà Tridentinum *sess. 21. cap. final.* Quintò, ut aggregatio hujusmodi fiat inter Confraternitates ejusdem instituti. Unde aggregans potest sibi unire omnes alias ejusdem generis Confraternitates, non autem alterius speciei. Sextò tandem, ut aggregatio hæc fiat per Archiconfraternitatem, non autem per Confraternitates inferiores, nam omne majus trahit ad se minus, & non è contra.

2. Cum quibus omnibus stat, ut respectu Confraternitatum antiquarum confirmandarum, vel novarum erigendarum per Regulares in propriis Ecclesiis sui ordinis, quoad consensum Episcopi loci sit observandum prætensum Decretum Sacræ Congregat. juxtà sui seriem, continentiam, & tenorem. Verùm quoad erigendum in alienis Ecclesiis est omninò observanda dict. Bulla Clem. VIII. etiam quoad consensum Ordinarii, adeò, ut PP. Generalibus Ordinum prohibitum sit in alienis Ecclesiis Confraternitates instituere, vel antiquas confirmare, sine consensu Episcopi loci, ut constat ex immediatè decisis hic suprà *q.* 8. & docent *Lez. 2. p. summ. ap. 15. de Confra. num. 19. & Cespedes in tract. de exempt. Regul. cap. 24. quoad varia dub. 376. num. 6. ver. quæres hic*, & ita a Sacr. Congreg. decisum refert *Gavantus in manual. Episcop. ver. Confraternitates, nu.* 8.

Quæst. 10. *Forma instituendi Confraternitates SS. Rosarii in externis Ecclesiis per P. Generalem Ord. Prædic. vel ejus Gener. Vicarium, juxtà Bullam Clemen. VIII. quanam sit?*

1. Respondeo, quod potest esse infrascripti tenoris. *Frater N. Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, vel Vicarius Generalis, Universis præsentes literas inspecturis salutem in Domino sempiternam.*

Cùm inter alia Privilegia, quibus à Sancta Sede Apostolica Religio nostra decorata est, sæcularium Confraternitates sub invocatione Sanctissimi Rosarii erigendi, ejusque spiritualesgratias, Privilegia, & Indulgentias communicandi habeat facultatem, in hujusmodi Confraternitatibus instituendis, si ad Christi fidelium salutem promovendam expedire animadvertit, liberalem sese præbere consuevit. Nos igitur, qui Generalem totius Ordinis curam gerimus, sperantes forè, ut ex hac spiritualium gratiarum participatione, Christi fideles ad devotionem, & pietatem magis excitentur. Auctoritate nobis à Summis Pontificibus concessa, Confraternitatem Sanctissimi Rosarii in Ecclesia S. Petri loci, N. Diœcesis N. de consensu Illustriss. ac Reverendiss. Episcopi Diœcesis præfatæ, qui ejusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac Religionem literis patentibus, Nobis nuper exhibitis commendavit: dummodò tamen alia similis in ipso, vel alio ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit per præsentes nostras literas instituimus, illique, & pro tempore existentibus utriusque sexus Confratribus elargimur, & communicamus Indulgentias, Privilegia, spirituales gratias sigillatim inferius descriptas, nostræque primariæ Confraternitati S. Mariæ super Minervam nominatim, expressè, & præcipuè per Breve S. D. N. Pauli Papæ V. tenoris sequentis concessas.

(Hic ponitur per extensum totum Breve dict. Papæ, qui Indulgentias instituendæ Confraternitatis concessit, deinde subditur) *Quibus omnibus Indulgentiis, & spiritualibus gratiis sigillatim descriptis, Confraternitatem ipsam nunc erectam, ejusque Confratres potiri, & gaudere posse decernimus, juxta fel. record. Clem. Papæ VIII. Constitutionem sequentem.*

(Hic ponitur totus tenor Constitutionis Clem. VIII. quæ incipit, *Quæcunque*, & est 115. inter Bullas ejusdem Papæ in Bullario Cherubini) *&c.*

2. Dixi *forma instituendi Confraternitatem Rosarii, juxtà d. Bullam Clem. VIII.* nam abrogata dict. Bulla, potest institui, eo modo, & forma, qua instituebatur antequam dict. Bulla emanasset, prout de facto quoad Indulgentias, & Privilegia Confraternitatis Rosarii fuit abrogata per Paulum V. sub tali tenore.

3. *Paulus Papa V. Ad perpetuam rei memoriam. Cùm olim fel. record. Clemens Papa VIII. Prædecessor noster ad tollendos nonnullos abusus, qui in communicandis Indulgentiis, & Privilegiis Confraternitatibus, dum erigebantur, instituebantur à Superioribus Ordinum, Religionum, & Institutorum, necnon ab Officialibus Archiconfraternitatum, & Congregationum respectivè irrepserant, per suam perpetuò valituram Constitutionem inter cætera decrevisset, ut omnes Confraternitates, novas erectionum, institutionum, & aggregationum formas, quibus novæ etiam Indulgentiæ concedebantur, concessæ removebantur, ab Apostolica Sede acciperent infra certum tempus tunc expressum, prout in ejusdem Clementis literis plenius continetur. Nos in executionem dictæ Constitutionis, & mentis prædicti Clementis Prædecessoris compluribus Confraternitatibus novas Indulgentias, & Privilegia concedentes, antea concessas revocavimus, inter quas etiam supplicationibus dilectorum filiorum officialiū, & Confratrum Confraternitatis Sanct. Rosarii in Ecclesia S. Mariæ super Minervam Fratrum Prædicatorum de Urbe inclinati, tam dictæ Confraternitati, quam omnibus aliis Confraternitatibus ejusdem Sanctissimi Rosarii, omnes, & quascunque alias Indulgentias à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris eisdem Confraternitatibus concessas revocantes, certas alias novas Indulgentias, quibus in posterum uterentur, concessimus & indulsimus, prout in nostris in simili forma Brevis desuper confectis literis plenius etiam continetur.*

Cùm autem sicut dilectus filius Augustinus Galaminus Magister Generalis d. Ordinis Prædicatorum, occasione Capituli Generalis Romæ nuper celebrati, nomine complurium diversarum Nationum ejusdem Sanctissimi Rosarii Confraternitatum, Nobis nuper exposuit, quod cum ipsis Confraternitatibus prædictis minimè supplicantibus, sed nescientibus, & nihil tale prorsus cogitantibus, quippè qui dicti Sanctissimi Rosarii Confraternitates, dum canonicè instituuntur, Indulgentiarum communicatione minimè indigeant: sed ipso jure, vigore Privilegiorum Apostolicorum illas nanciscantur, hujusmodi nova concessio, & revocatio Indulgentiarum impetrata fuerit, idcircò Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut desuper providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui justis, & piis fidelium votis annuere pro muneris nostri debito tenemur, ipsum Generalem Magistrum, & Confratres prædictos à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos forè censentes, illosque specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, eorundem supplicationibus inclinati, literas nostras prædictas, quarum tenorem præsentibus haberi volumus pro expresso, harum serie ad terminos juris reducimus, necnon Confraternitatibus ubique locorum existentibus, canonicè tamen institutis Sanctiss. Rosarii hujusmodi, ut iisdem Indulgentiis à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris concessis, prout ante dictas literas, & non alias utebantur, fruebantur, & gaudebant, uti, frui, & gaudere liberè, & licitè valeant, ac illis suffragentur in omnibus, & per omnia, proinde ac si dictæ literæ non emanassent, concedimus, & indulgemus, non obstan-

obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon Regula nostra de non concedendis Indulgentiis adinstar, cæterisque contrariis quibuscunque: Volumus autem quod præsentium transumptis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadē prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris, die 20. Septembris 1608. Pontificatus nostri anno 4. Scipio Cubellutius, ut melius est videre in proprio originali, quod servatur in dict. nostro Conventu Romæ Sanctæ Mariæ super Minervam, & habetur inter varias Bullas Roman. Pontif. collectas per Joannem Baptistam Cimin. in novo Thesauro Sanctissimi Rosarii, fol. mihi 350. & inter Bullas collectas per P. Joannem Sagazival. Bacal. nostri Ordinis in suo libro de Sanctiss. Rosario fol. mihi 680.

Quæst. 11. An dicta facultas instituendi Confraternitatem Rosarii sit delegabilis?

1. AFfirmativè dic; tum quia hoc expresse dixerunt plures Summi Pontifices in suis Constitutionibus; & præcipuè Pius V. in Bullis à se concessis ad favorem, & ampliationem Confraternitatis Sanctissimi Rosarii, & Sixtus V. in Bulla, incip. *Dum ineffabilia*, edita Anno 1586. & est secunda inter Bullas ejusdem in Bullario Cherubini, ubi conspicuis literis facultatem concessit omnibus Fratribus Ordinis Prædicatorum, designandis à P. Generali, vel Vicario Generali ejusdem Ordinis, instituendi ubique Confraternitatem Rosarii; & Paulus III. concessit Generali Societatis Jesu, ut omnes gratias, concessiones, & indulta sibi concessa à S. Sede Apostolica exercere possit per Vicarios, aut personas ad id benè visos, &c. quæ quidem privilegia, ob communicationem privilegiorum, extenduntur ad omnes communicantes in privilegiis, ergo: tum etiam, quia facultas ex privilegio perpetuo, est delegabilis, censetur enim quasi ordinaria; ex quo videtur indulta dignitati officii Generalatus, & non personæ, quod item constat ex praxi, qua videmus Patres Generales Ordinum, servatis servandis, prædicta per substitutos exercere.

Quæst. 12. *Confraternitas Rosarii, à quonam sit instituta, ubi, & quando, post S. Dominicum, & an à Summis Pontificibus confirmata?*

1. PEritissimus *Navarr. tom. 4. Miscell. 4. de Psalterio, & Rosario Sanctæ Mariæ*, de communi sententia, ait, quod fuit instituta sub Anno Domini 1476. a quodam Jacobo Spenger egregio Doctore Utriusque Juris, ac Nobili Provinciali Ordinis Prædicatorum, cum foret Prior celebris Monasterii Urbis Coloniæ Agrippinæ, quibusdam statutis super ingressu, & obligatione Confratrum, utriusque sexus adjectis; quam Confratriam, ad instantiam Imperatoris Friderici III. ejusque uxoris Augustæ confirmavit, & indulgentias auxit Alexander Legatus Apostolicus de latere in partibus Germaniæ, ut constat ex ejus Bulla, quam extendit *Navarrus ubi supra*.

2. Item postea fecit Sixtus IV. in sua Bulla, incip. *Ea, quæ fidelium*, edita Anno 1479. & est 18. inter Bullas ejusdem in Bull. Cherub. qua ad instantiam Ducis, & Ducissæ Brittanniæ, prædictam Confratriam confirmavit, & insuper concessit pro qualibet quinquagena prædicti Psalterii quinque annos, & totidem quadragenas Indulgentiæ: quod etiam fecit Leo X. in sua Bulla incip. *Pastoris Æterni*, edita sub Anno 1520. & est in appendice ad Bullarium 2. inter Bullas ejusdem Papæ in dict. Bullario Cherubini.

3. Innoc. VIII. anno 1483. & 1484. ut constat ex dict. Bulla Leonis X. concessit omnibus, qui tunc erant, & in futurum essent de dicta Confraternitate, qui per hebdomadam dicerent dictum Psalterium B. M. V. plenariam omnium peccatorum suorum remissionem, semel in vita, & semel in mortis articulo.

4. Clemens Septimus postea in Bulla, *Etsi temporalium*, Anno Domini 1534. edita, & est 40. inter Bullas ejusdem in Bullario Cherub. prædictam Confraternitatem Rosarii, ejusque Indulgentias, & Privilegia concessa approbavit, & confirmavit, & declaravit, ad consequendum dictas Indulgentias, satis esse Rosarium semel in hebdomada recitare. Item auxit Indulgentias à Sixto V. concessas recitantibus Rosarium. Item approbavit Indulgentias à Leone X. concessas visitantibus quinque Altaria cujuscunque Ecclesiæ dicti Ordininis Prædicatorum. Item Indulgentias stationum Almæ Urbis, & similia, quæ omnia fuerunt approbata à Paulo Tertio, & Julio Tertio, teste *Flavio Cherub. in collect. Bull. d. Bulla Clem. 7.*

5. Pius V. in Anno Domini 1569. duas edidit Bullas, respectu dictæ Confraternitatis Rosarii, unam sub 28. Junii, alteram sub 17. Septembris, ut in 2. *tom. Bull. Cherub. num. 86.* In prima decernit, solum Priorem Generalem dicti Ordinis, & ab eo deputatos, posse Confraternitatem prædictam in quibuscunq; Ecclesiis erigere, nullum Confratrem pro ingressu in Confratriam aliquid soluturum, posse Confratres ad quascunque Processiones accedere, & in quibus corpora defunctorum ad sepeliendum deferuntur, cum eorum insigniis, cujusvis etiam Superioris licentia minimè requisita, &c. in 2. autem Bull. prædictum Psalterium, omniaque indulta, Indulgentias, & Privilegia per quoscunque Summos Pontifices, vel Legatos concessa confirmavit, & approbavit, deditque facultatem accipiendi legata, concessitque multas ac amplissimas Indulgentias; ut ibidem est videre.

6. Item Sixtus V. in sua Bull. incip. *Dum ineffabilia*, edita Anno 1586. confirmavit prædicta omnia, & Indulgentias auxit, idem fecit Greg. XIII. & successivè omnes alii subsequentes Summi Pontifices, adeò, ut de hujusmodi Rosis, seu Indulgentiis, gratiis, & favoribus, verum sit dicere, quod semper florescunt, & nunquam marcescunt.

7. De quibus opiperè scripserunt infiniti Doctores, & nostri, & alterius Ordinis, & præcipuè *P. Magist. Fr. Joann. Lopez Episcopus Cutronensis, Ludovic. Blasius, Ord. S. Benedicti, Aloysius Strada, Abbas S. Bernardi, Martinus Navarr. eu. loc. P. Mag. Alanus de Rupe*, Magnus, ac famosissimus Prædicator, *Fr. Hieronymus Taix Catalanus, Fr. Francisc. de Mescia, Fr. Dominicus de Orrega, Fr. Albertus Castellanus Venetus, P. Fr. Francisc. Arias Societ. Jesu, P. Sebastianus Camaldulens. P. Fr. Barthol. Schiavus Cremonensis sive Milanensis, P. Magister Fr. Andreas Azeverus Italus, Provincialis Terræ Sanctæ, famosiss. P. M. Abrahamus Bzovius, tom. 14. Annal. circa annum 1213. num. 9. & seq. eruditiss. Cartagena Minorita in Homil. de Rosar. Fr. Archangelus Caraccia Neapol. P. M. Joann. Baptista Castelinus, amicissimus noster. P. Joann. Bapt. Ciminus*, & diffusè aliis prætermissis, *P. Joan. Sogastrval.* & ex eo, *Fr. Hyacinthus Cambus*, qui seriatim ponunt statuta dictæ Confraternitatis, Bullas Romanorum Pontificum, & novissima miracula ejusdem Societatis Sanctiss. Rosarii.

quæst.

Quaest. 13. Quotnam genera Confraternitatum sint in Ecclesia, à Dominicana Religione instituta?

1. DE communi sententia Doctorum, dicendum est, quod illa quatuor, quæ inter omnia Confraternitatum genera, potissima sunt, nempè Sacratissimi Rosarii B.M.V. Augustissimi Sacramenti Altaris, pretiosissimi Sanguinis Christi, sive disciplinatorum, vel se flagellantium in memoriam effusi Sanguinis Christi, ac ineffabilis nominis Dei, à Dominicana Religione prodierunt, nam S. Dominicus singulari Dei beneficio primam instituit, ut tot Summorum Pontificum Bullæ testantur: secundam Fr. Thomas Stella Venetus Episcopus Justinopolitanus, qui, Pauli III. Pontificatu vixit, cum prius officium precesque horarias in Sacramentum istud composuisset rarum illud naturæ miraculum, Thomas Aquinas, ejusdem Ordinis speciale decus, totiusque Christianæ Religionis columen, & Custos, teste *D. Consalvo Ponzo de Leone in tract. de sodalidate Nominis Dei, c.17.* Tertiam S. Vincentius Ferrerius. Quartam, & ultimam instituit Venerabilis Frater Didacus Victoria Hispanus, Frater Germanus Francisci à Victoria, qui olim primariam Theologiæ Cathedram Salmanticæ moderatus est: à quo sicut ex equo Trojano, prodierunt tot Commilitones, nempè Cani, Soti, Pegnæ, Medinæ, & similes quamplures eruditissimi, ac famosissimi Doctores, nedum Protellarii, verùm etiam Classici, ut Scholæ ipsæ testantur.

2. Hinc meritò Dominicana Religio dici potest, quod sit ille Paradisi fluvius, qui egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum, qui exinde dividebatur in quatuor capita; *Genes. 2.* cum Sanctissimus noster Patriarcha Dominicus symbolicè censeatur fons ille Paradisi, à quo emanarunt præfata quatuor brachia, seu rivi spiritualium fluminum, ad fæcundandam totam Ecclesiam, ut probat Hymnus, quem Ecclesia in ejus festivitate canit, ibi, *Hic est fons ille modicus, crescens in flumen maximum, qui Mundo jam mirificus, potum largitur optimum.*

3. Ad quod item facit illud *Esther. x. Parvus fons crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus, & in aquas plurimas redundavit*, & illud *S. Bernardi in serm. de S. Andrea*, ubi dicit, *Fluvius quippè est Prædicatorum Ordo, non in eodem terminans loco, sed extendens se, & currens, ut diversas irriget Terras.*

4. Nec dices, S. Bernardum, ibi non loqui de Ordine nostro; ex quo tunc temporis non aderat; sed de Ordine Prædicantium in communi, quia licet hoc totum verum sit: adhuc tamen potest allegoricè (& non ineptè) ad factum nostrum applicari: sicut & illud *D. Gregor. Homil. 36. in Evangel. Luc. 10.* ubi explicando illam Parabolam, qua Christus Dominus dixit, quemdam virum præparasse grande Convivium, ac misisse servum suum ad vocandum Convitatos, &c. inquirendo ait, *Sed quis per hunc servum, qui à Patre familias ad invitandum mittitur, nisi Prædicatorum Ordo designatur?* Quod licet in genere loquatur, ab Ecclesia tamen in officio S. Dominici, ad ipsum P. nostrum particulariter applicatur, ibi, *Hora Cœnæ Pater familias servum mittit, promittens varias vitæ delicias; ad hoc convivium tam permagnificum, elegit Nuncium Sanctum Dominicum.* De quibus beneficiis, & colatis donis, non est nobis gloriandum; sed agendæ sunt gratiæ Domino Deo, omnium bonorum largitori. Etenim *omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à Patre luminum Jacob. 1.*

* * *

Quaest. 14. An Confratres dict. Confraternitatum peccent, si omittant preces, & alia pia opera, ad quæ tenentur vi suorum statutorum?

1. NEgativè *Navarrus in to. 4. Miscell. 8. de Psalterio, & Rosario Virginis Mariæ*, cui favent *Lez. 2. p. sum. cap. 15. de Confrat. nu. 45. & Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 8. cap. 5. sect. 6. q. 24. n. 284.* sed solum perdunt participationem omnium bonorum, quæ fiunt à Confraternitatibus in toto Orbe Christiano, pro illo tempore, quo exercitia spiritualia sibi præscripta omittunt exercere, quandoquidem dicta statuta non sunt præceptiva, & consequenter non obligant ad culpam; sed consultiva, ad lucrandum scilicet Indulgentias, ac alias gratias sodalitatum, ut meliùs est videre in statutis, seu Capitulis eorumdem.

Quaest. 15. Quænam potest facere Confraternitas, legitimè instituta?

1. ET quidem primò potest facere sibi statuta. Secundò, potest imponere sibi collectas pro beneficio Societatis. Tertiò, potest, instar Universitatis, habere Arcam communem, & instituere sindicum, & bonorum Confraternitatis administratorem; ad quod facit *l. 1. ff. quoad cujusque Universitatis.* Quartò; potest liberè, sine licentia Episcopi, congregare Confratres ad deliberandum super receptione Confratrum, illosque admittere accedente majori parte suffragiorum. Quintò, potest quærere eleemosynas, de consensu tamen Episcopi, ac item acceptare, & exigere legata, prout attestantur *Joseph Ludovis. decis. 43. Guttier. Canon. qq. lib. 1. cap. 35. n. 5. Franciscus Marcos dec. 165. & D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib. 4. cap. 5.* per totum, ubi ad intentum refert etiam declarationes Sacræ Congregationis.

Quaest. 16. An hæ dictæ Confratriæ, licitè possint facere statuta sine superioris auctoritate?

1. AFfirmat *Navarrus tom. 4. de Psalterio, & Rosario B.V. Miscell. 4. n. 5.* dummodò tamen nihil in eis statuatur, quod publicæ legi adversetur, quod dictum intellige verum de Confraternitate prophana: secùs autem dicendum de Confratria pia, & Religiosa, quia hæc nequit institui & eligi, absque consensu & authoritate Episcopi loci, ut dictum est hic suprà, & constat ex dict. Bulla Clem. VIII. incip. *Quæcunque à Sede Apostolica*, quippè qui loci Ordinarius, antequam suum exhibeat consensum, tenetur diligenter advertere, an dicta statuta sint licita, vel illicita? superstitiosa, vel pia, & Religiosa? an concernant institutum Confraternitatis, vel quid alienum?

2. Sed major quæstio est, an dicti Confratres, post ipsam Confraternitatem erectam, possint aliquid statuere sine licentia, & authoritate Episcopi?

3. Negat *D. Ricciull. Lucubrat. Eccl. lib. 4. cap. 5. nu. 1.* quia secundùm dict. Bullam Clem. VIII. prærequiritur consensus Ordinarii, non solùm respectu statutorum antecedentium institutionem confratriæ, verùm etiam & illam subsequentium; oppositum tamen tenet *Lez. 2. p. sum. cap. 15. de Confrat. nu. 12.* dicens, quod Summus Pontifex in dict. Bulla loquitur de illis statutis, quæ edita sunt ab instituentibus, seu aggregantibus dictas Confraternitates, non autem de illis, quæ fiunt à Confratribus, pro suo bono regimine, illa jam instituta, hanc Lez. sententiam probabilem existimat *Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 8. c. 5. sect. 6. q. 23. nu. 283.* ex quo dicta Bulla Clem. VIII. est odiosa, & consequenter restringenda, & non amplianda, juxta Juris regulam, *odia,*

4. To

4. Tu verò sub distinctione resolve: aut hujusmodi statuta sunt dissona, & contraria primis: aut consona, & præexistentium declarativa. Si primo modo sint, exigunt utique loci Ordinarii consensum & approbationem, aliàs erunt irrita & nulla, juxtà dictam Bullam: nam, quæ de novo emergunt, novo indigent examine; secùs si secundo modo, tum quia declaratio nihil novi Juris infert: tum etiam, quia censentur inclusa in primis statutis ab Episcopo laudatis, perinde nova approbatione non indigent.

Quæst. 17. An statutum Confraternitatis, quo cavetur, ne quis in eam recipiatur, nisi priùs certum quid solvat, sit licitum?

1. DOctissimus *P. Sanchez tom. 1. consil. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 23. num. 8.* dicit, quod sic: eo quod Confraternitas non est Religio, sed Congregatio ad benefaciendum: sed hæc ejus ratio non quadrat, quia licet Confraternitas non sit Religio, adhuc tamen ipsis ingredientibus multa Jura spiritualia confert, ad privilegia scilicet, Indulgentias, gratias, & similia beneficia spiritualia, quæ possunt esse materia Simoniæ. *Lez. 2. p. summ. cap. 15. num. 30.* Alio verò dixerunt, quod dictum statutum negativè conceptum utputà, nemo admittatur, nisi tantum solvat, non valet, secus autem affirmativè, ut si statuatur, qui tantum solverit, ingrediatur: Verùm hoc dictum displicet *Navarro in 4. tom. de Psalterio, & Rosario Virg. Mariæ Miscell. 6. num. 4.* & meritò, quia nulla realis differentia est in hoc, quod statutum concipiatur negativè, vel affirmativè, sed logicalis tantum, sive puræ rationis, quæ cum nihil ponat in re intellectaꝫ, à Simonia non sufficit excusare. Unde absolutè dicendum est, quod est licitum, & valet: dummodò fiat propter honestam causam, utputà pro alendis pauperibus, pro fabrica Confraternitatis, Cereis, & similibus hujus generis; secùs autem si pro lucro, & pretio admissionis, prout latè probant, *Sylv. ver. Confraternitas, q. 2. Tabien. & Armill. eod. ver. Navarr. cit. loc. Miscell. 4. D. Ricciull. lib. 4. Lucubrat. cap. 5. num. 2.* & habetur expresè in *cap. 14. Trid. sess. 24. de reform.* ibi, *mandat Episcopus, ut quæcunque hujusmodi in usus pios, &c.*

2. Nec obstat dicere, quod hoc statutum excludit pietatem receptionis, respectu pauperum, qui non habent unde solvant: tum quia non obligat, nisi supposita facultate ingredientis, *Syl. cit. loc.* tum etiam, quia procedit de Confraternitatibus clausis, quæ habent specialia statuta, approbata tamen ab Episcopo: secùs autem de apertis, & communibus omnibus, pauperibus, & divitibus, fœminis, & masculis, ceu sunt illæ Rosarii B. Virginis, & nominis Dei, in quibus prohibitum est aliquid dari, & exigi pro ingressu in eas, ut constat ex Bullis earumdem, cum quibus tamen stat, ut ingredientes hujusmodi, spontè, ac eleemosynaliter possint dare quidquid libuerit, pro Cereis, & ornamentis dictarum Confraternitatum, ut de solito more eruditè docet *Navar. cit. loc.*

Quæst. 18. An statutum, quo sancitur, ut hoc, vel illud tantum genus personarum, in Confraternitatem admittatur, sit licitum?

1. AFfirmativè dic; dummodò tamen approbetur ab Episcopo; quia Confraternitas non est cogenda, omnes indifferenter admittere, ut dicit *Bal. in l. 3. num. 19. ff. de Colleg. illicitis*; sed illos tantùm sibi benè visos, & de consensu majoris partis Capituli, ut dictum est supra; aliàs malè diceretur Collegium voluntarium, ut hîc supra *qu. 1.* sed necessarium, contra ejus naturam.

2. Amplia, ut ob prædictam rationem non possit cogi ad recipiendum in Confratrem hominem turbulentum, aut rixosum, *Baldus cit. loc. & Afflictus in Constit. Regul. quisquis.* Verùm quia hæc exceptio, seu repulsio inurit injuriam, ab ea potest appellari ad Episcopum loci Confraternitatis; ad quem spectat cognoscere, an dicta exceptio de jure, vel injuria apponatur ad excludendum à Religiosa Confraternitate, *Lambert. de jure Patron. p. 1. lib. 1. q. 1. ar. 10. Guttier. Canon. quæst. cap. 35. num. 24. & D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib. 4. c. 10. nu. 4.*

Quæst. 19. Quænam sint vetita Societatum Confratribus?

1. ET quidem multa, nam primò est eis vetitum Saccum, seu vestem fraternalem ad libitum assumere, sed debent illam accipere de manu Sacerdotis, cum prævia benedictione, ut in statutis. Secundò, non debent dictam vestem seu Saccum domi tenere, sed in Confraternitate, cum decore servare; nec ejus usum alii ad tempus concedere ad velandum delicta alicujus: nec sub dicta veste fraternali arma deferre; non enim benè conveniunt preces, & arma. Tertio, prohibentur noctu processiones facere sine licentia Episcopi loci, qui debet eis Regulas præscribere, ut rumores, & rixæ vetentur. Quartò, Confraternitates laicorum non possunt, nec debent tenere Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ in eorum Oratoriis, nisi de expressa licentia Ordinarii, quia illud laicis credendum non est, *cap. pervenit, de Consecr. distin. 2.* & Sac. Congr. Episcop. declaravit die 21. Martii 1594. rescribens Episcopo Patavino in una Asculana 3. Aprilis 1632. Verumtamen si concedatur ab Episcopo illud ibi ex aliqua justa causa servari, tenetur Confraternitas sibi Presbyterum ab Ordinario approbatum desumere, per quem dictum Sacramentum tractari, & custodiri possit, *cap. sanè de Celebr. Missæ. & c. 1. de Custod. Euchar.*

2. Quintò, hinc etiam fit, ut in dictis Oratoriis nequeat fieri oratio quadraginta horarum, sine licentia Episcopi, cum in dictis horis debeat exponi Eucharistiæ Sacramentum, ut eadem Sac. Congregat. declaravit, 20. August. 1601. rescribens Episcopo Leodiensi.

3. Sextò, eadem ratione, præfatis Confratribus, interdicta est processio Sanctissimi Sacramenti, ut eidem Sacræ Congregationi sæpè placuit. Septimò, vetitum est dictis Confratribus, in dictis Oratoriis celebrari facere, à Dominica Palmarum, usque ad Dominicam in Albis inclusivè, & in Nativitate Domini, Ascensione, Pentecostes, Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum.

4. Octavò, in dictis Oratoriis nequeunt fieri benedictiones Candelarum, Ramorum Palmarum, Ovorum, ac frugum, nec ibi possunt Confratres ad invicem thurificari.

5. Nonò, nequeunt dicti Confratres in dictis Oratoriis sepeliri; nisi fortè sit eis concessum Jus sepulturæ ab Episcopo loci, de voluntate Parochi; quia hoc aliter certè cederet in præjudicium Parochi, infrà cujus fines sita est Ecclesia, seu Capella Confraternitatis: quinimò dictus Parochus debet adesse functionibus, quæ fiunt in dicta Ecclesia, debetque cantare Missas ibi cantandas, & alia hujus generis, prout sunt anniversaria, & similia, prout Sacra Congregatio respondit Episcopo Leodiensi 20. Augusti 1601.

6. Decimò, Confraternitates non possunt accedere ad funeralia mortuorum: nisi specialiter, & expresè vocentur, prout fuit à Sacra Congregat. decisum in una Bononiens. 9. Decembris 1617. & quando accedunt, in actu associationis cadaverum, nullo modo possunt erigere Crucem, eadem Sac. Cong. in una Andriens. 22. Novembris

vembris 1631. teste *D. August. Barbos. in tr. de off. & potestate Parochi, cap. 26. de sepult. num. 61.* & de prædictis omnibus locupletius in Collect. *Bullar. ver. Confraternitas, Gavantus in Manuali Episcop. verb. Confraternitates, & D. Ricciull. lib. 4. lucubr. cap. 6. per totum.*

Quæst. 20. An Confraternitates laicorum possint in suis Oratoriis, Conventus, seu Parlamentum facere?

1. NEgativè dic: si tamen dicta Oratoria, sivè hospitalia sint Episcopi authoritate fundata, sic enim censentur loca Ecclesiastica, ut liquet ex dicendis hic infrà immediatè *q. 21.* & consequenter gaudent omnibus privilegiis, quibus gaudet Ecclesia, ut liquet *ex l. omnia C. de Episcopis, & Clericis*, ibi, *Bald. in §. fin.* & multis citatis firmat *Syl. ver. Immunitas, num. 2.* ad quod facit *Clem. quia contingit*, & ibi, *Glossa*, & est expressa Decisio *cap. decet. 2. de immunitate Eccles. in 6.*

2. Amplia, ut nec id possint de licentia Episcopi loci, cum hoc sit de reservatis Papæ, & ità fuisse à Sac. Congreg. decisum 2. Maii 1629. refert *D. Sperellus 1. p. dec. 51. num. 19.* ubi extendit Sac. Congreg. Decretum: secùs autem dicendum, si in dict. locis convenirent, ut in suo consilio, merè spiritualia, & pia tractent, & peragant, ut probat textus *cap. In nomine Domini 1. distinct. 23. & cap. quâ fronte 25. de appellat. adjuncta Glossa in ver. Canonicum. & cap. Præceptum 6. 2. qu. 2.* ibi, *& in Ecclesia conveniences*, & docet Glossa, *cap. decet Domum Domini, in ver. sanctuarium*, ubi expressè dicit, quod Ecclesiastica judicia in Religiosis locis tractari possunt, & discuti, ad gloriam scilicet, & utilitatem Ecclesiæ, prout esset Conventus de Maritandis puellis, de pauperibus alendis, de vestimentis, & cultu Ecclesiæ, & similibus, de quibus *Novar. in Praxi elect. fori sect. 2. q. 41. num. 5.* ubi ad intentum multa cumulat.

Quæst. 21. An Confraternitas laicorum dici possit locus pius, & religiosus?

1. AFfirmat *D. Riccius 1. p. Prax. dec. 48. in 1. edit. & in 3. p. Prax. resol. 142.* dummodò tamen ibi exerceantur opera pietatis, & reperiatur erecta authoritate Episcopi: hinc potest Episcopus hujusmodi pia loca visitare, & de bonis eis relictis canonicam portionem percipere, & similia peragere, per eumdem D. Ricc. relata.

2. Sed dices, in casu dubio, quonammodo potest probari, vel præsumi, dictam Confraternitatem esse erectam, authoritate Ordinarii? respondet *D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib. 4. de Confraternit. cap. 4.* quod potest probari per scripturas, vel testes idoneos, & indubitatos: & præsumptivè per signa denotantia, locum esse Ecclesiasticum, seu religiosum, nam sicut talis præsumitur persona, qualis est habitus, quem gerit, *l. item apud Labeonem, § si quis Virginem ff. de injur.* ità à pari, talis præsumitur locus, qualis ostenditur ex figura, *l. stigmata, C. de fabricand. lib. 10. l. sed si accepto C. de Jur. Fisci*, quorum jurium auctoritate suffulti, *Federicus de Senis, dec. 130. n. 2. Tiraquell. de pia causa, in pia causa, in præfatione, Natta cons. 62. in fin.* & alii plures præfatam resolutionem amplectuntur.

3. Signa autem, è quibus potest colligi, locum esse Ecclesiasticum, sunt infra scripta. Primum si appareat fuisse in forma Ecclesiæ, vel publici Oratorii constructum, quia hæc sine Episcopi licentia fabricari non possunt. Secundum, si habeat campanile, & campanam, quæ publicè pulsetur, *cap. Patentibus 10. de Privil.* Tertium, si habeat Cœmeterium, aut sepulturam, vel Episcopus exerceat in eo Jura Episcopalia. Quartum si habeat dotem pro servitio, vel pro celebratione Missarum. Quintum, si dicta Confraternitas reperiatur visitata per Episcopum; & ratio resolutionis potest esse, quia cum causa Religionis, possint Turbæ, & seditiones facilè nasci, *l. 1. § sed Relig. ff. de Colleg. illicitis*, non debet quid in sacris fieri, quod Episcopum lateat; cum ipse in sua Diœcesi speculator existat, *l. nulli § quid si in vico, C. de Episc. & Cler. c. final. in fin. de Const. & cap. cum Episc. de off. Ord. in 6.*

Quæst. 22. An legatum factum Confraternitati, dicatur pium?

1. AFfirmativè *D. Ricc. 3. p. Prax. resol. 145. num. 1.* si tamen dicta Confraternitas sit Episcopi authoritate fundata, & opera pietatis exerceat, quod etiam dicit in *2. p. Praxis, quæ dicitur Aurea resol. 370. in novis*, quod procedit, etiam si Testator non exprimat illud relinquere ad pios usus. & *D. Sperellus, 2. p. dec. 153. num. 24.* quia præsumitur, testatorem tale quid illi reliquendo, respexisse pia opera, quæ ibi fiunt, non autem Confratres, qui illi legata administrant, ad quod facit Doctorum Collectaneum, ex quibus infert, quod de hujusmodi relictis, tanquàm Piis, Trebellianica non detrahitur, *Paul. de Castro in consil. 167. Bald. in Authen. similiter; C. ad l. falcid. Ant. Gabriel de pia causa, concl. 1. num. 9.* ubi rationem reddit, quia relicta hujusmodi Confraternitatibus, censentur relicta pro anima, & superaddit, quod ob eamdem rationem, potest reverenda Fabrica S. Petri se intromittere: qui etiam dicunt *D. Ricc. cit. loc. 2. p. & Novar. in practica elect. fori sect. 1. quæst. 42. num. 2.* limitat tamen D. Sperellus ubi supra, hoc ultimò dictum non procedere in tribus casibus, quos ego omitto, propter brevitatem, quam affecto.

Quæst. 23. An Confraternitas laicorum gaudeat privilegio fori?

1. AFfirmat, multis citatis, *D. Ricc. 3. par. Prax. resolut. 145. & D. Aug. Barbos. de off. & potestate Episcopi, allegat. 75. num. 25. & num. 56.* dummodò tamen sit instituta cum consensu, & authoritate Episcopi. Sic enim dicitur Ecclesiastica, & Religiosa, eò magis si habeat annexum hospitale cum campanis, ibique Missæ celebrentur. Ducunturque ex eo; quia qualitatem hanc, ut scilicet, Ecclesiastica seu Religiosa fiat, secundum Jus Canonicum, tribuere non possunt privati absque Episcopi authoritate, ut probat textus *cap. ad hæc 4. de Religiosis Domibus*, ibi, *quod si locus ad Hospitalitatis usum, & pauperum provisionem fuerit authoritate Pontificis destinatus, cum sit Religiosus, non debet Mundanis usibus deputari*, hæc ibi, ubi Glossa in casu ait, *nota; quod ad hoc ut locus sit sacer, necesse est quod accedat authoritas Pontificis*, & in ver. *auctoritate*, subnectit, *hoc ideò dicit, quia privatus, locum non facit sacrum*: ad quod allegat multa Jura; quibus omnibus accedit, quod consensus Episcopi hodiè est de forma ad instituendum Confraternitatem Religiosam, quo fit, ut Confraternitas erecta, sine Episcopi consensu, nequeat dici Ecclesiastica, seu Religiosa, ut constat ex dicta Bulla Clem. VIII. incip. *quæcunque à Sede Apostolica*, de qua latè dictum est suprà.

2. Sed majus dubium est, An Confraternitas erecta sine authoritate Episcopi, possit dici pia, quamvis non sit Religiosa, & sacra? Affirmant præcitati Doctores ubi suprà: si tamen ibi exerceantur opera pietatis, quibus favet *D. Ricciull. Lucubr. Eccles. lib. 4. cap. 11. num. 12.* quia ad denominandum Collegium Pium, non

non attenditur locus sed causa, ad quod ferè infinitos Doctores allegat, ex quibus plura deducit. Primò, quod Doctores asserentes, Confraternitates laicorum non esse loca Pia, debent intelligi de Confraternitatibus, quæ consistunt in simplici Collegio Personarum, citrà authoritatem Ordinarii, & exercitium operis Pii; secùs si habeant Ecclesiam, vel Hospitale, aut si sint approbatæ ab Ordinario, vel exerceant opus pium, quia tunc, vel dicuntur loca pia, vel æquiparantur, ut docet *Bald. in l. orphanotrophos. C. de Episcopis, & Cler. Petrus de Perusio in tr. de portione Canonica, cap.* 10. *Capra consil.* 54. *num.* 14. *Cevall. opin. commun. contra com. tom.* 4. *qu.* 897. *ver. si verò Confraternitates.*

3. Secundò, quod quamvis dicta Confraternitas non gaudeat Privilegio fori, cum non sit verè Religiosa, & sacra: gaudet tamen Privilegio piæ causæ, utputà beneficio restitutionis in integrum, *Verall. dec.* 328. *num.* 2. etiam adversus tres sententias conformes ut pluribus probant *Cabeda decis.* 51. *num.* 8. *p.* 1. *Mastrill. dec.* 110. *num.* 15. *Tiraquellus de pia causa, Privil.* 38. & aliis citatis *D. Barbosa in dicta alleg.* 75. *num.* 38.

Quæst. 24. *An Confratres laici, quoad ipsorum personas, & bona, sint de foro laicali?*

1. ET dico, quod sic: etiam si ipsorum Confraternitas sit confirmata ab Episcopo loci, nam cum status devotionis sit compatibilis cum statu laicali, non mutat qualitatem personarum, *Bartol. in l.* 1. *in principio, & l.* 3. *num.* 14. *ff. de Colleg. illicit. & in l. id quod pauperibus num.* 34. *C. de Episc. & Cler.* quod, procedit; sivè civiliter, sivè criminaliter agatur contra personas prædictas; quia in utroque casu, jurisdictio spectat ad judicem laicum, *l. qui de crimine, C. de accusat.* & extenditur, sivè agatur pro delicto contra singulos, sivè contra omnes de Confraternitate, seu contra totam Confraternitatem, *Aviles in novellis recollect. l.* 3. *tit.* 14. *lib.* 8. *num.* 19. *& Guttier. Canon. quæst. lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 9. quod adeò verum est, ut si Judex Ecclesiasticus procedat contra jam dictas personas, processus sit nullus ex defectu jurisdictionis, *Feder. de Senis, consil.* 130. *num.* 3. *Paris. consil.* 34. *num.* 28. *lib.* 4. *& Carol. de Graffis, de effectibus Cler. effectu* 1. *num.* 121.

2. Limitat tamen dictam conclusionem *D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 12. in multis. Primò, ut non procedat, ubi agitur de includendis, vel excludendis Confratribus à Confraternitate, quia tunc primum judicium spectat ad Rectorem Confraternitatis, à quo datur recursus ad judicem Ecclesiasticum; ad quod facit Doctorum collectaneum: Secundò limitat, nè procedat in controversiis de præcedentia in Processionibus inter Confratres. Hæc enim spectat ad Judicem Ecclesiasticum ex *Trid. sess.* 25. *cap.* 13. quod licet loquatur de præcedentia inter personas Ecclesiasticas; quia tamen Processiones sunt actus Ecclesiastici, hoc est, concernentes divinum cultum, *cap.* 2. *de pactis lib.* 6. habet locum etiam in Confraternitatibus *Navarr. consil.* 3. *de foro compet. & Marcellus Vulpe in prax. for. Eccles. cap.* 11. *num.* 10. ubi latè de his actibus Ecclesiasticis; ad quod etiam allegat *Bald. in l. final. de Colleg. illic.*

3. Tertiò limitat, nè procedat, ubi agitur contra Confratres de delicto admisso in rebus spiritualibus, ad quod allegat *Baldus, Navarr. Vulpe cit. loc.* & alios multos. Quartò limitat, nè procedat respectu ordinationis, & correctionis statutorum Confraternitatis, hoc enim pertinet ad Episcopum, ad quem spectat cognoscere omnia spectantia ad salutem Animarum, *Trid. sess.* 22. *cap.* 8. Quintò limitat, ubi pro eodem negotio, aut facto individuo, vel connexo convenitur Confrater laicus, simul cum Clerico, nam tunc judicium (inquit ipse) quoad utrumque spectat ad Judicem Ecclesiasticum, ubi ad intentum multa dicit, & allegat.

4. Verumtamen contra hoc ejus dictum, acriter insurgunt *Aymon. consil.* 232. *Illustriss. D. Didacus Covar. pract. quæst. cap.* 24. *Gomez de delictis tom.* 3. *cap.* 10. *Didacus Perez. lib.* 1. *tit.* 1. *Jul. Clar. in* §. *final. quæst.* 36. *nu.* 41. *D. Capic. decis.* 122. *&* 173. *D. de Franchis decis.* 426. *Mastrill. decis.* 138. *Farinac. tit. de Inquisit. quæst.* 8. *num.* 151. *in fin. Guttierrez pract. quæst. q.* 6. *num.* 1. & alii quamplures eruditissimi, qui omnes concludunt, quod in tali casu, Judex Ecclesiasticus procedit contra Clericum, & Judex sæcularis contra laicum; & quod unusquisque judicatur de per se, adeò, ut sententia condemnatoria, vel absolutoria unius, nec noceat, neque prosit alteri, & moventur, tum quia continentia causæ non operatur, ubi actor, & reus sunt diversi fori *cap. fin. de Jud.* & notant ibi *Glossa, Abbas, & Felin. num.* 8. tum etiam; quia in delictis, privilegium socii non suffragatur alteri, *l. si quis uxori, ff. de furtis*; tum item, quia ita, ut audio, observat praxis, & præcipuè hujus Regni Neapolitani, etsi *D. Ricciull. ubi supra* eam nitatur evertere.

Quæst. 25. *An bona Confraternitatis possint alienari, sine assensu Apostolico?*

1. NEgant communiter Doctores, loquendo tamen de bonis Confraternitatis, erectæ authoritate Episcopi, quia sic censentur bona Ecclesiastica, quæ nequeunt alienari sine assensu Apostolico; ut ex multis ostendo, *tom.* 1. *praxis p.* 2. *tract.* 14. *quæst.* 60. nihilominus *D. Ricc. in* 2. *p. praxis, quæ dicitur aurea, resolut.* 372. *num.* 2. dicit, quod si bona sunt relicta Confraternitati, ut de eis, ad libitum disponat, vel eo animo est erecta Confraternitas, ac bona, ea mente sunt congesta, ut Confraternitati deserviant, & de illis disponere possit ad libitum: tunc non est necessaria solemnitas Paulinæ, si verò Confraternitas extructa est, ut Deo sacrificium fiat, & bona congesta pro associatione Sanctissimi Sacramenti, pro Missis dicendis, & pauperibus sublevandis, &c. & tunc, etiamsi non accessisset consensus Episcopi in fundatione illius, bona prædicta nequeunt alienari sine consensu Episcopi, & Confraternitatis; quia tunc bona, & locus sunt Religiosa; ad quod allegat *Guttierez lib.* 1. *Canon. quæst. cap.* 35. *& Quaranta ver. alienatio.*

2. Cæterum tu firmiter tene, quod locus fundatus sine authoritate Episcopi, nequit dici sacer, seu Religiosus, etiam si Confratres vivant sub aliqua Regula, seu Ecclesiastico Ritu; etiam si habeant Oratorium privatum, & Altare ubi orant ad propriam devotionem; etiam si locus, in quo Confraternitas convenit, denominetur de aliquo Sancto; quia sola denominatio non sufficit, ut locus sit sacer, & Ecclesiasticus; etiam si dicta Confraternitas habeat Campanellam secretam. Sed remanet ut sit Collegium laicale, personale, prophanum, ut multis firmat *D. Ricciull. cit. loc. cap.* 21. *num.* 5. cum quibus tamen stat, ut considerandum sit, an dicta bona stabilia, undecunque habita, sint Ecclesiastica, vel sæcularia? Nam primo modo, exigunt omninò assensum prædictum: secus autem secundo modo; ut liquet ex latè dictis *cit. loc. praxis quæst.* 60. *& quæst.* 65. ubi quæritur, an bona stabilia relicta Ecclesiæ, ut possint alienari sine assensu Apostolico valeant alienari sine solemnitate Paulinæ.

* * *

Quæst. 26.

Quæst. 26. An oblationes, & legata facta Capellæ Confraternitatis Rosarii debeantur Confraternitati, vel potius Rectori Ecclesiæ, in qua sita est?

1. D. *Marc. Anton. Genuensis in nova prax. Neapolit. cap.72. num.4. de oblat.* dicit, quod de jure communi debentur Rectori Ecclesiæ: nisi offerens, sivè testator aliter exprimat, ad quod allegat Doctores scribentes in *l. statua, ff. de usufruct.* & ità sæpè fuisse decisum in Curia Archiepiscop. Neapol. testatur *D. Ricciull. in collect. p. 4. collect. 99. & 113.* & ratio est, quia de jure communi, omnes oblationes, quæ fiunt intra Parochiam, debentur Parocho, non obstantibus quibuscunque conjecturis.

2. Veruntamen sapientissimus *Bordon. tom.2. resolut. 72. num. 42.* dicit, quod dictæ oblationes, ex probato usu, spectant ad ipsa altaria, quibus offeruntur, ac proinde in eorum usibus debere applicari, non autem prætendi posse à Parochis, aut Regularibus, in quorum Ecclesia fundata est Confraternitas; & movetur ex dicta Bulla Clem. VIII. incip. *Quæcunque à Sancta Sede Apostolica*, de qua latè hic supra, ubi statuitur, Confratres non posse eleemosynas excipere, nisi de licentia Ordinarii, quas expendere debeant ad reparationem, seu ornatum Ecclesiæ, cui sunt addicti, & liquet ibi, *Quibus etiam Magistris, officialibus, & aliis prædictis, eleemosynas, & alia oblata Christianæ charitatis subsidia, juxta modum & formam, per Ordinarium loci præscribendum: remotis tamen mensis, & pelvibus, & capsis, quæ in Ecclesiis, & Oratoriis dictarum Confraternitatum, & Congregationum publicè ad hoc exponi consueverant, &c.* & infrà ibi, *Eleemosynas autem sic collectas in reparationem, & ornatum Ecclesiarum, tam Ordinum, Religionum, Institutionum, &c. in alios eorum pios usus, arbitrio ejusdem Vicarii nostri in Urbe, necnon Ordinariorum locorum respectivè fideliter exponere, atque erogare procurent, ut omnes intelligant thesauros cælestes Ecclesiæ, non quæstus, aut lucri alicujus causa, sed pietatis, & charitatis excitandæ gratia, ex Apostolicæ Sedis benignitate, Christi fidelibus aperiri, &c.* Hæc ibi, ex quibus certum est, jus commune, quoad oblationes prædictas limitari, & dictas eleemosynas aliter expendentes, aut sibi usurpantes, esse in malo statu, agunt enim contra expressam mentem Roman. Pontif. nisi fortè excusentur, ob parvitatem materiæ, vel ob extremam necessitatem quæ non licitum, licitum facit, *cap. quod non est licitum 3. de regulis Juris*, ad quorum majorem certitudinem iterum quæro.

Quæst. 27. An Confratres Sanctissimi Rosarii, & consimiles, possint ad libitum disponere de oblationibus, & bonis Confraternitatis?

1. NEgativa decisio, est manifesta; tum ex dictis immediatè supra; tum ex decisis, *tom. 2. praxis p. 4. tract. 13. quæst. 24.* tum etiam, quia Confratres non sunt domini bonorum, & eleemosynarum dictæ Confraternitatis, sed Ministri, Custodes, & Conservatores, etenim jus ad oblationes, est Ecclesiasticum, & non Laicum, ergo ad Clericos, & non ad Laicos pertinet: antecedens hujus discursus constat ex *Capitulo hanc consuetudinem 15. 10. quæst. 1.* ubi Damasus Papa ita loquitur.

2. *Hanc consuetudinem, quæ contra Sanctam Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omninò interdicimus: ut nullo modo unquam oblationes, quæ intra Sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur: sed tantummodo Sacerdotibus, qui quotidiè Domino servire videntur, liceat comedere, & bibere: quia in vetere testamento prohibuit Dominus Panes sanctos comedere filiis Israel: nisi tantummodò Aaron, & filiis ejus, qui Panes longè erant ab istis Panibus, qui nunc à Sancta Ecclesia offeruntur, quia illi sub umbra legis erant; qui verò modò, sub gratia Spiritus Sancti, toto Mundo Evangelio coruscante lucidiores esse videntur: qua fronte, aut qua conscientia, oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro vobis, nedum pro aliis Deo preces offerre? Quia pravum est, & contra Dominicum præceptum, & detrimentum animæ suæ infert, qui illud agere conatur, quod ei nulla ratione conceditur: quia omnibus Sanctis Patribus, nostrisque Prioribus placuit hanc sanctionem fieri: & Nos similiter in eisdem persistere volumus, ut nullus audeat irritum facere hoc, quod constitutum est, si in perpetua damnatione noluerit persistere; si quis verò contra hanc Regulam nostram, & contra Regulam Sanctorum trecentorum, & decem, & octo Patrum, qui in Nicæno Concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit, & de cætero oblationes de sacris Ecclesiis auferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus, & condemnatus, responderunt omnes, fiat, fiat*, Hæc ibi.

3. Ad quod item faciunt duo præcedentia capitula ejusdem quæstionis, & causæ incip. *Sanctorum Patrum, cap. 14. & quia Sacerdotes cap. 13.* ubi *Glos.* multa dicit.

4. Quod autem prædicti Confratres sint Ministri, Conservatores, & Custodes præfatorum bonorum, constat tam ex dicta Bulla Clem. VIII. quàm ex Bulla Pii V. incip. *Consueverunt Romani Pontifices*, ubi idem Pontifex, in §. 5. dictis Confratribus prædictorum bonorum administrationem committit, ibi, *Nec non eisdem Confratribus, seu sodalitatibus, quod illarum ad id deputati Confratres, omnia & singula oblationes, & legata, seu donationes, aut aliàs quovis modo, sivè in testamentis, sivè codicillis, aut alia ultima inter vivos voluntate illis relicta, & erogata quæcunque, quotcunque, & qualiacunque, etiamsi specialis nota digna sint, percipere, exigere, levare, & in Confraternitatum hujusmodi pios usus convertere, etiam Ordinarii loci, aut cujusvis alterius licentia desuper minimè petita, liberè & licitè possint.* Hæc ibi, inter quæ nota ly, *& in Confraternitatum hujusmodi pios usus convertere, &c.* Quod verbum ostendit præfatos Confratres, non habere dominium, sed administrationem.

5. Quod autem administratio hujusmodi oblationum, & eleemosynarum possit committi laicis in pios usus Confraternitatum, constat evidenter ex ambabus prærecensitis Bullis Pii V. scilicet, & Clem. VIII. & docent Rota Rom. in una Toletana eleemosynarum, 19. Maii 1619. coram R. P. Picovano, *D. Ricc. 4. p. decis. Cur. Archiep. Neapol. decis. 170. num. 11.* & multis allegatis, *Reming. Scropha in moral. q. 40. concl. 3. n. 6.*

6. Cæterum ad cavendum omnem errorem, tam respectu Regularium mandantium, quàm respectu Confratrum exequentium illorum mandata, advertendum est; quod relicta ad certum usum, non possunt in alium usum commutari; utporè relicta pro virginibus maritandis, non possunt commutari in alimenta pauperum; nisi à D. Papa, ut expressè dicitur, *lib. 3. Clem. tit. 11. in cap. quia contingit, de Religiosis domibus*, ibi, *ea, quæ ad certum usum, largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicæ authoritate) converti.* Quod confirmavit Clem. V. in Concil. Viennensi.

7. An autem dicta commutatio fieri possit ab Episcopo, tanquam S. Sedis Delegato, quæstio est inter Doctores non levis; Affirmat tamen *Trid. sess. 22. de reform. cap. 6. & sess. 25. cap. 4.* ex rationabili tamen causa, & in quibusdam casibus; de quibus vide *Barbosa allegat. 83. num. 5.* ubi dicit, quod si legata ad certum usum non sufficerent, in alium per Episcopum possunt commutari. *Ugol. de offic. Episcopi, cap. 61. D. Ricc. in collect. decis. 3. p. col-*

sect. 558. *ver. tertia causa:* item si usus legati non potest adimpleri, vel si res delegata non possit deservire pro usu designato, *Layman. lib. 3. de just. tract. 5. cap. 11. n.* 10. vel ubi legatum esset factum ad certum usum, non ita necessarium, poterit Episcopus commutare. *Doct. Barbos. in d. cap. quia contingit, de Relig. domib. in 6. Remigius Scropha in moral. q.* 40. *sub conclus. 5. num. 9. ver. etiam Episcopus, & Diana 2. p. moral. tract.* 17. & 3. *miscell. resol.* 26. ubi multa congerit; quibus adde, quod quamvis Episcopus possit ex causa, pias defunctorum voluntates mutare: hoc tamen non poterit Prior Provincialis, qui licet respectu suorum subditorum, habeat potestatem, quasi Episcopalem, adhuc tamen non potest dici Delegatus S. Sedis.

8. Cætera verò indifferenter relicta, sivè ad incertum usum donata, & eleemosynaliter tradita, non sunt pariter sub libero dominio Confratrum, sed Ecclesiæ, in qua sita est Confraternitas; adeò, ut de consensu Capituli, & Rectoris Ecclesiæ debeant expendi in pios usus dictæ Confraternitatis, seu Altaris, vel Ecclesiæ, in qua sita est Confraternitas, ut dictum est ex dict. Bull. Clem. VIII. & Pii V. superiùs relata; & docent *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 8. *in princ. corpor.* & ibidem *Card. Cajet.* ubi multis mirificè probat, hujusmodi Confratres, ac consimiles, non esse Dominos, sed Depositarios, & Custodes præfatorum bonorum, unde non possunt de illis ad libitum disponere.

Quæst. 28. An Confraternitates laicorum possint compelli ab Episcopo, ut ad publicas processiones accedant?

1. Zerola *in praxi Episcopali, ver. Processiones, D. Ricc. in 3. p. prax. resolut.* 147. *in Impress. Veneta, de anno* 1623. *Franciscus Leo in thesaur. fori Eccles. p. 1. cap. 8. nu.* 18. *Gratianus decis.* 232. *num.* 6. *D. Campanilus in divers. Juris Canon. rubr. 12. cap. 13. num.* 118. *Ugolin. de Episcopo cap.* 11. *num.* 6. *D. Barbos. de officio, & potestate Episcopi, allegat.* 78. *num.* 24. *Marcell. Vulpe in praxi judicial. fori Eccles. cap.* 11. *num.* 9. *Gavant. in manual. vers. processio, nu.* 13. & alii plures dicunt, quod non possunt compelli ad dictas Processiones, sed solùm invitari, prout fuit per Sac. Congr. resolutum, his verbis.

2. *Reverendissime uti frater; Quamvis thesaurarii Magistri, & Confratres Sanctæ Mariæ Annunciatæ, & magis conscientiæ suæ consuluissent, ac pietati satisfecissent, si amplitudini tuæ ad publicas processiones vocati, morem gessissent: cùm tamen ad eas accedere distulerint, neque ab amplitudine tua compelli; neque illis præterea censuris distringi, aut innodari debuerunt: quod sæpius aliàs consulti responderunt Illustrissimi Patres Concilii Tridentini interpretes: itaque interdictum, hac de causa latum protinus tollas, oportet, ac de cætero à similibus compulsionibus omninò abstineas. Deus amplitudinem tuam incolumem servet, die 6. Maii* 1597. *Cardinal. Matthæus,* & referunt *Quarant. ver. præcedentia, Piaseg. in sua prax. Episcopali p. 2. cap. 3. numer.* 32. *D. Ricc. & Vulpo ubi supra.*

3. Limitant tamen, dictam resolutionem non procedere ubi adesset consuetudo compellendi. *Marcus Antoninus var. resol. lib. 1. cap.* 103. *D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib. 4. cap. 14. num. 2. & Lopez 2. p. summ. cap. 15. de Confrat. num.* 24. & moventur; tum quia ita Sacra Congregatio declaravit 21. Januarii 1622. & 8. Maii 1627. prout refert *Barbos. vers. Confratres in collect. Bull.* tum etiam; quia cum illa sola tribuat jurisdictionem, *Glos. in cap. 2. de except. in 6.* multò magis possunt prorogare eam habenti, *Felin. in cap. significaverunt, num. 3. de Jud. Nacta consil. 98. num.* 12. quippè quæ consuetudo in hac specie probatur per multiplicitatem edictorum absque contradictione, ut plurib probat idem *Marcus Anton. cit. loc. num. 13. & 17,* quæ hodie in omni Diœcesi adesse censet *D. Ricciull. cit. lo. num.* 2. ob communem praxim Episcoporum, qui Confratres solent vocare ad Processiones per sua publica edicta; unde infert, quod hodie possunt cogi ad dicta Processiones accedere.

2. Verùm *Bordonus tom. 2. resol.. 72. num. 27.* ait, quod si aliqua Confraternitas modo accedat ad Processiones ex edicto Episcopi, quolibet Anno exponi solito sub certis pœnis, modò non; ea non ideò posset astringi ad Processiones prætextu consuetudinis, cum consuetudo requirat actus uniformes, teste *Baldo in l. 2. ff. solut. matrim. & Decio consil. 214. num.* 1. Nec talis probatur consuetudo, de qua est sermo, cum fratres modò accedant, modò non; præterquam quod tacens consentire videtur, juxta *Jur. regul. in 6.*

5. Et sub *num.* 28. ibidem Bordonus addit, quod si Episcopus præcipiat sub pœna interdicti localis Confraternitati in Regularium Ecclesiæ fundatæ, ut accedat ad Processiones, si hæc non accedat, non ideò Altare, Capellanus, & Oratorium illius, subjicitur interdicto locali: cum interdictum ferri debeat ab habente potestatem, & Episcopus nullam habeat potestatem in Ecclesiis Regularium, utpotè exemptis, etiam quoad interdictum, ex Indulto Leon. X. in Bulla, *Cum Sancta Regula* apud *Confectum pag.* 155. relata. Confirmatur; nam si absolutè, & simpliciter Ecclesiæ Regularium non possunt interdici, multò minus earum partes, cùm Privilegium totius, extendatur ad ejus partes: & partes integrales simul unitæ, non distinguantur à toto, & additur, quod non est æquum Regularium Ecclesias pati damnum sine culpa ipsarum.

6. Nec his nocet *Trident. sess. 25. cap.* 12. ubi præcipitur Regularibus, ut in propriis Ecclesiis, mandante Episcopo, promulgent, & servent interdicta, etiam ab Ordinariis promulgata, quia textus ibi loquitur de interdictis generaliter latis, respectu aliorum; non autem de interdicto particulari, in casu posito *Bordon. cit. loc.* cui favet *Pelliz. tom. 2. manual. tract. 8. cap. 5. sect. 6. q. 16. num.* 285.

7. An autem dicta compulsio fieri possit sub pœnis pecuniariis? quæstio intricata est, de qua videndi sunt *Mar. Ant. cit. loc. & Gratian. dict. decis.* 232. Verum *Pelliz. cit. loc.* dicit, quod Episcopus non punit Confraternitates in casu posito, si omittant accedere: ego autem dico, quod standum est consuetudini legitimè introductæ.

8. Benè tamen verum est, quod quando præfatæ Confraternitates, ad dictas Processiones accedunt, debent incedere ante Regulares, prout à Sacra Congregatione decisum refert *D. Barbos. in collect. Bull. ver. Confraternitas,* non deferendo Crucem, prout à Clericis solet deferri; sed Imaginem Crucifixi, vel Sancti, sub cujus nuncupatione militant, prout etiam à Sac. Congregatione resolutum refert idem *Barbos. cit. loc. in fine,* & sequitur *Ricciull. cit. loc. sub num.* 3.

9. Quibus adde, præfatas Confraternitates laicorum, eorumque Capellanos, posse facere solitas Processiones, quando non fiunt in Ecclesia Parochiali circa muros Regularium, qui eas regunt dumtaxat, non autem per alias vias, prout à Sacra Congregatione decisum refert *Gavant. in manual. ver. Processio num.* 49.

10. Nec obstat dicere, quod Romæ Confraternitas B. M. Virg. de Monte Carmelo fit à prædicta Confraternitate, in mense Junii, usque ad Basilicam S. Mariæ Majoris, & per vicinas plateas, absq; ullo impedimento, quia

quia hæc extenditur, vel ex peculiari Privilegio, aut ex speciali concessione ejus, ad quem spectat, vel ex legitima consuetudine, quæ dat jus, & privilegium, ut sæpè dico, & patet de Processione Sanctissimi Rosarii, quæ in mense Octobris, per totam Civitatem solet extendi.

Quæst. 29. An Confraternitates laicorum teneantur contribuere Seminario?

1. ET dico, quod sic: si tamen habeant bona, vel beneficia Ecclesiastica; secus autem si nulla habeant beneficia Ecclesiastica annexa, aut proventus Ecclesiasticos, licet alios redditus habeant, & ita à Sacra Congregat. decisum refert *D. Barbos. allegat. 77. num. 10. & in collect. Bull. ver. Confraternitas*, & secundum hanc distinctionem intelligi debet *Trid. sess. 23. cap. 18. de reform.* unde benè dicit *D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib. 4. cap. 14. num. 3. ver. cæterùm*, quod Confraternitas regulariter nequit cogi ad contribuendum Seminario: ex quo ejus redditus solent esse ex eleemosynis, & collectis Confratrum, & non ex beneficiis, vel bonis Ecclesiasticis, *Lezan. 2. p. sum. cap. 15. de Confrat. n. 28. & Gavant. in manuali ver. Seminarium.* Quod dictum, & resolutionem prædictam in extende ad Confraternitates fundatas in Ecclesiis Regularium, quod etiam à Sacra Congregatione decisum refert Idem *Barbosa in collect. ad cap. 18. Concil. Trid. sess. 23. de Reform.* ubi, sub *num. 58* ait, *Quod Seminario taxam solvere recusantes, potest Episcopus punire interdicendo, & alia graviora juris remedia adhibendo.*

Quæst. 30. An Confraternitates laicorum possint accedere ad funeralia mortuorum?

1. D. *Barbosa in tract. de officio, & potestate Parochi cap. 26. num. 61.* ex declaratione Sacræ Congregat. dicit, quod non: nisi specialiter, & expresse vocentur, & ex eadem Sacra Congregat. addit, quod suprà dictum est, quod scilicet in actu associationis cadaverum, nullo modo possunt erigere Crucem, &c. sed non dicit, à quonam debeant specialiter, & expressè vocari? Verùm ex ejus ibi ante dictis, videtur loqui de vocatione facienda à Parocho, sed non placet, quia satis est, ut vocentur ab eo, cujus sumptibus fit funus: ad quod facit textus Bullæ Pii V. incip. *Inter desiderabilia*, quæ est 86. inter Bullas ejusdem in Bullario, hei ub. & liquet ibi, *ac singuli Confratres ad quasvis Processiones accedere, & in quibus corpora defunctorum ad sepeliendum deferuntur, cum eorum insigniis, cujusvis etiam superioris licentia, desuper minimè requisita, etiam absque aliquo conscientiæ scrupulo, & censurarum Ecclesiasticarum incursu, possint, & valeant seu eorum quilibet possit, & valeat*, hæc ibi, quibus adde, prædictos Confratres posse accipere eleemosynam de tali associatione, ob laborem passum, & pro sustentatione Confraternitatis; non autem titulo mercedis, quia opera spiritualia nequeunt vendi sine labe Simoniæ.

Quæst. 31. An D. Episcopus loci possit visitare Confraternitates laicorum fundatas in Ecclesiis Regularium?

1. ET quidem posse, quoad computa, & administrationem redditicum, certum est, *ex Concil. Trident. sess. 22. cap. 8. de refor.* quod incipit. *Et Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, &c.* secus autem, quoad altaria, & Capellas sitas in dictis Ecclesiis, ut clarè constat ex decisis, *tom. 1. Praxis. p. 2. tr. 13. de exempt. q. 70.* & referunt à Sac. Congr. decisum *Galet ver. Episcopus, fol. 14. & 15. D. Ricc. 3. p. dec. 209. nu. 8. D. Barbos. allegat. 75. nu. 13. & 29. & in Collect. ad d. cap. 8. Trid. sess. 22. de reform. n. 21. Cochier in tr. de jurisdictione in exemptos, p. 2. q. 45. nu. 10. D. Genuensis in Praxi Archiepisc. Neapolit. n. 21 de Visitat. D. Ricciull. Lucubrat. Eccles. lib. 4. cap. 15. sub n. 3. in fin.* & alii eruditissimi non pauci, & meritò, tum quia exemptâ Ecclesiâ, censentur exemptæ Capellæ sibi subjectæ, aut accedentes, vel connexæ, *Glos. in cap. rogamus, 24. q. 1. & cap. Cum Capell. de Privil.* tum etiam, quia Tridentinum *cit. loc.* dicit, quod Episcopus habet Jus visitandi Collegia, ac Confraternitates laicorum, Collegium autem distinguitur realiter à Capella sodalitatis; nam Confraternitas, teste *Baldo in l. si quis ad declinandum, §. final. num. 19. C. de Episc. & Cleric.* est Collegium personale, voluntarium, Religionis causâ congregatum; ergo supponit pro persona ficta, fictione Juris, quæ stat de per se, præscindendo à loco, ut constat ex decisis hic suprà *quæst. 1.* & docent *Imola in cap. officii num. 21. de testam. Petrus Ubald. de Canonica Episcopali, num. 9. & 21.* & alii plures, quos allegat, & sequitur *D. Ricciull. Lucubrat. lib. 4. de Confrat. cap. 1.* ubi *sub num. 4.* assignans differentiam inter Collegium personale, & reale, dicit, quod Collegium reale de necessitate requirit locum, & personas simul: Collegium autem personale conficitur tantum ex personis: dum ergò Trid. *cit. loc.* loquitur de Collegio personali, non intrant Capellæ, ac Altaria, in quibus conveniunt personæ Collegiatæ. Confirmatur, quia dicta dispositio Conciliaris respectu Regularium est odiosa, in odiosis autem, non fit extensio, juxta Juris regulam *Odia*, ergò cùm loquatur de societate hominum, non debet extendi ad loca, in quibus congregati conveniunt.

2. Nihilominus *Joannes Baptista Ciarlin. 1. p. controvers. cap. 65. num. 10.* limitando dicit, præfatam declarationem Sacræ Congreg. non procedere quando Episcopus est in consuetudine, & possessione visitandi dicta Altaria: undè concludit, Episcopum Regii, qui excommunicavit Præfectum cujusdam similis Confraternitatis, qui sibi resistebat prædicta Altaria visitare, rectè fecisse, ex quo erat in possessione illa visitandi; sed ut mihi placet; tum quia ad defensionem præfati Episcopi scripsit, cujus ipse erat Vicarius Generalis; tum quia licet consuetudo det Jus, & Privilegium; hoc tamen procedit quando reperitur introducta de scientia, & tolerantia ejus, cui præjudicat, ut patet ex allegatis, *tom. 1. Prax. tr. 1. de leg. quæst. 23.* ubi latè de consuetudine non præscripta, quod nec probatur, nec supponitur à Ciarlino *cit. loc.* cùm ibi nihil dicat de scientia, & tolerantia Papæ, cui præjudicatur in fractione exemptionis; subsunt enim omnes exempti immediatè Papæ.

3. *Lezana tamen, 2. p. sum. cap. 15. num. 27.* item limitando dicit, Episcopum, ex dicta declaratione Sac. Congregat. non posse visitare dicta Altaria, quatenus spectant ad Regulares ipsos, secùs autem quatenus spectant ad ipsos Confratres. Verumtamen *Bordon. 2. p. consil. resol. 72. num. 22.* censet Episcopum nullo modo posse visitare capellas Confraternitatis erectas in Ecclesia Regularium, quod probat; tum quia dictæ capellæ solùm possunt visitari in ordine ad ornatum, ac supellectilem earum, quæ omnia cedunt in proprietatem Ecclesiæ Regularium, & ordinariè sunt illarum curæ; tum etiam, quia eadem res diverso jure censenda non est, ex vulgatis juribus; tum item, quia talis visitatio fieri nequit, nisi aliquo modo visitentur Regulares, qui sunt exempti à visitatione Episcopi, & favet *Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 8. cap. 5. sect. 6. q. 28. nu. 288. ad finem.* Cætera vide loco praxis.

* * *

Quæst. 32. An Episcopus loci possit visitare Confraternitates, quæ sunt sub immediata protectione Regum?

1. NEgativè deciditur *in d. cap. 8. Trident. sess. 22. de Refor.* & meritò; quia sicut Reges aliis excellentia præcellunt, ità debent peculiari prærogativa gaudere, *cap. final. de offic. Delegati in 6.* quod dictum Tridentini *D. Ricc. 4. p. Praxis resolut. 164.* limitat procedere, quoad concernentia administrationem bonorum, secùs autem quoad concernentia decentiam, & ornamentum cultus divini, ad quod allegat *Pereiram Hispanum in suo tractatu de manu Regia. p. 2. cap. 17. n. 12.* referendo ejus propria verba: sed alii dicunt, quod etiam requiritur specialis licentia, etiam in Episcopo electo à Rege, *Velaschius decis. 105. n. 16.*

2. Sed dices, quando nam locus pius dicetur esse sub immediata protectione Regis?

3. Respondet *D. Ricciull. Lucubr. Eccl. lib. 4. cap. 15. n. 8.* multis allegatis, tunc esse, quando non erit alterius jurisdictioni subjectus, ubi sub *nu. 9.* dicit, quod Regia protectio non includit aliquam jurisdictionem, sed jus quoddam tutelare, quod non tollit jurisdictionem Judici Ordinario, neque quoad locum, neque quoad personas; nisi concurrant alia, quæ arguant subjectionem, *Seraph. dec. 1025. num. 3. & sub n. 10.* subdit, quod ad hoc, ut regia protectio operetur, oportet, quod imploretur in limine erectionis, alioquin non suffragatur. *Cavalcant. de brachio Regio, quæst. 9. & Menoch. consil. 721. & sub num. 11.* ait, quod dispositio prædicta Sacri Concilii Trid. non comprehendit loca existentia in locis, in quibus Rex est Dux, Comes, aut Marchio, ut ex mente Sac. Congreg. probat *Gabriel. consil. 195. num. 2. lib. 2.* de qua re invisendi sunt *D. Ricciull. ubi supra. Novar. in praxi elect. for. qu. 60. & D. Ricc. cit. loc.* ubi latè de piis locis stantibus sub immediata protectione Regia.

Quæst. 33. An Episcopus possit definire, & componere lites, & controversias, quæ de præcedentia in processionibus inter Confratres, oriri solent?

1. AFfirmativè *Marcellus Vulpe in sua praxi fori Eccl. cap. 11. num. 10.* duciturque ex *Trid. sess. 25. cap. 13.* quod licet loquatur de personis Ecclesiasticis, quales non sunt isti laici: adhuc tamen, quia faciunt actus Ecclesiasticos, seu Actiones spirituales concernentes divinum cultum, subsunt judicio Episcopi per allegata hic supra *q. 24.* Verùm quando agitur de controversiis rerum merè temporalium, tunc cognitio spectat ad Judicem sæcularem, *D. Ricc. 3. p. Praxis resol. 146. num. 7. & Anna singul. 90. & Grat. decis. 232. num. 7.*

Quæst. 34. Quinam Ordo servari debeat inter Confraternitates?

1. ET dico, quod circa hoc debet attendi Bulla Greg. XIII. incip. *exposcit*, quæ est 84. inter Bullas ejusdem, in Bullario Cherub. qua S. Papa decrevit, illam Confraternitatem debere præcedere, quæ est in possessione præcedendi, ubi verò non constat de tali possessione, eas præcedere, qui prius saccis usæ sunt. Sed quia post dictam Bullam aliæ circa præcedentiam exortæ sunt controversiæ, ad eas eliminandas Sacra Congregatio Episcop. censuit, ut quod Romæ servatur circa præcedentiam, ubique servetur, cum Ecclesia Romana sit caput & magistra omnium Ecclesiarum, & hæc declaratio placuit valdè nimis Clem. VIII. qui etiam mandavit juxtà illam in casibus occurrentibus rescribi debere, etsi opportunum fortè videretur, constitutionem fieri, prout testantur *D. Barbos. allegat. 78. num. 24. & Quaranta ver. præcedentia;* & constat ex Constit. Clem. VIII. incip. *Inter cætera cordis*, & est 13. inter Bullas ejusdem in Bull. Cherub. de qua re legendi sunt idem *Barbos. in Collect. Bull. ver. Confraternitates, & ver. Processiones, Gavant. in Manuali eod. ver. & Novar. in novissimis, decis. 123.* ubi ex multis ostendit, quod in controversiis præcedentiarum, lite pendente, manuteneri debet, qui tempore litis motæ reperitur possidere, *& Lezana 2. p. sum. cap. 15. de Confrat. num. 23.* qui ex multis ostendit, Confraternitatem, quæ prius, quam altera Saccis usa est, non gaudere prærogativa præcedentiæ, si accedat ad processionem sine sacco, qui enim cupit obtinere præcedentiam, habitum convenientem gestare tenetur, *cap. 1. de author. & usu Pallii;* quibus omnibus adde, quod à Decreto Episcopi lato super materia præcedentiæ, non datur appellatio, nec reclamatio, prout dicitur in dicta Bulla Gregor. XIII. quod intellige verum, quo ad effectum suspensivum sententiæ: secùs quoad effectum devolutivum.

Quæst. 35. An Confratres portantes candelas circa statuam B. M. V. Rosarii, cum processionaliter defertur: sint admittendi, tali modo incedere?

1. SUnt qui negant; tum quia debent incedere ante omnes Regulares, non autem post illos, ut ex declaratione Sacræ Congreg. dictum est suprà, & habetur expressè in Ceremoniali Episc. *lib. 7. cap. 33.* & in Rituali Romano Pauli V. & Bulla Clemen. VIII. incip. *Inter cætera 13. in Bull. Roman. Cherub. in ejus Procem.* tum etiam, quia cùm Collegium Confraternitatum sit longè inferius Collegio Clericorum, ac Regularium, non debent eis præcedentiam auferre; tum item, quia non possunt intuitu consuetudinis talem locum possidere, cum in præcitatis locis derogatum sit omni consuetudini, etiam immemorabili, ergò.

2. Verumtamen falluntur; nam possunt admitti, & admittendi sunt: dummodò cum Cereis, & eorum insigniis hinc inde incedant à latere statuæ; moveor, tum quia ità in simili declaravit Sacr. Congreg. Rituum in una Niciens. 30. Januarii 1616. ubi decrevit, Priores Confraternitatis Sanctissimi Sacramenti, non debere incedere ante Baldachinum, post Capitulum, sed à latere Baldachini, teste *D. Barbos. in Collect. Bull. ver. Confraternitas ad finem, & Gavant. in suo Manuali ver. Processio n. 39.* tum etiam, quia incedentes hinc inde à lateribus statuæ prædictæ, non dicuntur alicui auferre præcedentiam, cum extrà filum Processionis honorificè inserviant dictæ statuæ, tum item, quia sic deferentes intortitia circa statuam, ultimum locum obtinent, non ut partes processionis, sed ut portitores Candelarum ad honorem, & pompam statuæ; undè nulli fit præjudicium, cùm eo casu non sit consideranda præcedentia, sed servitium, & obsequium, ut patet de Hebdomadario in processione funeris, qui post digniores ultimum locum obtinet, non ratione propriæ personæ, sed ratione officii, quod gerit, & de thuriferario in processione Sacramenti, qui ratione officii, seu servitii, post digniores incedit propè Sacramentum, non titulo præcedentiæ, sed servitii, quod eò fortiùs procedit si major pars Confraternitatis, cum suis insignibus incedat ante Regulares in loco suo, quod nota diligenter, & extende ad Confratres deferentes feretra.

* * *

Quæst. 36.

Quæst. 36. An Confratres vigore privilegiorum, possint absolvi à reservatis Papæ, & loci Episcopo?

1. Respondeo, quòd nec ab his possunt absolvi, neque ab excommunicatione lata ab homine, nec possunt dispensari super aliqua irregularitate, ut expresse dicitur in dicta Constit. Clem. VIII. incip. *Quæcunque à Sede Apostolica*, & liquet ibi, *decernimus insuper, ut iidem Confessarii prædictos Confratres cujuscunque status, gradus, conditionis, præminentiæ, etiamsi speciali nota digni fuerint, à casibus contentis in literis, quæ die Cœnæ Domini legi consueverunt, &c. nec non locorum Ordinariis respectivè reservatis, & pro tempore reservandis, & etiam à quavis excommunicatione ab homine lata, absolvere, & super irregularitatibus, tam ex aliquo delicto provenientibus, quàm occasione delicti contractis cum aliquo dispensare prætextu dictorum privilegiorum nullo modo possint*, hæc ibi, quibus accedunt alia Decreta Sacræ Congreg. jussu ejusdem Clem. VIII. & Pauli V. & Urb. VIII. edita in subsequentibus annis, quæ per extensum habes *tom. 2. Prax. par. 3. tract. 11. de Potestate Prælat. sub quæst. 15.*

3. Hinc Confratres Societatis Sanctissimi Nominis Dei, fundatæ in Ecclesiis nostris, nequeunt uti illo Privilegio sibi indulto à Greg. XIII. incip. *Alias per fœl. record. Pium Papam IV. &c.* quo in die Circumcisionis poterant absolvi à prædictis, ut ibi melius est videre, quia ut dixi, hoc & similia vacant ad finem prædictum.

Quæst. 37. An Confratres gaudeant Indulgentiis, & quomodo?

1. Et quidem dicendum est, quòd Confraternitates Sanctissimi Sacramenti, ubique terrarum erectæ, vel erigendæ, absque nova concessione, communione, vel aggregatione, participes sunt quorumcunque privilegiorum, concessionum, Indulgentiarum, & gratiarum, Archiconfraternitati S. Mariæ super Minerva de Urbe concessarum, & concedendarum, statim, ac earumdem erectio Apostolica, vel auctoritate ordinaria facta fuerit, & ita à Sacra Congregat. Indulgentiarum fuisse decisum die 15 Februarii, 1610. refert *Gavantus in Manuali ver. Confraternitates, n. 7.* qui ibidem *n. 8.* ait, & sequitur *D. Ruciull. lib. 4. Lucubrat. c. 19. nu. 2.* quòd Indulgentiæ concessæ Patribus Dominicanis, pro Societate Sanctissimi Rosarii, locum habent tantùm in Societatibus erectis in Ecclesiis ejusdem Ordinis, non autem extraneis, prout Sacra Congregatio Episc. die 13. Maji, 1603. respondit Episcopo Spoletano. Verùm hodie respectu dictæ Societatis Rosarii, debet attendi Bulla Pauli V. incip. *cùm olim*, quam per extensum habes *hic suprà sub q. 10.* pro aliis verò Societatibus est omninò observanda dicta Constit. Clem. VIII. qua sancitur, ut gratiæ & indulgentiæ communicatæ non publicentur, nec valeant, nisi de prævia recognitione & approbatione Episcopi loci, adhibitis tamen duobus de ejusdem Ecclesiæ Capitulo, ut ibidem dicitur, & habes *hic suprà, q. 7.*

Quæst. 38. Confratres ubinam sint sepeliendi?

1. Et dico, quòd servatis servandis, debent tumulari, ubi sepulturam elegerint, quam si non eligunt, sepeliendi sunt non in proprio Oratorio, ut quidam malè putant, sed in propria Parochia, *Petrus de Ubaldis de Canonica portione, cap. 1. in fin. ver. variant. Sebastianus de Medic. de sepult. q. 8. nu. 41. & Lauor. variar. Lucubrat. tit. 2. cap. 11. nu. 106. & sequen.* ubi addit, quòd Confratre eligente sepulturam in oratorio sodalitatis, officium super cadavere debet fieri à Parocho, intra cujus fines Oratorium est situm, non autem à Sodalitatis Capellano, quod item à Sacra Congreg. decisum refert *Gavantus in Manuali ver. Confratres, n. 41. & D. Alexander Sperellus 1. p. dec. 87. in fin.* an autem de bonis Confraternitati legatis, detrahenda sit quarta funeralis, vide *in tract. de quarta funerali.*

Quæst. 39. An Confratres tempore interdicti possint sepeliri in Ecclesiis Regularium, quorum sunt Confratres?

1. Negativè *Bordon. 2. p. resol. 22. n. 18.* & meritò; quia Regulares ex *Trid. sess. 25. cap. 12. de Regul.* tenentur servare interdicta lata, tum à Papa, tum ab Ordinario; nec huic resolutioni obstat Privilegium à Joanne XXII. nobis concessum, quo Dominicani possunt tempore interdicti ipsorum Confratres in suis Ecclesiis vel Cœmeteriis sepeliri facere, nisi fuerint excommunicati publicè, vel nominatim, ut meliùs est videre in dicto Privil. quod refert *Cæsarubius in Comp. Privil. Mendic. ver. interdictum*, quia hujusmodi privilegium censetur abrogatum per Tridentinum ubi suprà, si non expresse, cùm ibi nulla expressa mentio fiat de hac revocatione privilegiorum Regularium, implicitè tamen ac virtualiter, quatenus Concilium statuit, interdicta debere servari à Regularibus, respectu sæcularium, quod non impleretur, si omnes Confratres tempore interdicti possunt ad divina admitti à Regularibus, cùm omnes ferè sæculares, tam viri, quàm fœminæ sint adscripti in aliqua Conf[ra]ternitate Regularium, & sic inutile, & frustatorium foret præfatum Decretum Concilii Trid. quapropter dicendum est, prædictum privilegium Joann. 22. & similia hujus generis, abrogata fuisse saltem virtualiter *in cit. loc. Trid.* & expresse, & formaliter ex citata *sess. 25. cap. 22.* & docent *Navarr. consil. 7. de Privil. Garz. de benef. p. 3. cap. 1. n. 278. & D. Barbos. in Coll. ad d. cap. 22. Trid. n. 3.* multis aliis allegatis.

2. Sunt tamen Doctores non pauci, qui ex adverso contendunt, dictum privilegium Joan. 22. per Tridentinum ubi suprà, nullatenus fuisse abrogatum, ceu sunt *Henriquez lib. 13. c. 48. Rodr. tom. 2. q. 112. ar. 1. Sayr. lib. 5. de censur. cap. 13. n. 24. noster Crucius lib. 2. cap. 7. dub. 2. Miranda tom. 2. Manualis q. 38. art. 12.* & alii plures, & moventur, quia per ly *Confratres*, non intelligunt Confratres, quales quales, & quoscunque indifferenter adscriptos in aliqua Confraternitate Regul. quia sic procederet inconveniens allegatum, sed intelligunt illos tantùm, qui dicuntur Oblati, sive Donati, qui adhuc manentes in sæculo, eorum Ordini donarunt se, & omnia bona sua, in forma Juris magis valida, de quibus latè *in tr. de Oblatis*; & declararunt eruditissimi Doctores in Universitate Salmantina, ad *tex. cap. ut privil. de privil.*

3. Nec nocet *Lez. 2. p. summ. cap. 15. n. 61.* dicens, quòd dicta concessio Joan. 22. fuit posterior prædicta concessione Juris communis; tum quia multa privilegia, dubia tamen, recipiunt specificationem à Jure communi; tum etiam, quia multa, quæ sunt de Jure communi, ad majorem obligationem & certitudinem conceduntur in privilegium, ut dictum est *in tr. de Privil.* & quidem hæc secunda opinio secundùm limitationem prædictam mihi non displicet, ex quo hujus generis oblati gaudent privilegiis suorum Ordinum, per allegata in dicto tractatu de oblatis.

* * *

Quæst. 40. Confraternitas quotnam modis possit dissolvi?


1. ET quidem multis modis. Primò ex voluntate eorum, quia illam inceperunt, si tamen ad id omnes consentiant; nam res, per quas causas fit, per easdem d[illegible] solvitur, & constat *ex l.3. ff. de Colleg. illicit. cap. inter dilectos de Donat.* & docet *Barthol. in l. fin. n.21. ff. de eod. tit.* quod tamen intellige verum, de simplici Collegio sæculari profano; secus autem de Collegio erecto authoritate Episcopi: & maximè si habeat Hospitale cum campanis, vel oratorium, seu Ecclesiam ad publicè orandum; nam sic nequit dissolvi, & mutari, *cap. de Xenodochiis, cap. quæ semel. 19. q.3. & cap. semel Deo, de regulis juris in 6.*

2. Secundò, si omnes de Confraternitate moriantur, *l. sicut municipium, § fin. ff. quod cujusque Universitat. nomine. l. ejus in fin. ff. ad municipalem*, & ibi *Barthol. n. 21.* dixi, *si omnes moriantur*; quia si unus supersit, per illum conservatur Confraternitas, qui poterit procuratorem constituere, ut dicit *Gloss. in d. l. sicut municipium, in ver. nomen Universitatis.* Tertiò, ex præcepto Superioris, quod fieri solet ob delictum Confraternitatis, si Religionis prætextu admittat illicitum, *l. 1. & 3. in princip. ff. de Colleg. & docet Barthol. cit. loc.*

Quæst. 41. Confraternitate destructa, quidnam agendum sit de ejus bonis?

1. SUb distinctione resolve, aut sumus in Confraternitate Episcopi authoritate fundata, & sic ejus bona in casu posito remanent in dispositione Sedis Apostolicæ, quia judicantur ut bona Ecclesiastica vacantia, de quibus solus Papa disponit. *Clem. quia contingit* & docent *Covar. var. resol. lib. 3. cap. 6. n. 3. Berous cons.* 4[illegible] & est communis. Aut versamur in simplici Collegio prophano, & sic dividuntur inter Confratres, ut docet facit *l. 3. in princ. ff. de Colleg. illicit. & Barthol. in l. fin. ver. si vero insti. Universit. ff. eod. tit.* ubi declarat, juxta quem modum debeat fieri divisio: quod multò fortius procedit in rebus communibus, ad proprium usum deputatis, seu sunt vestes fraternales; nam in tali casu quilibet suam recipiet, *Barthol. in d. l. fin. num. 22. vers. eodem modo.*

2. Limita tamen hoc disjunctum, secundo modo dictum, non procedere in iis rebus, in quibus Confratres sunt puri Ministri, ut si Confraternitas habebat, quæ tenebatur in pios alios erogare, nempe pauperes nutrire, puellas maritare, infirmos alere, & similia, quia hæc non debent inter Confratres dividi, cum ipsi in his puri sint Ministri, ut dictum est suprà, ad quod facit *l. si quis Titio, ff. de legatis 3.* & docet *Barthol. cit. loc. vers. quædam sunt Collegia, quæ habent aliquid non per se, sed ut in alios distribuant.* Cætera vide apud præcitatos Authores.



TRACTATUS IX.

DE SEPULTURA ECCLES. IN COMMUNI.

Quæst. 1. Sepultura Ecclesiastica propriè sumpta, quid sit?

1. REspondeo cum *Glos. c. Ecclesiastico 14. causa 13. q.2. in vers. si terram, Syl. & Tab. ver. sepult. num. 1.* quod est terra sacra, seu religiosa, authoritate Episcopi, ad usum sepulturæ fidelium deputata. Dixi *authoritate Episcopi*, quia licèt de jure civili per collationem, seu illationem mortui, locus prophanus efficiatur Religiosus, *l. tantùm in fin. ff. de rerum divis.* tamen de Jure Canonico terra, seu locus non efficitur sacer & religiosus, nisi authoritate Episcopi fuerit deputatus ad sepulturam fidelium, ut constat de Hospitali, & Confraternitate, de quibus dictum est in tract. præceden. Dixi *ad usum fidelium deputatus*; quia sepultura infidelium non est religiosa, neque sacra, imò sepulchra illorum destruere licitum est; *l. sepulchra hostium, ff. de sepulch. viol.* & docet *Cardin. Turrecremata in cap. infames 6. q.1.*

2. Hinc sepelientes excommunicatos, & interdictos nominatim in locis privatis, vel in campis, non dant in pœnas appositas contra sepelientes hujusmodi, etiamsi locus esset contiguus Ecclesiæ, vel Cæmeterio. Quia loca hujusmodi extra Ecclesiam, vel Cæmeteria sita, non possunt dici deputata ab Episcopo ad usum sepulturæ fidelium, & consequenter nequeunt dici sepultura Ecclesiastica; prout docent *S. Ant. 3. p. tit. 25. cap. 33. Sylv. ver. excomm. 9. nu. 66. § trigesimaquinta, Tabiena ver. excommun. 5. casu 42. Eminen. Caiet. ver. excomm. cap. 46. Navarr. in manual. cap. 27. nu. 137. § trigesimaquarta*, & alii plures, quos allegat & sequitur *Sayr. de censur. lib. 3. cap. 35. num. 11.*

Quæst. 2. An sepultura Ecclesiastica prosit vivis & defunctis?

1. SYlvester *in ver. suffragium, num. 9. ex D. Thoma 4. sent.* dicit, quòd prodest vivis, quantum ad corpus, ne inficiantur scilicet propter cadaverum fœtorem. Adde, & quantum ad spiritum, ob officium pietatis, quod agimus, dum pro humandis mortuis curam habemus, qui cum longè majori miseratione digni sint, hoc quod erga illos exhibetur, maximæ misericordiæ opus est; & patet de Tobia, qui tot à Domino fuit beneficia consecutus, ob hujusmodi exercitia. Prodest item vivis quantum ad spiritum, in quantum per hoc astruitur resurrectionis fides, nec non revocatur mortis memoria, quæ facit à peccatis desistere. Prodest etiam mortuis, in quantum vivi aspicientes eorum monumenta, moventur ad orandum pro defunctis. Prodest item defunctis, non ex ipso opere operato, quia Sacramentum non est, sed ex operante, dum scilicet vel ipse defunctus vel alius hoc disponens, patrocinio alicujus Sancti eum committit, cujus precibus per hoc piè creditur adjuvari, & patrocinio deservientium in loco sacro: qui pro tumulatis apud se, crebriùs & speciatiùs orant. Impio autem non nocet, nisi quatenus eam sibi indignam propter humanam gloriam procuravit. Quæ autem adhibentur ad ornatum sepulturæ, prosunt vivis, in quantum sunt eorum solatia, & defunctis prosunt per accidens tantùm, in quantum scilicet homines per hujusmodi excitantur ad compatiendum, & consequenter ad orandum pro illis; vel inde pauperes alimenta capiunt, vel Ecclesia decoratur. De qua re eleganter *S. Augustini*

gustinus in Enchiridio cap. 108. & elegantiùs & locupletiùs in libro de cura agenda pro mortuis.

Quæst. 3. An sepultura possit vendi sine simonia, & assensu Apostolico?

1. AD cavendum omne æquivocum, adverte cum *glossa sub c. Clerici* 11. 13. *q.* 2. *Syl. & Tab. ver. sepult. n.* 1. quod sepultura dicitur tripliciter; Primò pro officio ipso, seu actu sepeliendi. Secundò pro loco, in quo quis sepelitur in Ecclesia, sive sit terra, sive arca lignea, vel marmorea. Tertiò pro jure sepeliendi, quod quis habet in aliquo loco. Sepultura primo modo accepta, nequit vendi absque simonia, ut constat ex *cap. dictum* 105. 1. *q.* 1. & liquet ibi, *Nec pro sepultura, nec communione, &c.* nec item secundo modo accepta, quia locus sacer deputatus ad sepeliendum, est per Parochos gratis defunctis præstendus, *cap. abolendus de sepult.* nec item tertio modo accepta, quia locus sacer & religiosus non potest esse sub dominio laici, quia laicus non potest esse dominus rei sacræ ac religiosæ, ut expressè dicitur in *Can. Decimas*, 1. 16. *q.* 7. ibi, *A laicis possideri Apostolica authoritate prohibemus*, ut meliùs est videre *tom 1 prax p.* 2. *tra.* 14. *de rebus Ecclesi. non alienandis, q.* 78. ubi latè de re nostra ad mentem S. Thom. & Sacr. Can.

2. Sed dices, quonam ergo modo usus concedendi Capellas, cum potestate fundandi ibi sepulturam, possit excusari à labe simoniæ? Et quidem excusatur eo, quòd pretium exhibitum censetur datum eleemosynaliter pro reparatione Ecclesiæ, vel pro sustentatione Ministrorum illius, & non pro pretio rei sacræ, ut eruditè ex D. Thom. docent *Cardin. Cajet.* 2. 2. *q.* 100 *art.* 3. & *in summula, ver simonia, Sot. de just lib.* 9. *q.* 7 *ar.* 1. & sequuntur *Navarr. in sum. c.* 23. *de simonia, nu.* 100. *Suarez de Relig. tom.* 1. *tract.* 3. *lib.* 4. *de sim. cap.* 14. *num.* 19. *Portell. in dub. ver. sepult.* & multis allegat *D. Barbos. de potestate Parochi, cap.* 26. *nu.* 16. ad quorum majorem claritatem vide quæ hîc immediatè dicuntur de exequiis defunctorum.

3. Sed major difficultas est, an prædictum jus sepulturæ possit vendi, & alienari, sine assensu Apostolico? Ad quam negativè dixi, *cit. loc. prax. q.* 79. *nu.* 11. tum quia jura Ecclesiæ nequeunt alienari sine dicto consensu Apostolico, ut ibidem multis ostendo; tum etiam, quia prædictus assensus hodie est de forma alienationis rei Ecclesiasticæ; & consequenter nequit prætermitti: & eò maximè, si venditio fiat cum illa obligatione, de non sepeliendo ibi alios, quia hoc est contra libertatem sepulturæ Ecclesiasticæ, & ligat manus futurorum Ministrorum ejus; unde procedentes Superiores, carentes dicto assensu, in casu posito non utuntur titulo venditionis, sed gratiosæ concessionis, ad amplandum Capellam, augendum, ornandum, & magnificandum, etiam cum appositione suorum armorum, seu scutorum, insignium familiæ, quod non est alienare, sed potiùs quærere: ac proinde dictus assensus non exigitur, vide ibi *in cit. loc. prax.*

Quæst. 4. An laicus possit habere dominium, & proprietatem sepulturæ Ecclesiasticæ?

1. NEgativè *Sylv. ver. sepult. q.* 3. & *Armill. eod. tit. n.* 24. & meritò, quia ut dictum est suprà, loca Religiosa esse non possunt in dominio laici, *l. quæ de tota, ff. de rei vendicatione*, & sequitur *Lambertinus de jure patronatus lib.* 3. *q.* 9. *ar.* 9. potest tamen habere dictam sepulturam, quantum ad usum pro se, & suis successoribus, ita ut nullus extraneus possit eo invito, ibi sepeliri, quia talis sepultura reputatur tanquam hospitium, *cap. ebron.* 13. *q.* 1. & de jure est, quòd dominus proprietatis non potest habitare in fundo, in quo quis habet usumfructum, *ff. de usu, & habit. legal. l. si hæres, § final.* Benè tamen verum est, quòd si omnes, ad quos pertinet usus sepulturæ, essent mortui, posset dicta sepultura, seu Capella concessa cum usu sepulturæ, aliis concedi; quia mortuo & extincto usufructuario, usus redit ad proprietarium liberè, *l. corruptione, C. de usufructu*: ita à pari, jus utendi sepultura, mortuo & extincto benefactore, & ejus hæredibus, & successoribus, redit ad Ecclesiam: alioquin impedirentur alii Ecclesiam ornare, & ampliare, *Rod. tom.* 3. *q.* 58. *ar.* 10. ubi ad intentum multos Doctores allegat; sed major difficultas est.

Quæst. 5. An usus sepulchri, quem quis habet in loco sacro, vendi possit pro debitis defuncti?

1. AFfirmant quidam, quos sequitur *D. Barbosa in tract. de offic. & potestate Parochi, cap.* 26. *nu.* 17. ubi loquitur de usu sepulchri hæreditarii, empti cum prævio assensu Apostolico. Ratio autem potest esse, quia usus sepulchri est pretio æstimabilis. Et subdit, quòd non solvitur gabella de venditione usus sepulturæ ratione situs, vel dignioris loci, & docet *Suarez tom.* 1. *de Relig tract* 3. *lib.* 4 *de simonia, cap.* 14. *num.* 19. Verùm quoad venditionem prædicti usus, attendi debet contractus an sit veræ venditionis, vel concessionis ad ampliandum? & quid dicatur in assensu Apostolico?

Quæst. 6. An insignia, seu scuta, & arma fundatoris Capellæ, vel sepulchri, possint auferri ab illo loco, mortuo fundatore cum descendentibus suis?

1. REspondeo negativè cum doctissimo *Lambert. lib.* 3. *q.* 5. *principaliter, ar.* 4. loquendo tamen de fundatore Juris Patronatus: tum quia præsumitur cum his conditionibus Juris Patronatum erexisse: Ac proinde aliter facere, esset venire contra Justitiam. Tum etiam, quia præfata insignia debent ibi conservari ad futuram memoriam familiæ: & maximè, si super contractu inito inter partes, fuit obtentus assensus Apostolicus. Tum item, quia piè & honestè voluntates defunctorum debent observari, *l.* 1. *C. de sacrosanct. Eccles.* secùs autem dicendum de aliis benefactoribus, qui Ecclesiam seu Capellam non fundarunt, nec construxerunt, aut dotaverunt; sed solùm ibi jus sepulturæ sibi, suisque hæredibus compararunt, quamvis prædictis invitis, alios ibi sepelire non liceat, quia talia sepulchra, hoc modo concessa, censentur hospitia, hoc est, concessa ad usum, & non ad dominium; unde comparatore, suisque hæredibus extinctis, usus unitur proprietati Ecclesiæ, cui integrum est, (servatis tamen servandis) talem usum iterum locare, ut patet ex allegatis ibi suprà, & docent *Paul. Layman. in Theol. moral. lib.* 4. *tract.* 4 *cap.* 13. *n.* 14. ubi ex multis colligit, quòd hæres in casu posito non potest auferre insignia fundatoris posita in Capella, vel Ecclesia, quam construxit, vel dotavit. Nec licet successori, si alterius familiæ sit, sua insignia eo loco ponere, ob prædictas causas, & sequitur *D. Genuens. in sua nova praxi Neap. c.* 109. *n.* 3. & docent *Portell.* 2. *p. casu* 20. *nu.* 1. & *Lez. p.* 2. *summ. cap.* 11. *de patronis Monasteriorum, nu.* 23. & *infrà verb. sepult. nu.* 16. tota ergo difficultas stat in cognoscendo, an sinius in fundatore Juris Patronatus, vel in simplici emptore juris utendi? Unde non est nobis integrum, mox ut libet prædicta insignia auferre: sed cum causa, & matura consideratione, videnda sunt Instrumentum, & similia ad intentum necessaria; de qua re vide *D. Ricc.* 1. *p. prax. in* 1. *edit. dec.* 667. ubi ex multis erudi-

eruditè docet causam imponendi propria arma, seu insignia in re ædificata propriis sumptibus, ubi in fine concludit, quòd contra auferentes arma, seu insignia in sepulturis, datur actio injuriarum, & officium Judicis: & in 4.*p.prax.resolut*.344.*num*.3. dicit, quòd arma antiqua debent reponi in Capella renovata, ad quod dictum extendit doctissimam decisionem Rotæ Romanæ.

Quæst. 7. *An Capella alicui vendita, possit ab eo avocari, & alteri concedi cum potestate fundandi sepulturam?*

1. DE hac re latè dixi *tom.1.prax.p.2.tract.14.de rebus Monasterii non alienandis, qu*.80. ac item patet ex dictis immediatè suprà, & docent *Sylv. in ver. sepult. q.3.num.3. & Armill. eod.ver.n*.24.

Quæst. 8. *Quisnam habeat jus sepulchri, sive facultatem sepeliendi in sua Ecclesia?*

1. PArochus de jure communi habet jus sepeliendi in sua Parochia, omnes ibi morientes cum testamento, vel sine testamento, sive incolæ, sive advenæ sint: dummodò tamen alibi sepulturam non elegerint, nec sepulchrum majorum habeant, *Sylv. multis citatis, verb. sepult.nu*.8. *Ugolin.de officio Episcopi, cap.17.nu.1. D.Ricc. 4.p.prax.resolut.292. & D.Barbos.in tract.de offic.& potest. Parochi*, & habetur expresè *in Clem.dudum*, §.*hujusmodi, de sepult.* ibi, *Verùm, ne Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere, &c.* Cujus ratio potest esse, quia cùm Parochus habeat populum, cui de jure tenetur administrare Sacramenta, & pabula salutis, exinde fit, ut etiam jus habeat ad decimas, & oblationes, & quartam funeralium: Dignus est enim operarius cibo suo. Unde benè dicunt præfati Doctores, quòd jus sepulturæ multum pendet ab administratione Sacramentorum, *Gloss.in cit.loc.Clem.in ver.sepulturam*, & colligitur ex *cap.relatum, de sepult.* ubi eligens sepeliri extra Parochiam, tenetur ei canonicam portionem relinquere, *& cap. ex parte* 5. ubi sepelientes Parochianum alienum, coguntur corpus restituere, & quæ ratione ipsius obtinuerunt: ad quod item faciunt *cap. cùm liberum sit 6. & c. in nostra. eodem tit. & cap. Ecclesias singulas 1.13.q.1.* ubi Parochiæ, & jura Parochialia dividuntur, adeò ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus possit violare.

2. Ex privilegio tamen possunt Prædicatores, Minores, omnesque alii Regulares, ob communicationem privilegiorum, in suis Ecclesiis mortuos sepelire, salvis tamen juribus Parochialibus, juxta dispositionem *dict. cap. in nostra de sepult. & dict. Clem. dudum, eod. tit.*

3. Dixi, *si tamen alibi non elegerint, & dummodò alibi sepulchrum majorum non habeant*, quia in his duobus casibus jus Parochiæ amittitur, salva tamen remanente ejus canonica portione, ut expresè dicitur in *d. cap. nos instituta,1. de sepult.* ubi Glossa multa loquitur.

Quæst. 9. *Quodnam sit sepulchrum majorum?*

1. REspondet *Sylv. ver. sepultur. q.*8. quòd quamvis strictè, & propriè majores dicantur Superiores tantùm, ultrà Tritavum, ut in *l.juris consultus*, §.*parentes, ff. de gradibus, & l.quacunque*, §.*parentes, ff. de in jus vocandis:* in materia tamen sepulturæ illud intelligitur, ubi sepultus est pater & avus; adeò ut moriens, non electâ sepulturâ, sit sepeliendus in sepultura suorum majorum, hoc est, in sepulchro, ubi pater & avus jacent, licèt cæteri majores sint in alieno. Tum quia in casu posito consideratur conjunctio sanguinis, quæ major est cum Patre & avo, quàm cum cæteris ascendentibus: plus enim influit proximum immediatum, quàm mediatum. Tum etiam, quia sicut domicilium est inter vivos, ita sepultura inter mortuos, sed quisque inter vivos consequitur domicilium originis, ut putà patris & matris, & non Superiorum, ut dicitur in *l.assumpt. ff. ad municip.* ergo; & docent *Adrad. in consil.*25. *Lauor. var. Lucubrat. lib.*1. *cap.11.nu.114. Gemin.in cap.15.qui in fin.de sepult.in 6.ibi, Anchar. nu.4. Petr. de Ubald. in tract. de Canonica Episcop. & Paroch. cap.9.n.12. Abbas in cap.1. nu.5. de sepult. Barbos. de offic. & potestate Parochi, cap.26.n.32. & D.Sperell.1.p.decis.88.nu.7.* ubi carpit *Rod.q.58.art.8.* ex quo ibi tenet opinionem contrariam, & falsò citavit Abbatem; sed immeritò, quia in *Addit.summ.tom.4. c.130. nu.11.* correxit, quod priùs dixerat *cit. loc.*

2. Verùm, si in uno sepulchro non sunt plures majores, sed in uno pater, in alio avus, in alio proavus, sepelietur in Parochia, ubi audivit divina, & percepit Sacramenta. Idem procedit, si majores nullam habeant sepulturam, quia quilibet non habens sepulturam, neque eligens, ibi est sepeliendus, ubi Sacramenta suscepit, ut docet *Glossa, cap. Animarum, 1. de sepult. in 6. in ver. pone casum*, & sequuntur quamplures, quos allegat *Syl. ver. sepult. nu.8. vers. si autem in nullo. D.Barbos. in collect. Doct. ad cap. nos 1 de sepult. nu.4 & in tract. de potestate Parochi, cap.26.num.33. & D.Sperell.1.p.decis.88.n.10.*

3. Quòd autem hoc sepulchrum sit commune toti familiæ, probatur ex inspectione literarum, *Mascard. de probat. conclus.1297. num.4. Sebastianus Nevi, ad l.1. ff. de operibus publicis, Zerola in praxi Episcop. part.1. vers. arma, D.Ricc. part.1. praxis, in 1. edit. decis.664. num.2. D. Barbos. cit. loc.* & faciunt ad casum nostrum tradita per *Menoch. de præsumpt. lib.2. præsumpt.59.n.2.*

Quæst. 10. *An electio sepulturæ debeat esse libera?*

1. AFfirmativa decisio habetur expresè in *c. nos instituta, 1. de sepult.* ibi, *Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, etiam alienam, &c.* ad quod item facit *c. cùm sit liberum, eodem tit. & cap. 15. qui eodem tit. in 6.* Hinc est, quòd pactum de eligenda sepultura non arctat, *cap. pactum 1. de pactis in 6.* Unde si Parochus dum accedit ad communicandum infirmum, ipsum interroget in specie de electione sepulturæ, dicendo, vis sepeliri in Parochia, vel in alia Ecclesia? Electio non valet, tanquam facta ad suggestionem; quapropter debet eum interrogare, dicendo, ubinam vis tumulari? *argum. l.3.§.pen. ff. de quæst.* quod dictum pluribus firmat *Cravet. in cons.16. volum.1.* & aliis citat. sequuntur *Genuens. in nova praxi Archiepiscop. Neapol. cap. 76. nu. 3. & D. Ricc.1.p.prax.decis.662.nu.3.* ubi exinde dicit, quòd electio sepulturæ, quæ fit ex pacto, etiam in loco, ubi quis aliàs deberet sepeliri, inducit simoniam, cùm hoc jus sepulturæ non sit firmum, sed variabile, & per pactum non esset tale, contra dispositionem juris communis; & de hac re vide infrà *quæst*. 27.

Quæst. 11. *Quisnam possit sibi eligere sepulturam?*

1. REspondeo, quòd quilibet laicus, qui sit sui juris, ut putà pubes, discretus & prudens, potest sibi eligere sepulturam, tam in Ecclesia sæculari, quàm regulari, tam propinquis, quàm remotis partibus, prout decernitur in *cap. nos instituta 1. de sepult.* ibi, *Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam*, & patet de Christo Domino, qui alienam elegit; nam natus in Bethleem, nutritus in Nazareth, sepultus fuit in Hierusalem in sepulchro Joseph, ut ibi notat *Glossa in ver. alienam.* Ad quod facit *cap. cùm liberum sit 6. & cap. in no-*

a nostra præsentia 10. *eod. tit.* quod extenditur etiam ad loca extra Ecclesiam, ut sunt Claustrum, Sacristia, Capitulum, ut conceditur in *cap. cùm quis*, 2. *de sepul. in* 6. quatenus ibi Papa concedit electionem sepulturæ in locis minus religiosis, & liquet ibi, *Si quis, antiqua dimissa, novam, etiam in loco minùs religioso, elegerit sepulturam.* Et docent communiter Doctores, & præcipuè *Lauor. tom. tit. 2. var. Lucubrat. cap. 11. n. 1. Zecchius de Republic. Eccles. cap. 28. de Parocho n. 17. Bellect. 1. p. disquisit. Cleric.* §. 3. *de Cleric. nu.* 13. *& D. Hieronymus Venetus in examin. Episcop. lib. 3. c. 12. n. 2.*

2. Amplia, ut etiam uxor possit sibi eligere sepulturam, non obstante, quòd non sit sui juris, sed sub potestate viri, ut manifestè deciditur in *cap. de uxore* 7. *de sepult.* ubi ratio redditur, quia electio sepulturæ pertinet ad eum statum, in quo uxor solvitur à lege mariti.

3. Idem extende ad filium-familias, qui licèt sit sub patria potestate, adhuc tamen potest sibi eligere sepulturam, dummodò tamen sit pubes, & liberum arbitrium habeat, ut constat ex *d. cap. nos instituta* 1. *de sepult.* & firmat *tex. cap. licet* 4. *de sepult. in* 6. ibi, *Quamvis autem filius-familias absque patris assensu sibi possit liberè eligere sepulturam, &c.* ubi Glossa in casu ait, quòd licèt filius-familias non possit testari de peculio perfectitio, vel adventitio, tamen poterit sibi sepulturam eligere sine consensu Patris, & sic pro anima potest testari, sine consensu Patris, non autem de aliis rebus, *l. final. C. qui testamenta facere possunt.* Et ratio est eadem assignata de uxore, quia scilicet electio hujusmodi refertur ad tempus, quo solutus est à patria potestate, ut ibidem dicit *Glossa in ver. sepulturam.*

4. Amplia, ut etiam Clericus possit in quocunque loco sibi eligere sepulturam; tum quia Clericus non debet esse inferioris conditionis, quàm laicus; tum etiam, quia in nullo capitulo, in quo agitur de sepultura eligenda, reperitur exceptus. Tum item, quia hoc clarè colligitur *ex extrav. detestandæ feritatis in* 6. *inter communes in princip.* §. *præfati namque fideles, &c.* ubi nomine fidelium, veniunt omnes Christiani Catholici. Et docent communiter Doctores, quos allegant *D. Barbos. in Collect. ad d. primum cap. de sepult. & Pasqualig.* 1. *p. dec.* 381. *n.* 5.

5. Amplia tandem, ut etiam servus possit sibi eligere sepulturam, *Syl. ver. sepult. n.* 6. *& Portell. in dub. ver. sepult. n.* 6. quia Dominus in spiritualibus in servum potestatem non habet.

Quæst. 12. An Pater ratione patriæ potestatis possit filio impuberi eligere sepulturam?

1. AFfirmant *Hostiens. in sum. lib. 3. tit. de sepult. n.* 5. *Rodriquez tom. 3. qu. 60. ar. 1.* & alii plures; quia sicut pater potest filio impuberi testamentum facere, *ut instit. de pupill. sub* §. *igitur, & ff. de inofficios. testam.* ità à pari potest ratione patriæ potestatis, illi sepulchrum eligere, nisi tamen contraria sit consuetudo Religionis.

2. Verumtamen falluntur, quia pater non potest ratione patriæ potestatis, filio impuberi sepulturam eligere, sed ratione consuetudinis, ubi est, ut probat *Textus cap. de uxore* 7. *de sepult.* ibi, *Utrum autem pater quò magis voluerit, minores filios valeat sepelire, non invenimus à sanctis Patribus diffinitum, & propterea terræ consuetudini decernimus relinquendum, &c.* & firmat *textus cap. licet* 4. *de sepulturis in* 6. ibi, *licèt pater minores filios, qui nequeunt antequam ad annos pubertatis perveniant, eligere sepulturam possit, (si consuetudo terræ id habeat) quò voluerit sepelire; hoc tamen non potest, ubi consuetudo hujusmodi non habetur, sed sunt cum suis majoribus, vel in parochiali tumulandi.* Hæc ibi. Ratio autem decisionis potest esse multiplex, tum quia Jus commune Canonicum determinat sepulturam pro unoquoque, ut nimirum debeat unusquisque sepeliri, aut in sepulchro majorum suorum, aut in Ecclesia Parochiali, & insuper concedit unicuique habenti usum rationis, quòd possit sibi eligere sepulturam. Unde non remanet aliqua potestas eligendi, præter concessam à jure, quæ cùm sit personalis, & iis tantùm competat, qui sunt capaces talis electionis, non substituitur ratione incapacitatis alius; ac proinde nec pater pro filio, quando filius est incapax: unde solùm restat, quòd consuetudo prævalens contra jus commune, det patri facultatem eligendi pro filio impuberi, ut ait *Glossa d. cap. licet, in ver. consuetudo.* Tum etiam, quia patria potestas, est potestas civilis, *cap. final. de judic. in* 6. ergo se extendit ad civilia tantùm, non autem ad spiritualia, de quorum numero est jus eligendi sepulturam, *cap. suam, de simonia,* ergo non licet arguere à potestate faciendi testamentum, ad potestatem eligendi sepulturam. Nec ab aliis temporalibus ad spiritualia, præcipuè quando Jura Canonica in contrarium clamant, ut in casu nostro, & docent *Navar. consi. 1. de sepult.* & ità in facti contingentia ex multis decisum refert *D. Sperell.* 1. *p. dec.* 89. *n.* 3. & post allegatos *D. Barbos. in tr. de off. & potestate Parochi, c. 26. n.* 28. ubi hoc etiam refert à Sac. Congreg. decisum.

3. Sed pone, quòd filius impubes, cui pater sepulturam elegit, pubes moriatur, debetne sepeliri in sepultura jam sibi à patre electa, vel ubi elegerit tumulari? Et dico, quòd est sepeliendus ubi elegerit, nisi fortè de novo eligat sepulturam sibi jam à patre electam. Moveor, quia electio sepulturæ est actus ultimæ voluntatis, ultima autem voluntas filii, quando pubes moritur, sicut non est voluntas impuberis, sed puberis, ità de se debet eligere sepulturam, & non alius pro eo.

4. Confirmatur, quia consuetudo, qua pater potest eligere in casu posito, respicit illud tempus tantùm, in quo filius, ob defectum arbitrii, non potest eligere: ergo cessat tempore pubertatis, cùm in illo tempore filius possit eligere.

5. Dixi, *nisi de novo eligat*, quia nuda ratificatio non sufficit, quia cùm sepultura electa à Patre in casu posito, ex sua natura cesset, adveniente pubertate, ob defectum potestatis, ut liquet ex dictis immediatè, non potest ratificari. Quod enim non est, non ratificatur, aliàs ratificatio caderet super nihil, seu super non ens. Sed major difficultas est,

Quæst. 13. An Pater, mortuo jam filio impuberi, possit eligere sepulturam?

1. NEgat *D. Sperell. 1. p. dec. 89. n. 5. in fin.* quia necesse est, ut dicta electio fiat in vita filii, secus si post mortem. Ad quod suum dictum, licèt nullum textum alleget, nec rationem assignet, potest tamen probari; tum quia electio sepulturæ est actus ultimæ voluntatis, ac proinde quando quis eligit sepulturam, refertur electio ad tempus, in quo is, pro quo eligitur, potest habere ultimam voluntatem, & facere posset talem electionem, & sic refertur ad tempus vitæ, non autem ad tempus post mortem. Tum etiam, quia illa electio fit nomine filii, utpotè ad supplendam illius impotentiam; ergo debet supponi filius, cujus nomine fiat; subsequutâ autem morte, non adest ampliùs filius, ergò.

2. Verumtamen *Navar. consi. 1. de sepult. n. 4. lib. 3.* cui favet *Pasqualig. 1. p. decis.* 391. tenet totum oppositum, duciturque tum *ex d. cap. licet de sepult. in* 6. ubi consuetudo dat facultatem patri eligendi sepulturam pro filio impuberi, quòd cùm loquatur generaliter de tali electio-

lectione, non fe reftringendo ad filium vivum, aut mortuum, debet univerfaliter intelligi. Ubi enim lex non limitat, nec nos limitare debemus, *l. de pretio, ff. de public. in rem action. & cap. foluta, de major. & obed.* tum etiam, quia textus d. cap. fi ponderetur, potiùs dat facultatem eligendi pro filio mortuo, quàm pro vivo, nam ait, *licèt pater minores filios poffit, quò voluerit fepelire, &c.* fi igitur poteft fepelire, quò voluerit, hæc poteftas refpicit filios, qui funt in ftatu, ut poffint fepeliri, folùm autem quando funt mortui, funt in tali ftatu, ergò; tum item, quia confuetudo dans patri hanc facultatem, ideò eft rationabilis, & ipfi jus affiftit, quia ad patrem pertinet cura de filiis, tam in ordine ad temporalia, quàm fpiritualia: unde pertinet etiam ad ipfum cura de fepultura, quando funt mortui; & ideò cùm etiam poft mortem duret fundamentum dictæ confuetudinis, debet etiam durare præfata confuetudo; tum item, quia dicta poteftas durat fecundùm quod introducta eft à confuetudine; fed hæc confuetudo introducta eft cum menfura ad prædictum fundamentum, ergo durat, durante tali fundamento; acceffforium enim fequitur naturam fui principalis; fed dictum fundamentum perfeverat poft mortem, ergo & confuetudo in eo fundata; tum tandem, quia ideò pater eligit nomine filii impuberis, quia voluntas filii cenfetur effe in voluntate patris, tanquam in diligentia actiones filii, fed ita eft, quòd voluntas patris manet poft mortem filii, ergo voluntas filii cenfetur remanere virtualiter in voluntate patris, quoad difpofitionem eorum, quæ facienda funt poft mortem, & patet de eo, qui in fuo teftamento commiferat alicui, ut ad fui libitum difponat de tali re, tunc enim illa difpofitio eft virtualiter difpofitio teftatoris: & exinde folvuntur objecta præpofita, tum quia pater non eligit filio impuberi fepulturam, nomine ipfius filii, fed nomine proprio, tamquam ille, ad quem pertinet cura de filio, etiam poft mortem; tum etiam, quia dicto, quòd eligeret nomine filii, adhuc tamen ultima voluntas filii virtualiter cenfetur remanere in voluntate patris, quia tota voluntas filii virtute confuetudinis, cenfetur tranfferri in ipfum patrem: unde dicta facultas, virtute quidem confuetudinis, intelligitur durare ufque ad tempus tumulationis: etenim quando conceditur actus, conceditur etiam tempus deliberandi, ufque dum exercendus eft actus.

3. Quibus adde, quòd hæc facultas eft à confuetudine conceffa Patri, non autem filius tribuit eam patri, cùm ipfemet filius illam non habeat; unde cùm non dependeat à filio, non debet expirare cum morte filii; fed eò ufque durare, quoufque exerceri poteft.

4. Nec item his nocent *D. Barbof. in Collect. Bull. ver. fepultura, Bartol. in Aphorif. lit. S. ver fepult. Gavant. in Manual. ver. fepult. n. 7. & Mancin. in brevi tr. de infirmis, in ord. ad fepult. dub. 16. fol. 733.* qui ex quadam declaratione Sac. Congreg. fequuntur opinionem D. Sperelli, tum quia dicta declaratio non eft authentica, tum etiam, quia non eft lex, fed fimplex declaratio in quodam cafu particulari.

Quæft. 14. An mater poffit filio impuberi eligere fepulturam?

1. DE communi fententia Doctorum, dico cum *Syl. ver. fepultura, q. 7. Tabien. & Armill. eod. tit. n. 8.* quod de matre dicendum eft, ficut de patre dictum eft, quòd fcilicet poteft, quando hoc habet confuetudo: moveor, tum quia in ipfa militat eadem ratio, ut putà jus confuetudinis. Tum etiam, quia mater eft confocia mariti in cura filiorum, tam antè, quàm poft mortem filii, ergo.

2. Nec obftat dicere, quòd cùm mater non habeat filium in fua poteftate, ficut habet pater, non poteft ei confuetudo hanc facultatem tribuere, ficut tribuit patri, refpectu fui filii, & Domino, refpectu fervi, quia cùm electio fepulturæ fit quid fpirituale, ut dictum eft immediatè fuprà, & colligitur *ex cap. quæfta, cum tribus fequent. 13. q. 2. & cap. fuam de fim.* non poteft fundari in patria poteftate, quæ non confideratur in fpiritualibus, cùm fit de jure civili introducta, *cap. final. de Judæ. in 6.* & docent communiter Doctores, & maximè *Navar. confil. 1. de fepult. lib. 3. & Sanchez p. 2. decal. lib. 6. cap. 6.* quod item ratione probatur; nam fi electio fepulturæ in cafu pofito penderet à patria poteftate, duraret durante tali poteftate, & fic duraret non modò ultra infantiam, fed etiam ufque ad emancipationem, quod eft abfurdum, & expresfè contra Sac. Canones.

3. Nec item nocet dicere, quòd confuetudo laicorum neque directè, neque indirectè poteft præjudicare Ecclefiæ, *cap. de Immunit. Ecclef.* quia ifta confuetudo non fumit vires à laicorum authoritate, fed à fomento juris, *ex cap. de uxore, de fepult. & cap. licet, eod. tit. in 6.* Et fic ex authoritate Papæ, & non laicorum poteftate.

4. Hinc item tollitur illud adverfariorum argumentum, quo dicunt, actum mulierum non poffe inducere confuetudinem, eò quòd jus condendi leges non habeant, *Bartol. in l. 1. ff. de leg. Abbas in cap. cum tanto, nu. 8. de confuetud. & confil. 33. n. 1. p. 2.* quia confuetudo affumit vires à conceffione Papæ; nulla requiritur ergo authoritas in matre.

5. Sed adverte, quòd hujufmodi confuetudo nec quidem matri & patri dat dictam facultatem, nifi fuerit legitimè præfcripta, hoc eft, quadraginta annorum. An autem fatis fit decem annorum, vide *D. Gennenf. in Praxi Neapol. c. 36. & D. Sperell. 1. p. dec. 89. n. 18. & feq. & Pafqual. 1. p. decif. 393.* qui de confuetudine multa eruditè dicit.

Quæft. 15. Pubertas quando incipiat, & confequenter ceffet patris poteftas eligendi fepulturam?

1. REfpondet *Gloffa cap fi pater 1. de teftam. in 6. ver. impuberes*, quòd anni pubertatis in mafculo incipiunt, cùm finit annus decimusquartus: in fœmina verò, cùm finit annus duodecimus. Et movetur *ex l. unde coram, C. quando tutel. & cur. effe definant.* Unde Doctores dicunt, filios non poffe eligere fibi fepulturam per totum annum decimumquartum: filias verò per totum annum duodecimum. Et præcipuè *Zerola 1. p. Prax. Epifcop. ver. Sepult. Tiraquell. de Privil. piæ cauf. privil. 9. verf. contrarium tamen, & Lanor tom. 1. var. Lucubrat. tit. 2. cap. 11. n. 117.* & ratio poteft effe, quia citra dictum terminum à jure affignatum, non habent plenum judicium ad deliberandum. Quod dictum intellige regulariter, quando malitia non fupplet ætatem, quia quando malitia fupplet, cenfenda eft pubertas anticipare, ut notat *Bartol. in l. qui in poteftate, verf. in teneris, & in l. fi filiusfamilias, poft nu. 2. ff. de teftam.* & alii multi, quos allegat & fequitur *Sperell. 1. par. dec. 89. n. 2.*

2. Et fecundùm hunc terminum, à jure civili præfixum, accipienda eft pubertas allegata *in cap. licet, de fepult. in 6.*

3. Sed dices, cur in fœminis pubertas anticipat? Et quidem ratione malitiæ fupplentis ætatem, quæ prius incipit in fæmina, quàm in viro, & patet de Eva, & Adamo. Vel dicas, hoc effe propter imbecillitatem humorum mulierum, qui humores folis calore, citius ad maturitatem ducuntur, & marcefcunt: quod enim citò crefcit, citò decrefcit, ut patet de fragis, & moris.

Quæst. 16. *An pater & mater possint eligere sepulturam filiis naturalibus, & spuriis?*

1. Negant *Syl. ver. sepult. q.* 7. *Tab. & Armill. eod. ver. n.* 8. quia isti non veniunt nomine filiorum, *l. generaliter, C. de instit. & subst. & Clem.* 1. *de baptism. juncta Glossa in ver. liberi: unde cap. licet de sepult. in* 6. non extenditur ad filios spurios, & naturales, sed ad legitimos, ac etiam adoptivos & arrogatos, quia hi sunt sub cura ipsorum.

2. Verùm *Pasqualig.* 1. *p. dec.* 398. *n.* 2. tenet oppositum, quia militat eadem ratio respectu filiorum naturalium, & spuriorum, ob quam inducta fuit consuetudo dans patri jus eligendi sepulturam filio impuberi, nimirum cura paterna, quam pater & mater habent de filiis: & proinde debet censeri introducta consuetudo universaliter, quoad omnes filios, juxtà amplitudinem rationis, qua fit rationabilis consuetudo, & ad jura allegata dicit, quòd appellatione filiorum non veniunt naturales & spurii, quoad commoda & honores, ut notat *Glossa in d. Clem. unic. de baptis. vers. liberi in fine*, secùs autem quoad curam paternam, & quoad reverentiam, quam ipsimet spurii & naturales debent suis parentibus. Verùm ego censeo in hoc casu standum esse consuetudini legitimè præscriptæ, & maximè respectu spuriorum, qui nec filii nominandi sunt, *authen. ex complexu, C. de inte. & inuti. nupt.* & addo, quòd filii naturales, & spurii non semper stant sub cura paterna, sed sæpiùs sub materna. Et interdum sine lege vagantur hinc inde, procurando alimenta, nec cura paterna æqua lance librat legitimos, & illegitimos, ut praxis ipsa docet, non est ergo certum Pasqualigii fundamentum.

Quæst. 17. *An affines & consanguinei possint sepulturam eligere pro affine, & consanguineo impuberi?*

1. Affirmant *Glossa cap. licet, de sepult. in* 6. *in ver. vel in Parochiali, in fine, ibidem. Francus n.* 3. *Gratian. to.* 1. *discept. forens. c.* 94. *n.* 80. *D. Barbos. in Collect. ad cap.* 1. *de sepult. n.* 6. *in fin. Diana p.* 5. *tr.* 3. *de casib. occurrent. tempore mortis, resolut.* 108. *vers. Notandum est*, si tamen ibi adsit consuetudo, & moventur, tum quia consuetudo dat jus, & facultatem eligendi sepulturam pro altero; tum etiam, quia consuetudo *d. cap. licet, de sepult. in* 6. assumit vires non à patria potestate, nec à consanguinitate, aut affinitate, sed à permissione Papæ, ut dictum est suprà.

2. Hanc tamen resolutionem veram intelligit *Pasqualig.* 1. *p. dec.* 394. *n.* 2. si affines & consanguinei prædicti succedant patri in cura impuberum, secùs autem de aliis; nam successio in cura ipsorum dat ipsis jus ad ea exercenda, quæ pertinent ad ipsorum curam; nam per talem successionem stant loco patris, & loco patris eligunt. Per quæ verba videtur dicere, quòd non sufficit consuetudo prædicta ad eligendum pro altero sepulturam, nisi sit fundata in cura impuberum. Quod dictum non placet ob prædicta, quia scilicet consuetudo eligendi sepulturam pro altero, non habet vires à patria potestate, nec ab aliqua re corporali, sed tantùm à permissione Papæ, ut dictum est suprà.

Quæst. 18. *An tutor possit eligere sepulturam pupillo impuberi?*

1. Affirmativè dic, si tamen pro se habeat consuetudinem legitimè præscriptam, secus autem. Ducorque, quia tutor non potest habere fortius jus eligendi, quàm pater, loco cujus curam habet pupilli. At pater nequit eligere sepulturam filio impuberi, nisi talis sit consuetudo legitimè præscripta, ut constat ex decisis suprà. Nec nocet *Pasqualig.* 1. *p. dec.* 395. *n.* 3. dicens, quod potest ex eo, quòd tutor stat loco patris, & quòd ad ipsum transit cura pupilli, quia, ut dictum est, jus eligendi sepulturam pro altero, non emanat à patria potestate, nec à cura habenda de filiis, sed à consuetudine, prout Bonif. VIII. decrevit *in d. cap. licet, de sepult. in* 6. abrogando, & corrigendo opinionem antiquam, quam Pasqualig. impræsentiarum amplecti videtur contra dispositionem præfatæ Decretalis.

Quæst. 19. *An amicus possit alteri amico sepulturam eligere?*

1. Sunt qui affirmant; tum quia amicus est alter ego, tum etiam, quia amicus venit appellatione fratris, *l. nemo dubitet, ff. de hæred. in testat.* tum item, quia amicitia præponderat conjunctioni sanguinis, *l. final. C. de Castrens. pecul. lib.* 12. Unde *Jason in l. exigendi, C. de procur.* voluit, amicum posse agere pro ejus amico, absque mandato, quemadmodum pater pro filio, & sequitur *Gratian. to.* 1. *discept. forens.* loquens in propriis terminis de electione sepulturæ *cap.* 95.

2. Verùm falluntur, quia vel amicus, cui alter amicus eligit sepulturam, pervenit ad annos pubertatis, & sic habet proprium jus personale eligendi sibi sepulturam, quod non potest transire in amicum. Jura enim personalia non communicantur, etiamsi sint communicabilia, nisi ex speciali translatione; unde amico vivo non potest per alium amicum eligi sepultura, nisi ex speciali mandato. Quod habet locum etiam in eo, qui non est amicus. Vel amicus est impubes, & sic non datur locus amicitiæ, ratione cujus possit alter amicus ei eligere sepulturam, quia illa ætas ob imbecillitatem consilii non est capax talis amicitiæ, quæ habeat solidum fundamentum, & illam unionis voluntatem, quæ præponderet conjunctioni sanguinis, & faciat, quòd amicus sit alter ego: & additur, quòd impubes est semper sub cura & potestate alterius, ergò ad ipsum potiùs, sub cujus potestate stat, pertinet eligere sepulturam, quàm ad amicum.

3. Vel sumus in amico mortuo, & sic extincta est amicitia. Mors enim omnia solvit; nec potest dici, quòd voluntas amici mortui manet virtualiter in voluntate amici viventis. Quibus adde, quòd de raro reperitur vera amicitia, de cujus qualitatibus latè *Tiraquell. de pœn. tempor. caus.* 23. Unde benè dixit *Ecclesiasticus cap.* 6. *v.* 15. *Qui invenit amicum, invenit thesaurum*; supple, *non ratione commoditatis, sed ratione raritatis*; hoc est, sicut pauci sunt invenientes thesaurum, ità pauci sunt invenientes amicum; prout ibidem mirificè explicat S. Thom. à quo cæteri mutuant.

Quæst. 20. *Electio sepulturæ commissa voluntati alterius, an valeat, si fiat post mortem committentis?*

1. Quæstio hæc unum supponit, & aliud quærit: supponit enim jus eligendi sepulturam, quod quis habet, posse alteri committi, ut praxis ipsa docet. Nam sæpè vidimus infirmos in extremis laborantes, interrogatos à Parocho, ubi vellent sepeliri, respondisse, in Ecclesia nominanda & eligenda per N. amicum suum.

2. Quærit autem, an hujusmodi electio valeat, si fiat post mortem committentis?

3. Et quidem de jure valere attestantur *Geminianus & Franch. in cap. is qui, § mulier. de sepult. in* 6. *& Anchar. Domin.*

Domin. & *Lapus inc.* 1. *eod. tit. in* 6. & multis allegatis sequitur *Guttier. in tr. de juram. confirmatione.* Et moventur *ex l. utrum*, § *cùm quidam*, *ff. de rebus dub.* ubi dicitur, quòd si testator tres hæredes instituit, & gravavit alterum, ut mortuo testatore, restituat illam hæreditatem alteri ex iis, cui sibi videbitur, valet fideicommissum, quia in voluntate ipsius non est, an restituat, sed cui restituat. Ad quod facit illa Regula, quod, *qui per alium facit, per seipsum facere videtur l. qui per alium, ff. de Regul. jur.* ac item *illa* 68. *in* 6. *cap. potest quis per alium, quod potest per seipsum, & omnia nostra facimus*, quibus impartitur authoritas, *cap. mulieres, de sent. excom. l.* 2. *C. de vet. jure enucleand.*

4. Ex quibus benè constat, satis eum elegisse, qui per alium elegit. Nec obstat dicere, quòd mandatum spirat morte mandantis, quia non spirat, quando habet effectum, quod necessariò debet exequutioni mandari post mortem mandantis. Cùm enim ex intentione mandantis extendatur usque ad effectum ponendum in re, debet etiam extendi usque ad tempus post mortem mandantis, cùm in eo solùm possit haberi effectus mandati, ut in casu nostro, *Pasqual.* 1. *p. dec.* 399. *num.* 4. Nec replices dicendo, quòd morte mandantis spiret jus ipsius ad eligendum sepulturam; ac proinde cessat etiam facultas Commissarii, quæ non potest durare, nisi durante jure in committente, quia respondet *Guttier. cit. loc.* hoc esse verum, quando jus committentis non extenditur usque ad tempus, in quo effectus mandati, seu commissionis est habiturus exequutionem; secus autem, quando extenditur, & respicit effectum futurum, exequendum post mortem, ut in casu nostro, & patet de fideicommissis, & testamentis.

5. His tamen non obstantibus, *D. Ricc.* 1. *p. Prax. dec.* 663. *n.* 4. *in* 1. *edit.* & *D. Genoen. in Praxi Neapol. c.* 76. *n.* 2. *in novis*, limitant, prædictam resolutionem non procedere in Civitate Neapolitana, nisi Commissarius jam eligat, vivente & sciente committente, seu testatore. Et se fundant in consuetudine capituli dictæ Civitatis, quippe quæ consuetudo jus commune tollit, & novum speciale infert, si tamen sit talis, qualis ad effectum desideratur.

Quæst. 21. *Quotnam testes requirantur ad probandum electionem sepulturæ?*

1. Respondeo cum eruditissimo *Sebast. Medic. q.* 8. *de sepult.* & *Lauret. de Franch. in controv. inter Episc. & Regul.* requiri saltem duos, quia agitur de præjudicio Ecclesiæ, in qua defunctus erat de jure sepeliendus: & comparatur dispositioni [illegible] ad pias causas, quæ ad minus debet probari per duos testes, *cap. cùm esses, de testam.* unde si unus tantùm testis testatur, infirmum dixisse, se velle sepeliri in tali Ecclesia, non probatur. Tum quia, ut dictum est, agitur de præjudicio tertii. Tum etiam, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum: hinc dictum unius, dictum nullius, *Diana p.* 5. *tr.* 3. *de casib. occurrent. tempore mortis, resol.* 106.

2. Amplia, ut electio sepulturæ probetur, etiam per codicillum invalidum, ac item per scripturam privatam, propria manu subscriptam, non solùm quoad forum conscientiæ, sed etiam quoad forum externum civile, quia hæ scripturæ favore piæ causæ, probant in utroque foro, *Menoch. conf.* 167. *n.* 10. *par.* 2. & *Lanor. tom.* 1. *var. Lucubrat. tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 18.

3. Quòd autem electio sepulturæ sit pars ultimæ voluntatis, in ordine ad pias causas, docet *Glossa cap. animarum*, 1. *de sepul. in* 6. *vers. Addit.* & *sit.*

4. Amplia, ut electio sepulturæ etiam probetur per testes singulares, *D. Genuens. in Praxi Archiepisc. Neapol. c.* 76. *n.* 8. *D. Ricc.* 1. *p. Prax. dec.* 664. *in* 1. *edit.* ubi ad intentum multa adunat, *D. Barbos. in cap. cum super a sepul. n.* 2. & *Mascard. de probat. concl.* 1297. Ducunturque, tum quia testes singulares in tempore, quando tempus non est de substantia, benè probant, *Capell. Tholet in dec.* 11. & *Guido Papa in dec.* 144. tum etiam, quia in eo, quod principaliter exquiritur, probant, quia sunt contestes in principali prædicto; nam licèt sint singulares respectu exterioris manifestationis, qua eligens [illegible] manifestavit voluntatem, sunt tamen contestes in probando voluntatem exteriùs manifestatam per modum successivum. Unde dicuntur testes singulares, singularitate cumulativa, non autem diversificativa; ut si unus dicat audivisse Franciscum, in tali loco elegisse sepulturam, & alter verò dicat idem ab eodem audivisse in alio loco, hi erunt contestes in substantia, utpote in electione sepulturæ licèt sint discordes quoad locum, qui in casu posito non potest esse de substantia. Ad quæ vide quæ dico in tract. sequent.

Quæst. 22. *An electio sepulturæ probetur per dictum Confessarii?*

1. D. *Marcus Ant. Genuens. in sua Praxi Archiepisc. Neapol. c.* 76. *n.* 8. *in Nov.* dicit, quòd sic. Unde subjungit, quòd Neapoli statur dicto Confessarii, ac testamento, vel testibus; ducitur que ex decreto Conc. Provincial. *tit. de sepult.* Hanc opinionem sequitur *Lanor. to.* 1. *var. lucubrat. tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 20. *in fin. Molfes.* [illegible] *sum tom.* 2. *tr.* 13. *c.* 8. *n.* 32. *Diana p.* 5. *tr.* 3. *de casibus occurrent. tempore mortis, resolut.* 106. *in fin.* quia Confessarius in casu posito non se habet ut purus testis, sed ut executor voluntatis defuncti sibi commissæ. Etenim moribundus deponit in manibus Confessarii de iis, quæ concernunt animam. Unde Confessarius constituitur veluti executor eorum, quæ ad animam concernunt, quatenus debent deduci ad forum externum. Et ob hanc causam, standum est dicto ipsius. Verùm hæc ipsorum ratio in universum non placet, quia ut dictum est suprà, etiam ad probandum pia legata, requiruntur saltem duo testes, *cap. cùm esses, de testam.* Secus autem. Quòd autem Neapoli stetur dictis Confessarii, hoc non emanat à Jure Canonico, sed à locali consuetudine, & decreto prædicto, quod cùm sit locale, non extenditur ultrà locum. Nec quidem administrator bonorum defuncti potest illi sepulturam eligere, nisi hoc illi tribuat consuetudo legitimè præscripta, ut constat ex decisis hic suprà, eò fortius, quia universalem legem habemus, quæ defunctus sepulturâ non electâ, debet sepeliri in sepulchro suorum Majorum, vel Parochia.

Quæst. 23. *Si filius pubes moriatur, non electâ sepulturâ, an pater possit ei sepulturam eligere?*

1. Quòd pater non possit eligere sepulturam filiis jam puberibus, quamdiu ipsi vivunt, certum est ex *cap. licet, de sepult. in* 6. nam eo ipso, quo filius per pubertatem acquirit jus sibi eligendi sepulturam, cessat in patre, qui substituitur impotentiæ filii, ob debilitatem ejus consilii, ad jus tale exercendum. Quæritur tamen, an si ipsi filii puberes non eligant, substituatur pater? Et dico, quòd non, ut manifestè colligitur *ex d. cap. licet, de sepult. in* 6. ubi pater potest eligere sepulturam filiis, cum duplici limitatione, quarum prima est, ut filii sint impuberes, adeò ut ob imbecillitatem consilii nequeant sibi eligere sepulturam: altera verò est, si adsit consuetudo. Unde hæc potestas patris non potest extendi ad filios puberes. Ad quod item facit *cap. de uxore*, § *utrum autem de sepul.* ubi dicitur, quòd in hoc standum est consuetudini, etiam quoad mino-

minores impuberes. Cùm ergò potestas patris in eligenda sepultura pro filiis, sit coarctata ad filios impuberes tantùm, accedente etiam consuetudine, non potest extendi ad puberes, & multò minùs ad emancipatos.

2. Nec obstet dicere, quòd filius, quamvis sit pubes, adhuc tamen stat sub regimine, & cura paterna. Ac proinde spectat ad Patrem eligere sepulturam, quando filius non eligit, supplendo quod filius omisit, quia cùm filius potuerit eligere, & tamen non elegit, præsumitur velle stare dispositioni juris, hoc est, se velle sepeliri in sepulchro Majorum, vel Parochia, *cap. nos instituta, de sepul.* Et additur, quòd tunc pater ratione curæ paternæ debet supplere omissionem filiorum, quando non supplet jus: in casu autem nostro, supplet jus, decernendo, quòd qui potest eligere sepulturam, & non elegit, debeat sepeliri in sepulchro Majorum, vel in Ecclesia Parochiali, in ejus defectu, ùt dictum est suprà, & firmat *text. cap. 1. de sepul. & cap. licet, eodem tit. in 6.*

3. Hinc collige, extraneum institutum hæredem, quantumvis generalem, non posse eligere sepulturam institutori, seu testatori, cùm ipse non elegerit, sed debet tumulari, ut dictum est.

4. Amplia, ut nec ipse institutor ob eamdem rationem possit eligere sepulturam hæredi puberi, quia cùm pubes sit, non indiget eligente, seu dirigente. Si verò hæres sit impubes, jus eligendi transit in eos, sub quorum cura tenetur; poterit tamen testator obligare hæredem, ut eligat sepulturam in hoc, vel illo loco, & obligatio tenebit, quia est in potestate hæredis acceptare, vel non acceptare hæreditatem, cum illa conditione oblatam; ita *Asinius in l. familiaria sepultura, ff. de relig. & sumpt. fun. n. 51. Lauret. de Franch. in controvers. inter Episc. & Regul. q. 6. & D. Riccius in 4. p. Praxis resol. 293.*

Quæst. 24. An ii, ad quos spectat cura sepeliendi puberem defunctum, nullâ factâ electione sepulturæ, possint eligere vel sepulchrum Majorum, vel Ecclesiam Parochialem?

1. REspondeo, quòd in casu posito non datur locus electioni sepulturæ, sed defunctus, ut suprà, debet necessariò sepeliri in sepulchro Majorum suorum, si adsit: & in defectu ipsius debet tumulari in Ecclesia Parochiali, prout docent *Joan. Andr. in d. cap. licet, de sepul. in 6. Gemin. ibid. & Syl. ver. sepul. q. 7.* & moventur, tum quia textus *cap. licet, de sepul. in 6.* priùs ponit sepulchrum majorum suorum, & posteà Ecclesiam Parochialem, ibi, *sed sunt cum suis Majoribus, vel in Parochiali Ecclesia tumulandi, &c.* Ordo autem Scripturæ est servandus, *cap. si Rector, distinct. 42.* ergo. Tum etiam, quia hoc manifestè habetur *in cap. Nos instituta, 1. de sepul.* ubi Papa duo decernit: Primò, quòd unusquisque debeat sepeliri in sepulchro Majorum suorum. Secundò, quòd unusquisque possit sibi eligere sepulturam; unde si non eligit, manet secundùm jus determinata sepultura in loco Majorum, & Ecclesia Parochialis succedit tantùm in defectum sepulchri Majorum; ac proinde non datur liberè electio præponendi unam alteri; tum item, quia Ecclesia, in qua est sepulchrum Majorum, stante *d. cap. 1. de sepult.* acquirit jus ad sepulturam, quoties illam alibi non elegit, ideoque non potest privari jure quæsito per novam electionem Parochialis, quidquid alii dicant cum *Glossa in d. cap. licet.*

* * *

Quæst. 25. Cadavera laicorum, ubinam sint sepelienda, nullâ factâ electione sepulturæ.

1. QUòd unusquisque defunctus, sepulturâ non electâ, sit de jure sepeliendus in sepulchro Majorum suorum, si adsit, & in ejus defectu, in Ecclesia Parochiali, non ambigitur, ut constat ex decisis. Unde quæstio hæc inseritur, non solùm ad uberiorem cautelam prædictorum, sed etiam ob speciales casus concernenentes sepulchra majorum; unde dico, quòd

2. Principes non habentes sepulchrum Majorum suorum, sepeliendi sunt in Cathedrali, Episcopus enim est eorum Parochus, *D. Ricc. 4. p. Prax. resol. 293. n. 3.* Quod dictum intellige verum, si sint peregrini; secus sepeliendi sunt in Parochia, in qua decedunt, & in qua audierunt Divina, & receperunt Sacramenta, *cap. ex parte, & cap. in nostra, de sepulturis.*

3. Filius legitimus debet sepeliri in sepulchro patris, etsi ascendentes sui aliam sibi elegerint sepulturam, nisi tamen aliter constaret de mente illius, *Sylv. verb. sepul. q. 8. in fin.* Amplia, ut etiam filii illegitimi, naturales tamen, sint etiam sepeliendi cum patre, nisi pater fuisset in dignitate, *l. ex facto, ff. ad trebell.* secùs si sint spurii, quia spurii nec filii sunt nominandi, *authent. ex complexu, C. de incert. & inutil. nupt.* nec etiam si sint à Principe legitimati, nisi hoc faciat patre vivente, & petente, sed tales in sepulchro matris sepelientur, *ff. ad municip.* nisi sit illustris fœmina, si verò sint filii adoptivi, & arrogati, si vivente patre adoptante moriuntur, in ejus sepulchro sepeliuntur, secus mortuo patre, & tunc sepelientur cum patre naturali, prout dicitur in *cap. unic. de cognat. legali*, & docent *Tabiena vers. sepult. n. 7. & Armilla eod. ver. nu. 10.*

4. Filius exhæreditatus sepelietur in sepulchro patris, *l. si quis hæres, ff. de Relig. & sumpt. funeris*, quod etiam procedit in filio hæreditatem renunciante, nisi sepulchrum sit hæreditarium, *l. 1. ff. de sepul.* si pater damnetur de crimine læsæ Majestatis, jura sepulchri non transeunt ad filios, *D. Ricc. 4 p. prax. resol. 293. nu. 3.*

5. Filius mortuus in domo patris, ubi habet domicilium, sepeliendus est in Ecclesia, in qua sepeliri deberet de jure ipse pater, si factus pubes non eligit sepulturam, *Navarr. consil. 1. de sepult.*

6. Filius habens patrem & matrem, si ambo habent sepulturam, sepelietur in sepulchro patris, cùm ejus sequatur conditionem, *cap. final. de filiis Presbyterorum*; nisi ex consuetudine, vel privilegio sequi deberet conditionem matris.

7. Filius habens sepulchrum, pater autem non, si hic præmoriatur, non sepelietur in sepultura filii, quia descendentes sequuntur ascendentium sepulchrum, non autem è contra; nec transversales suorum transversalium, nisi sint hæredes, & sepulchrum sit hæreditarium, & tales non elegerint, *Sebast. Medic. de sepult. p. 1. q. 7.*

8. Infantes expositi sepelientur in sepultura hospitalis, ubi aluntur, *Novar. de elect. for. q. 10. nu. 3. sect. 2. in impress. ultim.*

9. Uxor debet sepeliri in sepultura mariti, si tamen fuerit in ejus domum introducta, sic enim retinet domicilium, honorem, & dignitatem mariti. Idem procedit, si cognita est ab eo, quia sic facta est una caro cum ipso. Amplia etiamsi redit in domum paternam. *Sylv. ver. sepult. q. 8. dicto V.* ubi ad intentum allegat jura, & sequuntur *Tab. eod. ver. nu. 10. & Armill. eod. tit. nu. 13. Novar. de elect. & variat. fori, q. 10. nu. 3. sect. 3. in impress. ultim. & D. Ricc. ubi suprà*, & habetur expresse in *c. is qui, §. mulier de sepult. in 6.*

10. Limita, si fuerit per adulterium separata, & non reconciliata; sic enim non est ampliùs de domo mariti.

Amplia tamen, ut resolutio habeat locum, etiamsi foret vidua in domo sui viri, vel alibi; quia sic censetur esse in primo matrimonio, & gaudet privilegiis mariti. Item amplia, ut debeat sepeliri in sepultura sui viri, & non in sepultura Majorum sui mariti: benè tamen verum est, quòd si mulier nubat secundò, sepelietur in sepulchro secundi viri, etiamsi secundò remanserit vidua: attenditur enim causa proxima, & immediata, & habetur exprefsè in *d.cap.ult.qui.* § *mulier. de sepult. in 6.*

11. Item adverte, quòd si maritus non habuerit sepulturam, uxor autem sic: maritus non sepelietur in sepulchro uxoris. Vir enim non sequitur domicilium uxoris, sed è contra, *Ricc.cit.loc.* Si uxor ante maritum moriatur, debet sepeliri in sepulchro, quod maritus pro se præparavit, quia ex intentione animi mariti, censetur ibi vir suus jacere: si autem maritus caret sepulchro, sepelietur in sepulchro Majorum suorum, vel in Parochiali.

12. Si mulier prægnans moriatur, fœtus in utero existens, unà cum matre mortuus, & non extractus, tanquam pars ventris viscerum, sepelietur cum matre in Ecclesia; secus si foret extractus, *præcit Patres cum Sperell. 1. p decis.88. nu.19.*

13. Rusti commorans recreationis gratia, si ibi tunc decedat, debet sepeliri in sepulchro suorum Majorum, si commodè fieri potest; secus in sepultura rurali.

14. Advenæ, & viatores morientes in itinere, sepelientur in Parochia, intra cujus fines moriuntur, *cap. Ecclesia 13. q.3. & c. final. ejusdem quæst.*

15. Damnati ad mortem, de consuetudine sepeliuntur in sepulchris, ad sepeliendum eorum cadavera præparatis, nec ibi debent de jure sepeliri, nisi de licentia, & permissione Principis. Ad quod facit *l. 1. cadaver. damnat. & Butr. in cap. ex parte, de sepult.*

16. Studentes morientes in studio, debent sepeliri in Parochia, ubi audiverunt divina, & receperunt Sacramenta, *Sylv ver. sepult. qu.8.*

17. Defunctus, quando sepultura electa est interdicta, debet sepeliri in sepulchro Majorum, & in ejus defectu, in Parochiali. Quæ si etiam sit interdicta, in Cathedrali; si verò omnes sint interdictæ, sepelietur in Monasterio propinquiori, servatis tamen servandis. *Armill. ver. sepult. nu.15. cum Tabiena, & Sylv. cit. loc.*

Quæst. 26. Si Clericus sepulturam non habeat, nec alibi eligat, ubinam sepeliendus sit?

1. ANgelus *in sua summ. ver. sepult. casu 11. n.27.* dicit, quòd Clerici Beneficiati debent sepeliri in Ecclesia, ubi sunt Beneficiati, supple cum cura, & residentia; nam per residentiam, & beneficium curatum, censentur ibi contraxisse domicilium: & consequenter esse de Parochia illius loci, ubi resident, & habent beneficium. Unde *Bellettus in disquisit. Cleric. p.1. tit. de Clerico debitore, §.3. nu.20.* quem sequuntur *D. Barbos. in collect. ad cap. nos instituta 1. nu.4. de sepult. & in tract. de offic. & potestate Parochi, cap.26. & Mancinus in brevi tractatu de infirmis, in ordine ad sepulturam, dub. 20. fol.738.* dicunt, quòd si Clericus sepulturam non habeat, neque illam sibi eligat, sepeliri debet in Ecclesia, cujus administrationem vel curam gessit, vel ubi residere tenebatur: ut etiam dicit *Bursat. consil. 226. nu.18. & 19.* ad quod facit *cap. nos instituta c. ex parte, & cap. in nostra, de sepult.* ubi decernitur, quòd non eligens sepulturam, debet tumulari in sepulchro Majorum suorum, quòd si non habeat, sepelietur in sua Parochiali, ubi audivit Divina, & Sacramenta suscepit.

2. Sed quid dicendum, si Parochianus Parœciæ Ecclesiæ S. Dominici Terræ Altimontis tonsuretur, fiatque simplex Clericus, qui jussu Episcopi loci, serviat Parochiæ S. Jacobi ejusdem Terræ: si sepulchrum Majorum suorum non habeat, nec alibi eligat: debetne sepeliri in Parochia prædicta S. Dominici, vel in Parochia S. Jacobi?

3. Quæstio hæc fuit acriter disputata coram Illustrissimo D. Paulo Palumbo, integerrimo ac vigilantissimo Episcopo Cassanensi fœl. record. & tandem diffinita ad beneficium antedictæ Parochiæ S. Dominici. Tum quia deficiente sepulchro Majorum suorum, & electione sepulturæ non factâ, Parochianus est sepeliendus in propria Parochia per allegata immediatè supra. Tum etiam, quia Clericus, de quo agitur, ex hoc, quod adscribatur servitiis præfatæ Parochiæ, non desinit esse Parochianus S. Dominici, non enim transfertur plenè: unde non mutat domicilium, nec exinde consequitur beneficium curatum, nec fit illius Ecclesiæ administrator, sed servus ad tempus, ut docet *Glossa cap. ubicunque in ver. liber factus*, & firmat *tex. cap. si quis jam translatus 3.21. q.2.* tum item, quia Clerici servitores non fiunt de corpore Ecclesiæ, cui serviunt, ut patet de Clericis Seminarii, qui licèt serviant Cathedrali Ecclesiæ, adhuc tamen non sunt de corpore Cathedralis Ecclesiæ, ut declaravit Sacra Congregatio Rituum 1. Septembris, 1607. & decisum refert *Gavant. in manual. ver. Seminarium, in addit. nu.1.* Et patet ad sensum. Multi enim Parochiani S. Jacobi fiunt servitores, seu Diaconi salvaggi Parochiæ S. Dominici in dicta Terra Altum. & tamen non desinunt esse Parochiani primæ Parochiæ. Et hoc ideo, quia servitia temporalia non inferunt mutationem Parochiæ. Quis enim sani capitis dicet, quòd Civis mutat domicilium originis, per servitia temporalia alicui exhibita extra suam Patriam? Quandoquidem ad mutationem domicilii requiritur animus omninò resolutus, mutatio loci, & translatio fortunarum, ut alibi scripsimus.

4. Nec dicas, quòd servitores Ecclesiarum gaudent privilegio Ecclesiæ, cui deserviunt, quia hoc intelligitur de servitoribus perpetuis, seu adscriptis Ecclesiæ irrevocabiliter; secus autem, ut aliàs diximus.

5. Quibus addebatur, quòd hujusmodi Clerici solvunt decimas dictæ Parochiæ S. Dominici; unde subintrat *text. cap. ubicunque 13. q.2.* ibi, *Ubi quis decimas persolvebat vivus, ibi sepelietur mortuus.* Quamobrem jam dicta Parochia S. Dominici stat in possessione sepeliendi hujusmodi Clericos in minoribus constitutos; secus autem in sacris.

Quæst. 27. An Clerici sæculares, & Regulares inducentes aliquem ad eligendum sibi sepulturam in propria ipsorum Ecclesia sub voto, aut juramento, vel pacto; sint ipso facto excommunicati?

1. DEcisio affirmativa est indubitata; nam habetur exprefsè in *Clem. cupientes, 3. de pœnis, §. sane,* ibi, *Sanè temerarios violatores Constitutionis illius, quæ Religiosis, & Clericis sæcularibus prohibet, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum, inducant ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent, &c.* Ad quod facit *cap. Animarū, 1. de sepult. in 6.* Et ratio decisionis potuit esse, quia electio sepulturæ debet esse libera usque ad ultimum voluntatis actū, per allegata hîc suprà *q.10.* tum etiam, quia sic facientes valde præjudicant Ecclesiæ Parochiali, ut illi, in qua de jure deberet sepeliri; tum item, quia avaritia debet esse procul ab omnibus, & maximè à Clericis, qui procurantes prædicta, ostendunt se auri cupidos, & hos ad eligendum, ut suprà, hortari, ad finem captandi lucrum, & consequendi emolumentum. *Navar. in sum. c.27. de censur. n.103. & Tolet. lib.1. sum. c.56. n.3.*

2. Sed dices, ista prohibitio & excommunicatio comprehen-

rehenditne omnes indifferenter? Et dico, quòd non; sed eos tantùm, qui sunt Clerici sæculares, vel regulares, *Navarr. cit. loc.* & nonnisi sint temerarii transgressores. Temeritas autem includit scientiam, & dolum: unde quem inducens simpliciter, & bona fide, vel probabiliter dictam Constitutionem ignorans, non incidit in dictam excommunicationem: secus si ignorantia sit affectata.

3. Amplia, ut prædicta Constitutio nec etiam comprehendat eum, qui aliquem inducit, & precibus hortatur, ut apud propriam Ecclesiam eligat sepulturam; si tamen sepultura electa remaneat variabilis, & mutabilis; tum quia dicta Constitutio loquitur de iis, qui inducunt ad eligendum cum obligatione, non ampliùs variandi; tum etiam, quia finis antedictæ Constit. est conservare liberam potestatem eligendi usque ad finem vitæ, qui finis conservatur in isto casu, prout docent *S. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 51. Navarr. ubi supra, Rodriquez tom. 5. q. 58. ar. 4. in fin. & in 4. p. sum. c. 30. nu. 10. cum suo compend. resol. 128. de sepult. nu. 6. & Poriell. in dub. ver. sepult. nu. 3.* ubi dicit, quòd cum persuasione debet concurrere votum, promissio, aut juramentum; aliàs non est locus pœnis dictæ Constit. Unde subjungit: *Si quis non persuasus voveat, juret, vel promittat se esse sepeliendum in aliquo Conventu, promissio valet, & tenetur adimplere, quia non fuit persuasus, sed de se vovit, & liberè voluit se privare jure eligendi.* Multa enim in principio sunt libertatis, quæ post factum sunt necessitatis, ut patet de conjuge & marito.

4. Amplia, ut dicta Constitutio nec comprehendat eum, qui inducit etiam cum obligatione, & juramento ad eligendum sepulturam in Ecclesia alterius. Cùm enim ipsa Constitutio sit odiosa, & loquatur de inducentibus ad eligendum in propriis Ecclesiis, non extenditur ad eum, qui inducit ad eligendum in Ecclesia alterius: ut si Dominicanus inducat ad eligendum in Ecclesia Franciscana, *Roder. & Tolet. cit. loc.* Quod intellige verum, cessante fraude, & mala fide, secus autem. Sed major difficultas est.

Quæst. 28. An dicta excommunicatio contrahatur effectu non sequuto?

1. Affirmativè dic, prætermissâ tamen opinione contraria: quia id, quod prohibetur in *c. Animarum, 1. de sepult. in 6. & in Clem. cupientes, eodem lib. & tit.* est actus inducendi cum voto, juramento, & promissione, qui consistit in quadam continua successione; unde prohibitio sortitur suum effectum, eo ipso, quo quis conatur inducere, ut suprà; nam sic habetur id, quod intenditur in dicta Constit. utpotè inductio, & suasio ad eligendum cum voto, &c. ergo consumatus est effectus immediatè prohibitus à lege, etsi inductus, & allectus noluerit jurare, nec sub obligatione promittere: hoc enim est per accidens ad actum prohibitum. Unde *Roder. p. 4. summ. c. 130. nu. 7. cum suo compend. resol. 128. nu. 27.* retractavit, quod priùs dixerat *tom. 3. q. 58. ar. 7.* quòd scilicet dicta excommunicatio non contrahitur, nisi sequatur effectus, ut putà promissio jurata irrevocabilis. Quod ánte eum tenuerunt plures eruditissimi, præcipuè *Card. Cajetan. in summ. ver. excommunicatio, c. 49. ubi in §. 3. requiritur,* ait, quòd ista inductio ad hoc, ut comprehendatur in dicta excommunicatione, oportet, ut sit cum opere subsecuto, utpotè, quòd inductus voveat, juret, vel promittat sub voto, quia excommunicatio est stricti juris, & effectum requirit: unde non sufficit attentatio, vel promissio tantùm, sed effectus consumatio, ut putà actualis electio cum obligatione non variandi, ut patet de volente, & tentante percutere Clericum, juxta *c. si quis suadente diabolo:* qui non est excommunicatus, nisi subsecuto effectu. Et sequitur *Navarr. c. 27. manual. nu. 103. Angelus ver. sepultura, nu. 37. Suar. tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 4. num. 26.* & alii quamplures, qui moventur ex illo communi principio, quod scilicet censura non contrahitur, nisi sequuto effectu. Quod etiam procedit in casu nostro, sed variatur appellatio; nam D. Cajet. per effectum subsecutum, intelligit inductionem effectivam, ut putà electionem cum obligatione factam à persona allecta & persuasa: secus autem.

2. Verùm enimverò meo videri immediatus effectus consumatus, in casu posito, censetur ille actus inducendi immediatè ad eligendum, seu persuasio immediatè facta ad eligendum cum juramento, per quem actum seu persuasionem utique violantur Constitutiones prædictæ: non potest tamen negari, quin opinio Cajetani sit valde probabilis, cui novissimè favet *Pasqual. 1. p. decis. 374. n. 3.*

3. Limita tamen, conclusionem prædictam non habere locum, quando quis inducitur ad eligendum sepulturam in testamento, seu ultima voluntate, *Sayr. lib. 5. cap. 12. & Tolet. lib. 1. cap. 36. §. 4.*

4. Amplia tamen, ut prædicta decisio principalis procedat etiam in eo, qui inducit ad eligendum sepulturam cum obligatione apud Ecclesiam, in qua de jure debuisset sepeliri, licèt quidam contrarium dicant. Moveor, quia ubicunque intervenit actus prohibitus à lege, ibi intervenit peccatum, & censura imposita actui prohibito consumato; actus autem prohibitus per prædictas Constitutiones, est inductio ad eligendum sepulturam cum voto, vel aliqua alia obligatione; quæ quippè inductio prohibetur, tanquam continens specialem difformitatem ad rectam rationem. Quandoquidem per hoc ostenditur avaritia, fit tertio præjudicium, & libertas sepulturæ violatur, ut dictum est sup. q. 27.

Quæst. 29. An electio sepulturæ, facta ex suggestione, sit nulla?

1. Respondeo affirmativè, si tamen electio prædicta fiat intuitu suggestionis sub voto, & promissione de non mutando sepulturam electam, secus autem. Unde *Glossa in cap. Animarum, 1. de sepult. in 6. in verb. Pone casum,* dicit, quòd licèt Religiosi inducentes aliquem ad promittendum, jurandum, vel vovendum, quòd eligat sepulturam penès se, puniantur pœna hîc contenta, *& in Clem. cupientes de pœnis, lib. 5.* si tamen induxerunt solùm ad eligendum, non puniuntur ista pœna, quia licèt per votum, juramentum, vel per electionem tollatur libera facultas, non tamen per electionem, quia licèt quis elegerit sepulturam in uno loco, potest postea eligere in alio loco. Unde subdit, quòd si quis induxerit aliquem ad vovendum, jurandum, vel promittendum, ut eligat in tali loco, non valet electio. Quia per juramentum non remanet libera facultas iterum eligendi, ut liquet in textu, ibi, *si secùs autem fuerit, electionem talem decernimus, nullius penitùs existere infirmitatis.* Quod firmatur sub graviori pœna in dicta Clem. *Cupientes, lib. 5. de pœnis,* ibi, *sane temerarios, &c.*

Quæst. 30. Spontè eligens sepulturam in Ecclesia S. Dominici, si posteà ad suggestionem alicujus Fratris Minoris, illam eligat in Ecclesia S. Francisci, cùm hæc secunda electio non valeat, ob prædicta, ubinam sepeliendus sit in sepulchro Majorum, vel in Parochia, vel potiùs in sepultura à se primò legitimè electa?

1. Respondet *Rodriquez tom. 3. q. 58. art. 7. §. Dubitatur secundò, cum suo Comp. resolut. 128. n. 7. de sepult.* dicens,

dicens, quòd debet sepeliri in illa, ubi primò legitimè elegit, quia hæc secunda electio nulla, non tollit priorem, quin sit de jure valida, quia utile per inutile non vitiatur, *per Jur. Regul. in 6.* secùs si primò inducitur ad eligendum sub promissione immutabili in aliqua Ecclesia, & postmodum eligit spontè in alia, quia tunc non potest venire contra juramentum, ut constat *ex textu cap. Amicorum, de sepult. in 6.* ibi, *statuentes, ut hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi, (ne contra votum, juramentum, aut promissum hujusmodi à se factum, materiam habeant veniendi) possint eligere sepulturam, contradictione quacunque cessante, sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs sepultura non electa forsitan decessissent.* hæc ibi. Inter quæ nota ly *nec alibi*, hoc est, nec in alio loco, post prædictum juramentum, & hoc in pœnam violati juramenti. Item nota ly *sepeliantur omninò apud illas Ecclesias apud quas de jure sepeliendi essent.* De jure autem unusquisque sepeliendus est in sepulchro suorum Majorum, vel in Parochia, ubi liberè elegit.

2. Nec huic resolutioni nocet *Pasqualig. 1. p. decis. 379. n. 4.* dicens, quòd hæc secunda electio nulla invalidat primam electionem validè, & legitimè factam; tum quia non respondet ad jura allegata; tum etiam, quia in textu suprà immediatè extenso, nihil dicitur de electione sepulturæ, ante juramentum legitimè facta, sed post votum. Unde dispositio *d. cap.* annullat electionem subsequutam ad votum, & juramentum, & non antecedentem votum, ut ibidem est videre.

3. Ad quod facit *Gloss. d. cap. in ver. Apud quas*, ubi ait: Quòd si quis ad suggestionem alicujus Clerici juret, non mutare sepulchrum Majorum suorum, quod de jure sibi debetur; si postmodum intestatus moriatur, debet sepeliri in dicto sepulchro Majorum suorum, non obligatione promissionis, sed potestate Juris. Et quamvis *eadem Glossa ibid. in fin.* dubitet de hoc responso, quoad istum casum, propter illud verbum textus (*apud electas Ecclesias ullatenus sepeliantur*) quoad casum tamen nostrum, ly *nullatenus*, ut liquet ex textu, refertur ad Ecclesias illegitimè electas post votum, vel juramentum: secùs autem ad ritè, & canonicè electas, antecedenter ad votum, & obligationem.

Quæst. 31. Si unus tantùm ex Clericis, vel Religiosis inducat aliquem ad eligendum sepulturam in sua Ecclesia, sub promissione & voto, an sit electio nulla?

1. ET dico, quòd sic; tum quia lex aliàs frustraretur fine suo; nam hi Clerici dicerent, quòd hujusmodi inductio non fuit facta à majori parte Capituli, nec de consensu ejusdem; tum etiam, quia intentio Summi Pontificis est tollere scandala, quæ exinde evenirent, nempe avaritiæ, & usurpationis juris tertii; tum item, quia hujusmodi prohibitio non fit communitati, sed personis. Unde respicit actus personales, non autem actus communitatis. Parum ergò refert, quòd inductio fiat ab uno, vel ab omnibus.

2. Nec obstat *Roder. in summ. p. 4. cap. 130. n. 3. & to. 3. q. 57. ar. 7. dub. 3.* dicens, quòd ex resolutione prædicta emanat injuria Ecclesiæ, quippe quæ exinde impeditur sibi quærere: quia in hoc, quod deciditur, nulla intervenit punitio Ecclesiæ, nec ei aliquod præjudicium fit: quandoquidem non privatur aliquo jure quæsito. Non enim ratione factæ electionis acquirit aliquod jus; nam cùm prædicta electio sit contra Canones, & sit nulla, non transfert aliquod Jus in Ecclesiam, apud quam fuit electa sepultura, nec delictum personæ redundat in detrimentum Ecclesiæ, quia Ecclesia nihil patitur. Tunc enim solùm patitur, quando læditur in jure quæsito, non autem quando ipsi non conceditur, quod non est suum: quibus adde, quòd sæpè sæpiùs hujusmodi inductione fiunt à Prælatis, vel ab aliis personis publicis, quæ in iis, quæ pertinent ad Ecclesiam, repræsentant totam Ecclesiam, *Petrus de Ubaldis de canon. port. cap. 11. n. 13.*

Quæst. 32. Clerici sæculares, & Regulares sepelientes prædictos, aut alios, qui alibi elegerunt tumulari, ad quid tenentur?

1. RESpondeo, quòd quoad primum casum debet ad unguem observari dispositio *d. cap. Amicorum, 1. de sepult. in 6.* ibi, *Si verò iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel Cœmeteriis præsumpserint sepelire: ad restitutionem, tam sepultorum corporum (si petantur) quàm etiam omninò, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerit, quomodolibet ad eosdem infra decem dierum integraliter facienda, ipsos obligatos esse censemus, quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & Cœmeteria earumdem, ex tunc, eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.* Hæc ibi. Ubi Glossa in casu dicit, *quòd sepelientes aliquem indebitè, tenentur restituere, quidquid exinde receperunt, etiamsi non fuerunt requisiti.* Et ibid. subjungit: *Nota, quòd tenentur restituere ossa cadaveris, si fuerunt requisiti, & moniti ab Ecclesia, aliter non.* Et subdit, *quòd si requisiti, & moniti non restituant ossa defuncti infrà decem dies, Ecclesia eo ipso supponitur interdicto.* Quibus adde, quæ dico in tractatu sequenti.

2. Sed quid, si ossa defuncti reperiantur indebitè sepulta, & Patres litigent per annos, & menses? Et dico, quòd causâ decisâ, restituenda sunt ossa cadaveris, si tamen reperiantur sepulta in aliquo particulari loco, vel in tumba lignea, vel lapidea. Si tamen ab aliis discerni nequeant, sinuntur, ubi priùs erant, jacere. Prout sæpiùs practicatum vidi inter Parochiam S. Dominici, & Parochiam S. Jacobi Terræ Altimontis Diœc. Cassanensis, occasione cadaverum quorumdam Nobilium Civium dictæ terræ, Joannis Pauli Campilongi scilicet, & Clerici Lelii Mancarellæ, quorum cadavera post annos & menses fuerunt exhumata, & extracta à sepultura Ecclesiæ dictæ Parochiæ S. Jacobi, ubi indebitè detinebantur sepulta, & reconsignata dictæ Parochiæ S. Dominici, ubi ad præsens jacent cum Majoribus suis, decreto medio, & funere restituto, juxta juris dispositionem, ad quod item facit pro omnibus casibus consimilibus, *cap. ex parte 5. de sepult.* ubi sepelientes alienum Parochianum indebitè, coguntur restituere corpus, & quæ ratione ipsius obtinuerunt. Ad idem facit *cap. liberum sit, 6. eod. tit.* & liquet ibi, *ut ossa præfatæ mulieris, & beneficia, quæ occasione sepulturæ ipsius recepisse noscuntur, commoratis fratribus cum integritate restituant, & de cætero talia facere non præsumant.* Hæc ibi. Inter quæ nota ly *præsumant*, quia præsumptio, fraus, & dolus dumtaxat punitur in lege. Volo dicere, quòd ex isto textu hujusmodi præsumptuosi & temerarii non solùm tenentur restituere prædicta, verùm etiam possunt puniri, ut temerarii violatores Constitutionum Apostolicarum, & usurpatores alieni juris. Insuper & de actione injuriarum, secus si simpliciter, & bona fide prædicta facerent, vel ex aliqua alia, (saltem præsumpta) rationabili causa, quia sic restituunt tantùm, & concordantur, & non aliter puniuntur.

* * *

Quæst. 33.

Quæst. 33. Corpora Defunctorum, an possint sepeliri sub Bradellis, aut propè Altare?

1. NEgativè dic *ex Decisione sac. Congreg. Episcoporum, & Regul. in una Termular. 13. Septembris 1593. & in una Messanensi 2. Maii 1601.* & si ibi sepulturæ constructæ inveniantur, in hujusmodi Altaribus celebrari non debet, donec corpora alibi transferantur *ex decis. ejusdem Sac. Congregat. in una Tranensi 10. Novembris 1593.* & referunt *D. Barbosa in tract. de potestate Parochi, cap. 26. num. 10. Gavant. in Manual. Episcop. verb. sepult. num. 6. & Mancin. in brevi Tract. de Infirm. in ord. ad sepult. dub. 30. pag. 742.*

Quæst. 34. Cadaver quanto tempore, post mortem debeat remanere insepultum?

1. G*Avantus in Manual. Episcop. ver. exequiæ num. 3.* dicit, quod Defunctus non debet sepeliri, nisi post duodecim horas ab obitu; qui verò repentina morte obeunt, non ante horas viginti quatuor. Quod intellige verum regulariter loquendo: nam in variis locis, quoad hoc variæ observantur consuetudines, quibus standum est, præcipuè fundatis in lege Diœcesana lata ab Episcopo loci.

2. Unum tamen certum est, quod mortui subitaneâ & repentinâ morte, vel Apoplexia, debent per multum temporis insepulti remanere, ne fortè defunctus vivat: signa autem occultæ Vitæ, & veræ Mortis ponit *Passevinus de officio Curati cap. 14. & cap 6. vers. Si vis.*

Quæst. 35. An Parochus consuetam eleemosynam sibi debitam pro Exequiis Mortuorum, petendo possit exigere?

1. QUæstio præsens unum supponit, & aliud quærit. Supponit enim Parochianos negligere solvere Parocho consuetam eleemosynam illi debitam pro Exequiis Mortuorum. Et quærit, an possit Parochus, illam petendo exigere? Ad quam negativè dic, *per cap. quæsta est, 12. 13. q. 2.* ubi textus sic loquitur.

2. *Quæsta est, Nereida fœmina clarissima, quod ab ea centum solidos pro filia sua sepultura fraternitas vestra velit exigere, & infra, hoc autem vitium, & Nos postquam, Deo auctore, ad Episcopatus honorem accessimus, de Ecclesia nostra omninò vetuimus; & pravam denuò consuetudinem nequaquam usurpari permisimus: memores, quia dum Abraham à filiis Ephron, hoc est à filiis Seor, sepulchri terram pretio ad humandum corpus conjugis postularet, præmium accipere renuit, nè commodum videretur de cadavere consecutus. Si ergo tantæ considerationis Paganus vir fuit: quantò magis Nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde ne hoc avaritiæ vitium, vel in alienis denuò tentari præsumatur, admoneo: sed si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis; siquidem parentes ipsius proximi, vel hæredes pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipi non vetamus. Peti verò aliquid, aut exigi omninò prohibemus, nè (quod valde irreligiosum est) aut venalis fortasse (quod absit) dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium.* Hæc ibi. Inter quæ adverte ly *sponte:* & ly, *peti verò aliquid, aut exigi, omninò prohibemus:* ubi Glossa in casu posito ait, *Si Paganus ille pro sepultura nihil accipere voluit, multò fortiùs Sacerdotes nihil accipere debent.*

3. Idipsum probat *text. c. suam nobis 29. de simonia,* sic loquens.

Suam nobis Parochiani de Villafranca querimoniam destinarunt, quod Capellanus eorum pro exequiis mortuorum, & benedictionibus Nubentium, minùs licitè pecuniam ab eis exigit, & extorquet: & infrà discretioni vestræ mandamus, quatenus dictum Capellanum, ut à tanta præsumptione desistat, & etiam pro excessu satisfaciat competenter, moneatis: sibi (si obedire noluerit) pœnam canonicam infligentes. Hæc ibi. Ad quod item facit *c. ad Apostolicam 42. eod. tit.* ibi, *Quod quidam Clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus Nubentium, & similibus, pecuniam exigunt, & extorquent, & si fortè eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia, fraudulenter opponunt, è contra verò quidam laici laudabilem consuetudinem, erga Sanctam Ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes, ut liberè conferantur Ecclesiastica Sacramenta: sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.* Hæc ibi. Ubi, ut vides, exactio hæc pro mortuorum exequiis specialiter prohibetur, & nolentes solvere, sunt ab Episcopo loci compellendi, & hoc est verum, etiam si petendo, Parochi consuetudinem allegarent, ut dicit *Glossa in cap. in Ecclesia 9. de sim. in ver. consuetudine,* ibi, *dummodo non detur ex pacto, aut exigatur, sed sponte, & post factum offeratur.*

4. Idem dicit *Panor. in cap. Abolendæ de sepul.* & sequitur *Syl. ver. sepul. quæst. 2. ver. Notat idem Panor. in cap. Abolendæ,* ubi subdit, quod si Clerici dicunt, petimus hoc pro sepultura, succumbunt: etiamsi allegant consuetudinem, sed debent dicere, consuetudo est, quod pro mortuis aliquid detur. Et sic *secundum Panorm. & Syl. cit. loc.* potest Parochus consuetudinem allegare: nihil pro officio, & sepultura petendo; quod dictum *Mega'. in prima secundæ partis institu. confess. lib. 2. cap. 11. q. 3. nu. 26.* existimat procedere, & habere locum, non petendo, ut consuetudinem servent, nam hoc esset pecuniam exigere, sed tantùm consuetudinem in memoriam reducendo, ita ut spontè consuetam eleemosynam offerre possint, ut dicit *Glossa cit. loc.* Glossa tamen in *d. c. abolendæ 13. de sepult. in ver. sepult. in fin.* dicit prædicta procedere quoad Clericos beneficiatos tantùm, qui ratione beneficii, ex officio tenentur ad exequias mortuorum; secus autem quoad Clericos non beneficiatos, qui ob carentiam beneficii, ad id non obligantur, *argum. c. charitatem 12. q. 2. & c. ex officii de præscrip.* ex quibus habemus operarium dignum esse mercede sua: Unde colligit, Clericos, qui ex officio ad hoc non tenentur, posse petere pretium sui laboris: quia censentur operarii, & *Syl. ver. sepul. q. 2. in princip.* subdit, hujusmodi Clericos posse vendere officium sepulturæ, non quidem officium, sed laborem suum, accipiendo aliquid, non ut pretium officii sed sustentationem vitæ, ad quod allegat præcensita jura.

5. Verumtamen eorum sententiæ obstant præcitata jura, cum *c. abolendæ de sepul.* ubi indistinctè omnibus Clericis inhibetur pro sepultura pretium exigere, & eodem indistincto modo, eisdem vetatur aliquid accipere, pro exequiis mortuorum in *d. c. ad Apostolicam de simon.* ergo non erit distinctio facienda inter Clericos, qui ex officio, vel non officio tenentur, nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus per vulgata jura sæpius citata. Unde indistinctè dicendum est, Clericos pro sepulturæ officio, & exequiis, pretium exigere non posse, sivè ad id ex officio teneantur, sivè non, indistinctè enim eos omnes comprehendit præfatum *c. ad Apostolicam:* cum quibus stat, ut laici in conscientiæ foro, teneantur servare laudabilem consuetudinem dandi eleemosynam pro jam dictis exequiis, & officio sepulturæ, ad quam servandã, possunt ab Episcopi loco per censuras compelli in foro exteriori, ut in *dict. cap. ad Apostolicã.*

6. Nec dices hujusmodi consuetudinem esse penitùs improbatam in *c. non satis & in c. cum in Ecclesiæ de simon.* quia ibi tantùm improbatur consuetudo exigendi pretium sepulturæ, & exequiarum sub prætextu consuetudinis, quæ initium habuit ex pacto, ut ibi notat ex *glossa in ver. consuetudine:* nihil tamen ibi dicitur de recipiendo pretium, pro justo labore, & sustentatione vitæ, *D. Ricc. p.1. prax. decis. 661. & 665. in 1. edit.*

7. Sed adverte, quod duplex labor circa funeralia considerari potest: alter qui ex natura suâ est annexus, & conjunctus actioni spirituali, qualis est labor comitandi defunctum, & psalmos canendi, & pro hujusmodi labore, aliquid, ut pretium Clerici exigere non possunt, sed tantùm ut stipendium, & in sustentationem vitæ. Alter verò labor est, qui non est conjunctus actioni spirituali, ut est corpus sepulturæ tradere, tumulum accommodare, feretrum per loca insolita deferre, hora insolita ad processiones accedere, & similia hujus generis, pro quibus, absque ullo scrupulo, potest dari, & accipi stipendium laborum. Sed quia circa prædicta solent dubia jugiter oriri, non erit inutile infrascripta Decreta Sac. Congr. diligenter advertere.

Quæst. 36. An Parochi possint plus recipere pro tumulandis cadaveribus exterorum, quàm Civium?

1. NEgativè dic ex decisione Sacræ Congregationis Concilii, die 17. Maii 1624. apud *Alphanum in compendio Canonicarum resolutionum, lib. 4. tit. 17. num. 8. & Jacobum Mancin. in brevi tract. pro infirmis, in addit. ad pract. dub. 2. fol. mihi 729.*

Quæst. 37. An pauperum cadavera debeant gratis sepeliri?

2. AFfirmativè dic, ex decisione Sac. Congregat. Episcop. in una Cassanens. 5. Maii 1617. ad quod facit Constitutio Pii IV. incip. *Divina*, edita 15. Decembris 1560. & est 22. inter Bullas ejusdem, in Bullario Cherub. & refert *D. Barbosa in collect. Bullar. ver. sepultura, & Mancinus cit. loc. dub. 31.* Ad quæ faciunt alia Decreta subsequentia, mihi tradita ab Illustriss. & vigilantissimo D. Paulo Episcopo Cassanen. sibi transmissa pro bono regimine præfat. suæ Diœcesis.

Decreta Sacræ Congregationis edita super taxa funerum, observanda in Diœces. Cassanens. ad relationem Eminentiss. Cardinal. Lanti, sub die 25. Maii 1635. & 39.

3. *CHe per la quarta funerale, Episcopale, ò altra, non possino pigliare più di carlini duciotto per ciascheduno defunto.*

4. Che sotto qualsivoglia pretesto di compositione, non permetta, che si ritardi, ò impedisca in modo alcuno la sepoltura à morti.

5. E che l' heredi di desonti possino pigliare quel numero di Sacerdoti che verranno per accompagnare il cadavero. E per il pedaggio diano dui carlini al Parocho, & uno carlino ciascheduno Sacerdote, il quale intervenghi chiamato.

6. E che l' heredi del desonto ad arbitrio somministrino la Cera per accompagnare il cadavero, nè possino esser forzati dal Parocho à somministrare maggior quantità di quella che vogliono. E che per la Processione funerale si osservi il solito, circa il portare il desonto in Chiesa. E che per l' avenire non s' innovasse cosa alcuna. E che li poveri si sepeliscano gratis. E che circa la mercede delle Campane s' osservi il solito. Quibus Decretis visis, Illustrissimus Auditor Cam. Apostolicæ pro observantia prædictorum expedivit monitorium tenoris sequentis.

COPIA.

7. Octavianus Raggius Protonotarius Apostolicus utriusque Signaturæ Sanctissimi D. N. Papæ Referendarius, necnon causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generalis Auditor, Romanæque Curiæ Judex ordinarius, sententiarum quoque, & censurarum, tam in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum universalis, & merus Exequutor ab eodem Sanctissimo D. N. Papa specialiter deputatus. Universis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, & Diaconis, Archidiaconis, Thesaurariis, Canonicis, Cantoribus, Scholasticis, Sacristis, Ecclesiarum, Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Curatis, & non Curatis, cæterisque Presbyteris, Clericis, & Tabellionibus publicis quibuscunque, necnon RR. DD. Vicariis Generalibus Archiepiscopi Consentini, & Episcopi Bisinianensis. & cui, vel quibus præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur salutem in Domino, &c. Noveritis nuper, & infrascripta die comparuit coram nobis Illustriss. & Reverendiss. D. Pelius Jannoccarus Procurator ass. Communitatis, & hominum Altimontis Terræ Cassanens. Diœcesis, & facto exhibuit, & præsentavit literas, seu decreta Sacræ Congregat. Episcoporum, & Regularium, ut apparet subscript. ac propria manu Eminentiss. & Reverendiss. Domini Cardinalis S. Honufrii sub datum Romæ die sexta præsentis mensis, tenoris sequen. videlicet. à tergo. All' Illustre e molto Reverendo Monsignore come fratello il Vescovo di Cassano, loco sigilli, Intus verò Illustre, e molto Reverendo Monsignore come fratello. Li Cittadini d' Altomonte luoco di cotesta sua Diocesi si sono doluti presso la sagra Congregatione, che li Parochi Preti, & altri del medesimo luogo vadino alterando la tassa del funerale di morti, e delle volte lasciano di sepelirli, e però venuto in senso, che V. S. faccia osservar la tassa altre volte approvata dalla medesima sacra Congregatione referente l' Eminentiss. Cardinal mio Lanti li 25. di Maggio 1635. nella conformità che segue; che per la quarta funerale parocchiale Episcopale, ò altra non possino pigliare più di carlini diciotto per ciascheduno defonto; che sotto qualsivoglia pretesto di compositione non permetta che si ritardi, ò impedischi in modo alcuno la sepoltura à morti; e che l' heredi di defonti possino pigliare quel numero de Sacerdoti, che verranno per accompagnare il cadavero, e per il pedaggio diano dui carlini al Paroco, & un carlino per ciascheduno Sacerdote il quale v' interverrà chiamato; e che l' heredi del defonto ad arbitrio somministrino la cera per accompagnare il cadavero, ne possino esser sforzati dal Parocchiano à somministrar maggior quantità di quello, che vogliono; che per la processione funerale s' osservi il solito circa il portar del defonto in Chiesa per l' avenire non s' innovasse cosa alcuna; che li poveri si sepellischino gratis, e circa la mercede della campane s' osservi il solito, e Dio la preservi dovendo in questa forma far esequire affinche si levi ogni disturbo. Roma li 6. di Maggio 1639. di V. S. come fratello, Il Cardinal Sant' Honufrio C. Facchinetti, cassano, Vescovo, Altomonte:

8. Quas quidem literas Sacræ Congregationis ut supra insertas ut facilius ad memoriam Reverendissimi Domini Episcopi Cassanen. & aliorum ad quos spectat deducantur, & per eos liberius observentur, pro parte ejusdem communitatis instantes fuimus de opportuno juris remedio instanter, & debitè requisiti. Quare vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute Sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, seu receptis præsentibus, & postquam vigore præsentium fueritis requisiti, seu alter vestrum fuerit requisitus ex parte nostra immo verius Apostolica auctoritate literas prædictas, & decreta præfato Reverendissimo Domino Episcopo Cassanensi ejusque Vicario Generali, ac omnibus, & singulis in exequutione

præsen-

præsentium nominan. & recognominan. intimetis, notificetis, & insinuetis ad eorum notitiam deducatis, prout Nos intimamus, insinuamus, & ad notitiam deducimus, & deduci volumus, & mandamus per præsentes, & successivè moneatis, & requiratis primò, secundò, & tertiò, prout requirimus, & monemus dictum Reverendiss. Dominum Episcopum Cassanen. eiusque Vicarium, & quoscunque Parochos dicti loci Altimontis, omnesque alios, & singulos in exequutione præsentium nominan. & cognominan. quatenus infra sex dierum spatium quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos alios duos dies pro tertio, ultimo, & peremptorio termino, & canonica monitione assignamus, & vos assignetis eisdem, debeant, & ipsorum quilibet debeat præinsertas literas, & decreta in omnibus, & per omnia iuxta illarum formam, & tenorem observasse, & omninò debitæ exequutioni demandasse ubi, quando, & quoties opus fuerit, omni cessante contradictione, & impedimento permissive, & ulterius à quibusvis molestationibus, & impedimentis per eos, & eorum quemlibet contra formam, & dispositionem dictarum literarum, & decretorum quomodolibet illatis dandis, & inferendis in futurum cessasse, & se abstinuisse, & tam dictis præinsertis literis, quam præsentibus nostris monitorialibus literis, in omnibus, & per omnia paruisse, & insuper modo, & forma præmissis inhibeatis, & inhibendo præcipiatis, & mandetis, prout nos inhibemus, præcipimus, & mandamus dicto Reverendiss. D. Episcopo Cassanen. eiusque Vicario generali universisque & singulis aliis Iudicibus Commissariis ordinariis, & extraordinariis quacunque auctoritate fungentibus, & aliis in exequutione præsentium nominan. & cognominan. quatenus statim visis, & receptis præsentibus sub mille ducatorum auri Reverendæ Cameræ Apostolicæ applicandis, & pro illis medietate, & in iuris subsidium excommunicationis aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris, & pœnis audeant, seu præsumant, aut eorum alter audeat, seu præsumat directè, vel indirectè, tacitè, vel expressè, publicè, vel occultè exequutioni, & effectui dictarum literarum, ac decretorum quoquomodo contradictione opponere, seu impedire, & opponi, & contradici facere per se, vel per alium, seu alios sub quovis prætextu, causa, titulo, vel quæsito colore, quod si secus factum fuerit, ad totum revocari, & in pristinum statum reduci curabimus iustitia mediante, alioquin prædictos sic monitos, & inhibitos, si in præmissis aliquis se forè gravatum senserit peremptoriè citetis, & citari curetis, & mandetis, prout nos citamus, & citari mandamus eosdem, quatenus infra viginti dies post præsentium exequutionem si dies ipsa iuridica fuerit, alias prima die iuridica compareant Romæ in iudicio legitimè coram Nobis, seu infrascripto nostro in Civilibus Locum tenente, & per acta infrascripti Nostri Notarii causam prætensi eorum gravaminis allegaturi, aliaque dicturi, facturi, & curaturi prout iustitia mediante, certificantes eosdem sic monitos, & requisitos si in dicto citationis termino comparuerint sivè non, Nos nihilominus, vel Locum tenens noster infrascriptus ad omnia, & singula desuper necessaria, & opportuna usque ad sententiam inclusivè procedemus, seu procedet iustitia mediante, dictorum citatorum contumacia, vel absentia in aliquo non obstante, absolutionem verò omnium, & singulorum præmissorum nobis, vel superiori nostro tantummodo reservamus, in quorum omnium, & singulorum fidem, &c. Datum Romæ ex ædibus nostris anno Domini 1639. Indictione septima, die verò decimasexta mensis Maii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Urbani divina providentia Papa Octavi anno eiusdem decimosexto. Sebastianus Pasquettus causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Not. &c. C. Angelus Locum tenens, &c. expeditum fol. 39. adest sigillum pendens, &c.

9. Ottavianus Raggius Prothonotarius Apostolicus utriusque Signaturæ Sanctiss. Domini nostri Papæ Referendarius, nec non causarum Curiæ Cameræ Apost. generalis Aud. Romanæque Curiæ Iudex ordin. sententiarum quoque, & causarum tàm in eadem Romana Curia, quam extra eam latarum, ac literarum Apostolicarum quarumcumque universalis, & merus exequutor ab eodem Sanctiss. D. N. P. Deputatus, Universis, & singulis Rever. Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Diaconis, Scholasticis, Cantoribus, Thesaurariis, Sacristis tam Cathedralium, quam Collegiatorum canonicis, Parochialium, quam Ecclesiarum curatis, & non curatis, Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis quibuscunque illique, vel illis ad quem, vel ad quos præsentes nostra litera pervenerint, seu præsentabuntur, salutem in Domino, ac nostris huiusmodi, immò verius apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis coram nobis pro parte, & ad instantiam Universitatis, & civium Altimontis Cassanen. Diœcesis principaliter comparitum, & expositum fuisse, & esse solitum Cappellanos curatos Parochos, & alios de Clero in exequutione præsentium nominandos, & cognominandos supradicti loci Altimontis pro quarta funerali episcopali, parochiali, aut alia pro qualibet defuncto, seu defuncta de populo sex, aut octo carolenos illarum partium super quo soluto non posse ab aliquo molestari, vexari, perturbari, aut quoquomodo impediri, nihilominus novissimè insurgere pariter curatos dicti loci Altimontis, & nonnullos alios in exequutione præsentium, nominan. & cognominan. citantes diversimodè velle dictos instantes, in & super præmissis, ac eius possessione, & illorum omnium causa, & occasione, quo iure, quave ratione nesciunt, fortasse de facto molestant, perturbant, & impediunt in grave instantium præiudicium, evidensque damnum, cupereque ab indebitis molestiis huiusmodi omninò via iuris deni & liberari, & in eorum possessione manuteneri, & ad alia procedere, præmide ad Nos recursum habitum, postulatumque fuisse, quatenus sibi in præmissis de oportuno iuris remedio provideri dignaremur, Nos igitur Ottavianus Raggius Iudex, & Auditor prædictus attendentes petitionem huiusmodi forè iustam, & rationi consonam, quodque iusta petenti, non est denegandus assensus, vobis omnibus supradictis, & universim cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, qualiter statim visis, & receptis præsentibus, & postquam præsentium vigore fueritis requisiti, vel aliquis vestrum fuerit requisitus ex parte nostra, immò verius Apostolica auctoritate, moneatis, & requiratis primo, secundo, & tertio peremptorio termino, Nos monemus, & requirimus per præsentes dictos Parochos, & Curatos, omnesque alios in exequutione præsentium nominandos, & cognominandos, quatenus infra sex dierum spatium, quorum sex dierum, duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio, & ultimo peremptorio termino, canonica monitione assignamus, & vos assignetis eisdem sub mille ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applican. & pro illis mandata exequutivi, & in iuris subsidium excommunicationis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis debeant, & quilibet ipsorum debeat realiter, & cum effectu prædictum solum observasse, & instantes, ab omnibus, & quibuscunque molestiis vexationibus, perturbationibus, & impedimentis liberasse, & liberari fecisse in futurum pœnitus, & omninò, cessasse, & recessisse, destituisse, & abstinuisse, ac in dicta eorum possessione manutenisse, defendisse, & conservasse, ac manuteneri, defendi, & conservari fecisse eu pro vera, reali huiusmodi effectu pro supradicta quarta funerali, episcopali, parrochiali, aut alia pro quolibet defuncto, seu defuncta, vel populo recipere sex; aut octo carolenos illarum partium sub iam dictis pœnis, & censuris, & mandatum de observando, & aliud quodcunque desuper necessarium, & opportunum decerni, & relaxari, iusque, & iustitiam fieri, & administrari, atque omne ius, omneque remedium dictis instantibus utilius, & expeditius deduci beneficiumque iuris, & nobile iudicium Iudicis implorari, præmissaque, & alia omnia desuper necessaria, & opportuna fieri, & interponi vidisse,

vidisse, audivisse, expensasque rescisse, & si quid aliud ab ipso dicto instanti prætendunt, id totum coram Nobis per acta infrascripti Notarii, & non alibi produxisse deduxisse. & allegasse, ac præsentibus nostris monitorialibus literis in omnibus, & per omnia paruisse, & obedivisse, alioquin prædictos sic monitos, & in præmissis se forè gravatos senserint, peremptoriè citetis, & citari curetis, & mandetis prout nos citamus, & citari mandamus eosdem per præsentes quatenus vigesima die post præsentium executionem si dies ipsa juridica fuerit, alioquin prima die juridica ex tunc proximè futura compareant Romæ in Judicio legitimè coram Nobis per se, vel procuratorem legitimum prætensi gravaminis causam allegaturi, aliaque dicturi, facturi, recepturi, prout justitia suadebit, & ordo dictaverit rationis, certificantes eosdem sic monitos, quod si in dicto citationis termino comparuerint, sive non, nos nihilominus, vel Locum tenens noster infrascriptus ad præmissa, & alia graviora juris, & facti remedia procedemus, seu procedet justitia mediante, dictorum citatorum contumacia, vel absentia in aliquo non obstante. & insuper modo, & forma præmissis, & super eisdem sententiis, & censuris. & pœnis inhibeatis, & inhibendo expressè præcipiatis, & mandetis, prout nos tenore præsentium inhibendo præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis supradictis omnibusque aliis in executione præsentium nominan. & cognominan. necnon quibuscunque DD. Judicibus quacunque auctoritate fungentibus, & functuris, ne visis, ostensis, receptis, seu præsentatis præsentibus audeant, seu præsumant, aut eorum aliquis audeat, seu præsumat in, & super præmissis, & præmissorum causa, & occasione eosdem DD. instantes molestare, vexare, perturbare, inquietare, & impedire, seu molestari, vexari, perturbari, inquietari, & impediri facere, quovis sub prætextu, ingenio, titulo, causa, & ratione, quod si secus factum fuerit, id totum revocari, & in pristinum statum reduci curabimus justitia mediante, absolutionem verò in præmissis nobis, vel Superiori nostro tantummodo reservamus, in quorum fidem, &c. Datum Romæ ex ædibus nostris ann. 1639. Indict. 7. die vero 18. Junii Pontificatus autem SS. in Christo Domini N. D. Urbani divina providentia Papæ VIII. anno 16, Sebastianus Pasquectus causar. Cur. Cam. Apost. Not. locus sigilli C. Angelus Locumtenens, exp. fol. 49.

Die 7. mensis Novembris 1639. Saracena &c. præsentes literæ Apostolicæ fuerunt pro parte Universitatis Terræ Altimontis præsentatæ Reveren. Dom. Generali Vicario per quem fuit dictum, quod intimetur partibus ex adverso, & Adm. Rever. Prom. Fiscali Episcopalis Curiæ Cassani, & sic, &c. Unde, &c. Pancarijs att.

Quæst. 38. An sepultura possit impediri sub prætextu alicujus debiti contracti, compositionis quartæ funeralis, vel decimarum?

1. NEgativa decisio constat ex præinsertis Decretis Sac. Congregationis, & monitoriis Reverendissimi Auditoris Cameræ Apostolicæ, & docent *Sylvester. sepultura qu. 12. Tabiena eod. tit. num. 19. Possevinus de officio Curati cap. 14. num. 35. Suarez Presbyter Secularis in Enchiridion. ver. Cœmeterium, & ver. Sepultura,* ducunturque *ex l. cum sit injustum, C. de sepul. viol. nec debet inferri molestia infra decem dies ab Obitu: aliàs pro tunc est inutile quicquid fit, ut in authen. sed nec antea, C. de sepul. viol. qui verò ad Domum morientis accedit, & ipsum, vel alios molestat, vel rebus ejus insignia ponit, ipso jure cadit ab actione, & in tantundem hæredibus injuriatis condemnatur, & publicatur tertia pars bonorum suorum, & est infamis: & idem procedit in eum, qui circa funus peccat spoliando ipsum, vel male tractando; ut in eadem authent. dicitur.*

2. Exinde vides, cadaver, ob jus sepulturæ non solutum, vel prætextu compositionis quartæ, vel ob non solutionem decimarum, ac cujuscunque alterius obligationis, non posse exhumatum per Parochum retineri. Est enim hoc injustum, nè dicam barbarum, & inhumanum, cum mors omnia solvat, & præcipuè ab omni obligatione debiti, prout fuit ex Sacra Congreg. Regul, & Episc. decisum in una Cotronpiensi, die 17. Decembris 1617. & in una Cassanensi, die 5. Maii 1617. ut dictum est suprà, & decisum referunt *Molfes. in sum. tom. 2. tr. 13. c. 8. num. 74. Manemus in brevi tract. de infirm. in ord. ad sepul. dub. 4. fol. 730. & D. Barbosa in tract. de offic. & potest. Paroch. num. 55.* ubi per extensum refert decretum Sac. Congregat.

Quæst. 39. Quinam sint Ecclesiastica sepultura privandi?

1. ET quidem primò, omnis non baptizatus, Paganus, vel Judæus, *cap. Ecclesiam de Consecrat. distinct.* 1. Secundò, Hæretici ecclesiastica sepultura privantur, *ex constit. 2. Nicol. 3.* incip. *Noverit,* edita 5. nonas Martii 1279. *& ex cap.* 1. *de Hæreticis in Concil. Lateran.* ubi reperitur statutum, nè præfati, inter Christianos, accipiant sepulturam, etiamsi post mortem appareat de hæresi, *cap. sanè 23. q. 2.* immò, *ex cap. 2. de hæreticis, in 6.* qui supradictos scienter præsumpserit Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excommunicationis sententiæ debet subjacere, nec absolutionis beneficium potest obtinere, nisi propriis manibus publicè exhumulet, & projiciat corpora damnatorum, & locus ille perpetuò careat sepultura, & liquet ibi; *Quicunque hæreticos credentes, receptores, vel fautores eorum scienter præsumpserint ecclesiastica tradere sepulturæ, usque, &c.* hæc ibi. Quæ verba intellige procedere de Hæreticis, & complicibus nominatim denunciatis, licet multi contrarium teneant; Ducorque *ex extrav. Martini V. ad evitanda,* quam referunt *S. Anton. in 3. p. tit. 26. cap. 3. Sotus in 4. sent. dist. 22. q. 1. art. 4. Navar. cap. 27. n. 35.* qua tenemur evitare excommunicatum, in duobus tantum casibus, utpotè si sit notorius percussor Clerici, adeò ut nulla tergiversatione celari possit, aut juris suffragio excusari, vel si sit à Judice specialiter ita publicatus, *Navar. consil. 10. de Hæret. Suar. de censur. tom. 5. disput. 12. sect. 4. n. 11. & Azor. 1. p. instit. lib. 8. cap. 13. q. 6.*

2. An autem hæc pœna apposita contra sepelientes hæreticos, afficiat tantum sepelientes propriis manibus, vel etiam cooperantes ad sepeliendum, quæstio est inter Doctores non levis?

3. Respondet tamen *Thesaurus de pœnis Eccles. 1. p. Prax. ver. sepul. cap. 4. q. 2.* aliis allegatis, dicens, prædictam pœnam comprehendere omnes, utpotè sepelientes præfatos propriis manibus, necnon cooperantes ad hujusmodi sepulturam, utpotè effodientes sepulchrum, gestantes feretrum, deponentes cadaver in tumbam; item mandantes, & clericos funus ducentes, officium recitantes, & similes. Quibus adde, quod sepeliens, ut supra hæreticum, vel fautorem, &c. fit suspectus de hæresi; unde tenetur se purgare, & adjurare, *Pegna Dominicanus in directorio, p. 3. qu. 45. num. 49. & lib. 3. scholio 5. col. 3. & Farin. de hæresi q. 142. num. 49.*

4. Tertio excommunicatus debet carere ecclesiastica sepultura, quia excommunicatio ligat animam, & corpus, & privat sepultura Ecclesiastica, *cap. à nobis, el 2. 28. de excommunicato vitando, post d. extrav. ad evitanda,* hoc est de excommunicato, ob publicam, & notoriam percussionem Clerici, & de excommunicato nominatim à suo Judice, ad textum dict. extrav. Aliàs autem excommunicatos sepelire, non est prohibitum; nam dum eis vivis communicavimus, etiam mortuis communicare possumus, ut expressè dicitur *in d. cap. sacris de sepult.* Unde Ecclesia non polluitur per sepulturam excommunicati,

cati, nisi illius tantùm, qui vitandus est, *Victoria Dominicanus in sum. de excommunicatione num.* 10. Quo casu, si corpus excommunicati vitandi fuerit sepultum in loco sacro, est exhumandum, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactandum, & projiciendum: si tamen poterit discerni, aliàs est tolerandum, ut expresè habetur *in d. cap. sacris de sepul.* immò locus ipse est reconciliandus aspersione aquæ benedictæ solemniter, ut fit in Ecclesiæ dedicatione, ut expresè dicitur *in cap. consuluisti 7. de consecr. Eccl. vel Altaris.*

5. Quibus adde, quod sepelientes scienter, vel propria temeritate præfatos excommunicatos in Ecclesia, vel Cœmeteriis, sunt ipso Jure excommunicati, ut expresè habetur *in Clem. eos, qui lib. 3. tit. 7. de sepul.* secùs autem si ignoranter, etiam ignorantia culpabili, vel ex gravi metu, vel coacti eos sepelirent, *Suar. tom. 5. de censur. disp. 12. sect. 4. num. 9.* quia dict. Clem. loquitur per illud verbum *scienter, & præsumunt.* Ratio autem prædictæ decisionis potest esse, quia excommunicato evitando, est negandus omnis honor Ecclesiasticus, & consequenter officium mortuorum, Processiones funerales, & exequiæ; quia hæc peragere circa cadaver excommunicati evitandi, est saltem moraliter, communicare cum eo in divinis *Suar. cit. loc. num. 14. & vide hic infrà q.* 41.

6. Sed dices, quinam veniant nomine præsumentium sepelire? *Emin. Cajet. in summula, ver. excommuni atio cap. 46.* dicit, quod illi soli veniunt, qui verè, & propriè dicuntur sepelire, hoc est, qui humo, & tumulo mittunt cadaver. Unde pœna Canonis, non extenditur ad facientes, vel mandantes illud sepeliri. Nec ad dantes in hoc consilium, vel favorem; quia pœnæ sunt stricti Juris; quamobrem, non extenduntur ultrà casus expressos, jur. regul: *Odia*, & favet *Navar. in Manual. cap. 27. nu. 137. §. quinta.*

7. Oppositum tamen defendit, *Glossa d. Clem. 1. de sepul. in verbo sepeliri,* & constat ex dictis suprà, quia alias esset hæc constitutio ludibrio, si unus solus Ribaldus, vel serviens, per quem poterit id expediri, ligari dicatur, reliquis usitatis, pomposè, & solemniter expeditis. In hanc Glossæ opinionem videtur *Navar. cit. loc.* inclinare. Nam ibi dicit, quod dicta opinio Cajetani potest defendi, supplè, ut probabilis: non tamen dicit, quod sit absolutè vera; cui etiam inhæret *Suar. tom. 5. de censur. disp. 12. sect. 4. num. 11.* dicens, quod nomine sepelientium, veniunt mandantes sepelire, quia aliàs redderetur inutilis constitutio, prout Glossa dicit, *ubi supra.* Nè ergò reddatur elusoria, est saltem extendenda ad eos, qui sunt proximiores sepelientibus, ut sunt mandantes, cum mandans dicatur etiam delinquere, dum ejus mandato quis delinquit, *cap. mulieres, § illi verò, de sent. excomm.* & hujusmodi extensio colligitur etiam ex verbis *d. Clem. 1. de sepul.* ibi, *qui propriæ temeritatis audacia,* quæ verba debent referri ad mandantes, qui imperio, & audacia mandant dictum excommunicatum sepelire: Illi verò, qui solùm comitantur funus, vel cantant, aut deferunt Crucem, vel luminaria, sub dict. Clem. minimè comprehenduntur, cùm hi non sepeliant. Sic etiam dicendum est de iis, qui suis humeris cadaver usque ad Ecclesiam deferunt: dummodò ipsum non deferant sepulturæ, nec operiant terra, vel mandent operire, *Paul. Squillant. in tr. de obligat. Cler. p. 3. num. 66.*

8. Quartò, interdicti notoriè, & denunciati, nequeunt in Ecclesia sepeliri, *Clem. 1. de sepul. & cap. cum, & plantare, §. quod si templarii, de privil.* idem dicendum de suspensis ab ingressu Ecclesiæ, *cap. is, cui, 20. § talis quoque de senten. excommun. in 6.*

9. Quintò, publici, & manifesti usurarii: nisi alienum restituerint, vel idoneam dederint de restituendo cautionem, *cap. quia de usuris, cap. quanquam eod. titulo in 6. & Clem. 1. de usur.* ad quod vide *Card. Cajet. in sum. ver. excom. cap. 46. §. Nota secundò,* ubi dicit, manifestos usurarios, eos appellari, qui non occultè usuras exercent; nec de quibus vertitur in dubium, propter palliationem contractus; sed eos, qui sic manifestè exercent usuras, ut sint, & habeantur manifestè pro usurariis.

10. Sexo, decedentes in torneamentis, seu in ludo torneamentorum, quo armis offensivis digladiantur inter se homines, ad ostentationem virium: unde mortes, & animarum pericula sæpè proveniunt, debent carere ecclesiastica sepultura; etiamsi fortè suorum peccatorum ibi absolutionem obtineant, & sacramentum viatici, & hoc, ad terrorem cæterorum, ut expresè deciditur *in cap. fœlicis memoriæ 1. de torneamentis,* ibique *Glossa in ver. Non negetur,* & aliis allegatis *Thesaur. de pœnis Eccles. 2. p. Prax. ver. ludus torneamentorum, cap. 3.* ubi dicit, quod pœna prædicta est latæ sententiæ, & subnectit, quod pœna prædicta non procedit de ludo hastiludium, seu givoco di canne, quia caret periculo mortis, *Barbos in d. cap. de torneamentis.*

11. Septimo, morientes in duello carent sepultura, *ad textum cap. detestabilis, sess. 25. Conc. Trid. 19. de reform.* & hoc procedit, etiamsi signa contritionis dederint, ut patet ex Rituali Romano Pauli V. *rubr. de exequiis:* modò tamen duellans in ipso conflictu moriatur, ut dicit *Trid. cit. loc.* ibi, *in ipsomet conflictu, &c.* quod verbum intellige moraliter, & non physicè, id est, si parvo tempore, post vulnus intercepto, percussus moriatur, etiam si fortè mors extrà locum pugnæ sequatur. Nam judicio prudentis, is adhuc in ipso conflictu mori diceretur, *Mancin. cit. loc. § 6.*

12. Quæ omnia prætereà intellige procedere, modò duellum non redducatur ad rixam, sed fiat ex condicto, statuto loco, & tempore; quamvis non sit solemne, id est, cum patrinis, & litteris, seu cartulis præcedentibus provocatoriis, cum adhuc hujusmodi actio sit verè duellum, ut Sacra Congregatio declaravit *apud Barbos. in cit. loc. Trid. in remissionibus num. 1.* sed hoc non esse ab omnibus usu receptum, testatur *Mancinus cit. loc.* sed quidquid sit de hoc, Tridentinum loquitur indistinctè de pœna duelli, ut latè scribit *D. Rucc. in 2. p. Praxis, quæ dicitur Aurea, resol. 170.* ubi *nu. 2.* dicit, quod prædictæ pœnæ habent locum in iis casibus, in quibus duellum est illicitum. Casus autem licitè duellandi sunt multi, de quibus *Cardin. Cajet. in sum. ver. duellum, Navar. in Manuali cap. 15. num. 27 Diana 4. p. resol. 92.* & aliis relatis, *Lez. ver. duellum, nu. 14. & Portell. 3. p. casu* 10. ubi dicit, quod in duobus casibus non possumus excommunicatis communicare, juxtà extrav. Martini V. *Ad evitanda,* nempè excommunicato nominatim, vel ob publicam, & notoriam percussionem Clerici: unde videtur innuere, quod sepultura, ante sententiam, nemini deneganda sit; quod dictum, licet sit verùm, in facto tamen ibi exposito, Capellanus debuerat Episcopum consulere, & expectare ejus responsum.

13. Octavo, tandem, generaliter loquendo, omnes notorii peccatores, decedentes in ipso peccato notorio, non sunt sepeliendi in Ecclesia, *S. Ant. p. 3. tit. 15. §. & Syl. ver. sepul. q. 8. Tab. eod. verbo:* nisi tamen fuissent per pœnitentiam reconciliati Ecclesiæ, *cap. Quibus, 13. q. 1. & cap. æstimemus, eadem quæstione, & causa.* De qua re vide in subsequenti *tr. quæst. 43.*

***

Quæst. 40.

Quæst. 40. An meretrix, quæ vulneribus plena inventa est mortua in domo sui Amasii, sit ecclesiastica sepultura privanda, non obstante, quod fuerit confessa, & communicata in Paschate, cum de ejus contritione non constet?

1. Negativè *Navar. consil. 4. num. 2. de sepul.* tum quia omnis, qui confessus est, & communicavit in Paschate, sepeliendus est in Sacro, nisi in certis casibus, & nisi constet, eum in peccato mortali mortuum fuisse, ut firmat *tex. cap. omnis utriusque sexus de pœnit. & remiss.* & docet Glossa, *cap. ex parte, vers. communicabatur, il 2. de sepul.* sed prædicta meretrix fuit confessa, & communicata in Paschate, & non constat, eam in peccato mortali decessisse, ut supponitur; ergò non est privanda suo Jure quæsito; tum etiam, quia non constat de mente, qua ejus Amasius illam duxit in domum suam. Nam licet verisimiliter crederetur, illam duxisse ad usum corporis, si non occidisset eam, quia tamen occidit, verisimilius credi potest deduxisse illam ad sumendam vindictam de aliqua injuria sibi facta; tum item verisimile est, ipsum occisorem, cum Christianus esset, præmonuisse illam, ut se commendaret Deo, & doleret de peccatis, prout communiter faciunt occisores uxorum suarum, & argumentum à verisimili, & à communibus accidentibus, est validum, *l. neque Natales, C. de probat. & cap. in præsentia, eod. tit.* tum tandem; quia verisimile etiam est, eam non fuisse mortuam in meretricando, ac etiam in puncto mortis invocasse Jesum Christum nostrum Redemptorem, & alia dedisse contritionis signa, ergò. Ad quod facit *tex. d. cap. ex par. 11. de sepul.* ubi quædam puella, ob insidias cujusdam mali hominis, de ponte se projecit in amnem, ibique vitam finivit, quæ tamen fuit in loco sacro sepulta, ex quo non sponte se projecit in amnem; Unde idem, *Navar. cit. loc. consil. 6.* colligit, quod mortuus repertus in suo cub.li, flexis genibus, cum laqueo in collo pendente, sit sepeliendus in loco sacro, ex quo non constat, nec potest præsumi seipsum occidisse, stantibus prædictis circumstantiis, & hanc Navarri sententiā sequuntur omnes sine controversia, & præcipuè *Rodriq. tom. 3. qu. 61. art. 2. cum suo comp. resol. 128. num. 22. & Portell. in dub. ver. sepul. num. 1.*

Quæst. 41. An Excommunicatus publicè, sit sepeliendus in loco Sacro, si in mortis articulo, pœnitentiæ signa dederit?

1. Et dico, quod sic; ducorque ex declaratione Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium facta in una Nolana 19 Julii 1619. facta in personam cujusdam N. excommunicati publicè, qui cum interfectus fuisset, exclamavit, Cōfessione, Cōfessione, Madonna Santissima ajutame: quem casum, & decisionem Sac. Congr. quoad omnes circūstantias, refert *D. Barbos. in tr. de off. & pot. Parochi, cap. 26. n. 40.* & summatim, *in Collect. Bull. verb. sepul. ad finem, Jacobus Mancinus in brevi tr. de infirmis, in ordine ad sepul. dub. 34. pag. 744.* & aliam hujusmodi editam die 16. Novembris 1635. refert *Lez. ver. sepul. n. 25.* & in propriis terminis est manifesta decisio *cap. A nobis 28. de sent. excom.* ibi, *quantumcunque pœnitentiæ signa præcesserint, si tamen morte præventus, absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus, potest tamen, & debet ei Ecclesiæ beneficio subvenire, ut si de ipsius viventis pœnitentia, per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur*, hæc ibi. Ex quibus vides, quod cadaver excommunicati, antequam tradatur Ecclesiasticæ sepulturæ, debet absolvi, ab eo scilicet, à quo poterat vivus absolvi, ut ibidem dicitur, & liquet ibi, *statuimus, ut illius mortui absolutio à Sede Apostolica requiratur, qui cum viveret, ab ea fuerat absolvendus: aliorum autem absolutionem, ex præmissa causa, cæteris indulgemus, à quibus dum viverent fuerant absolvendi*, hæc ibi.

2. Quibus adde, quod licet excommunicatio sit Papalis, seu Papæ reservata, & consequenter de Jure communi, ejus absolutio sit à Papa petenda; quia tamen Sacra Congregatio Jussu Papæ, ubi suprà declaravit, excommunicatum prædictum, ex causa prædicta, hoc est, si de ejus pœnitentia per signa externa constiterit coram Episcopo, posse de licentia ejusdem in Ecclesia sepeliri, censetur dicta facultas absolvendi ab excommunicatione post mortem, concessa Episcopo loci: concesso enim principali fine, intelliguntur ea omnia concessa, sine quibus finis nequit obtineri, ut constat ex *l. 2. de jurisdict. omnium judicum, & l. 3. ff. pro socio:* at excommunicatus, in casu nostro, nequit sepeliri in Ecclesia, nisi prius à contracta excommunicatione absolvatur, ut dicitur *in d. cap. A nobis*, ergò concessa Episcopo facultate sepeliendi excommunicatum in Ecclesia, censetur ei pariter concessa facultas absolvendi eumdem ab excommunicatione jam dicta: aliàs non posset ejus cadaver Ecclesiasticæ sepulturæ tradere, seu tradi facere, *Rod. in sum. 1. p. cap. 59. num. 18. Tolet. lib. 1. sum. in Rom. impress. cap. 15. Victor. ad Possevinum in notis ad cap. 14. de off. Curati, & Avila de Censuris 2. p. cap. 6. disp. 4. dub. 8. concl. 3.*

Cætera hujus generis vide infrà.

TRACTATUS X.

DE SEPUL. IN ORDINE AD REGULARES.

Quæst. 1. An Regulares possint sibi eligere sepulturam?

1. Negativè dic ex *cap. final. 5. de sepultur. in 6.* ubi habes hæc præcisa verba: *Religiosi, nisi à propriis Monasteriis adeò forsitan sint remoti, quod ad ea, cum moriuntur commodè portare non possunt, nequeunt (cum velle, & nolle non habeant) sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua Monasteria tumulandi.* Hæc ibi, ubi *Glossa* ad intentum scitè multa adunat.

Quæst. 2. An Prælati Regulares possint sibi eligere sepulturam?

1. Affirmat *Rodriquez tom. 3. q. 60. art. 1. post Rosellam, ver. sepultura, §. primo*, quia Prælatus in multis habet nolle, & velle; ergo per argumentum à contrario sensu, *cap. Religiosi, de sepul. in 6.* poterit eligere sepulturam; & subjungit, quod si Abbas post dictam electionem renunciet Abbatiæ, vel ab ea deponatur, & postmodum moriatur, debet sepeliri in illo Monasterio, in quo moritur, & non in loco, in quo elegit, quia inspicitur

ur tempus mortis, & non tempus electionis: tempore item mortis erat subditus; ergo tumulandus est, ceu ceteri subditi.

2. Cæterùm non placet, quia licet Prælatus habeat aliquod velle, & nolle, non tamen proprium, & absolutum à Regula, & Constitutionibus, sed commensuratum illis, & dependenter ab illis. Non enim quis fit Prælatus supra, vel contra Constitutiones, sed secundum illas. Si ergo Constitutiones hoc illi non concedant, standum est Juri Canonico, hoc est, *dict. cap. Religiosi 5. de sepultur. in 6.* quod loquitur de Religiosis indistinctè, universaliter, & in universum: eò fortiùs, quia Regularis per prælaturam non desinit esse Regularis; tum etiam, quia *d. cap.* viget in omni Prælato Regulari, qui licet respectu subditi habeat velle, & nolle; secùs autem respectu sui Superioris, & patet de Priore, respectu Provincialis; & de isto, respectu Generalis, & de hoc respectu Eminentissimi Cardinalis Conservatoris Ordinis, & D. Papæ: unde nec quidem *D. Ricc. placet in 4. p. praxis, resol. 293. num. 27.* dicens, quod Abbas non recognoscens Superiorem, nisi Papam, potest eligere sepulturam extra Monasterium. Habet enim velle, & nolle juxta *cap. si Religioses 27. de elect. in 6.* tum quia Abbas, qui immediatè subest Romano Pontifici, non habet velle & nolle absolutum, independenter à Regula, nisi hoc ei fuerit à Papa in specie concessum; tum item, quia in dict. cap. allegato de electione, nihil dicitur ad casum nostrum, quod Abbas, scilicet Regularis possit eligere sepulturam extra Ordinem, *Bordon. tom. 2. resol. 51. numer. 158.*

3. Quapropter *Glossa in casu d. cap. Religiosi, ultim. de sepult. in 6.* ait, *Si Religiosus moriatur in loco propinquo, à quo potest commodè asportari in locum Monasterii sui, ibi sepeliendus est cum fratribus suis*, ex quo verbo colligo, quod malè faceret Abbas, si permitteret subditum defunctum sepeliri in aliquo particulari, vel honoratiori loco suæ Ecclesiæ: eò fortiùs, si ei consuetudo, vel constitutiones resistant, vel si exinde murmur, vel scandalum emanat: secùs si dictus Religiosus moriatur in loco remoto, quia tunc juxta *text. d. cap. final. de sepult. in 6.* licet ei eligere sepulturam: non quod tunc habeat velle, & nolle, sed hoc ei permittitur ad occurrendum incommoditati, & molestiæ, quam sui paterentur fratres, vel nè cadaver diù maneat inhumatum.

4. Si tamen in dicto loco remoto decidat, non electa sepultura, sepeliendus est in Ecclesia Parochiali, sicut cæteri Peregrini in itinere morientes; vel in aliquo propinquiori loco sui Ordinis: & debet sepeliri expensis Monasterii sui; si tamen possideat in communi: nisi fortè sit beneficiatus; quia tunc foret sepeliendus expensis sui beneficii, utpotè illius, qui ejus beneficium administrat, *Roder. cit. loc. art. 3. & Sanchez lib. 6. summ. cap. 14. num. 5.* ubi eruditè appendit *d. c. Religiosi de sepul. in 6.*

5. Si autem petas, quando dicetur Religiosum mori in loco remoto? Dico, tunc dici: quando ejus cadaver distat à suo Monasterio per dietam, hoc est per iter unius diei, & non amplius: nè fortè cadaver putrescat, & inficiat aërem, ad quod vide, quæ dixi in tract. præcedenti, q. 3.

Quæst. 3. An Prælatus Regularis possit Religiosis sibi subditis sepulturam eligere?

1. Affirmat *Rodriquez tom. 3. quæst. 60. art. 1. in medio* tum quia Abbas se habet, ut pater, qui ex *cap. licet. 4. de sepult. in 6.* potest suo filio impuberi eligere sepulturam, ex quo non habet velle, & nolle. Ita à pari, & Abbas suis Religiosis, qui carent velle & nolle, poterit sepulturam eligere; tum etiam, quia electio sepulturæ filii, conceditur patri ratione patriæ potestatis, quæ patria potestas, ratione professionis magis militat in Abbate, respectu Monachi, quàm in patre, respectu filii, ergo.

2. Veruntamen fallitur multifariè: primò, quia Abbas se habet ut pater civiliter factus, non autem, ut pater naturalis; prædictum verò capitulum, *licet, de sepult. in 6.* loquitur de patre naturali, & non de patre largè sumpto, ut patet ex textu. Secundò, quia electio sepulturæ filii facienda per patrem, non emanat à patria potestate, sed à consuetudine fundata in cura paterna, ut constat ex *textu*, ibi, *Si consuetudo Terræ id habeat.* Tertiò, quia pro se allegat Petrum de Ubaldis, de *Canonica Episcop. c. 11. num. 6.* qui tamen ibi totum contrarium dicit, ob falsum fundamentum, ut constat ex decisis in *tract. de sepult. in genere, q. 11. & 12.*

3. Ergo resolutivè dicendum est, quod Abbas non potest Religiosis sibi subditis sepulturam eligere, nisi talis sit consuetudo loci, in quo est Abbas, prout docent *D. Ricc. 4. p. prax. resol. 293. num. 38. Sanchez lib. 7. sum. cap. 14. nu. 6.* & sequitur *Pellizzar. tom. 2. manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. qu. 9. num. 136.* ubi dicit, talem consuetudinem legitimè præscriptam non extare, quoad Prælatos Regulares, respectu Religiosorum subditorum: sed hoc suum dictum non probat, nec potest probare, cùm locorum consuetudines sint nobis ignotæ.

Quæst. 4. An Novitius Regularis possit sibi eligere sepulturam?

1. Affirmativè *Armilla ver. sepult. num. 6. Tab. eod. ver. num. 4. Sanchez lib. 6. sum. cap. 14. num. 9. D. Ricc. 4. p. praxis, resolut. 293. num. 28. Diana p. 5. tra. 3. resol. 109.* ubi invehit contra *Jul. Lavor. tit. 2. var. lucubrat.* & aliis allegatis *Pasqualig. 1. p. decis. 381. num. 6.* ducunturque *ex d. cap. Religiosi 5. de sepult. in 6.* ubi decernitur, Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, ex quo non habent velle & nolle, ut ibi expressè dicitur: at Novitii habent proprium velle & nolle, cum non sint professi, nec consequenter astricti voto obedientiæ; unde possunt testari, egredi de Monasterio, & alia, ut laici exercere, ergo & sepulturam eligere.

2. Sed dices, si Novitius decedat, non electa sepultura, ubi nam sepeliendus sit? Et cujus expensis? Respondent prædicti, quod debet sepeliri in Monasterio, in quo moritur: & moventur, tum ex consuetudine omnium Religionum; tum etiam, quia Novitii in favorabilibus gaudent Privilegiis Professorum; tum item ex Privil. quæ ad hoc Regulares habent.

3. Quibus adde, quod sepeliendus erit expensis sui Monasterii, in quo decedit secundum universalem consuetudinem Religionis: si tamen haberet Patrimonium, exinde detrahendæ essent expensæ, ut dicunt præcitati Doctores. Sed ego credo, quod non sint necessarii tot apices, & subtilitates Juris, cum Novitii sepeliendi sint instar Professorum, humiliter scilicet, ac devotè, sine pompa & luxu.

Quæst. 5. An Regulares promoti ad Episcopatum, vel ad aliam dignitatem sæcularem, possint sibi eligere sepulturam?

1. Affirmativè dic, cum hujusmodi Promoti habeant velle & nolle, & censeantur extracti à statu Monachali, & effecti de statu Clericorum.

Quæst. 6. An Regulares apostatæ à Religione, possint sibi eligere sepulturam?

1. NEgativè *Sanchez lib.6. summ. cap.8. num. 20.* quia hi prædicti, per ipsorum apostasiam non desinunt esse Religiosi professi; & consequenter non habent velle, & nolle; unde sicut illi viventes possunt à suo Superiore ubique gentium apprehendi, etiam extra territorium, ut in *tract. de apostatis,* & docet *Rodriquez tom. 1. quæst. 30. art. 6.* ita & mortui poterunt revocari ad Monasterium: hoc tamen intellige procedere de jure communi. Nam de jure speciali, apostatæ nostri Ordinis, eò ipso, quo recedunt à Religione, vel ab obedientia Superiorum, censentur excommunicati, qui uti tales, præcipuè subsequuta Superioris declaratione, ad quid revocantur, si nominatim excommunicati, Ecclesiastica sepultura privandi sint, sicut constat ex supra decisis?

2. Benè tamen verum est; quod si hi ante obitum, pœnitentiæ signa dederint, constito de his, possunt absolvi, ad hoc, ut fiant capaces sepulturæ, ut dictum est in tract. præcedenti, *q. ultim.* & in *tract. de apostat.* ubi per extensum habes Decreta Sac. Congregat.

Quæst. 7. Electio sepulturæ apud Mendicantes facta, quonam modo probetur?

1. DE hac re dictum est supra, in præcedenti tractatu, *qu. 20. & 21.* quibus adde, quod quando testes variant quoad electionem loci sepulturæ, factam ab aliquo tertio, tunc standum est conjecturis, quibus testator verisimiliter moveri poterit, ut si unus ex iis locis sit Parochia, aut Ecclesia, in qua majores illius sepulti sint, aut fuerit nimis frequentata à testatore, ob devotionem erga illam, *Jul. Lavor. de sepult. tit. 2. cap. 11. num. 19.* quod multis firmat *D. Barbos. in cap. in omni de testibus, & Peyr. tom. 3. privil. cap. 4. in addit. ad Constit. Leon. X. num. 52.* ubi subjungit, quod si defunctus adultus, & discretus, Capellam cum sepultura sibi fabricavit cum armis, & inscriptionibus; licet intestatus decedat, tunc non est dubium, quin sepeliri debeat in sepultura ab ipso fabricata. Nam ubi sibi fabricavit sepulturam, eam statim elegisse videtur, etiam si alibi habeat sepulturam, in qua majores sui sepulti sunt; ac proinde electio sepulturæ, non solùm probatur per testes, vel scripturam, propria manu scriptam; verum etiam, & per opus externum, declarans testatoris animum.

2. Quibus item adde, quod Regulares possunt testificari de sepultura electa in propria Ecclesia, ut probat *tex. cap. tuis de testib.* ubi dicitur, Religiosum in causis suæ Ecclesiæ, testimonium ferre posse.

3. Nec exinde potest dici, quod sint testes in propria causa, cum causa Ecclesiæ non sit causa singulorum, *c. qui manumittitur 12. qu. 2.* sed causa totius corporis Ecclesiæ; tum quia legatarius potest esse testis in testamento, in quo ei fit legatum, *instit. de testam. §. legatarius;* tum etiam, quia testis interessatus non repellitur, quando non agitur principaliter de ejus interesse, *Jason. in l. si quis, nec causam ff. si certum petatur.*

Quæst. 8. An melius sit eligere sepulturam in Ecclesiis Regularium, quàm aliorum?

1. AFfirmant *Bordon. tom. 2. resol. 51. nu. 87. & Pellizz. tom. 2. sui manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. sub sect. 2. q. 1. sub num. 144.* & moventur; tum ex frequentiori divinorum officiorum celebratione, quæ fit Regularium Ecclesiis, juxta *cap. fraternitatem 3. de sepult. & Gloss. ibi in ver. frequentius,* tum ex majori frequentatione Populi accurrentis ad divina officia audienda in dictis Ecclesiis, quæ multum prodest fidelibus, vivis & defunctis, *Glos. in c. cum gravia, 13. q. 2.* tum item, quia in dictis Ecclesiis sepulti, maximè cum habitu Religioso, lucrantur Indulgentias plenarias ex Indulto Leon. X.

Quæst. 9. An Religiosus moriens extrà Monasterium in domo alicujus amici, vel consanguinei, possit noctu deferri ad suum Monasterium, & ibi sepeliri inrequisito Parocho, & non soluto jure Parochiali?

1. AFfirmant *Laur. Peyr. tom. 2. privileg. in Constit. 7. Pii V. §. 10. sub num. 11. D. August. Barbos. in tract. de offic. & potest. Parochi, cap. 26. nu. 68. Lez. 1. p. summ. cap. 12. num. 12. & p. 4. ver. sepult. quoad Regulares num. 16. Cespedes in tra. de exempt. Regul. quoad sepulturas, cap. 12. dub. 219. nu. 27.* & moventur ex declaratione Sac. Congreg. edita die 2. Julii 1620. inter cæteras per extensum authenticè relatas per *Peyr. & Lez. cit. loc. in respons. ad decimum dubium,* ubi Sacr. Congregat. Regularium, & Episcoporum consulta: an cum fratres aliqui extra Monasterium moriuntur, & à Curatis Sacramenta receperunt, possent ab eorum Superioribus, ad suas Ecclesias deferri, Parochis inconsultis?

2. Respondit, *Regulares extrà Claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis.*

3. Quod responsum adeò verum est; ut nec id eis Regularibus prohiberi possit, sub prætextu, quod debeat priùs jus sepulturæ solvere, quia ab hujusmodi prætensionibus, Parochos abstinere mandavit eadem Sacra Congregat. negotiis Episcop. & Regul. præposita, in una Puteolana 22. Maii 1615. quam etiam refert *D. Barbos. & Cespedes cit. loc.* ratio autem decisionis potuit esse exemptio Regularium, quæ eosdem vivos, & mortuos eximit à potestate Parochi, & Episcopi: paucis tamen casibus exceptis, de quibus diximus in *tract. de exempt. Regularium.*

4. Amplia, ut idem dicendum sit de Tertiariis, si qualitatibus in Bulla Leon. X. præscriptis sint prædit, ut scilicet viri collegialiter, & claustraliter vivant, mulieres verò virginalem, vel cœlibem, aut castam vitam ducant, possunt & debent, etiam invito, & minimè requisito Parocho, in fratrum Ecclesiis sepeliri: secus verò, si prædictis qualitatibus carerent, ut fuit resolutum ab eadem Sacra Congregat. in Nepesina 11. Decembris 1615. ad 1. & refert idem *Barbos. loc. citato num. 69.* ad quod vide, quod dico, *tom. 2. praxis tract. ult. de Tertiariis, & similibus stantibus in sæculo.*

5. Quod totum pariter extende ad Novitios morientes extra septa: ad exequendum tamen voluntatem suorum Superiorum; Tum quia sic censentur esse in Monasterio; Tum etiam, quia Novitii in favorabilibus gaudent privilegiis professorum, ut sæpè dictum est, & docet *Mancinus in brevi tract. de infirm. in ordine ad sepulturam, dub. 9. & Pelliz. tom. 2. manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. q. 10. nu. 137.* quod nota pro Novitio, qui de consilio Medici, & licentia sui Superioris, se transfert in domum sui patris, ad finem recuperandi sanitatem, si ibi moriatur.

6. Si autem ad hujus dubii complementum quæras, de cujusnam manu Religiosus ægrotans in sæculo, debeat Viaticum & Sacram Unctionem suscipere? Respondeo, quod debet prædicta Sacramenta suscipere de manu Parochi, non autem de manu sui Superioris, ut docet *Bordon. tom. 2. resolut. 51. nu. 170. ex declarat. Sacr. Congregat. facta sub anno Domini 1620.*

7. Nec nocet *Pellizz. cit. loc.* dicens, supradictos Regulares infirmos debere suscipere Sacrum Viaticum, ac Sacram Extremam Unctionem de manu sui Superioris Regularis, quia sic practicatur Ferrariæ; quia non placet,

placet, tum quia praxis localis, non transit ad externos; tum item, quia exploratissimi juris est, Regulares non posse processionaliter ingredi terminos alterius Parochiæ, sine licentia Parochi loci; tum item, quia cum Religio nihil teneatur solvere Parocho in casu posito, ob præstita Sacramenta, ut constat ex tot declarationibus Sacræ Congreg. ad quid velle perturbare alterius jurisdictionem? Melius ergo erit, ut Superior Regularis roget Parochum, ut dignetur suos subditos in sæculo graviter ægrotantes, Sacro Viatico reficere, sacraque Unctione linire; vel de licentia Parochi ipsemet prædictus suis subditis præfata Sacramenta porrigere.

Quæst. 10. ***An possint Regulares cadavera Religiosorum decedentium intra Monasterium, processionaliter deferre per publicos Vicos, & Plateas, honoris causa, sine licentia Parochi?***

1. NEgativa responsio est apud me indubitata: tum quia Regulares exempti nequeunt processiones facere extra Conventum, sine licentia Episcopi, vel Parochi loci, ut constat ex decisis *tom.* 1. *Prax. par.* 2. *tract.* 13. *de exempt. qu.* 81. tum quia erigere Crucem extra Claustra, & sub ea Processiones facere in pompa Ecclesiæ, est actus Jurisdictionis, qui nequit exerceri in alieno territorio, sine licentia Patroni loci; aliàs confunderentur Jurisdictiones, ut ex multis ostendit *D. Riccius*, 1. *p. decis.* 90. *nu.* 2. ergò dicta Processio nequit fieri per Regulares absque licentia Episcopi, vel Parochi loci: tum quia Regulares, quantumvis exempti, præter Monasterium, nullam habent Diœcesim, neque Territorium, ut communiter docent Doctores *in Clem.* 2. *de statu Monach.* ubi dicunt, quod territorium Abbatis, est ejus Monasterium; ergò in ipsorum tantùm Monasterio possunt Processiones facere absque licentia Episcopi, vel Parochi, secùs autem extra illud. Ad quod facit *Textus l. ultim. ff. de Jurisdict. omnium Judicum, & l.* 3. *ultim. de officio Præsidis, & cap. Episcoporum,* 7. *qu.* 2. *& cap.* 2. *de Constit. in* 6. *& cap. Ecclesias singulas,* 1. 13. *qu.* 1. ubi habentur hæc formalia verba.

2. *Unicuique Jus proprium habere statuimus, ita videlicet ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat: sed sit unusquisque suis terminis contentus, &c.* & sigillat prædicta omnia Decretum Sac. Congregat. Emin. Card. Interpretum sacri Concilii Trid. editum sub anno Domini 1620. die verò 2. Julii, Præfecto Emin. Cardinali, tunc temporis Archiepiscopo Civitatis Bononiæ, & postmodum Papa Gregor. XV. quod refert *Pevr. tom.* 1. *Privil. Constit.* 7. *Pii V.* § 10. *sub n.* 11. *& Lez.* 1. *p. summ. cap.* 12. *nu.* 41. *de obligationibus Regul.* & liquet ibi, *Dub.* 11. an quando moritur aliquis Superior Religiosorum, vel Magister, aut Cathedraticus, possint Regulares Corpus illius portare per Civitatem, per Plateas, & alias Parochias, cum Musica, & Ritibus extraordinariis, aut illi imponere Pluviale sine interventu Parochi? ad quæ omnia sacra Congregatio respondit, *Non posse*. Ad quod item facit aliud Decretum ejusdem Sac. Congr. quod per extensum refert, citato loco Praxis, ergò non est amplius de hoc dubitandum, sed quod præcipitur exequendum.

3. Nec his nocent *Bordon. tom.* 2. *resol.* 51. *n.* 176. *& Pelliz. tom.* 2. *Manual. tr.* 8. *cap.* 5. *sect.* 4. *nu.* 139. oppositum sustinentes, quia loquuntur contra Praxin, jura, & Decreta prædicta: unde falluntur, dicendo, quod nullum jus extat in contrarium, & quod Confratres sine licentia Episcopi, & Parochi loci, per publicas vias faciunt processiones, cantando Litanias, ut liquet ex decisis *in tr.* 8. *de Confraternitatibus qu.* 19. § 10. & quod Regulares habent jus sepulturæ, & quod in prædictis Processionibus non læditur Parochus. Hæc enim, & hujus generis similia, falsa sunt; tum quia jus sepulturæ Regularium est valdè limitatum; tum etiam, quia ex his læditur Parochus in sua Parœcia, ejusque possessio, ac requies perturbatur, ergò ab his abstinendum est, cùm unusquisque suis terminis debeat esse contentus, ut dictum est suprà.

Quæst. 11. ***An Regulares possint, tempore interdicti, in suis Ecclesiis solemniter sepeliri?***

1. AFfirmat *Cæsarubius in comp. Privil. Mendicantium, ver. interdictum, num.* 13. duciturque ex privilegio Julii II. Minoribus concesso, & liquet ibi, *quod tempore interdicti, ordinaria authoritate appositi, possint sepelire in Ecclesiis suis liberè, & licitè corpora Fratrum ejusdem Ordinis decedentium. Et hoc etiam cum ceremoniis solitis in ordine, ac pulsatis campanis, Missis, & aliis divinis officiis in similibus celebrari consueta, in omnibus, & per omnia, ac si interdictum hujusmodi appositum non esset*, hæc ibi, ut melius est videre in dicto privilegio, quod per extensum habetur in supplemento ordin. *fol.* 72. *concl.* 219. Et sic interdictum ab ordinario loci appositum, suspenditur in die obitus præfatorum Regularium; ad cujus suspensionis majorem claritatem, adverte cum *Rodriq. to.* 2. *q.* 112. *ar.* 5. *ad fin.* quod si Religiosus moriatur hodie, & sepeliatur ad Vesperam, & fiat pro illo officium, die sequenti, suspendetur interdictum pro illo vespere dum sepelitur, & pro sequenti die, dum pro illo recitatur officium, & missa cantatur.

2. Dixi *ab ordinario loci appositum*, quia secùs dicendum de interdicto apposito authoritate Apostolica, ut colligitur ex illo verbo *ordinaria authoritate appositi*, & hoc, quod dico de Regularibus Professis, extende ad Novitios; nam hi in favorabilibus veniunt nomine Religiosorum, ac fruuntur privilegiis professorum, ut dictum est suprà, & constat ex decisis, *tom.* 2. *Praxis, p.* 4. *tract.* 6. *de Privil. Novit.*

3. Nec te moveant *Rod. tom.* 4. *addit. ad summam, cap.* 63. *& Portell. in dub. Regul. ver. interdictum, in fin. nu.* 80. dicentes, dictum privilegium non extendi ad Novitios, cùm loquatur de professis, & ne minus Jus commune lædatur, quandoquidem falluntur; tum ob superius allegata; tum etiam, quia Canon: *(si quis suadente Diabolo, &c.)* loquitur de Religiosis Professis, & tamen, favore Religionis, extenditur, ad Novitios; tum item, quia Novitii ad minus debent computari inter commensales, familiares, & servitores Religiosorum, qui de communi consensu Doctorum, cum sint in Religione, ad ibi perpetuò manendum, potiuntur privilegiis professorum.

Quæst. 12. ***An Regulares Mendicantes liberam habeant sepulturam, & in quo consistat ista libertas?***

1. QUod Regulares Mendicantes liberam habeant sepulturam, non cadit sub dubio. Nam sic concessit Innoc. IV. ut in Ecclesiis Fratrum Minorum sit libera sepultura: ita quod nullus valeat impedimentum præstare, quominus possint omnes volentes ibidem liberè sepeliri; salva tamen justitia Ecclesiarum Parochialium, ut meliùs est videre in Privilegio concessionis, quod habetur in monumentis Ordinum, *in* 2. *impress. fol.* 22. & Clem. IV. concessit, quod in Ecclesiis Fratrum Minorum sit omnibus libera sepultura, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati illorum, qui se illic sepelire deliberaverint, nullus obsistere valeat, nisi excommunicati, aut interdicti, vel publicè usurarii fuerint; salva tamen justitia Ecclesiarum illarum, à quibus corpora assu-

assumuntur, ut est videre *in eod. lib. in prima impress. fol. 98. & in 2. fol. 142. concess. 336.* & Sixtus IV. declaravit superscriptam concessionem, quod scilicet Fratres Minores habeant in Ecclesiis suis liberam sepulturam: sic debere intelligi, quod Fratres prædicti nullius super hoc petita licentia, possint cum Cruce processionaliter ingredi Parochias, in quibus fuerint corpora defunctorum, ac corpora ipsa ad eorum Ecclesias sepelienda deferre, ubi hoc fieri consuetum foret, vel quando Presbyteri Parochiales requisiti id facere recusaverint. Et voluit; quod neque prædicti Fratres, neque consanguinei defunctorum possint cogi, etiam prætextu cujuscunque consuetudinis, ad deferendum hujusmodi corpora ad Ecclesias Parochiales, aut alia loca inhibi ante, vel post sepulturam aliqua officia pro eisdem defunctis celebrare, aut celebrari facere, ità habetur in citato libro *in 1. impressione, fol. 60. & in 2. fol. 143. concess. 346. ac etiam in Compend. Privil. Mendic. ver. sepelitio n. 1. & sequ. & apud Rodriquez tom. 3. qq. 99. Regul. q. 58. art. 3.*

2. Idipsum habetur in *Clem. Dudum 2. de sepul. in medio*, ibi. *Hujusmodi quoque statuto, & ordinationibus nostris adjicimus, ut Fratres dictorum Ordinum, in Ecclesiis, vel locis suis ubilibet constitutis, liberam (ut sequitur) habeant sepulturam, &c.* ubi Glossa in casu, ait, *quod ipsi Mendicantes possunt processionaliter ire ad domum Defuncti, & portare Corpus, &c.* ratio autem ejus dicti potest esse, quia, concessa libera sepultura, concessum est iter ad capiendum funus, sicut in simili, concesso haustu aquæ, concessum est iter ad illud, ut dicitur *in l. 3. de servit. rustic. præd.* & colligitur *ex cap. in nostra 10. de sepult.* ubi privilegiati super Jure funerandi, sepelire possunt illos, qui apud eos eligunt sepulturam, solvendo tamen Canonicam portionem, & ad nihil plus obligantur.

3. Nec his obstat constitutio Leon. X. in Concil. Lateranensi, de non intrando Parochias cum Cruce ad deferenda corpora defunctorum, in Ecclesiis Regularium sepelienda, quia, ut dicit *Rodr. cit. loc. cum suo compendio resolut. 128. num. 3.* Privilegia revocata per dict. Constit. Leon. per alios subsequentes Pontifices fuerunt revalidata, cum illa clausula; *Dummodo non adversentur Decretis Sac. Conc. Trid.* At prædicta Privilegia, in hoc non contrariantur Tridentino, ut aliis allegatis testatur *Lez. p. 2. sum. cap. 4. de Privil. n. 31. & cap. 4. vers. sepul. nu. 4.* ubi summatim prædicta omnia refert, ergò.

4. Sed quidquid sit de his, hodiè est omninò observandum Decretum Sac. Congreg. quod est tenoris sequentis.

5. *Licet in sacro generali Lateranen. Concilio, statutum & ordinatum fuerit, ut Fratres Ordinum Mendicantium, cæterique Religiosi Regulares non possint intrare Parochias cum Cruce ad levanda funera eorum, qui apud Ecclesias Domorum, & locorum eorumdem, suam elegerint sepulturam: nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine ejus, & Ordinarii præjudicio: significatum tamen est Sacræ Congregationi S. R. E. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præpositæ, nonnullos fratres, præsertim Ordinis Minorum de Observantia, cujusdam consuetudinis prætextu, quam neque antiquitate vallari, neque observantia viridi inniti, neque pacifica & non interrupta possessione, firmatam esse constat, contendere sibi licere Defunctorum funera, proprio eorum Parocho absente, eoque irrequisito, efferre & levare, idque haud leves controversias & altercationes aliquibus in locis, non sine populi scandalo, & Dei offensione, excitasse: ideò volens eadem Sacra Congregatio omnem hujusmodi dissentionum, & scandalorum materiam & occasionem præcidere, atque in futurum providere, ut tam Parochi, quam Fratres ipsi, unanimi inter se voluntate, & ea, quæ par est, charitate, ultima hæc Christianæ pietatis officia defunctis præstent, declarat, & hujus decreti tenore statuit, prædictis Fratribus Ordinis Minorum de observantia, aliisque, quibusvis Regularibus ... rumcunq; Ordinum, & Congregationum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium existant, nullo modo ... etiā specialis alicujus consuetudinis prætextu, Parochias ... Cruce, processionaliter aut alias, ad efferenda & levanda Defunctorum funera intrare, vel illa levare & efferre ... vocato, & expectato proprio defuncti Parocho, eoque ... præsente: si tamen ipse aliter fieri non consentiat, & ... tat, vel nisi requisitus, venire expressè omninò recuset, ... ità observari mandat, & districtè præcipit, firmis ... & in suo robore permanentibus iis omnibus, quæ super ... ta funerum, & Canonica portione, aliisque Juribus ad ... turas pertinentibus, ac sacris Canonibus, & Concilii ... Decretis, summorumque Pontificum Constitutionibus ... ctenus sancita, & ordinata sunt, vel aliàs ex particulari ... suetudine, vel alio Jure observantur. Romæ 12. Jan... 1604. Alex. Card. Flor. Hieronymus Agucchius Secretarius.* Et habetur, ut jacet, apud *Stephan. Quarant. in sum. ver. Privilegia Regul. fol. 405. in impress. Venetiæ anno 1612. Et Peyr. tom. 1. Privil. Minim. in Constit. ... Leon. X. § 16. n. 20. fol. 698. Barbos. de officio, & pote. Parochi cap. 26. n. 66. & Lez. cit. loc.*

6. Ad quod item facit aliud Decretum Sac. Cong. in quo dicitur, cadavera defunctorum levare de Domo propria, nullo modo licet Regularibus, & Presbyteris sæcularibus, nisi de licentia, & consensu proprii Parochi. Quod refert *D. Barbos. in Collect. Bull. ver. Cadaver,* & *Lezana in dicta secunda parte.*

Quæst. 13. An corpora laicorum sepelienda in Ecclesiis Regularium, sint prius deferenda in Ecclesiam Parochialem, ad recipiendum ultimum vale & benedictionem à Parocho?

1. NEgativè declaravit Sixtus IV. in sua Const. posita immediatè suprà, ibi, *Nec prædicti fratres, nec consanguinei defunctorum possint cogi, etiam prætextu consuetudinis, ad deferendum prius hujusmodi corpora ad Ecclesias Parochiales, aut alia loca, &c. Rodr. tom. 3. q. 58. ... cum suo Compendio resolut. 128. n. 3.* & meritò; quia, ut dixi hic suprà, dum Regulares, ex tot privilegiis, ... vocatis quoad hoc, ac item *ex Clem. Dudum de sepul.* habent sepulturam liberam, saltem quoad electionem, adeò, ut unusquisque fidelium licitè, & liberè possit ... eligere sepulturam in Ecclesiis Regularium, nec ipsi Regulares, nec consanguinei defunctorum, excepta & salva remanente Canonica portione, possunt ad aliud cogi; aliàs non dicerentur habere sepulturam liberam; quia impediretur, saltem quoad tempus; hoc enim adverbium (*liberè*,) excludit omnem moram, & conditionem, ut in multis Juribus notatur, præcipuè *in cap. ... locato, cap. statuimus de Regul. cap. cum plures de off. ... gati in 6.* ubi *Glossa in ver. libere,* immò secundum ... tos significat quamdam prærogativam altiorem, ... liberum dominium super id, quod conceditur, ... multis ostendit *D. Barbos. dict. 164.*

2. Idipsum statuit Pius V. in sua Const. incip. *Romanus Pontifex,* quam per extensum refert *Rod. in suo Bullario,* & est secunda inter Bullas ejusdem Pontificis, non obstantibus consuetudinibus in contrarium; ... Sacra Congreg. sub die 11. Decembris 1615. declaravit, quod cadaver eligentis sepeliri in Ecclesia S. Francisci, non est prius deferendum ad Ecclesiam Parochialem, ad benedictionem, ac ultimum vale, à Parocho recipiendum; sed recto tramite ad prædictas Fratrum Ecclesias deferri potest; debent tamen prius iidem Fratres monere, requirere, & expectare proprium defuncti Parochum, quo requisito, & expresse venire recusante, lice-

iceret eisdem Fratribus, etiam ipso invito, supradictum adaver ad easdem Ecclesias transportare, & refert per extensum, *Naldus ver. sepul. num.* 15. ubi advertit, quod ædictum Decretum factum ad instantiam Reformatorum, extenditur ad omnes alios Regulares, propter communicationem Privilegiorum, & *Peyr. multa alia decreta authenticè refert, tom.* 3. *privil. cap.* 10. *sub num.* 53. *ad quartum dub. & Mancinus in brevi tractatu de infirmis in ordine ad sepulturam dub.* 38. *fol.* 755. ubi alia multa hujus generis Decreta refert.

3. Ad quorum, & consimilium firmitatem, attendendum est Decretum Illustrissimi D. Auditoris Cameræ Apostolicæ, quod refert *Lezana ver. defunctus sub num.* 7. & est tenoris sequentis.

4. *Universis, & singulis RR. DD. Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurarius, Sacristis, Parochialiumque, & Collegiatarum Ecclesiarum Rectoribus, seu locumtenentibus, earum Plebanis, Viceplebanis, Curatis, vel non Curatis, cæterisque Presbyteris, necnon Clericis, Notariis, & Tabellionibus quibuscunque, illique, vel illis, ad quem, vel ad quos, præsentes nostræ literæ pervenerint, seu quomodolibet præsentabuntur salutem in Domino, & nostris hujusmodi, imò veriùs Apostolicis firmiter obedire mandatis. Noveritis ex parte, & ad instantiam RR. Fratrum S. Francisci Minoris, & strictioris observantiæ, ac quorumcumque eorumdem RR. Fratrum Conventuum, in quibuscunque Mundi partibus existen. principalium instantium Decretum Sacræ Congreg. Rituum de, & super declaratione, quod officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium spectet ad ipsos Regulares, ad supplicationem dictorum instantium emanavit sub die 17. Novembris 1638. Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore, videlicet. Sacra Congregatio Rituum, juxta alias resoluta, respondit, officium super cadaveribus in Ecclesiis Regularium spectare, & pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in posterum servari mandavit, non obstante contraria consuetudine. Die 27. Novembris 1638. C. Episcopus Portuens. Cardin. Pius. Julius Cincius Secretarius loco † sigilli. Nec non pariter aliud decretum Sac. Congreg. Eminentiss. DD. Cardinalium negotiis Episcoporum præposita ad supplicationes pariter eorumdem RR. instantium emanat, die 14. Januarii 1639. de, & super eo, quod defunctorum cadavera sepelienda ab ædibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè possint, nobis præsentatum pariter fuisse, sub infrascripto tenore, videlicet, Sac. Congregat. Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, censuit, defunctorum cadavera in Ecclesiis dictorum Fratrum sepeliend. ab ædibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè posse, monito tamen prius, & requisito, ac expectato proprio defunctorum Parocho, a quo benedictionem, & ultimum vale recipere possint, quò ventre expressè recusante, possint iidem Fratres, etiam ipso invito dicta cadavera ad suas Ecclesias transportare. Consanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum, etiam Cathedralibus Ecclesiis compelli nullo modo possint cogi, sique verò immemorabilis consuetudo in contrarium super præmissis existere prætendatur, legitimè probetur, interim præsens Decretum ad unguem servetur prout eadem Sacra Congregatio servari mandavit. Romæ die 14. Januarii 1639. Cardinalis Antonius Barberinus, C. Faiunettus loco † sigilli. Nec non aliud Decretum Eminentiss. DD. Cardinalium Sacr. Conc. Tridentini interpretum de & super declaratione, quod quoties cadavera defunctorum, & alia, quæ in hujusmodi ministerio adhiberi solent, ab ipsismet Fratribus peragi debeant, ad instantiam eorumdem RR. Fratrum pariter editum die 3. Decembris 1639. Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore, videlicet: Die 3. Decembris 1639. Sacra Congregatio Eminentiss. Cardin. Concilii Tridentini interpretum censuit, quoties cadavera defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, &c. officia mortuorum & reliqua, quæ in hujusmodi Ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero, sed à Fratribus obiri, & peragi debere: I. B. Card. Pamphilius Franciscus Paulutius Sacræ Congregationis Concilii Secretarius, loco † sigilli. Nec non aliud Decretum Sacræ Congreg. Rituum sub die 14. Januarii 1640. ad supplicationem dictorum RR. Instantium emanatum sub eo, quod electio, & numerus Religiosorum pro associandis cadaveribus ad libitum hæredum defunctorum spectet, nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore, videlicet. Sacra Rituum Congregatio, juxta alias resoluta, respondit, electionem & numerum Religiosorum pro associandis cadaveribus ad libitum hæredum defunctorum spectare, & pertinere, & ità ubique servari debere mandavit. Die 14. Januarii 1640. P. Cardinalis Crescentius, Julius Cincius Secret. loco † sigilli. Post quorum fidem præinsertorum Decretorum præsentatione ex parte, & ad instantiam dictorum RR. Fratrum instantium coram Nobis infrascripta die comparitum, & expositum extitisse, quod licet ex forma præinsertorum Decretorum officia super cadaveribus in Ecclesiis ipsorum RR. Fratrum celebranda ad ipsos RR. Fratres spectent, & pertineant, non autem ad Curatos defunctorum, ac etiam pariter iidemmet RR. Fratres instantes possint, & valeant defunctorum cadavera in ipsorum Ecclesiis sepelienda ab ædibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferre, servata ad hoc præinserti secundi Decreti forma. Ac etiã ex forma tertii Decreti præinserti officia mortuorum & reliqua, quæ in hujusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero sed à Fratribus prædictis peragi debeant, ac etiam ex forma quarti præinserti Decreti electio & numerus Religiosorũ pro associandis cadaveribus, ad libitum hæredum defunctorum spectet, & pertineat, præinsertaque Decreta inviolabiliter observari debiteq; exequntioni absque ulla contradictione in omnibus & per omnia, ac juxta eorum tenorem, & formam debeant, tamen ad eorum aures devenisse assertum extitit, quod nonnulli in exequutione præsentium nominandis, & cognominandis, nesciunt quo jure ducti, qua ratione suffulti, jactarent & jactant, se velle prafatos RR. instantes contra formam præinsertorum Decretorum, ac in eorum contemptum de, & super præmissis in partibus molestare, & inquietare, & forsan molestant: ideò ad Nos uti exequutorem eorumdemmet Decretorum recursum habuerunt, ut de opportuno juris remedio providere dignaremur. Nos igitur attendentes requisitionem hujusmodi fore justam rationique consonam, vobis omnibus & singulis supradictis, & vestrum cuilibet in solidum tenore præsentium committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus, quatenus statim visis, seu receptis præsentibus, & postquam vigore præsentium fueritis requisiti seu alter vestri fuerit requisitus ex parte nostra, imò veriùs Apostolica authoritate, nec non ad omnem instantiam, quæ vobis omnibus, & singulis supradictis, & vestrum cuilibet fiet, ex parte cujusvis Conventus dictorum Fratrum moneatis, & requiratis primò, secundò, tertiò, & peremptoriè termino, ac monitione Canonica, prout Nos etiam monemus, & requirimus, omnes, & singulos prædictos in exequutione præsentium nominand. & cognominand. tam conjunctim, quàm divisim, & aliàs omni meliori modo, quatenus infrà sex dierum spatium, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio ultimo, peremptorio termino, ac monitione Canonica assignamus, & vos assignetis eisdem sub mille ducatorum auri in auro R. Cameræ Apostolicæ applicand. & pro illis mandati exequutiva, suspensionis à divinis, privationis beneficiorum, inhabilitatis ad illa, & aliis in posterum obtinenda, ac in juris subsidium, quatenus opus sit, excommunicationis aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis si secus, &c. debeant, & quilibet vestrum debeat præinsertis Decretis in omnibus, & per omnia obtemperasse, dictaque præinserta Decreta fore, & esse exequenda, debiteque exequutioni*

demandanda, ipsosque in juris subsidium excommunicandos, & declarandos fore, & esse, ob non paritionem illorum, ac nisi illis paruerint, declarari vidisse, ac de omnibus damnis, expensis, & interesse præmissorum occasione quomodolibet passis, & factis, & in futurum forsan faciendis, & patiendis integrè satisfecisse, & in illis se condemnari vidisse, & quascunque sententias etiam declaratorias, decreta, seu mandata in præmissis necessaria, & opportuna, aliaque de jure quomodolibet requisita fieri, ferri, & decerni, & relaxari vidisse, & audivisse ad favorem præfatorum RR. instantium deducentium in præmissis omne jus omneque remedium prædicto, & omni alio meliori modo sibique jus, & Justitiam ministrari petentium, ac nobile officium Jdi is & beneficium juris implorantium non solum præmisso, verum etiam omni alio meliori modo, &c. & insuper inhibeatis eisdem prout Nos tenore præsentium inhibemus & inhibendo expressè præcipimus, & mandamus, ne visis, & receptis præsentibus sub pœnis, & censuris antedictis, audeant, seu præsumant aut aliquis ipsorum audeat seu præsumat quidquam contra formam præinsertorum Decretorum innovare, seu attentare, aut innovari facere, sub quovis prætextu causa, ingenio, vel quæsito colore, quod si secus factum fuerit, id totum revocare, & in pristinum statum reducere curabimus, justitia mediante, alioquin prædictos sic monitos si in præmissis se fore gravatos senserint, modo & forma præmissis peremptoriè citetis, & citari curetis, prout Nos etiam citamus eosdem, quatenus decimaquinta die post præsentium exequutionem, si dies ipsa juridica fuerit, alioquin prima die juridica, & tunc proxima immediatè sequente compareant Romæ in judicio legitimè coram Nobis vel nostra in civilibus causis R. P. D. Locumtenente infrascripto, causam eorum gravaminis allegaturi, aliaque dicturi, & facturi, prout Justitia suadeb. , & ordo dictaverit rationis, &c. Datum Romæ, &c. die 6. Julii 1640.

5. Nec te moveant quædam aliæ declarationes Sacr. Congreg. quæ circumferuntur in contrarium; tum quia nunquam fuerunt usu receptæ, nec etiam Romæ, ut testatur *Lezana cit. loc. num. 3.* tum etiam, quia eadem Sacra Congregatio ad occurrendum forsan avaritiæ aliquorum, statuit, quod Ecclesiæ Parochiali nihil debeatur, exceptis juribus Parochialibus, si in ea deponatur defunctus, ut inde transferatur ad Ecclesiam Regularium, in qua elegit sepulturam, teste *D. Barbos. de offic. & potest. Paroc. tract. 29. num. 72.* ut spe lucri sublata, cesset istud vale & retardatio sepulturæ: sufficit enim illud vale, & ultima benedictio, quæ per Parochum datur cadaveri defuncti, cum levatur à suis ædibus ad Ecclesiam Regularium, in qua elegit sepeliri.

Quæst. 14. An integrum sit parentibus, suis filiis impuberibus eligere sepulturam in Eccles. Regul. contradicente Parocho?

1. AFfirmativè *D. Ricc. 4. p. prax. resolut. 293. num. 31.* salvo tamen jure quartæ, quæ Parocho debetur. Et meritò, quia aliàs Regulares non haberent liberam sepulturam, quod est contra decisa hic supra *qu. 12.*

2. Hinc Sacra Congregatio sub die 22. Februarii 1651. mandavit Episcopo Placentino, ut faceret restitui à quodam Curato suæ Diœcesis Patribus Minoribus cadaver cujusdam puellæ, cui Pater ipsius elegerat sepulturam in ipsorum Ecclesia, cum omnibus eleemosynis funeris; & refert *Lezana, ver. sepul. num. 4. in fine.*

* * *
* *

Quæst. 15. An filius impubes moriens, nulla sibi electa sepultura, sit sepeliendus in Parochia, vel potius in Ecclesia Regul. in qua habet sepulchrum majorum suorum?

1. ET dico, quod debet sepeliri in Ecclesia Regul. si ibi habeat sepulchrum suorum majorum, secus autem in Parochia, ut constat ex decisis in præcedenti tractatu *qu. 24. & 25.* unde cum filia Antonii Scapellini in minori ætate, ex hac vita migrasset, Prior S. Martini sub novi Ritualis Romani prætextu, in eius Ecclesia illam sepeliri fecisset, non obstante, quod illius majorum sepultura, in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium Sancti Francisci existeret, Sacra Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium Præpositorum in una Asculana 21. Octobris 1616. dictæ filiæ cadaver dictorum Fratrum Ecclesiæ restituendum censuit, ob allegata, ubi supra, & refert *D. Barbos. in tract. de offic. & potest. Parochi, cap. 26. n. 28. in fine.*

Quæst. 16. An Parochi possint plus exigere ab his, qui volunt sepeliri in Ecclesiis Regularium, quàm ab his, qui in Ecclesiis Parochialibus?

1. REspondeo negativè, quia secus agerent contra Justitiam hæredum defuncti, & Fratrum Regularium, qui habent sepulturam liberam, quæ in casu proposito, impediretur, & valdè læderetur; unde hujusmodi Parochi sic agentes, non solùm peccant mortaliter, verum etiam tenentur restituere damnum illatum prædictis hæredibus defuncti, & Ecclesiis Regularium, imò sunt excommunicati Papali excommunicatione per Constitutionem Clem. VIII. incip. *Expositum nobis*, & datam Romæ sub Annulo Piscatoris die 28. Januarii 1604. quam extendit *Rodriquez in suo Bullario*, & est secunda inter Bullas ejusdem; quam item confirmavit Urban. VIII. *tom. 4. Bulla. Cherub.* qua sub pœna ipso jure dictæ excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ, prohibuit Parochis Indiarum Occidentalium, ne majorem eleemosynam ab his, qui apud Monasteria S. Francisci, quàm ab illis, qui apud Parochiales Ecclesias elegerunt sepulturam, quovis prætextu, & occasione, etiam de consilio, & consensu, seu mandato suorum Ordinariorum, exigere audeant, vel præsumant.

2. Quæ quippè constitutio, & prohibitio, licet sit expressè lata contra Parochos Indiarum Occidentalium, adhuc tamen extenditur, etiam ad omnes Parochos totius Orbis; tum quia continet favorem totius Ordinis; cum defendat liberam sepulturam omnium Regularium; tum etiam, quia est declarativa Juris Canonici, & naturalis, quo nullus potest plus exigere, quàm sibi debetur: tum etiam, quia fuit lata ad extirpandum abusum in hoc introductum; Abusus autem extirpandus est ubique sit, ergo & docent *Portell. in dub. ver. sepult. in addit. num. 2. Rod. in suo compendio resolut. 128. de sepult. num. 15. Peyr. tom. 3. privil. in addit. ad Const. Leon. X. cap. 4. num. 8. Pellizzar. tom. 2. manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. q. 19. num. 173. & Lezana ver. sepultura num. 5.* Ubi ad n. ... refert declarationes Sacr. Congreg. & literas Urban. VIII. datas in forma Brevis 11. Maii 1638: quibus mandat Ordinariis locorum, ut provideant, & decernant, nè Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quàm in eis, quæ fiunt in propriis, seu aliorum Clericorum, & est tenoris sequentis.

3. *Cum sicut dilectus filius Blasius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit diversas extorsiones*

nsiones excessivè à dilectis filiis Capitulo, & Canonicis, Sacularis, & Collegiata locis de Veglia Brundusina Diœcesis, necnon etiam à diversis Parochis aliorum locorum fiant pro impedienda libertate electionis sepultura, in Ecclesiis Ordinis huiusmodi, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut de opportuno in præmissis remedio providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis prosequi volentes, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existat ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvendum, & absolutum fore censendum, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Præpositorum consilio, Ordinariis locorum per præsentes committimus, ut provideant omninò, ut abusus huiusmodi tollatur, & decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium, quam in eis, quæ fiunt in propriis seu aliorum Clericorum. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ, &c. & refert ultra prædictos, ut jacet *Cespedes de exempt. Regular. quoad sepulturas cap.12. sub dub.218. num.15. fol. mihi 300.*

Quæst.17. An hæredes defuncti sepulti apud Regulares, possint per Parochos cogi ad celebrari facere tot officia, & Missas apud ipsos, quot celebrantur apud Regulares jussu testatoris?

1. Negativè *Portell. in respons. p.2. casu 12.* & meritò, tum quia hoc esset clara violentia, tum contra Justitiam hæredum defuncti, qui non possunt cogi ad non expressa in testamento instituentis, tum etiam quia ut omnes sciunt, de intrinseca ratione eleemosynæ Missarum, est libera voluntas. Libertas enim est radix meriti, tum etiam, quia jus sepulturæ est liberum, ut constat *ex toto titulo de sepult.* adeò ut nemo fidelium possit cogi ad illam eligendam: tum item, quia ut sæpè dico, hoc foret contra Justitiam libertatis sepulturæ Regularium, qui ut dictum est supra, ex *Clem. dudum de sepult.* habent sepulturam liberam, quæ nimis læderetur, si hæredes defuncti possent cogi ad duplicandum Missas, & legata per defunctum relicta; Quandoquidem ista coactio deterret homines ab eligendo sepulturam in Ecclesiis Regul.

2. Hinc jure optimo Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium declaravit, non teneri hæredes defuncti sepulti apud Regulares, facere celebrari tot Missas, vel officia in Ecclesia Parochiali Clericorum, quot celebrata sunt in Ecclesia Regulari, ubi defunctus sepultus est, & habetur in declarationibus Card. & Rotæ, impressis Madriti, anno 1627. de mandato Eminentiss. & Reverend. Nuncii Apostolici Hispaniæ, fol. 44. & refert *Portell. cit. loc. in fin.* ad quod etiam facit decisio Rotæ Romanæ in una Elnensi Jurium Parochialium, 6. Julii 1631. coram D. Querpo, in qua pro Patribus Dominicanis decernitur, quod decisum est; cujus decisionis propria verba per extensum refert *Lezana tom. 5. in Mari magno Prædicatorum, §.43. num.134.* & patet ex monitorio Rever. Auditoris Cameræ Apost. supra extenso sub *quæst.13.*

3. Neque his obstat dicere, prædictam coactionem fieri posse, ob laborem, quem Parochus passus est, pascendo in vita defunctum, pastu spirituali, quia hujusmodi labores Parochi, aliunde censentur compensati: & præcipuè per solutionem quartæ funeralis, sibi debitam, ut probat *text. cap.2. de sepul. in 6.* ibi, *Solvat Canonicam portionem illi Ecclesiæ, in qua consuevit audire divina, & Ecclesiastica recipere Sacramenta.*

Quæst.18. An D. Episcopus loci possit statuere, ne aliquis Parochianus suæ Diœcesis possit vocare Religiosos ad sepeliendum defunctum, qui apud eosdem sepulturam elegit, nisi priùs vocaverit Capitulum pro eodem defuncto associando?

1. Negativè dic, quia sic statuendo læderet libertatem sepulturæ, tam ex parte sæcularium, quàm ex parte Regularium; imò *Sylv. ver. immunitas 2. q. 9.* ait, quòd tale statutum esset contra libertatem Ecclesiasticam, ac proinde injustum; ex quo privat Religiosos illa assistentia, & commodo associandi funeralia; & *ver. simonia q.11. dicto sexto,* addit, quòd tale statutum esset simonia negativa, id est, quia non vult concedere jus illud, quod habent Religiosi in re spirituali, videlicet sepeliendi mortuos, nisi ipsis Clericis aliquid temporale concedatur.

2. Amplia, ut nequeat Episcopus loci prohibere Mendicantibus concedere suis devotis sepulturas ad usum sepeliendi, sine licentia Episcopi, propter eandem rationem, quia scilicet habent sepulturam liberam, & sunt exempti à jurisdictione Episcopi loci. *Abbas in cap. abolendæ, de sepult.* ubi dicit, quòd prædicti exempti sunt in Diœcesi, sed non de Diœcesi; & sequitur *Rodriq. to.3. q.58. art.9.*

Quæst.19. An invitis Regularibus possit aliquis in eorum Ecclesiis sepeliri?

1. Negativa decisio habetur expressè in Mari Magno Ordinis Prædicatorum, ibi, *Districtius inhibentes, ut nulli Religiosi vel sæculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris Cæmiteriis sepelire, aut in Ecclesiis vestris Missarum solemnia, vel pro animabus illorum, qui ad loca vestra tumulandi deferuntur, ibidem exequias celebrare, sine vestro assensu, præsumant, &c.* ad quod non desinunt alia multa privilegia, quæ refert noster *Festus in summario nostrarum Constitutionum, cap.22.1.p. de Cæmiteriis & sepulturis, pagina mihi 37.*

Quæst.20. An sæculares volentes sepeliri cum habitu Religioso, sint sepeliendi in Ecclesiis Regul. quorum habitum susceperunt, etiamsi alibi elegerint sepulturam?

1. Decisio affirmativa habetur in nostro Mari Magno, nobis indulto à Sixto IV. incip. *Regimini universalis Ecclesiæ, in §.49.* ibi, *Insuper cùm nonnulli ad Ordinem prædictum Fratrum Prædicatorum specialem gerentes devotionis affectum, ordinent eorum cadavera cum habitu Fratrum Ordinis Prædicatorum, aut Sororum dicti Ordinis de pœnitentia sepeliri, ne ex eorum corporum delatione ad aliqua loca, Ordini & Fratribus prædictis injuria irrogetur, decernimus, tales apud Fratres ipsos sepeliendos esse, etiamsi alibi fuam elegissent sepulturam, nec posse etiam in loco per eos electo cum habitu prædicto quomodolibet sepeliri, aut ad sepeliendum portari, absque Fratrum domus loci, in quo tales decesserint, expressa licentia & assensu.* Hæc ibi.

2. Verùm, quia prædicta decisio fuit Parochis valde molesta, ex quo inde oriebantur inter ipsos & Regulares rixæ, & quæstiones non paucæ; fuit per eundem Sixtum IV. limitata in sua Bulla aurea, incip. *Sacri Prædicatorum, & Minorum Fratrum Ordines,* sub his verbis, ibi, *Cùm autem nonnulli ad Ordines prædictos Prædicatorum, & Minorum, specialiter gerentes devotionis*

affectum, eorum cadavera cum habitu Fratrum Prædicatorum, vel Minorum, seu Fratrum, vel Sororum de Pœnitentia utriusque Ordinis prædictorum, sepeliri mandent, & persæpè antequam moriantur, & habitum hujusmodi eis postulant exhiberi, decernimus, habitum hujusmodi per Priorem domus Ordinis Prædicatorum, aut Guardianum domus Ordinis Minorum, in quo tales decedere continget, vel per Superiorem Prælatum ipsorum Ordinum, seu Prioratus, vel Guardianiæ, vel cui illi duxerint committendum dumtaxat, & non per alium quavis authoritate, vel prælationem fungentem exhiberi debere, qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur, apud eorum Ordinum Ecclesias debere sepeliri in eorum habitu, quorum habitum susceptunt, & illorum sic inductorum cadavera discooperta, nullo pallio, vel tegumento super imposito, cum habitu hujusmodi ad sepulturam deferri posse, Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum, qualibet in contrarium edita non obstante, quas quoad hoc modificamus. Hæc ibi, ut meliùs est videre in dicta Bulla aurea, quam per extensum refert *Confect. in Collect. lit. Apost. fol. mihi* 57.

3. Et quia quidam Parochi contra dispositionem prædictarum Bullarum cupiebant prædictam devotionem penitus extinguere, hujusmodi suos Parochianos irridentes, aliquo pallio vel tegumento coopertos, ad sepeliendum in suis Parochialibus Ecclesiis portabant, sic enim putabant injuriam inferendam Ordini habitus, evitari. Idem Sixtus IV. ad evitandam talem fraudem, & irrisionem per suam Constit. incipien. *Apostolicæ mansuetudinis*, statuit, quòd hi prædicti cum habitu Ordinis patente, & sine pallio, aut alio tegumento ad sepulturam apud Ordinis Ecclesiam deferantur, & impedientes prædicta fieri, excommunicationi Papæ reservatæ submisit, & volentibus sic sepeliri indulgentias concessit, ut meliùs est videre in dicta Bulla, quam extendit *Confectus cit. loc. fol.* 43. 56. *&* 67. *in impress. Veneta, num.* 1607.

4. Verumtamen Leo X. in Concilio Lateranensi, sua Constit. incip. *Intrà mentis arcana*, quæ est 22. inter Bullas ejusdem, in Bull. Cherub. revocavit prædicta Privil. *in* §. 9. ibi, *volentes quoque sepeliri cum habitu eorumdem Fratrum in Claustro non degentes, sed in propriis domibus habitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi eligere possint*; hæc ibi, circa quæ non levis quæstio est, an omnia prædicta privilegia Sixti IV. censeantur abrogata, vel aliqua tantùm? *Casarubius in comp. Privil. Mendic. ver. habitus, n.* 13. *in fine, & ver. electio, & ver. sepultura, n.* 19. refert prædictum statutum Leonis X. definit tamen respondere ad quæsitum. Idem facit *Festus in sum. nostrorum Constit.* 1 *p. cap.* 39. *de vestitu ad finem.* tacet pariter *Rodriq. to.* 3. *q.* 59. *ar.* 1. *cum suo comp. resolut* 128. *n.* 13. *& Portellus ver. habitus, & ver. sepult.*

5. Verùm *Bordonus* 1. *p. resol.* 35. *q.* 31. *nu.* 69. in fine dicit, quòd Leo X. *in cit. loc.* tollit solùm privilegia illa, in vim quorum integrum erat Regularibus cum Cruce processionaliter ingredi Parochias, Parocho inconsulto; sed non placet, quia resistunt verba dicti Decreti Leonis X. *Lezana autem ver. Habitus, n.* 6. *& in Mari magno Prædicatorum, in* §. 49. dicit, quòd Leo X. *cit. loc.* revocavit privilegia à Sixto IV. indulta in Mari Magno Prædicatorum, Minorum, ac aliorum Ordinum, non autem illa, quæ eisdem Prædicatoribus & Minoribus concessit in dicta Bulla Aurea, & in dicta Bulla incip. *Apostolicæ mansuetudinis*, quia hæc sunt in viridi observantia: attamen nec pariter placet. Tum quia textus dictæ Constitutionis Leonis loquitur indistinctè; tum etiam, quia mens prædicti Leon. X. in d. sua Constit. fuit moderare privilegia omnium Ordinum, & corrigere ea in concernentibus curam Parochianorum, & administrationem Sacramentorum, ut liquet ex Proœmio dictæ Constit. & docet *Flavius Cherub. in Compendio dictæ Constitutionis*; exinde duo collige. Primum, quòd dicta excommunicatio Sixti IV. propter prædictum Decretum Leon. X. hodiè non ligat. Erat enim accessoria ad posse alibi eligere sepulturam cum habitu Religionis. Cæterùm, deficiente principali, cadit accessorium, per juris regulam *in* 6. Secundum, quòd Regulares non debent esse duri in concedendo laicis licentiam sepeliri cum habitu Ordinis; tum ob devotionem habitus, tum etiam ob Indulgentiarum consequutionem. Quod enim ipsis non nocet, & alii prodest, non video, cur denegandum sit.

Quæst. 21. *An Regulares valeant suos famulos proprio jure in suis Ecclesiis sepelire?*

1. QUòd Religiosi Regulares suos famulos intra Claustra morientes, in suis Ecclesiis possint sepelire, non cadit sub dubio: hi enim, cùm sint partes, & membra religiosæ communitatis, gaudent privilegiis ejusdem. Et est decisio *cap.* 11. *Sac. Concil. Trid. incip. Quoniam privilegia, sess.* 24. *de Reform.* & liquet ibi, *Exceptis tamen iis, qui prædictis, aut militiis actu serviunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subque obedientia vivunt, &c.*

2. Sed quæstio est de famulis, qui Monasterio inserviunt in villis, hortis, vel possessionibus. Ad quam etiam affirmativè respondent *Rod. tom.* 2. *q.* 67. *art.* 2. *cum suo comp resol.* 128. *de sepult. n.* 5. *& Pellizz. tom.* 2. *Manual. tr.* 8. *cap.* 5. *sect.* 4. *subsect.* 2. *q.* 2. *n.* 145. & moventur, tum ex Privilegio Bullato Clemen. IV. concesso Minoribus, quod habetur *in suppl. Ord. fol.* 8. *concess.* 22. *& in com. Privil. Mendic ver. sepult.* 2. & liquet ibi, *concessit Fratribus Minoribus, ut eos, qui in suis immorantur obsequiis, cum decesserint, in Cæmeteriis suarum Ecclesiarum sepelire possint*; tum etiam ex indulto Bullato Pauli III. concesso Religiosis Societatis Jesu, relato in Bull. ejusdem fol. 4. ibi, *Iis verò, qui in ipsorum præpositorum, & sociorum morantur obsequiis, cuncta liberè ministrare possint Sacramenta, & ipsos, cùm decedunt in eorum Cæmeteriis sepelire*, tum etiam ex aliis similibus concessionibus ad idem, factis aliis ordinibus, quæ cùm sint satis claræ, & notæ, non extenduntur.

3. Nec obstat dicere, usum prædictorum privilegiorum, per Trid. *cit. loc.* reperiri restrictum ad illos servitores, qui actu serviunt Religiosis, & intra ipsorum domos morantur; quia utraque conditio conjunctim petitur in famulis prædictis, tum quia actualiter serviunt, ut supponitur; tum etiam, quia ibidem sunt de voluntate sui Prælati. Regularis enim ubicunque foris fuerit de licentia, & voluntate sui Prælati, censetur esse intra claustra, ut sæpè dixi; immò *Suar. to.* 4. *de Relig. tr.* 1 *o. lib.* 9. *c.* 4. *n.* 10. dicit, quòd sufficit actualiter servire, quia actuale servitium includit obedientiam, & mansionem intra septa; exinde concludit, prædictos Regulares Superiores posse prædictis suis servitoribus administrare omnia Sacramenta, ut dicitur *in d. Bull. Pauli III.*

4. Ab his tamen famulis *Bordonus tom.* 2. *resol.* 31. *n.* 216. excipit famulos pretio conductos, ceu sunt Muliones, Fabricatores, Barbitonsores, & consimiles, qui non vivunt sub obedientia Religiosa Prælatorum Regularium, nec sunt in Monasterio intuitu disciplinæ Regularis, nec vestiunt vestitu Regulari, sed ut libet. Hos enim & consimiles nequeunt Regulares in suis Ecclesiis sepelire, inscio Parocho, etiamsi ibidem moriantur; tum quia Parochus habet intentionem fundatam in jure sepeliendi omnes suos Parochianos in Ecclesia sua, ubicunque moriantur, *cap. ex parte, de sepult.* nisi alibi eligant sepulturam, aut in alia Ecclesia habeant sepulchrum Majorum suorum; tum etiam, quia per hoc, quòd pretio conductus serviat fabricæ Monasterii,

terii, non desinit esse Parochianus proprii Parochi, nec exinde fit commensalis Regularium, aut acquisivit ibi domicilium; quo ergo jure poterit in Ecclesiis Regularium sepeliri, Parocho inaudito, & quarta funeris non solutâ?

Quæst. 22. An Regulares possint inscio Parocho, in suis Ecclesiis sepelire hospites & peregrinos, si fortè intrà Claustra moriantur?

1. RODRIQUEZ *tom.2.q.67.ar.1. in medio. Laur. Peyr. to.1.privil.Minim.Const.3.Julii 2.§.37.n.94. Bordon. to. 2.resol.51. nu.168.* & alii plures respondent ad quæsitum affirmativè, ducunturque ex multis. Primò ex privilegio Benedictinis concesso à Nicolao Franco, Nuntio Apostolico, & Legato à latere Sixti IV. teste *Rod.cu.loc.*cujus verba refert, ibi, *Et si qui intrà septa Monasteriorum infirmati fuerint, extremam Unctionem eis dare, authoritate Apostolicâ cujus legationis officio fungimur in hac parte, tenore præsentium plenariam, & liberam concedimus facultatem, Parochialis Presbyteri, vel alterius cujuscunque Episcopi, vel Superioris licentia, vel assensu, nullatenus requisitis*, hæc ibi, ut melius est videre in dicto privilegio, quod per extensum habetur in Bull.Rod.& est 42. inter Bullas ejusdem Papæ, & in Compend. Privil. Mendic. sub tit. *Extrema Unctio*, ex quo privilegio inferunt potestatem sepeliendi dictos peregrinos & hospites, per argumentum à majori ad minus. Etenim concesso majori, censetur concessum minus, *cap. ex parte, El. 3. de decimis.* Ad quod etiam fac illa *Jur. Regula 53. in 6.* ubi dicitur: *Cui licet quod est plus, licet quod est minus.* Sed majus est Sacramentum Eucharistiæ, & extremam Unctionem peregrinis exhibere, quàm sepulturam illis dare; sed illam in vim dicti privilegii possunt hospitibus exhibere, inconsulto Episcopo, & Parocho loci; ergo & istam. Advertunt tamen ibidem, quòd quamvis in casu posito integrum sit Regularibus administrare Sacramentum Eucharistiæ, & Unctionis extremæ, sine licentia prædicta, adhuc tamen nequeunt Sacramentum Pœnitentiæ illis administrare, inconsulto Episcopo; quia eis resistit Conc. Trident. *sess. 23. cap. 15. de reform.*

2. Nec his obstat dicere, quòd prædicta Bulla fuit à Legato à latere, & non à Papa; quia eamdem vim habet; & sicut Bulla Papæ erit perpetua, usque dum non fuerit abrogata, ità & ista, ut docet *Zerola in Praxi Episcop. ver. edicta, §.3.* & habetur *in cap. final. de off. legati*, ubi *Gloss. in ver. statuta*, & docent communiter Doctores, eò fortiùs, quia idem concessit Pius IV. Congr. Regul. & confirmavit Pius V. in anno Domini 1567. Idibus Februarii, & refert *Peregrinus 1. p. sui Compendii, tit. communicare, §.3. & Peyr. cu. loc. n.93. in fin.* ubi advertit, quòd ad hæc Sacramenta administranda dictis infirmis, non est necessarius Sacerdos approbatus ab Ordinario, sicut requiritur ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ad præscriptum *Trid. cit. loc.* sed sufficit licentia sui Superioris Conventualis.

3. Secundò moventur *ex tex. cap. placuit 1.16.q.1.* ibi, *mortuum non sepeliant, nisi Monachum in Monasterio secum commorantem, vel si fortuito quemquam advenientium fratrum ibi mori contigerit.* Hæc ibi, ubi Glossa in casu per ly *Quemquam*, intelligit quemlibet Christianum. Ex quo dicto Glossæ collige, nomine Fratrum non venire Conversos Monachos, cùm hi veniant nomine Monachorum, qui superiùs fuerunt nominati, sed sæculares peregrinos; etenim omnes fideles per regenerationem Baptismi dicuntur invicem Fratres, ut notat *Chrysostomus homil. 25. in epist. ad Hebræos*, ibi, *si quis Frater nominatur in vobis, fratrem in hoc loco omnem fidelem intellige, non Monachum tantùm; quid est autem, quod facit fraternitatem? nisi lavacrum regenerationis, quod facit posse vocari Deum Patrem*; hæc ille.

4. Tertiò ex eo, quòd Monasteria Regularium exemptorum æquiparantur locis positis extrà Diœcesim. Unde sicut Episcopus nullam habet jurisdictionem in hospites, si hi decederent extrà ejus Diœcesim, ità nec Parochus loci, si moriantur extrà fines Parochiæ ipsius.

5. Verumtamen *Pelliz. to.2. Manual. tr.8.cap.5.sect. 4.subsect.2.q.3.* tenet oppositum, Regulares scilicet non posse suis in Ecclesiis sepelire hospites prædictos, morientes intrà septa, nisi ibi eligant sepulturam; & movetur, tum quia hospites morientes in itinere, de jure communi debent sepeliri in Parochia; habet enim Parochus intentionem in jure fundatam sepeliendi omnes morientes in sua Parochia, tam cives, quàm advenas, ut dictum est suprà; tum etiam, quia Regulares non habent privilegium proprium quoad hoc, de quo agitur; sed dictam facultatem inferunt ex hoc, vel illo privilegio, & forsitan per violentam consequentiam. Quandoquidem aliud est, posse dictis infirmis administrare Sacramenta Eucharistiæ, & Unctionis extremæ, & aliud sepulturam in propria Ecclesia exhibere; à diversis autem non fit illatio, *l. Pompianus*, tum item, quia *Tex. d. cap. placuit*, non est à Papa, nec ab aliquo Concilio generali, sed à Patribus, qui legem universalem inferre non possunt.

6. Cæterùm ego, supposito, quòd Monasteria Regularium exemptorum non sint de Diœcesi, sed in Diœcesi, ut dictum est suprà; primam opinionem veriorem existimo, ob rationem allatam, quam nervosam censeo. Nam hoc præsupposito, morientes in Monasterio exempto, intelliguntur mori non in Diœcesi, nec in propria Parochia Parochi, sed extrà & foris, & consequenter non ad illius jura tenentur: vellem tamen per Sacram Congregationem id ipsum declarari, cùm exinde plurimæ conclusiones inferantur.

7. Sed esto, quòd hospes moriens in dicto Monasterio Regul. ibi eligat sepeliri, & quòd Monasterium sit de Diœcesi. Difficultas est, an dicti Regulares possint illum sepelire irrequisito Parocho, & Canonicâ portione non solutâ?

8. Sunt, qui affirmant; tum quia cùm Regulares sint exempti, & in propria domo non tenentur se subjicere Parocho; tum etiam, quia licèt Regulares prohibeantur cum propria Cruce processionaliter ingredi terminos alterius Parochiæ, adhuc tamen in casu posito non possunt dici, quòd erigant Crucem, vel quòd ingrediantur terminos alterius Parochiæ, sunt enim in propria Ecclesia exempti ab omni jurisdictione Parochi, ergo; tum item, quia Parochus non potest accersiri ad officiandum in Ecclesia Regulari exempta, ut infrà dicetur, & Sac. Congreg. sæpiùs declaravit, ergo.

9. Sed alii contrarium tenent, quod censeo de jure veriùs, & se fundant in concessione Innoc. IV. facta Fratribus Minoribus, & in aliis ejusdem generis, in quibus fit facultas Fratribus, liberè sepeliendi in Ecclesiis suis omnes volentes ibi sepeliri, salvâ tamen justitiâ Ecclesiarum Parochialium, ergò exploratissimi juris est, quòd Parochus debet audiri in juribus suis: & quòd ei quarta debeatur, non cadit sub dubio; sed quæstio est, quisnam illam teneatur solvere? & quidem si is, de quo agitur, est inops, & pauper valde nimis, gratis sepeliendus est statim, conscio tamen Parocho: si autem sit dives, & bona possideat, canonica portio ex bonis defuncti detrahenda est, absque ulla retardatione sepulturæ cadaveris, ut in simili Sac. Congreg. declaravit, cum quibus omnibus stat, Monasterium prædictum non teneri de suis bonis dictam quartam solvere.

Quæst. 23.

Quæst. 23. An Regulares possint in suis Ecclesiis sepelire occisos per Ministros publicæ justitiæ?

1. AFfirmat *Portellus in dub. ver. sepult. nu.12.* de licentia tamen Judicis justitiæ, cui aliàs fieret injuria. Et subjungit, quòd consanguinei deponentes illos à furcis, vel suffurantes, & sepelientes ad evitandam propriam infamiam, sine licentia Judicis, non peccant mortaliter. Quod dictum intellige verum, dummodò exinde scandalum non oriatur, & dummodò alii non molestentur, nec veniant contra sententiam justè latam; quia in tali casu potestati resisterent, contra illud Apostoli: *Qui potest. ut resistit, Dei ordinationi resistit, & sibi damnationem acquirit*, quod est peccare mortaliter, *Rod. to.4. sum. cap.131. n.2. & Lezan. ver. sepult. nu.27.* Et adde, quòd Regulares non possunt cogi ad sepeliendum dictos occisos in suis Ecclesiis: tum quia liberam habent sepulturam; tum etiam, quia sæpè sæpiùs exinde infamatur ipsorum sepultura; unde prudentes Civium Gubernatores mandant fieri specialem sepulturam, ad hujusmodi occisos sepeliendum, ad evitandum scilicet evitanda, & ad omnem alium bonum finem.

Quæst. 24. An Regulares vocati ad aliquod funus, teneantur accedere ad Ecclesiam Parochialem, & exinde cum Parocho & Clero se conferre ad domum, ex qua defunctus debet elevari?

1. AFfirmativè *D. Barbos. de off. & potest. Paroch. tr.26. n.64.* etiamsi funus sepeliendum esset in eorum Ecclesiis, cui favent *Cespedes in tr. de exempt. Regul. cap. 12. quoad sepulturas, dub.280. n.26.* Duciturque ex declaratione Sac. Congreg. quam per extensum referunt *Peyr. to.2. privil. Minim. in Constit.7. Pii V. §.10. sub n.11. Gavant. in Manuali Episc. ver. Exequiæ, & Lezana 1. p. sum. cap.12. de obligat. Regul. n.41.* ubi *dub. 4.* Sacra Congreg. consulta, an quando vocantur Regulares ad sepulturam mortuorum, debeant accedere ad domum, ubi est corpus defuncti, an verò ad Ecclesiam, ubi Clerus congregari consuevit, aut expectare in via? Respondet, debere ad Parochialem Ecclesiam accedere, ubi Clerus congregari consuevit. Prout etiam fuit resolutum per eamdem Sac. Congreg. negotiis Episcop. & Regul. præpositam in una Viglievanen. 13. Novembris, 1606. ubi fuit dictum, quòd Regulares vocati ad funus, convenire debeant in Parochiali, aut in alia Ecclesia, juxtà loci consuetudinem, & nullo modo expectare per vias, aut ire ad domum defuncti, & refert idem *Barbos. cit. loc.* & idem eadem Sac. Congr. Rituum in Lunan. 15. Decembris, 1632. declaravit.

2. Quibus adde, quòd dum funus defertur ad Ecclesiam Regularem, processio debet perambulare sub unica tantùm Cruce, quæ sit illius Ecclesiæ, ad quam corpus defuncti defertur, ut declaravit eadem Sacra Congreg. 21. Novembris, 1637. & refert idem *Barbos. cit. loc. cap.26. n.78.* ubi limitat dictum Decretum, non procedere, quando intervenit Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, quia in tali casu omnes associantes funus debent sub illius Cruce procedere.

3. Quibus item adde, quòd quando funus defertur ad Ecclesiam Regul. ad Parochum spectat disponere de via, per quam corpus defuncti ad sepulturam debeat deferri, prout Sac. Congreg. declaravit die 3. Januar. 1593. & 13. Novembris 1620. testibus *Morono in suis centum responsis, respons.51. nu.24. Cesped. cit. loc. n.29. Pelliz. to.2. Manual. tr.8. cap.5. sect.4. subsect.2. q.8. nu.154. & Mancin. in brevi tr. de infirmis in ordine ad sepul. sub dub. 29.* ubi de his latè.

Quæst. 25. An laici sepeliendi in Ecclesia Regulari, possint ibidem sepeliri in fossa Sacerdotum?

1. NEgativè dic, ordinariè tamen loquendo, sed in distincta sepultura, ut colligitur ex Rubrica Ritualis Romani, *sub tit. de Exequiis*, sepultura enim Sacerdotum debet esse in decentiori loco Ecclesiæ, *Gavantus in Manuali verb. sepult. n.1.* Dixi, *ordinariè loquendo*, quia sæpè sæpiùs ob rationabilem causam secùs observatur.

Quæst. 26. An Regulares possint aliquem extraneum sepelire in sepulchro, ab ipsis alicui concesso ad usum suæ familiæ, ipso usuario, vel suis descendentibus invitis?

1. NEgativa decisio patet ex decisis præcedenti tractatu *q.4.* loquendo tamen de Jure Civili; nam de Jure Canonico contrarium attestantur *Syl. ver. sepult. q.3. & Armill. eod. tit. n.24.* Quorum dictum intellige verum in casu magnæ necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, vel extinctis omnibus de familia per allegata ibi Jura, & sequitur *Rod. to.3. q.58. art.6. Layman. lib.4. tr.2. cap.13. n.15. & Bordon. tom.2. resol.51. n.72.* ubi dicit, quòd si in dicta sepultura ad usum concessa, aliquis extraneus sepeliatur absque consensu illius, ad quem spectat, debet exhumari, & ab illo sepulchro ejici, quia licet Ecclesia sit domina, & patrona Capellarum, quoad directum dominium illarum; secus autem quoad usum alicui alteri juridicè concessum, nisi extinctis omnibus de familia prædicta, ut dictum est suprà.

2. Verumtamen *Peyr. to.1. privil. Const. 26. Leon.10. §.11. sub n.22.* dicit, quòd Prælatus potest sepelire aliquem in alterius sepulchro, etiam eo invito, ex justa tamen causa, ut si sepeliendus non haberet propriam sepulturam, vel non esset in Ecclesia, vel Cœmiterio sepultura communis, quia in tali casu censeretur facere eleemosynam extremè indigenti, quæ potest fieri de bonis alterius, invito domino. Quod etiam dixit *Archidiaconus in cap. præcipiendum 13. q.2.* & alii Doctores non pauci, & sub *n.23.* subdit, quòd sepulti in alieno sepulchro, etiam sine justa causa, non debent exhumari, nisi sint excommunicati nominatim, interdicti, aut usurarii manifesti: secus irrogatur illis maxima injuria sine iis culpa.

3. Verùm ego, non recedendo à prima sententia, dico, quòd excepto casu extremæ necessitatis, non licet aliquem sepelire in alieno sepulchro, patrono invito, quia aliter fieret ei violentia, & injuria non pauca, per allegata suprà jura. Nec datur locus extremæ necessitati ad sepeliendum aliquem in alieno sepulchro, domino invito, si in Ecclesia non sit sepultura communis; tum quia casus est potiùs logicalis, quàm moralis, cùm in quavis Ecclesia primò fundetur sepultura communis pro omnium commoditate, quàm alia particularis; tum etiam, quia quando non adest sepultura communis, debet rumpi pavimentum, sumptibus volentis sepeliri, & ibi particularis fossa fieri potiùs, quàm jura alterius violare: nec mortuo fit injuria, cùm projicitur à sepulchro non suo: tum quia mortuo & absenti nulla fit injuria; tum etiam, quia illud censetur injuriosum, quod fit contra jus, non autem illud secundùm jus. Nulla ergo fit injuria mortuo, si ejiciatur ab hospitio non suo: dummodò tamen corpus ejus possit discerni, & ab aliis sine magna incommoditate separari.

* * * * *

Quæst. 27.

Quæst. 27. *An Regulares, qui instituuntur hæredes universales alicujus habentis jus sepulchri in aliqua Ecclesia, succedant in tale jus?*

1. AFfirmativè dic *ex l. his consequenter, §. sed etiam, ff. de famil. ercisc.* ubi dicitur, quòd jus monumenti sequitur hæredes bonorum; nihilominus adverte, quòd Regulares prædicti, non quia sunt hæredes universales, possunt in dicta Ecclesia aliquem extraneum, aut suum Religiosum ibi sepeliri facere, sed possunt impedire, ne ibi sine ipsorum licentia aliquis sepeliatur, si defunctus vivens habebat talem usum, quia in sepulchris concessis ad usum, nequeunt sepeliri, nisi hæredes sanguinis, hoc est, illi tantùm, qui nascuntur ex filiis, tum masculis, tum fœminis; secus autem alii extranei; prout *ex Lambertino docet idem Peyr. to. 3. Privil. c. 4. in addit. ad Constit. Leon. X. n. 48.* ubi exinde colligit, hæredem extraneum, licèt universalem, non posse auferre arma fundatoris sepulchri, & sua apponere, *quod Bordon. to. 2. resol. 51. n. 68.* & nos item diximus in tractatu de sepultura in communi, *q. 6.*

Quæst. 28. *An Regulares possint tempore interdicti, vel suorum privilegiorum, in suis Ecclesiis defunctos sepelire?*

1. QUòd Regulares possint in suis Ecclesiis, etiam tempore interdicti, sepelire suos Fratres, etiam solemniter juxtà ritum suæ Religionis; constat ex decisis hic suprà *q.* 11. Quod item & oblatos formiter sibi factos, licèt morentur in sæculo, ut *in tr. de Confratribus, q.* 30. Quod item & Tertiarios, & sorores manentes in sæculo, si tamen habuerint qualitates sibi præscriptas à Leone X. in Concil. Lateranens. & novissimè à Sac. Congreg. Cardin. quod Decretum per extensum habes *in to. 2. Prax. p. 4. cap. ult. de sororibus stantibus in sæculo.* Quod item & illos, qui habent privilegium, ut tempore interdicti possint ad divina admitti, constat ex eo, quòd nomine divinorum venit sepultura, saltem indirectè, & ex consequenti, ut ex multis ostendit *Bonac. disp. 5. de censuris in Comment. p. 4. n. 6. & Rod. in suo Comp. resol. 80. n. 19. de Interdict.*

2. An autem iidem Regulares possint tempore interdicti sepelire suos quoscunque Servitores, Syndicos, Medicos, Officiales, & Procuratores, secreto tamen modo, januis clausis, & non pulsatis campanis: maximè si prædicti non dederint causam interdicto, nec fuerint nominatim interdicti, quæstio est inter Doctores non levis: ad quam tamen affirmativè respondet *Rod. to. 2. q. 114. art. 1. 2. & 3. & Pelliz. to. 2. Manual. tr. 8. cap. 5. sect. 4. subsect. 2. q. 15. sub n. 167.* & moventur ex indultis Clem. IV. & Mart. V. Minoribus Fratribus concessis pro tempore interdicti.

3. Verùm ego, exceptis casibus suprà relatis, respondeo ad quæsitum negativè, quia Regulares tenentur omninò servare interdicta lata tam à Papa, quàm ab Ordinario loci, ad præscriptum Sac. Concil. Trid. *sess. 25. c. 12. de Regul.* & liquet ex decisis *in tr. de Confratern. q. 39. & q. 86. in tr. var. resol.* ubi resolutè dico, prædicta, & alia hujus generis privilegia fuisse abrogata ab eod. Trid. *cap. 22. ejusdem sess. 25. de Regul.* unde ex multis ostendo, non posse Regulares in festis Sanctorum sui Ordinis interdictum generale suspendere, quidquid alii dicant. Hinc multò minus audiendi sunt, qui dicunt, Regulares tempore interdicti, per concessionem factam Fratribus S. Hieronymi, posse in suis Ecclesiis sepelire quoscunque sæculares apud ipsos sepulturam eligentes, sub prætextu, quòd ità habetur *in lib. Privil. S. Joann. Evangel. in Portugall. fol.* 39. tum quia recensitum Privil. ibi non reperitur; tum etiam, quia nunquam fuit in usu, *Portell. in dub. ver. interdictum, n. 68.* tum item, quia esto, quòd interdum fuerit in usu ante Trid. post verò Trid. non est verisimile, quòd fuerit in usu, ex quo, ut dixi, omnia hujus generis privilegia fuerunt ubi suprà per Tridentinum abrogata.

Quæst. 29. *An Regulares possint in suis Ecclesiis tumulare defunctos in tumulis super terram constructis?*

1. NEgativè deciditur in Constit. Pii V. incip. *Cùm primùm Apostolatus,* quæ est V. inter Bullas ejusdem in Bull. Cherub. & liquet ibi, §. 5. *& ut in Ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (supple Episcopi, & Rectores Ecclesiarum) provideant, ut capsæ omnes, & deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram existentia, omninò amoveantur, prout alias statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infrà terram collocentur, &c.*

2. Hinc Sacra Congreg. in anno Domini 1601. teste *Naldo, ver. Missa, nu. 23. in medio,* rescripsit cuidam Episcopo, non esse celebrandum in iis Altaribus, quæ continent cadavera, sive laicorum, sive Prælatorum. Et in anno 1594. injunxit Episcopo Ternensi, ut amoveri faceret sepulchra, quæ extarent subtus Altaria, vel ipsorum Bradellam, propter eandem rationem expressam in principio dictæ Constitutionis Pii V.

Quæst. 30. *An corpora defunctorum possint sepeliri intra Monasteria Monialium?*

1. ET dico, quòd non, nisi de speciali licentia Papæ. Unde Gregor. XIII. apud *Marzillam in lib. 1. declarat. Cardinal. cap. 10.* declaravit, quòd corpora volentium sepeliri in Monasteris Monialium, debent sepeliri in Ecclesia exteriori, & non intra claustra. Quibus adde, quòd nec quis potest sepeliri in dicta Ecclesia exteriori Monialium, nisi de speciali licentia Episcopi, & in aliquo casu raro, & necessario, vel ejus Delegati, ad quem spectat casum declarare. Hinc suprà dixi, integrum esse unicuique sibi sepulturam eligere in quavis Ecclesia, exceptis tamen Ecclesiis Monialium. *Portell. ver. sepultura, nu. 14.*

Quæst. 31. *Regulares sepelientes aliquem in casu non concesso, ad quid teneantur?*

1. DE hac re multa dixi in præcedenti tractatu *q.* 33. quibus adde, quòd si scienter hoc peragant, peccant mortaliter, amittunt jus, quod habent, & tenentur restituere: & si sepeliant publicè excommunicatos, vel nominatim interdictos, vel manifestos usurarios, sunt excommunicati majori excommunicatione, per ea Jura, quæ allegat *Sylv. ver. sepul. q. 11. & verb. excommunicatio 9. §. 5.* & tandem puniri, ut violatores sacrorum Canonum, & sequitur *Gavantus in manuali, ver. sepult. n. 21.* sed major difficultas est,

Quæst. 32. *An Episcopus loci possit præcipere, ut corpora in Ecclesiis Regularium indebitè sepulta, exhumentur, & extrà Ecclesiam projiciantur?*

1. ET dico, quòd sic: si tamen in dictis Ecclesiis repetiantur sepulti publicè excommunicati, usurarii manifesti, aut nominatim interdicti. Ducorque ex *Clem. eos, de sepul.* ubi id Episcopis conceditur, abrogatis privilegiis, & liquet ibi, *Eos, qui propria temeritatis audacia, &c.* secùs autem dicendum, si ex alio titulo sint prohibiti

hibiti Ecclesiastica sepultura. Tum quia dicta Clementina est odiosa, & consequenter non extenditur ad alios casus, præter ibi expressos. Tum etiam, quia dicti sepulti in casu posito se habent, ac si extrà Diœcesim essent sepulti; quod tamen non impedit, quo minùs Episcopus loci aliàs impediri possit, ne tales defuncti deferantur ad locum exemptum, antequam casus privationis sepulturæ declaretur, prout in propriis terminis docet *Abbas in c.sacris, n.7. de sepult.* & sequuntur ferè omnes, præcipuè *Rod.tom.3.q.61. art.4. cum suo comp. resol. 128. de sepult. nu.24.* ubi dicit, quòd prædicta corpora sunt projicienda ab Ecclesia, in tanta distantia, ut voces Clericorum nequeant audiri, *Suarez tom.5 de censur. disp 23. sect.5.n.2. Pellizz.to.2. manual. tract.8. cap.5. sect. 4. subsect. 2. q.22. n.17. & Tambur. tom.1. de jur. Abbat. disp.15. q.7. nu.4.*

2. Neque his obstat *Cespedes de exempt. Regul. quoad sepult. cap.12. dub.219. nu.9. §. tertiò dubium esse potest*, dicens, quòd vellet scire communis opinionis fundamentum, quo Episcopus authoritatem habet compellendi Regulares in casu posito, cùm id non possit colligi ex *c.Episcop. de privil. in 6.* sicut nec ex *d. Clem. eos de sepul.*

3. Sed fallitur, tum quia Regulares, præcisâ exemptione, sunt de jure communi subjecti Episcopo loci quoad omnia, secundùm disciplinam Regularem tamen, ut constat ex tot privilegiis dictæ exemptionis, & novissimè ex Constit. Innocent. X. incip. *Instaurandæ, de suppressione parvorum Conventuum*; sed per dictam *Clem. eos de sepul.* abrogatur Regularium exemptio quoad casus ibidem expressos, ut ibi manifestè dicitur, ergo: tum item, quia Regulares in casu posito censentur delinquere extrà Claustra, & consequenter possunt per Episcopum puniri, juxtà *tex. c.14. Conc. Trid. sess.25. de Regul.* hoc est, quoad instantiam, & in casu negligentiæ Prælati Regularis.

Quæst. 33. An D. Episcopus loci possit punire Regulares, qui in Processione funerali per vim rapuerunt cadaver sepeliendum in eorum Ecclesia, contendente Parocho, quòd illud deberet sepeliri in Ecclesia Parochiali?

1. NEgat *Pellizz. tom.2. manual. tract.8. c.5. sect.4. sub q.22. nu.176. vers. quòd si hac occasione, cum Bordon. tom.2. resolut.51. nu.205.* duciturque, tum quia utens jure suo, nulli facit injuriam; sed prædicti Regulares habent jus illud tumulandi, supposito, quòd elegerit sepulturam in ipsorum Ecclesia, ergo possunt illud de manu Parochi, nullum jus in ipsum habentis, eripere; tum etiam, quia de facto procedenti resistendum est jure permittente, *l. 1. §. & hoc edictum ff. si mulier vent.* tum item, quia propria authoritate aliquid mihi rapienti, possum resistere, & in tuto ponere, ut docent omnes in *tit. de raptor. & furtis:* tum tandem, quia Regulares sunt exempti à jurisdictione Episcopi, ergo.

2. Verùm mihi non arridet, quia fovet rixas, & scandala, & væ illi, per quem scandalum venit. Unde dico, quòd Regulares in casu posito non debent cum Cruce processionaliter ingredi alterius Parochiam; in spretum Parochi, ad digladiandum, & tumultuandum; quia foret hoc delictum graviter puniendum, ut constat ex Decretis Sacræ Congregat. extensis hîc suprà *q. 9. & 13.* sed per unum ipsorum Regularium fieri debet protestatio contra dictum Parochum, vel ejus Clerum, saltem oretenus, præsentibus duobus, vel tribus testibus, prædictum cadaver spectare ad ipsos Regulares, & sepeliendum esse in ipsorum Ecclesia; ac proinde appellent de hujusmodi injusto gravamine ad Illustrissimum loci Ordinarium, & successivè ad omnes Superiores in forma, cum protestatione omnium expensarum: quâ protestatione factâ, præfati Regulares nullâ postpositâ morâ, debent humiliter comparere coram Domino Ordinario, & quærelam exponere contra prædictos, & petere restitutionem tam cadaveris, quàm aliarum rerum omnium, occasione dicti funeris, ad dictos perventarum, & exitum litis expectare.

3. Nec his obstant rationes allatæ; non prima, quia licèt Regulares habeant jus ad sepeliendum corpus illius, qui apud eos elegit sepulturam, salvâ tamen justitiâ Parochi, & eo vocato, & expectato, ut decet, ut constat ex decisis. Non secunda, quia licèt de facto procedenti resistendum sit, non quidem ut libet, sed jure permittente, ut ibidem dicitur. Jus autem Religiosorum in casu posito, est appellare de gravamine, & non propria manu cum gladiis & fustibus sibi justitiam administrare. Non tertia, quia Parochus in casu posito non potest dici raptor, dum est in sua Parochia, & fovet ad sui beneficium multa bona jura. Cur ergo raptor, & non potiùs defensor suorum jurium dici debeat? Non ultima, quia licèt Regulares sint exempti, adhuc tamen delinquentes extra claustra possunt per Episcopum puniri, ad *text. c. 14. Conc. Trid. sess.25. de Regul.*

Quæst. 37. An Prælati Regulares possint exhumari cadavera defunctorum, eaque transferre in alium locum, absque licentia Episcopi?

1. NEgativè *Lezana ver. sepult. n.21. Diana p.3. tra.2 de dub. Regul. resol. 120. Carolus Thesaur. de pœnis Eccles. 2.p. prax. cap.2. ver. sepultura transferendæ in fin. Genuens. in praxi, cap.91. nu.12. & Cespedes de exempt. Regul. quoad sepult. cap.12. dub.218. nu.4.* & moventur tum ex *c. Sanctorum, de consecrat.* ubi dicitur, quòd corpora Sanctorum de loco ad locum nullus transferre præsumat, sine consilio Principis, id est, Papæ, vel Episcoporum: tum etiam, ex *l. nemo humanum, C. de Relig. & sumpt. funer.* tum item ex declaratione Sacræ Congregationis Episcop. & Reg. edita 11. Septembris 1643. qua ordinavit Episcopo Placentino, ut reprehenderet quosdam Regulares, qui permiserant exhumari cadaver unius defuncti, ut recognosceretur à Curia sæculari, sine consensu Episcopi, teste *Lez. cit. loc.* ubi subjungit, prædictum Decretum, & Jus Canonicum intelligendum esse de corporibus perpetuæ sepulturæ traditis; non autem de iis, quæ per modum depositi in aliqua Ecclesia, vel Capella posita sunt. Quod etiam dixit *Hieronymus Rodriq. in suo comp resol.128. n.25. & Diana cit. loc.* ad quod etiam facit alia declaratio Sac. Congr. Rituum de exequiis, ibi, *Nullum cadaver perpetuæ sepulturæ traditum, ex ulla cujusvis Ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Ordinarii.* Et refert *Gavant in suo manuali Episcop. ver. sepultura, nu.26.*

2. Oppositum tamen tenent alii, ducunturque, tum quia dicti Regulares sunt exempti à jurisdictione Episcopi, paucis casibus exceptis, de quorum numero non est præsens, de quo agitur. Tum etiam, quia Regularium Monasteria non sunt de Diœcesi Episcopi loci, licèt sint in Diœcesi ejusdem, ut dictum est suprà; ergo sicut non requiritur licentia hujus Episcopi, ad effodiendum cadavera defunctorum sepulta in aliena Diœcesi, ità nec ad extrahendum à sepulchris Ecclesiarum Regularium. Censentur enim esse diversæ Diœcesis. Tum item, quia prædictum *cap. corpora Sanctorum, de consecrat.* non extenditur ad Regulares exemptos, ut notat *Peyr. tom.3. privil. cap.4. in addit. ad Constit. Leon. X. nu.49. in fin.* Nec prædicta Decreta Sac. Congr. referuntur authenticè, ut oportet. Tum item, quia prædicta jura, & Decreta videntur loqui de transportatione de uno loco Ecclesiæ, ad alium extra Ecclesiam, in qua jacent ossa defun-

unctorum. Non autem de loco ad locum ejusdem lesiæ. Tum tandem, quia habent ad hoc privilegium m. X. quo concedit Minoribus in suis Ecclesiis posse asferre dicta cadavera de loco ad locum. Quod privil. t sit oraculum, adhuc tamen non omnia oracula sentur sublata, ut dictum est in tract. de oraculis.

3. His tamen non obstantibus, ego censeo à prima nione non esse recedendum, nisi in casu necessitatis, i sepulturæ sint valdè plenæ; adeò, ut alios defunctos ere non possint, & in similibus.

Quæst. 35. An Prælati Regulares possint sine licentia Episcopi exhumare cadavera defunctorum, in suis Ecclesiis depositata; & tradere iis, ad quos pertinent, ad alibi sepeliendum?

Affirmativa decisio constat ex decisis, *tom. 1. prax. p. 2. tract. 13. de exempt. Reg. q. 91.* ubi pariter dictum , quod ad melius & securiùs agendum, hujusmodi caverum reconsignatio ad omnem bonum finem, det fieri de licentia Episcopi loci. Ad quod etiam fant allegata hic immediatè suprà.

Quæst. 36. An in Ecclesia Regulari patronata possit construi sepultura, vel Capella invito Patrono?

Affirmativè *Peyr. tom. 3. privil. cap. 4. in addit. ad Constit. Leon. X. n. 6.* quia Patrono nullum ex hoc fertur præjudicium. Quod tamen intellige verum: ummodò in limine fundationis non sit aliter cautum, & lde, quod dictus Patronus debet Ecclesiæ beneficium rocurare, ut ex multis ostendunt *Lamb. de jure patronatu, lib. 1. p. 1. q. 3. ar. 17. n. 2. & Jul. Lavor. tom. 1. variar. tit. 2. ap. 9. nu. 83.*

Quæst. 37. An Presbyteri sæculares possint in Ecclesiis Regularium, super cadaveribus, ibi tumulandis officia cantare, & similia ad funus pertinentia, peragere?

Negativè *Tambur. de jur. Abbat. tom. 1. disp. 15. q. 8. & D. Barbos. in tract. de offic. & potest. Parochi, cap. 26. num. 82.* non obstante quavis contraria consuetudine, Ducunturque ex Sacr. Congreg. Rituum, quæ ita censuit in una Eugubina, 12. Martii 1612. & 5. Julii 1614. & in una Turritana 1617. & Liciens. 23. Martii 1619. & in Cataniens. Civit. Platiæ 12. Octobris ejusdem anni; & in Sulmonens. 8. Augusti 1629. & in Adriens. 12. Februarii, & 2. Martii ejusdem anni, & novissimè 5. Julii 1631. ubi ad relationem Eminentiss. & Reverendiss. Cardin. S. Georgii fuit resolutum, officium super cadaveribus in Ecclesia S. Mariæ Veteris Ordinis, Fratrum Minorum de Observantia, ad ipsos Fratres spectare, non obstante consuetudine immemorabili allegata. Et ratio potuit esse, quia Presbyteri, & Clerici unius Ordinis, concurrentes in Ecclesias alterius Ordinis, censentur esse in alieno territorio, ubi vetitum est exteris, actus jurisdictionales exercere, sine consensu & voluntate Patroni loci.

2. Hinc censeo, dictum officium, in casu posito, fieri posse à Parocho, vel ab alio Presbytero, ex delegatione tamen, & consensu Prælati loci: qui nihilominus ad infringendam immemorabilem consuetudinem, quam possent exinde Clerici sæculares adversus Regulares prætendere, debet prudenter illud officium omittere, de raro scilicet, & sæpè ipsemet persolvere, ad omnem bonum finem, ad quod vide allegata hic suprà *quæst. decima tertia, & sequent.*

Quæst. 38. An Parochus teneatur ducere, & prosequi funus usque in Ecclesiam Regularium, si defunctus in ea sepeliendus sit?

1. Affirmativè Sac. Congregatio determinavit in una Brixiensi, 18. Junii 1591. & in una Nicoterensi, 5. Junii 1615. apud *Aldanum in comp. Canonicarum resolut. lib. 4. tit. 18. dub. 10. & D. Barbos. in tract. de off. & potest. Paroch. c. 26. nu. 80.*

Quæst. 39. An Parochus possit ingredi Ecclesiam Regularium cum Stola, casu, quo suus Parochianus ibi sepeliendus sit?

1. Respondeo affirmativè ex decisione Sac. Congreg. edita die ult. Septembris 1628. & in una Asculana, 29. Januarii 1629. quas refert *Mancinus in brevi tract. de infirmis, in Ord. ad sepult. dub. 6. fol. 731.*

2. Verùm adverte, quod sicut Parochus sæcularis defert Stolam in propria Parochia, & in Parochia Fratrum, dum defuncti corpus in eorum Ecclesia sepelitur: ità à pari, & vicissim, Parochus Regularis, in eodem casu, & tempore, poterit Stolam deferre, non solùm in propria Parochia, sed etiam in Parochia, ubi sepelitur suus Parochianus, ut servetur æqualitas; prout Sacra Congregatio sæpè declaravit, quas declarationes refert, & amplectitur *D. Barbos. in d. tract. c. 29. nu. 76. & Mancin. cit. loc.*

Quæst. 40. An Parochus excludi debeat ab associando cadaver, si defunctus jubeat Regulares tantùm accersiri?

1. Et dico, quod non; quia Parochus de jure debet semper vocari, & intervenire ad associandum cadaver, quod de sua Parochia elevatur; prout Sacra Congregatio declaravit in una Montis Pilosi, de anno 1581. nisi tamen cadavera sint Regularium, quia ista possunt, inconsulto Parocho, sepeliri, prout dictum est suprà *qu. 8.* Benè tamen verum est, quod si Parochus vocatus ad funus noluit accedere, potest sepeliri sine suo interventu, soluto tamen ei jure Parochiali, prout constat ex decisis, & Sacr. Congregatio declaravit in una Capuana, die 22. Decembris 1629. Et hoc intellige, etiam processionaliter, nam data facultate sepeliendi, censetur etiam indulta facultas deferendi mortuum, etiam processionaliter, *Oldradus cons. 225. nu. 13. Sebastian. Medices de sepul. p. 2. q. 7. Tuscus lit. A.* & alii plures, quos allegat, & sequitur *Barbos. & Mancin. cit. loc.*

Quæst. 41. An legatum factum Ecclesiæ Regulari pro sepultura ibi electa, debeatur ei, si testator sua culpa privetur sepultura, utputà, quia vult mori notoriè excommunicatus, vel usurarius?

1. Affirmativè *Naldus, ver. sepultura, num. 4.* post allegatos, & *D. Barbos. de off. & potest. Parochi, cap. 26. num. 4.* tum quia per ipsam non stat, quin testator, ibi sepeliatur; tum etiam, quia sepultura non fuit causa finalis, sed impulsiva legati: ergo legatum non perit, ut docent Doctores loquentes de legatis, docentes differentiam inter causam finalem, & impulsivam.

* * *

Quæst. 42. Quinam prohibeantur in Ecclesiis Regularium sepeliri?

1. ET quidem omnes, qui nequeunt sepeliri in quacunque alia Ecclesia. Una enim est Ecclesia Christi Catholica, & ut Universalis, de quibus dixi in tract. præcedenti, *qu.* 39. *&* 40. & nominantur expresse in Rituali Romano Pauli V. in Rubrica de exequiis, ibi, *Negatur igitur Ecclesiastica sepultura Paganis, Judeis, & omnibus Infidelibus, Hæreticis, & eorum fautoribus, Apostatis a Christiana fide, Schismaticis, & publicis excommunicatis, majori excommunicatione, interdictis nominatim, & iis, qui sunt in loco interdicto, eo, durante, seipsos occidentibus, ob desperationem, vel iracundiam, (non tamen si ex insania id accidat) nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ, morientibus in duello, etiam si ante obitum, dederint pœnitentiæ signa: manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt: iis, de quibus publice constat, quod semel in anno, non susceperint Sacramenta Confessionis, & Communionis in Pascha, & absque ullo signo contritionis obierunt. Infantibus mortuis, absque Baptismo. Ubi verò in prædictis casibus dubium occurrerit, Ordinarius consulatur.* Hæc ibi.

2. Quæ omnia comprehendunt Religiosos Regulares. Tum quia dictum Rituale Romanum fuit à S. Papa pro omnibus fidelibus ordinatum. Tum etiam, quia Papa est superior, & legislator omnium, quoad animam, & curam spiritualem. Tum item, quia hi prædicti casus reperiuntur expressi per verba generalia, quæ indifferenter comprehendunt Religiosos utriusque sexus.

3. Sed adverte, quod *Thomas Sancius in suis selectis, disp.* 36. *de publicis peccatoribus, num.* 14. cui favet *Pellizz. tom.* 2. *manual. tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 4. *subsect.* 2. *nu.* 148. ubi retulit prædicta Decreta Pauli V. examinans illud *de seipsos occidentibus, ob desperationem, vel iracundiam, &c.* subjungit. *At credo, nullum, nisi insania laboret, seipsum privare vita. Est enim vitæ amor adeo maximus, cuicunque hominum, quod ratione existente sana, ob nullum nanciscendum bonum, aut fugiendum malum, possit vitæ privatio eligi, cum omnium malorum malissimum sit mors, & omnium temporalium bonorum vita sit primatum consequuta*; ac proinde sibi non videri privandum Ecclesiastica sepultura, eum, qui ex desperatione se occidit: quamquam jure oppositum decernente, ab eo recedi non debeat, usque dum per Pontificem fuerit aliter ordinatum.

4. Sed ob multa non placet; tum quia nedum loquitur contra prædicta Decreta Pauli V. verùm etiam, contra quotidianam praxim, qua indies videmus, homines per desperationem, aut iracundiam, se vita privare, & se veneno, aut armis occidere. Tum etiam, quia loquitur contra id, quod historiæ sacræ & prophanæ testantur, & patet de Saul, in 2. *lib. Reg. cap.* 1. & liquet ibi *Sta super me, & interfice me, quia tenent me angustiæ*; ergo non est impossibile hominem seipsum occidere, sub aliqua tamen ratione boni, saltem apparentis; & consequenter peccare mortaliter: quia occidens seipsum homicida est. Tum item, quia nullam differentiam facit inter veram insaniam, desperationem, & iracundiam. Ac proinde, secundùm ipsum, ita, desperatio, & furor, non sunt ex suo genere peccatum mortale, ex quo per ipsum coeunt cum insania, quæ excludit judicium rationis, quod est radix peccati mortalis, quæ omnia falsissima sunt, ut ex multis erudite ostendit uterque noster *Thomas* 2. 2. *qu.* 158. ubi eleganter de ira, & filiabus suis, & sequuntur omn[es] Summulistæ, maximè *Syl. ver. ira, & Navarr. in manu[al.] cap.* 23. *nu.* 115. *de ira.*

5. Illud tamen, quod ibidem Sancius dicit de duel[lo], duellantem scilicet ad sui defensionem, cùm probabil[iter] ab inimico timeret occidi, non esse privandum Ecclesiastica sepultura; potest esse verum; si tamen hoc per te[stes] probetur, ut dixi in præcedenti *tract. q.* 39. ubi cum al[iis] dixi duo, alterum, pœnas duelli procedere, & habere locum in iis casibus, in quibus duellum est illicitum; secus autem in illis, in quibus duellum est licitum. Alterum, quod ex extrav Martini V. *Ad evitanda*, tenemur evitare excommunicatum in duobus casibus tantùm, ob scilicet notoriam, & publicam percussionem Clerici, & ob declaratoriam Judicis: exceptis ergo his casibus, nemo ante sententiam Judicis, privandus est Ecclesiastica sepultura.

Quæst. 43. An Monachus repertus mortuus in su[a] Cella flexis genibus, cum laqueo in collo pendente, debeat sepeliri in Ecclesia sui Monasterii?

1. DE hac re dixi in præcedenti *tractatu quæst.* 39.

Quæst. 44. An Religiosi utriusque sexus proprietarii, sint Ecclesiastica sepultura privandi?

1. AFfirmativè dic; si tamen moniti à Superiore, absque emendatione, & pœnitentia decesserint, *cap. Monachi, & cap. super quoddam, de statu Monach.* quod si absque tali monitione mortui, cum burza denariorum inveniantur; adhuc tamen Ecclesiastica sepultura non debent privari, nisi prius certissimè constet, certitudine tamen morali, prædictos nummos proprios fuisse, & in ea quantitate, quæ sufficiat ad constituendum peccatum mortale, per ea multa, quæ dico *tom.* 3. *in tract. de voto paupertatis, q.* 53. ubi declaratur, quid sit certitudo moralis, & rationes fundamentales assignantur, per quas evidentissimè patet, quod in casu posito, sit procedendum cum magna cautela, & dexteritate, nè defunctus, vel Religio infametur, vel ejus consanguinei contristentur, & præcipuè quando sumus in occultis & res prætensa alios latet.

Quæst. 45. Quisnam sit violator sepulchri, & qua pœna puniendus?

1. E*Minentiss. Cardinalis Turrecremata, in c. infames.* 6. *q.* 1. *Sylv. ver. sepult. q.* 13. & alii eruditissimi non pauci, quos allegat, & sequitur *Thesaurus de pœnis Eccles.* 2. *p. prax. ver. sepulchri violatio, cap.* 1. *in fin.* dicunt, quod violator sepulchri dicitur, sive illud frangat sive deformet, sive in illo mortuum spoliet: unde talia peragentes, fiunt infames, committunt sacrilegium, & sunt valdè punibiles per ea jura multa, quæ iidem Doctores referunt, quibus inhærent *Layman. lib.* 4. *theolog. moralis tract. de sacrileg. cap.* 7. *num.* 18. *Menoch. libr.* 2. *de arbitr. casu* 389. *num.* 12. 13. *&* 14. *& Dominus Genuens. peritissimus Jurisconsultus Neapolitanus, in sua nova praxi Archiepiscopal. cap.* 41. Cætera vide in subsequent. tract.

TRAC-

TRACTATUS XI.

DE QUARTA FUNERALI.

Quæst. 1. *Quarta Funeralis quid sit, & quotuplex?*

1. QUarta funeralis, idem est, quod Canonica Portio, quæ Jure Sacrorum Canonum debetur, & est duplex, alia, quæ debetur Episcopo ab omnibus Ecclesiis suæ Diœcesis, ut colligitur *ex cap. de his* 10.q.1. ubi dicitur, quod de terris, vineis, mancipiis, & peculiis Ecclesiæ à fidelibus oblatis, tertia pars Episcopo fideliter deferatur, quod intellige de Ecclesiis Episcopo immediatè subjectis, & non de exemptis. *Armill. ver. Canonica portio, aliis allegatis*, quia hujusmodi Portio debetur Episcopo ratione sollicitudinis, quam de suis tantum Ecclesiis debet habere, ut dicitur *in cap. conquærente de Off. Ordinarii.*

2. Alia verò Canonica Portio debetur Ecclesiæ Parochiali, de omnibus à suo Parochiano relictis, vel ratione funeris obvenientibus illi loco, ubi quis eligit sepulturam, relicta sua Parochia, ut dicitur *in Clem. Dudum de sepul.*

3. Hæc autem quarta, seu Canonica Portio, debetur Parochis tanquam Patribus spiritualibus, nè debitis fraudentur obsequiis: si enim ob onera spiritualis curæ, quam habent de suis filiis, nullum exinde emolumentum sentirent; nimis gravarentur contra naturalem æquitatem; quæ vult, ut commoda cujusque rei eum sequantur, quem sequuntur & incommoda, ut dicitur *in l. secundum naturam, ff. de regul. jur.*

4. Nec minoris conditionis debent esse Patres spirituales, Patribus carnalibus, quibus filii obsequia præstare tenentur, ut docent communiter summistæ *in ver. Canonica Portio*, & præcipuè *Syl. Armill. Tab. eodem ver. & Joan. Crucius, lib. 2. de statu Relig. cap. 9. dub. 5. Hostiens. in summ. de sepul. §. An hæc Canonica circa finem, & Petrus de Ubaldis, de Canonica Episcop. & Paroch. c. 1. num. 6.* tum etiam, quia Ecclesia Parochialis se habet ut filia, cui in morte Patris, debetur legitima, *D. Ricc. 3. p. Prax. resol. 336.*

5. Et licet olim hæc Portio Canonica esset varia pro more Patriæ, nam alibi medietas, *ut in cap. 1. de sepul.* & alibi tertia pars solvebatur: hodiè tamen secundum consuetudinem, est quarta pars, *c. cum super de sepul. & Clem. Dudum, eod. tit. in 6.* Unde rectè dicitur, quod quarta funeralis, potest esse major, & minor, secundum loci consuetudinem, *cap. Antiquos* 10.q.1. *& cap. Certificati* 9. *de sepul.* Benè tamen verum est, quod hæc consuetudo debet esse legitimè præscripta, hoc est, quadragenaria juxta ea, quæ tradit *D. Barbos. de off. & potestate Parochi c. 25. num. 2. & 16.* ubi post Doctorum Collectaneum, dicit, quod quarta est varia, & debetur de jure Canonico, propter administrationem Sacramentorum. Quod intellige de quarta Parochiali, de qua primò dicendum est, cùm sit facilior, & notior, & à facilioribus & notioribus incipiendum sit.

Quæst. 2. *Quarta Parochialis quid sit?*

1. EX immediatè dictis, dicendum est, quod sit quædam Canonica Portio debita Parochio de omnibus iis, quæ Regularibus proveniunt ex eo, quod aliquis sepeliatur in ipsorum Ecclesia; sive talis Portio sit medietas, sive tertia, sive quarta pars, major, vel minor, secundum consuetudinem loci, cui standum est, *cap. Certificati* 9. *de sepul.*

2. Sed quid dicendum, si de consuetudine loci non appareat? Respondet *Hostiens. in sum. tit. de sepul. §. apud quam Ecclesiam, col. 3.* quod debet attendi consuetudo Ecclesiæ Metropolitanæ, & addit, quod si nec de illa appareat, servanda est consuetudo vicinarum Ecclesiarum, *cap. super eo, de Censibus*; quæ consuetudo, si in vicinis Ecclesiis varia sit, debet attendi illa consuetudo, quæ sit minoris summæ. Ad quod allegat multa Jura, & sequitur *D. Ricc. 3. p. Prax. resol. 336.*

3. Sed quid dicendum, si Ecclesia Parochialis habeat diversam consuetudinem ab ea, quam habet Ecclesia, ubi funeralia celebrantur. Utputa, quia Parochialis habet consuetudinem exigendi tertiam: Ecclesia verò funeralium habet consuetudinem exigendi quartam: cuinam consuetudini standum sit, hujus Ecclesiæ funeralis, vel Parochialis.

4. Respondit *Petrus de Ubaldis, de Canonica Episc. & Paroch c. 5. num. 7. & 8.* quod standum est consuetudini Ecclesiæ Parochialis, quia Ecclesia Parochialis, titulo oneroso, prætendit quartam, hoc est, propter administrationem Sacramentorum: Ecclesia verò funeralis, titulo lucrativo. Et sequitur eruditissimus *Marcellus Megalius, amicissimus noster, in sua prima secunda Partis Institutionis Peregrinæ Confess. c. 13. q. 1.* ubi & in sequent. de re nostra luculenter, ac peregrinè discurrit.

5. Differt autem hæc quarta Parochialis ab Episcopali multifariam, prout advertit *Perez de lara, de Anniversariis lib. 1. c. 25. num. 56.* Primò, quia quartam Episcopalem nequit Episcopus petere ab hærede defuncti, sed debet petere ab Ecclesia legataria, quæ cum Episcopo communicat legatum, *cap. Requisivisti de Testam.* Quod intellige, quando legatum reperitur solutum Ecclesiæ legatariæ: Parochus autem percipit quartam Parochialem directè ab Hærede, *Glos. ver. largiri in Clem. Dudum, de sepul.* quam sequuntur cæteri Canonistæ.

6. Secundò, quarta Episcopalis non detrahitur de his, quæ ad perpetuum cultum relinquuntur, *Valascus consult. 105. nu. 11.* Quarta autem Parochialis de consuetudine recepta debet solvi Ecclesiæ Parochiali, de his omnibus, quæ offeruntur, eo tempore, quo funus defertur ad sepulturam, aut exequiæ defuncti celebrantur, ut tradit *Cardin. in d. Clem. Dudum.*

7. Tertiò, quia quarta Episcopalis debetur Episcopo à solis Ecclesiasticis locis, ipsi Episcopo subjectis, sive in eis defunctus sepulturam elegerit, sive non: quarta autem Parochialis debetur ab eis omnibus, & solis Ecclesiasticis locis, in quibus defunctus sepulturam elegit, aut sepultus est, sive exempti sint, sive non. Quod intellige de jure communi. Et sic de aliis differentiis, de quibus *Megal. cit. loc. nu. 10. & qu. 2. & D. Ricc. cit. loc. Cespedes in tr. de exempt. Regul. quoad varia dub. 364. num. 2. & Barbosa de potestate Parochi c. 25. per totum.*

Quæst. 3. *Quænam sint funeralia, de quibus detrahenda est quarta?*

1. DOctissimus *Megalius in prima secunda Partis instit. Peregrinæ lib. 2. c. 13. qu. 2. n. 7.* loquendo tamen de Jure communi, dicit, ea omnia, quæ cum funere ad Eccle-

Ecclesiam delata sunt, vel occasione funeris, ad Eccl. perveniunt, sive proveniunt, funeralia dicuntur. *cap. in nostra de sepul. & Clem. Dudum, §. hujusmodi, de sepul.* & docent ibi, *Gloss. in ver. funeral. & Cardin. cons.* 90. qui dictam Glossam singularem appellat, *Bald. in l. si quis ad declinandum §. in omnibus num.* 6. Quod dictum de Jure communi procedit, tam quoad ea, quæ perveniunt cum ipso funere, quàm quoad ea, quæ perveniunt antequam funus ad Ecclesiam deferatur, & quam quoad ea, quæ perveniunt, postquam corpus fuerit sepulturæ demandatum. Nam cùm hæc omnia, funeris occasione, proveniant, funeralia dicuntur, supplè secundum jus commune.

2. Cæterùm *D. Ricc. in 1. p. Prax. dec.* 670. *& in 4. p. Prax. resol.* 300. dicit, quod funeralium appellatione, hodiè veniunt candelæ, quæ circa cadaver accenduntur, macceries omnis, quæ suprà Crucem, seu cathafalcum doloris, & corpus defuncti construitur, pannus, sive laneus, sive sericus, vel aureus contextus sit, quo feretrum tegitur, & omnia quæ cum funere computantur, & pro illo in Ecclesia per hæredes præparantur: sive aliàs efferuntur. Ad quod allegat *extrav. inter cunctas de privil. in 6. Glossam in d. Clem. Dudum*, & sic videtur loqui secundum jus commune. Nam secundum privilegia, ipsemet Riccius loquutus fuit de quarta funerali *in 3. p. Prax. resol.* 337. ubi multos casus refert, in quibus, ob privilegia Regul. quarta Parochialis non debetur.

3. His tamen non obstantibus, funeralia, secundùm declarationem summorum Pontificum, ad quos solùm pertinet sacros Canones authenticè declarare, illa intelliguntur, quæ cum funere deferuntur, prout declaravit Benedictus Papa XI. in sua Constit. incip. *Inter cunctas sollicitudines*, quæ habetur per extensum in nostro Bullario Usufmaris fol. 70. & liquet ibi, *funeralia verò intelliguntur, hoc casu, quæ cum funere deferuntur, &c.*

4. Nec nocet dicere, quod prædicta constitutio Benedicti XI. fuit revocata à Clem. V. in Concil. Viennens. ut constat ex *Clem. Dudum de sepul.* quia non fuit revocata quantum ad hanc explicationem: sed quantum ad principale statutum, pro quiete, & concordia Regularium, & Clericorum: Et additur, quod, dato, & non concesso, quod fuerit revocata, ubi supra; adhuc tamen fuit revalidata, & revocata à Pio V. in sua constit. incip. *Etsi Mendicantium Ordines*, & in illa alia: *Ad hoc nos Deus, &c.* & liquet ibi, *ubi consuevit (supple quartam solvi) id tantum Cera, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, nempè quando defunctorum corpora ad sepeliendum deferuntur, non autem de Missis, seu legatis, &c*, ex quibus benè vides; quod duo copulativè requiruntur ad obligandum Fratres ad solvendum quartam, quod scilicet Ceræ deferantur, & quod deferantur, quando corpus defertur ad Sepulturam. Secùs autem, &c. ut benè notant noster *Remigius in suis Moralibus, q.* 13. *num.* 4. *& D. Caraccia Dominicanus, in tr. de quarta funeralium c.* 3. §. *Restat modò.*

5. Si modò roges, quænam sint illa, quæ cum funere deferuntur? Respondet D. Episcopus *Archangelus Caraccia, cit. loc. §. sed ulterius, ver. Canon. Portio. num.* 5. quod primò sunt candelæ, vel intortia, quæ Clericis omnibus, sive sint sæculares, sive Regulares, ad manus dantur. Secundò intortitia accensa circa Crucem, & cadaver. Tertiò, indumenta nigra, quibus pauperes deferentes candelas accensas teguntur. Quartò, vestimenta, quibus cadavera vestiuntur, vel cappa, seu pallium, quo capsa ipsa, in qua cadaver reponitur, cooperitur. Quintò libri, si sint Doctores, vel arma, si sint milites, & similia, quæ deferuntur ad honorem defuncti, & viventium pompam. Sextò in aliquibus partibus, ut Bononiæ, nobiles aliqui faciunt deferri modia quamplurima frumenti, pro Monasteriis egenis, & aliis locis piis; prout pariter faciunt Nobiles Civitatis Alexandriæ, & sic de aliis, quæ omnia non sunt partitioni, seu quartæ subjecta. Nam de candelis datis ad manus, non debetur quarta, ut infrà clariùs dicetur, nec de indumentis nigris, quibus pauperes prædicti teguntur; impium enim est petere partem de his, quæ pauperibus eleemosynaliter dantur. Quandoquidem de his, quæ pauperibus dantur, non detrahitur Falcidia, ut dixit Benedictus XI. in præcitata sua Bulla, hic suprà relata *q.* 3. Nec pariter indumenta mortui, libri, arma, & similia subjiciuntur quartæ, ut infrà dico, & Summi Pontifices declararunt, & constat clarè ex declaratione Pii V. relata ut suprà, & clariùs infrà.

Quæst. 4. *An omnes Regulares, etiam Mendicantes, teneantur solvere quartam funeralium?*

1. Respondeo affirmativè, loquendo tamen de jure communi, ut constat *ex Clem. Dudum de sepult.* ubi non solùm privilegia illuc usque concessa revocantur, verùm etiam consuetudines, conventiones, statuta, & pacta: unde etiam hodiè tenentur ad dictam quartam illi Religiosi, si qui sint, qui privilegium non habeant, per quod dicta Clementina, & jura consimilia abrogentur; prout advertit *D. Barbos. de jur. Eccl. lib.* 3. *c.* 24. *n.* 13. *&* 14.

2. Secus tamen dicendum est de jure speciali privilegiato. Etenim omnes Regulares communicant in privil. cum mendicantibus, qui ad intentum plura habent privilegia, per quæ manifestè ab utraque quarta, Episcopali scilicet, & Parochiali eximuntur. Quandoquidem Jul. II. sua Constit. incip. *Dum ad Sacrum ordinem*, quæ habetur in nostro Bullario Usufmaris, *fol.* 218. *& est* prima inter Bullas ejusdem in Bullario Peyr. *tom.* 1. *fol. mihi* 189. concessit Minimis exemptionem prædictam, ut *in* §. 33. ibi, *Nec non Ordinis Minimorum hujusmodi Ecclesiæ, & Oratoria, Domus, & loca, tàm recepta, quàm recipienda, tanquam Sedis, & Ecclesiæ Romanæ hujusmodi specialia Oratoria, Ecclesiæ, Domus, & loca, cum omnibus Juribus, & pertinentiis suis, prorsus ab omni decimarum, & oblationum persolutione, seu jurisdictione, perpetuò libera sint, & esse censeantur, ac sub B. Petri, & dictæ Sedis, & nostra protectione immediatè subjaceant, ipsiusque Ordinis Minimorum Fratres pro tempore existentes, de hortis, & virgultis, & aliis quibuscunque bonis, Ordinis Minimorum Domibus, & illarum Ecclesiis hujusmodi pro tempore relictis, & legatis, ac super luminaribus, & aliis rebus Divino cultui pro tempore dedicatis, decimas, aut oblationes aliquas, etiam, ex novalibus, vel quartam ex funeralibus solvere minimè teneantur, nec ad id à quoquam cujuscunque nobilitatis, aut dignitatis existat, valeant quomodolibet coarctari.* Hæc ibi.

3. Alexander IV. sua particulari constit. incip. *Venerabilibus Fratribus universis, &c.* quæ per extensum refertur in dicto nostro Bullario Usufmaris, *fol.* 37. *lit. D.* indulsit Ordini nostro exemptionem prædictam, quam reformavit, & de novo nobis indulsit, sua alia constit. incip. *ex parte vestra fuit nobis expositum. &c.* quam similiter per extensum habes in dicto nostro Bull. Usufmaris, *fol.* 43. *à tergo lit. D.*

4. Benedictus XI. eamdem exemptionem nobis concessit in sua constit. incip. *Inter cunctas sollicitudines*, quæ reperitur extensa in dicto nostro Bullario Usufmaris, *sub lit. D. fol.* 68. Sixtus IV. in nostro Mari Magno incip. *Regimini Universalis Ecclesiæ*, nobis pariter concessit dictam exemptionem, *sub lit. F.*

5. Paulus IV. eamdem exemptionem nobis indulsit, sua const. incip. *Ex Apostolicæ Sedis Providentia, &c.* quæ refertur per extensum in dicto nostro Bullario Usufma-

ssisimaris, *fol.258.* ubi confirmavit omnia nostra privigia, & liquet *sub lit. F.* ibi. *Nos igitur, qui uberes fructus, nos in Agro Dominico, personæ Ordinis Fratrum Prædicatorum hujusmodi jugiter producunt, &c.*

6. Nicolaus V. qui præfuit Ecclesiæ, circà Annum 1447. sua const. incip. *Inter cætera nostræ sollicitudinis studia, &c.* quæ habetur *in monum. Ordin.* & refertur *in Compend. privil. Mendicantium ver. Canonica Portio,* concessit Carmelitis Fratribus exemptionem prædictam latissimis ac uberioribus verbis, & liquet ibi, *Vobis, & dicto Ordini vestro, perpetuò concedimus, ut de illis, quæ vobis pro Fabrica Ecclesiarum, & Conventuum vestrorum, Ecclesiasticis ornamentis, luminaribus, Anniversariis, septimo, vigesimo, trigesimo, & aliis divinis cultibus putantis, indumentis, calceamentis emendis, celebrandis, & habendis in eisdem, necnon annuis censibus redimendis, ad quorum solutionem aliqua Domus, Prædiaque cum Hortis, aut aliis locis Ordinis ejusdem obligata noscuntur, per Christi fideles eleemosynæ, pietatis intuitu, sive in funeralibus, oblationibus, sepulturis, ultimis voluntatibus legatis, aut alias quoquomodo, etiam absolutè jam erogata sunt, & in posterum forsan erogentur, bonis, & etiam absolutè elargientur, nulli Canonicam portionem aliquam teneamini exhibere, aut ad id valeatis coarctari, & ne quis à vobis, vel ultimarum exequutoribus voluntatum, seu decedentium hæredibus de præmissis bonis aliquid extorquere, vel exigere præsumat, districtius inhibemus; non obstantibus piæ memoriæ Clem. IV. Prædecessoris nostri in Concilio Viennensi edita, quæ incipit Dudum, & aliis Constitutionibus, & ordinationibus, nec non privilegiis, & concessionibus, &c.* quæ omnia amplissimè confirmat Sixtus IV. in Bulla *Dum attenta, &c.* quæ est Mare Magnum dict. ordinis, & refert *Ludov. Miranda to. 2. sui Manualis Prælat. q. 48. ar. 6. concl. 4. Lez. ver. Canonica portio num. 7. & Cesped. de exempt. Reg. quoad varia cap. 24. dub. 364.*

7. Verumtamen, quia sunt, qui dicunt, prædicta privilegia fuisse à Tridentino abrogata, vel in multis limitata *in cap. Decernit S. Synodus, sess. 25. 13. de Refor.* non erit inutile dictum Decretum expendere.

Quæst. 5. Quidnam circa quartam funeralem, Sacr. Concil. Trid. servandum statuerit?

1. Respondeo, quod Concilium Trid. pro observantia quartæ funeralis, *in sess. 25. c. 13. de Refor.* hoc edidit Decretũ, *Decernit S. Synodus, ut quibuscunque in locis, jam ante Annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio, aliis Monasteriis, Hospitalibus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem post hac, integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathedrali, seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur; non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari Magno nuncupatis, aut aliis quibuscunque*, hæc ibi.

2. Ex quibus clarè apparet, quod illa Monasteria, quæ ante Annos quadraginta, antecedenter ad Tridentinum, portionem Canonicam solita fuerunt persolvere, etiam nunc illam solvere tenentur, non verò alia, nec quæ post Concilium fuerunt ædificata, aut indies ædificabuntur. Ratio autem decisionis potuit esse, quia dicta Monasteria, ex eo, quod per quadraginta Annos ante Concilium non solverunt quartam prædictam, præscripserunt contra illos, quibus de jure communi debebatur, & sic exemptionem, & immunitatem consecuta fuerunt. Jus enim quartæ ac decimarum, præscriptione tollitur; eò fortiùs, si à tempore immemorabili, nunquam fuit solutum. *Rodriq tom. 1. q. 39. ar. 2.* & clariùs *Layman. lib. 4. de ultim. volunt. c. 12. de sepul. & portione Can. nu. 13.*

3. His ergo sic stantibus, attendendum est, si Monasteria sunt ante annos quadraginta, ante Concilium Trid. fundata: hæc enim sessio 25. Tridentini fuit facta anno Domini, millesimo, quingentesimo, sexagesimo tertio, 1563. ultra quos debent desumi alii anni quadraginta, antecedenter ad dict. Concil. & sic secundum dict. Concil. supputatio debet fieri ab anno 1523. Quamobrem, si Monasteria prædicta, ante annum 1523. erant fundata, & erant solita solvere quartam, tenentur etiam nunc hodie illam solvere: sin autem, minimè; & adde, quod si dicta Monasteria citrà dictum annum 1523. fuerunt fundata, nullatenus, ex vi dicti Decreti Conciliaris, tenentur ad dictam quartam, ut benè advertunt noster *Caraccia Ripaltens. in suo tract. de quarta funerali cap. 1. §. his sic dispositis. Joan. Crucius lib. 2. de statu Relig. dub. 5. Roder. cit. loc. Miranda tom. 2. manual. q. 48. art. 7. Portell. in dub. ver. Canonica portio, Lezan. ver. quarta funeralis, Novar. in Luc. Regul. ver. Canonica portio, Cespedes de exempt. Regul. quoad varia, c. 24. dub. 364. & Nald. ver. sepul.*

4. Ad intentum item facit Constitut. Pii V. incip. *Etsi Mendicantium Ordines,* paucis annis post Trid. edita, anno scilicet 1567. quæ per extensum habetur in *2. tom. Bull. Cherub. & est. 41. inter Bull. ejusdem Papæ,* & apud *Peyr. to. 2. privil. Minim. & est 7. inter Constit. ejusdem.* Qua Bulla S. Pontifex, re & nomine Pius, ex motu proprio, & certa scientia liberavit à multis molestiis, & gravaminibus ibi expressis, nobisque Mendicantibus illatis ab Ordinariis, & Ecclesiarum Prælatis, sub prætextu Decretorum Concil. Trid. & præcipuè nos liberavit à solutione quartæ funeralis, ibi, *Quartam autem funeralium, de qua sess. 25. c. 13. nequaquam solvere teneantur Monasteria, quæ à quadraginta annis citrà fundata existunt, postquam Concilium ipsum loquitur tantùm de Monasteriis ante annos quadraginta fundatis, quæ ipsam quartam solvere consueverunt: & ubi consuevit, tantùm Ceræ & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferantur, non autem de Missis, seu legatis, aut aliàs quomodolibet donatis, solvi debet, sicque intelligi Concilii Decretum, quoad quartam hujusmodi solvendam debere decernimus. Ubi verò non est consuetudo solvendi quartam hujusmodi, de nullo supradictorum solvi debere declaramus: nec ad quartam, seu aliam partem omnium eorum, quæ etiam pro ornamento Ecclesiæ, palliorum, planetarum, cortinarii, pannorum, aliorumque dictis Ecclesiis relinqui, vel dari contigerit, etiamsi pro victu Fratrum, aut alias relinquatur, aliquid contribuere teneantur, ac etiam jus sepulturæ solvi tantùm consuetum Curatis, & non aliquid aliud solvi debeat, quamvis partes ad earum libitum, Ecclesiis Ordinum hujusmodi seu eorum Fratribus, alia quæcunque tribuant, seu eleemosynas elargiantur, quando sepeliuntur ibidem corpora mortuorum hujusmodi. Nec præterea impediri debeant, quin possint defunctorum corpora præfata ad eorum Ecclesias tumulanda deferri facere, &c.* Hæc ibi.

5. Nec nobis nocet dicere, quod prædicta Constitutio Pii V. fuit revocata à Greg. XIII. in alia sua Constit. incip. *In tanta rerum mole,* quæ habetur in *2. tom. Bullarii Cherub. quæ est 9. inter Constit. ejusdem,* quia Greg. in dict. sua Constit. tantùm revocat prædictam Constit. Pii V. in quantum per ipsam conceditur aliquid contrarium Decretis Concil. Trid. non autem quatenus per eam conceditur aliquid non contrarium ipsis Decretis Tridentini, prout Sacra Congreg. Cardinalium declaravit, testibus *Roder. cit. loc. Sorb. in annotat. ad compend. privil. Mendic. ver. privil. Fratrum, §. & licet, Molfes. 2. p. sum. tr. 13. cap. 9. nu. 30. Tambur. de jur. Abbat. to. 1. disp. 15. q. 17. D. Caracca cit. loc. Lez. p. 2. sum. cap. 1. de privil. n. 16.* & habetur expressè in una decisione Rotæ Romanæ, habita coram D. Decano Liciensi quartæ funeralium, lunæ 15. Januarii 1618. tenoris sequentis.

6. *Domini censuerunt, Monasterium Clericorum Regul. non teneri ad solutionem quartæ funeralium Reverendissimo Episcopo: nam etsi de jure communi ista quarta spectet ad Episcopum, vel Parochum, Clem. dudum, de sepult. cap. 1. &*

& 4. cum aliis eodem tit. c. cum quis pariter eod. tit. in 6. Attamen secus est, quando Monasterium eximitur à dicta solutione ad tex. in cap. privil. dist. 3. cap. in nostra de sepul. in casu autem, de quo agitur, nedum prædictum Monasterium, sed etiam tota Religio est exempta à dicta solutione quartæ funeralium cum Paulus IV. & Gregor. XIII. dictis Clericis Regularibus communicaverint omnia privilegia aliis Regularibus concessa, quare censentur etiam communicata privilegia eximentia à dicta solutione quarta. Inter quæ adest privilegium Julii II. concessum Minimis de anno 1506. & aliud ejusdem Pontificis, concessum Minoribus de Observantia anno 1511. sui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. concessum Minoribus, anno 1544. & aliud Pauli IV. concessum Ordini Prædicatorum, anno 1556. quæ per extensum refert Archang. Caraccia de quarta funeralium c. 1.

7. Nec obstat Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. de Reform. quia cum istud Monasterium sit fundatum post publicationem Concilii; & quatenus esset fundatum ante, cum non esset solitum solvere dictam quartam, Concilium ei non obstat, ut declaravit Sanctiss. Pontifex Pius V. in sua Constit. de anno 1567. quam refert Archangelus Caraccia loc. cit. Gutierez de juram. confirmatorio, 2 p. c. 4. num. 3. Emanuel. Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. q. 41. ar. 2. & ita etiam resolvit Congreg. Illustriss. Interpretum, ut refert Rod. cit. loc.

8. Quod autem hoc Monasterium fuerit fundatum post confirmationem Concilii, ex eo probatur, quia Concilium fuit confirmatum die 27. Januarii 1564. Religio autem Clericorum Regularium fuit confirmata à Clem. VII. die 24 Junii 1524. Unde per necesse inferendum est, quod hoc Monasterium sit fundatum intra quadraginta annos, de quibus loquitur Concilium. Et quatenus esset fundatum extra dictos quadraginta annos, non probatur, quod esset solitum solvere quartam funeralium.

9. Neque est verum quod prædicta Constitutio Pii V. fuerit revocata per Gregor. XIII. ut in ejus Bulla, quam refert Navarr. in Manual. c. 27. in fine, quia cum prædicta Bulla Pii V. plura contineret, per Gregorium redacta fuit ad terminos Concilii, ut censuit Congregatio Illustriss. Interpretum, ut refert Caraccia loc. cit. qui etiam in fin. tract. refert ipsam declarationem, & benè advertit Gutierez loc. cit. & ita fuit resolutum una parte tantùm informante. Hæc ibi, & refert, ut jacet D. Ricc. 3. p. prax. resol. 336. in fin. D. Barbos. in collect. ad cap. 13. Concil. Trid. sess. 25. de Reform. nu. 3. & Cesped. de exempt. Regul. quoad varia, cap. 24. sub dub. 364. nu. 4. & Mancin. in addit. in brevi tractatu de quarta funerali, dub. 3.

10. Ex quibus omnibus intrepidè dicendum est, prædictam Constitutionem Pii V. non esse abrogatam per dict. Bullam Gregor. XIII. sed limitatam, seu reductam ad terminos Conc. Trident. cui præfata Pii Constitutio nullatenus adversatur, cum ei sit consona, & juris dubii declarativa.

11. Ad quod pariter facit Constitutio Pauli V. pro Carmelitis concessa, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, & est tenoris sequentis.

12. *Decet Romanum Pontificem, quæ Sacris Ordinibus à Sede Apostolica dudum concessa sunt, sarta tectaque tueri. Inter quos adest Ordo Beatæ & Gloriosæ, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo, cui inter alia, sicut accepimus, diversi Romani Pontifices concesserunt, illius Domos, seu Monasteria ante annos quadraginta ædificata non teneri ad solutionem quartæ funeralium, idque etiam à Concilio Tridentino de prædicto, & aliis Sacris Ordinibus Decretum fuit. Cum autem quæreretur, an eadem postea à quadraginta annis ædificata deberent dictam quartam solvere, Venerabiles Fratres nostri S.R.E. Cardinales, Decretorum dicti Concilii Interpretes censuerunt Monasteria ædificata à quadraginta annis citra, non teneri ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi, si modò sint ejus Religionis, cui à dicta Sede ante quadraginta annos indultum sit, ut eamdem quartam non teneantur solvere Episcopo. Quare ne dicti Ordinis Carmelitani Monasteria, seu Domos in diversis Mundi partibus à quadraginta annis ædificata, indebitè cogantur solvere dictam quartam funeralium, eorumque indemnitati prospicere cupientes, ac tenores literarum concessionum hujusmodi forsan confectarum præsentibus pro expressis habentes, dilecti filii Procuratoris Generalis dicti Ordinis Carmelitani illius nomine Nobis porrectis supplicationibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & declaramus, omnia, & singula hujus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Monasteria, seu Domus, in quibuscunque Mundi partibus à quadraginta annis ædificata, illorumque Conventus, & Fratres nullo modo, nullavè ratione teneri ad solutionem dictæ quartæ funeralium, & ob non solutionem hujusmodi aliquas sententias, censuras, & pœnas incurrere posse. Inhibentes in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, ac aliis, quos id concernit, ne ab ipsis Fratribus Monasteriorum, seu Domorum à quadraginta annis ædificatorum dicti Ordinis Carmelitani quartam funeralium hujusmodi quoquomodo exigere, aut eos desuper molestare audeant, seu præsumant. Quod si quis contradicere præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus noverit se incursum. Sicque per quoscunque Judices, & Commissarios quavis authoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique judicari, ac definiri debere, necnon irritum, & inane si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quò circa dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & nunc, & pro tempore existentibus nostris, ac dictæ Sedis Nuntiis in Regnis, seu locis, aut Terris, ubi Dictæ Domus ædificatæ fuerint existentibus mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit solemniter publicantes, ac Fratribus prædictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant præmissa omnia observari, nec permittant, eos desuper à quoquam molestari. Contradictores quoslibet, & rebelles, & præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaque oportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam, ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus quibusvis constitutionibus, Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus. Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, & excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et quia difficilè foret easdem præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, ac si præsentes forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris die 20. Augusti 1605. Pontificatus nostri anno primo.* Et habetur ut jacet in 3. tom. Bullar. Laertii Cherub. in Paulo V. nu. 4. & apud Lezan. in Mari magno Carmelitar. circa §. 53. nu. 353. fol. mihi 369.

Quæst. 6.

Quæst. 6. An Moniales sint pariter exemptæ à solutione quartæ?

Affirmativè respondet *Portellus in dub. ver. Canonica portio, nu. 8. Lezan. ver. quarta funeralis nu. 8. Pellizz. in tract. de Monial. cap. 9. nu. 17.* tum quia Pius V. in dict. Bull. *Etsi Mendicantium Ordines*, & in alia, *Ad hoc nos Deus*, quæ est 41. in Bullario Cherub. loquitur generaliter, dicens Monasteria non teneri solvere quartam funeralem, supple juxta dispositionem Concil. Trid. *sess. 25. cap. 13. de Reform.* Conventus autem Monialium, sunt verè Monasteria, ergo; tum etiam, quia Pius V. in dict. Bulla incip. *Ad hoc nos Deus*, expressè mentionem facit de Monialibus. Tum item, quia privilegia favorabilia Monachorum virorum, extenduntur ad Moniales ejusdem Ordinis, ut sæpè dictum est. Nec his nocet *Novar. in luc. Regul. ver. quarta funer. nu. 1.* dicens oppositum, quia loquitur de jure communi, & secundùm dispositionem *Clem. dudum de sepult.* quod jus, & *cap. dudum*, fuit multoties, etiam in specie per subsequentes summos Pontifices abrogatum, ut liquet ex decisis.

Quæst. 7. An Mendicantes teneantur solvere quartam de Candelis, quæ illis ad manus dantur in funeralibus?

1. Negativè post allegatos, *D. Didacus Covarruvias, tom. 1. in cap. off. nu. 12. Joan. Bapt. Confect. sub tit. de sepul. c. 1. §. de Candelis verò Marcell. Megal. in prima secundæ Partis instit. Peregrina lib. 2. q. 3. nu. 12. Rod. tom. 1. qu. 39. ar. 2. D. Barbos. de pot. Parochi, cap. 25. num. 39. Cespedes cit. loc. & D. Ricc. in 3. p. prax. resolut. 337.* tum quia hanc exemptionem habent à prædictis privilegiis, & præcipuè ab ipsorum Mari magno, ubi id eis in specie conceditur, & declaravit Benedictus XI. in sua Constit. incip. *Inter cunctas*, quæ habetur in Bull. Ordinis Prædicatorum, *pag. 72.* ibi, *De Candelis autem, quas Fratres portant, portio non petatur.* Tum etiam, quia ita se habet antiqua consuetudo, quæ leges interpretatur. Tum item, quia dictæ Candelæ ad manus traditæ censentur datæ personis, non autem piis locis, sed ita est, quod quarta prædicta detrahenda est à legatis factis piis locis, non autem personis, ergo.

2. Neque his obstant præcitata verba Pii V. ibi. *Id tantùm Cera, &c.* quia, ut constat ex lectura textus, referuntur ad illa Monasteria, quæ ultrà quadraginta annos ante Tridentinum, erant solita solvere quartam funeralium, non autem ad ea, quæ exemptionem habent, vel nunquam consueverunt dictam quartam solvere: Quibus adde, quod cum dicitur. *Quartam deberi de Cereis*, id intellige de cereis, qui circa Crucem, vel cadaver deferri solent, maximè in Italia, ut aliis citatis docent *D. Barbos. de jure Eccles. lib. 3. cap. 24. & Lez. ver. quarta funeralis nu. 7. ad finem.*

3. Nec obstat *Glossa cap. dudum de sepult. in 6.* dicens, quod prædicta constitutio Benedicti XI. fuit revocata à Clem. V. & consequenter Mendicantes tenentur solvere quartam de Candelis sibi ad manus datis; quia hoc ejus dictum procedit de jure communi, fallit autem de jure speciali privilegiato, per alia privilegia, obtento: de quibus dictum est supra q. 4.

Quæst. 8. An Mendicantes teneantur solvere quartam de Candelis accensis in Baldachino constituto in suis Ecclesiis circa cadaver?

1. Negat noster *Remigius Scropha in suis moral. q. 13. in addit. nu. 3.* tum quia quarta in casu posito debetur de Cereis, & aliis, quæ deferuntur tempore, quo corpora defunctorum deferuntur ad sepulturam, non autem de aliis, quomodolibet donatis, ut constat ex dict. Bulla Pii V. in partim extensa hic supra q. 4. At Candelæ, quæ ponuntur in dict. Baldachino, non fuerunt delatæ per viam una simul cum cadavere, sed aliàs transmissæ: imò erant permanentes in Ecclesia; ergo de eis quarta non debetur. Tum etiam, quia ita observat consuetudo illarum Ecclesiarum, in quibus constituitur Baldachinum circa cadaver, ergo standum est consuetudini, quæ leges interpretatur; tum item, quia ita fuit in facti contingentia sæpè decisum; tum quia Candelæ appositæ in Baldachino censentur datæ ad manus Religiosorum, de quibus certum est, quartam non deberi. Cætera vide apud præfatum authorem, & *Portell. 2. parte, casu 12. n. 2.* ubi ad intentum multa refert.

Quæst. 9. An de libris, qui in signum Doctoratus, ponuntur circa feretrum, in quo jacet Doctor defunctus, debeatur quarta?

1. Negat *D. Archangelus Caraccia in suo tract. de quarta funeralium, c. 3. §. adsunt indumenta mortui, libri, arma, &c.* ad quod pro se allegat consuetudinem, & Capitulum Provinciale Mediolanense. Et absolutè sequitur *Bordon. tom. 2. resolut. 51. num. 21. & Pellizz. tom. 1. manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. sub nu. 161. §. difficultas esse posset de libris*; & meritò, quia libri, arma, & similia, quæ ponuntur circa cadavera defunctorum, sunt accidentia funeris, magis spectantia ad sæculares, & pompam vivorum, quam ad utilitatem animæ defuncti. Nec consanguinei apponunt prædicta à defunctis, vel ut dividantur inter Fratres, & Clericos pro anima illorum, sed pro consolatione, & honore familiæ. Unde si sponsus suam defunctam uxorem vestiat pretiosissimis vestibus, eamque ornet, ut in die sponsalitii cū annulis, & aureis monilibus, non ideò de his tenebitur ad quartam. Nec bona jam recensita remanebunt apud Clericos, vel Fratres, in quorum Ecclesia cadaver sepelietur, sed cum magna pietate, & charitate sunt hæredibus restituenda, ne duplici contritione conterantur. Quod totum magis firmat universalis consuetudo hujus Regni.

2. Nec his obstat *D. Ricc. 1. p. prax. decis. 670. num. 4.* quia ibi loquitur de antiquo jure communi, quod, ob privilegia Regularium, & consuetudinem prædictam, reperitur abrogatum.

Quæst. 10. An Mendicantes, qui ex consuetudine solvunt quartam, teneantur illam solvere in Anniversario, quod fit in Ecclesia, ubi Testator sepultus est?

1. Negativa decisio constat ex dict. Bulla Pii V. incip. *Etsi Mendicantium Ordines.* quæ, ut dictum est supra *qu. 4.* non fuit revocata per Gregor. XIII. in sua Bulla, *In tanta rerum mole*; sed reducta ad terminos Sac. Concil. Trident. & liquet ibi. *Quæ ipsam quartam solvere consueverunt, & ubi consuevit, id tantum Cera, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu legatis, aut alias quomodolibet donatis solvi debet.* Hæc ibi, ex quibus benè vides, quod ubi adest consuetudo solvendi quartam, solùm solvenda est de obventionibus ratione funeris in die funeris, non autem in aliis diebus.

2. Idipsum dicit idem Pius V. in alia sua Bulla incip. *Ad hoc nos Deus*, 41. in Bullario Cherub. ad hoc item facit *cap. de his 10. de testam.* ibi, *De his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, Anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum divinum*

num legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis, Canonica portio (dummodo in fraudem non fiat, ut ea Episcopus, seu Parochialis Ecclesia debeat defraudari) deduci non debet. Hæc ibi, inter quæ nota ly *in fraudem*, quæ cum sit quid facti, debet probari per asserentem scilicet; quia asserenti incumbit probatio, ut legistæ communiter dicunt. Sed major dubitatio est.

Quæst. 11. *An, si Parocho, in die funeris data sit sola candelarum quarta, & sequenti die, solemniori pompa, magno scilicet adhibito Religiosorum, & Presbyterorum numero, in Ecclesia, ubi defunctus fuit sepultus, die præcedenti, pro ejus Anima solemnis Missa cantetur, cum distributione candelarum, & Interstitionum, majori quantitate diei præcedentis, debeatur ex his quoque Parocho quarta?*

1. NEgabant quidam olim; tum quia una quarta debetur, quæ in casu posito, præsupponitur soluta; ergo alia non debetur. Tum etiam, quia quarta debetur de obventionibus ratione funeris, & in die funeris obtentis; At prædictæ obventiones, de quibus fit sermo, non fuerunt traditæ in die funeris, nec intuitu funeris, sed forsan eleemosynaliter, ob pietatem erga funus, ergo.

2. His tamen non obstantibus, Sacra Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, semel, atque iterum partibus hinc inde auditis, die 3. Augusti 1621. nemine discrepante, censuit deberi quartam Parocho ex funeralibus secundo loco factis, & refert per extensum *D. Barbos. de officio, & potest. Parochi cap. 25. nu.* 38. Cæterum ratio decisionis potuit esse, quia dicta pompa forsan fuit suspensa in die funeris, & reservata pro sequenti die in fraudem dictæ quartæ, contra *textum dict. c. final. de testamentis.* Vel quia, ob cadaveris fætorem, exequiæ in præcedenti die persolvi minimè potuerunt; unde in sequenti die fuit revocatus Clericus, & cum majori pompa fuerunt recantatæ, ut benè notat *Remigius Scropha Dominicanus in suis moralibus q. 13. in addit.* ubi examinando dictum Decretum Sacr. Congregat. ait, quod pompa exequiarum in sero, & mane facta, una censetur, hinc consultò Sacr. Congregat. dixit, quod Parocho quarta debetur; & subdit, quod Sacra Congregatio in dicto Decreto non loquitur de tempore, sed de exequiis secundo loco factis; toties autem fiunt exequiæ de novo, quoties Clerus convocatur, ergo, quando Regulares sine Clero exequias faciunt in ipsorum Ecclesiis, ad quartam non tenentur.

Quæst. 12. *An Interstitia, quæ per viam circa Crucem, & cadavera defunctorum deferuntur, finito officio, sint æqualiter dividenda inter ipsos Parochos, & ministros Ecclesiæ, in qua cadavera sepeliuntur?*

1. AFfirmat *D. Barbos. de potest. Parochi, c. 25. nu.* 42. duciturque ex eo, quod die 21. Martii 1629. Urb. Papa VIII. approbavit Decretum Congregationis RR. DD. Præfectorum Urbis, habitæ coram Eminen. Cardinali Urbis Vicario, in qua ad effectum removendi dissentiones, & ad evitanda scandala, ac aliis justis de causis, resolutum fuit, & declaratum, interstitia, cereos, & candelas, quæ per viam deferuntur, ac etiam ea omnia alia, quæ circa cadavera, antequam terræ tradantur, in quibuscunque privatis Ecclesiis dividenda fore, & esse, æquali portione, inter ipsos Parochos, & ministros aliarum Ecclesiarum quarumcunque, etiam Regularium, & Nationalium, seu aliàs privilegiatorum; ac propter[ea] quando hujusmodi interstitia, seu cerei, & candelæ, [in] præfatis Ecclesiis, pro celebrandis divinis officiis, præsente corpore accenduntur, finito officio extinguenda, & cuiquam medietatem consignandam esse, & refert *Mancin. in brevi tractatu de quarta funeral. dub.* 4.

2. Verùm adverte cum *Remigio in suis moralibus, q. 1[3]. in addit. nu. 15. Bordon. tom. 2. resolut. 51. num. 24. & Pelliz. to. 2. manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. num. 158. & num. 16[2]. in fin.* quod D. Papa laudavit prædictum Decretum ob ejus causam finalem; ad occurrendum scilicet scandalis, & dissentionibus; ergo ubi scandala non imminent, & dissentiones non adsunt, Decretum non procedit; & addunt, quod dictum Decretum fuit locale, hoc est pro Urbe dumtaxat, & non pro Orbe: & consequenter non extenditur ad alias partes mundi. Quandoquidem quæ localia sunt, loci Cancellos non transcendunt: & subjungunt, quod prædictum Decretum non comprehendit candelas ad manus datas.

Quæst. 13. *An debeatur quarta de interstitiis, seu candelis Confraternitatum funera associantium?*

1. NEgativè dic ex declaratione Sac. Congregat. Episc. in una Firmana sub die 5. Martii 1615. ad cujus certitudinem multa dicit *Mancinus in brevi tractatu de quarta funerali dub. 16. pag. 784. & D. Barbos. in Collect. ad cap. 13. Trid. sess. 25. de Reformat. nu.* 9.

Quæst. 14. *An Episcopus possit exigere quartam à legatis factis Oratoriis Confratrum suæ Diœcesis?*

1. DEcisio affirmativa constat ex decisis *in n. de confraternitatibus*; tum quia quarta debetur Episcopo ex omnibus legatis factis piis locis suæ Diœcesis, si tamen publica sint, ut si habeant Campanas, vel sint à D. Episcopo sint specialiter destinata ad publicè orandum, *Bald. in l. si quis ad declinandum, §. in omnibus*, tum etiam, quia Episcopus habet jus exigendi suam Canonicam portionem à mortuariis, & de his quæ in ultima voluntate, ad pia, & Ecclesiastica loca sibi subdita, proveniunt; ut docent communiter Doctores, & adest *Glossa in cap. conquerente 16. in verb. mortuariorum de off. Ordin.* ad quod item facit *Clem. Dudum de sepul. in 6.*

2. Sed quid dicendum, si legatum fiat ipsis Confratribus, non autem Oratoriis ipsorum, debetur ne illo legato, quarta?

3. Negativè, aliis relatis, *Megal. in prima secunde Partis instit. Peregr. lib. 2. c. 14. q. 4. num. 30. & D. Ricc. p. 3. Prax. resol. 338. num.* 4. tum quia de relictis personis, non debetur quarta; tum etiam, quia aliud est loqui de piis locis, & aliud de personis quæ conveniunt in loco, tum item quia liquet ex decisis suprà.

Quæst. 15. *An D. loci Episcopus, vel Parochus, possint compellere mendicantes ad solvendam sibi quartam funeralium?*

1. QUod Ordinarii Ecclesiarum Prælati, cogentes Fratres Mendicantes ad solvendam quartam in casu, quo ad illam non tenentur, sint interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspensi à Divinis, & Curati excommunicati, ipso facto, non cadit sub dubio, ut constat ex privil. à Sixto IV. nobis, & Minoribus concesso, sub Anno 1474. quod in partum extendit *Rod. tom. 1. q. 39. ar. 9.* & habetur per extensum in libro attitulato, Monumenta Ordin.

din. *in 1. impress. fol. 62. & in 2. fol. 145. concl. 355.* & refer- etiam *in comp. priv. Mendic. ver. Canonica Portio, § 6.*

2. Sub dubio tamen cadit, an loci Episcopus, vel Pa- chus possint compellere dictos Regulares ad solven- m dictam quartam funeralem in casu, quo juxta Tri- ntinum, tenentur illam solvere? Ad quod negativè re- ondet *Rod. cit. loc. cum suo Compend. resol. 18. num. 10. de non. Portion. Miranda tom. 2. Manual. q. 48. ar. 14. Joan. ucins, lib. 2. de statu Relig. dub. 5. concl. 2. Portell. in dub. r. Canon. Portio. num. 11. Remigius Scrosa in suis Moral. 13. num. 12. Cesped. de exempt. Regul. quoad sepul. c. 12. ib. 219. num. 21.* Et moventur, tum quia prædicta con- ſtio Sixti IV. nullibi reperitur revocata, nec adversatur ecretis Concilii Tridentini, tum etiam, quia *in cap. Du- im de sepul. in 6.* revocantur privilegia quatenùs solùm pediunt solutionem quartæ Funeralis, non autem re- ocantur quantum ad hoc, quod eximunt Mendicantes jurisdictione Episcopi; tum quia compulsio est actus ju- sdictionalis, qui non potest cadere in exemptos. Quod em videtur innuere. *Trid. sess. 25. c. 13. de Refor.* ubi re- ocat illa privilegia, quæ adversantur suo Decreto, quæ ilicet eximunt Regulares à solutione quartæ, quam ju- à Tridentinum tenentur solvere, non autem revocat la, per quæ Regulares eximuntur à jurisdictione Episco- loci, aliàs ut dictum est suprà, non dicerentur exem- ti, sed subjecti: ac proinde in casu, quo debent, & te- entur dictam quartam solvere, cogendi sunt ab ipso- um superioribus, vel à Sacra Congregatione, vel à D. 'apa, ut notat *Syl. in ver. Canonica Portio in fine*, non au- em ab Episcopo loci, à cujus jurisdictione sunt exempti: Verùm tamen adverte, quod loc. Ordinarius, hodie æpè reperitur Conservator & Judex omnium Regul. ux Diœcesis, si ipsi alium non elegerint in Conserva- orem privilegiorum ad præscriptum Constitutionis, Gregor. XV. de Conservatoribus, & sic, uti Delegatus Apostolicus, posset cogere jam dictos Regulares, non olum ad dictam quartam, verum etiam ad omne aliud aliè debitum.

Quæst. 16. An Monasterium privilegiatum, & exemptum à solutione quartæ funeralium, dictum privil. & exempt. perdat, si bis, aut ter quartam solvat?

1. Respondeo negativè; quandoquidem privilegia Ecclesiæ, vel Ordinis, seu communitatis, non amittuntur per contrarias actiones particularium Reli- giosorum, nam ad hoc, ut actus contrarius præjudicet, & tollat privilegia, debet esse voluntarius, in tempore debitò efficax, & proprius ejus, cujus est privilegium; aliàs secùs, ut constat ex latè decisis, *tom. 1. Prax. p. 1. tract. 12. de amissione privil. q. 12. num. 5. & sequen.* ac proinde privilegium Ecclesiasticum non potest amitti; nisi per actum contrarium, & proprium Ecclesiæ cujus est privi- legium, qui actus, tunc talis censetur, si fiat de consensu totius Capituli, & superiorum Religionis: secùs autem si fiat à quibusdam particularibus. Quapropter si quis Re- gularis exemptus, in spretum privilegii sui Ordinis, vel consuetudinis legitimè præscriptæ, juxtà *Trid. sess. 25. cap. 13. de Refor.* Quartam solveret, esset valdè punibilis, uti violator exemptionis suæ Ecclesiæ, nec non ejus succes- sor debet, & tenetur reclamare, & obtinebit, ut ibidem dico *num. 12.* Ad quod facit *Textus cap. cum accessissent, 8. de constit.* ibi, *communiter statuisse, ac statutum ipsum au- thoritate Sedis Apostolicæ fuisse postmodum confirmatum: vos illud faciatis in suo robore permanere*, hæc ibi, Ubi Glos- sa, *in ver. Confirmatum*, ad intentum multa dicit, & se- quuntur *Miranda tom. 2. Manual. q. 48. ar. 13. Rodriquez tom. 3. q. 26. ar. 3. Portellus in dub. ver. privil. cessio nu. 60. & D. Barbosa de Potestate Parochi c. 25. n. 35.*

Quæst. 17. An Conventus exemptus à solutione quartæ funeralium, possit dict. exemptione renunciare?

1. Negativè dic, quia faceret contra commune bo- num suæ Ecclesiæ. Unde sicut Clericus non potest renunciare privilegio fori Ecclesiastici in præjudicium sui Episcopi; ita à pari, nec Regularis in damnum suæ Ecclesiæ, vel Religionis, hæc enim omnia pari passu ambulant.

Quæst. 18. An compositiones, & pacta super Iuribus Parochialibus facta inter Prælatos Conventuales & Parochos, sint valida?

1. Pro solutione hujus dubii adverte, quod Bonif. VIII. *in cap. quia ex eo, de pactis in 6.* statuit sub hoc tenore. *Quia ex eo, quod Fratres Prædicatores, & Minores, & alii Mendicantes, compositiones, & pacta cum Prælatis, Capitulis, rectoribus, & personis Ecclesiarum, Civitatum, Castrorum, Villarum, & locorum, in quibus Domus, seu habitationes eorum existunt, super iuribus Parochialibus, & aliis quibuscunque Articulis, ab eis, vel eorum antecessoribus inita, sive facta servare recusant: & ea eo prætextu infringere moliuntur, quia Magistri, aut Ministri, vel Prioris Generalium seu Provincialium eorumdem non adfuit assensus in ipsis, nec approbata per ipsorum Generalia, vel Provincialia Capitula extiterunt; multa in diversis Mundi partibus insurgunt scandala, & ipsorum Fratrum (quos decet puritatem omnimodam in suis observare actionibus; & ab his abstinere propensius, per quæ possit aliis exempli perniciesi generari) famæ detrahitur plurimum, & honori. Nos his occurrere paternæ sollicitudinis studio intendentes, præsenti Decreto sancimus, Compositiones, & pacta huiusmodi cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus, & personis prædictis ab ipsorum Fratrum Conventualibus, Prioribus seu Guardianis facta, vel approbata, de suorum Conventuum consilio, & assensu, (dum tamen aliàs sint licita, & honesta) debere ab ipsis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter observari: non obstante, quod Magistri, vel Ministri, aut Priores Generalium, seu Provincialium prædictorum non intervenerit in eisdem assensus, nec ab ipsorum Generalibus, vel Provincialibus Capitulis extiterint approbata: seu quod Sedes Apostolica in his, quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, authoritatem suam non præstiterit, vel assensum*, hæc ibi.

2. Per quæ revocantur privilegia nobis concessa ab Alexandro IV. & ab Honorio IV. in quibus ad validitatem harum conventionum requiritur authoritas P. Generalis Ordinis, vel Capituli Generalis, prout habetur *in lib. attitulato, monumenta Ordinis in 1. impress. fol. 18. & in 2. fol. 232. concl. 297.*

3. Advertit tamen Collector privil. mendic. *ver. privilegia*, quod hæc privilegia fuerunt postea revalidata à Sixto IV. Quibus adde, quod Leo X. in Concil. Lateranensi statuit, quod pacta, & conventiones inter Fratres, & Prælatos, ac Curatos (pro tempore inita) valeant, nisi per subsequutum Capitulum proximum Generale, vel Provinciale refutata fuerint, & per eos refutatio hujusmodi intimata debito tempore fuerit; prout habetur *in supplemento Ordinis, fol. 26. conclus. 75.* de quibus latè *Rod. tom. 1. q. 39. ar. 8. cum suo Comp. resol. 18. de Canonica port. nu. 9. Miranda tom. 2. Manual. q. 48. ar. 12. concl. 1. & 2. & Portel. in dub. ver. Can. Por. nu. 8.*

4. Quibus adde, quod novissimè per Clem. VIII. prædicta privilegia fuerunt confirmata, & innovata cum illa clausula, *dummodo Decretis Sac. Concil. Trident. non adversentur.* Et adde, quod dictæ conventiones debent esse licitæ, & honestæ, hoc est, non damnosæ Ecclesiæ,

non

non contra Sacros Canones, non contra proprias Constitutiones: aliàs non valent, *Tab. & Syl. ver. Can. Por. q.3.* quod est valdè notandum pro Justitia pactorum. Hinc discernes, an omnia relata per *D. Barbos. de off. & potestate Parochi c. 25. nu. 34.* vera sint.

Quæst. 19. An Novitius moriens intra annum probationis, teneatur dict. quartam solvere?

1. DEcisio negativa liquet ex decisis in præcedenti *tr. q. 4. & 9.* tum quia Novitius in favorabilibus, gaudet privilegiis professorum, quorum unum extat exemptio à quarta funerali, ut constat ex privilegiis suprà extensis, *q. 4. Syl. ver. Can. Port. post Panorm. q. 8. Azor. to. 1. lib. 9. instit. Moral. c. 12. q. 4. in 2 casu, Rod. tom. 1. q. 39. ar. 4. & D. Ricc. p. 3. Prax. resolut. 337. nu. 6.* tum etiam, quia Novitius per susceptionem habitus, & Novitiatum inceptum, mutavit Domicilium, illudque contraxit in Religione, & sic desinit esse Parochianus hujus, vel illius Ecclesiæ sæcularis, *Portell. in dub. ver. Can. Por. in addit. num. 2.*

Quæst. 20. An cum quis eligit sepulturam ad tempus, seu loco depositi, in aliqua Ecclesia Regularium, teneatur ad quartam Funeralium?

1. NEgativè *Lez. in ver. quarta Funeralis, sub num. 10. in casu 15. & Cespedar. de exempt. Regul. quoad varia, cap. 12. dub. 364. num. 6. & D. Riccius in 3. p. Prax. resol. 337. nu. 12.* quia interim ibi manet loco depositi, & sic cessat ratio cur hæc quarta fuit introducta; & sic cessante ratione, cessat etiam ejus exactio. Ratio autem, ob quam fuit introducta quarta Parochialis, est ne fiat injuria Ecclesiæ Parochiali, ob perpetuam sepulturam extra Parochiam electam: ergò quando sumus in sepultura non perpetua, sed temporali, cessat ratio quartæ; & consequenter cessat ejus exactio. Quod est mente tenendum, quia Curati non pauci prætendunt quartam, etiam de sepultura temporali.

2. Amplia, ut nec debeatur quarta, si quis sepeliatur in Ecclesia contra voluntatem ejus, cujus est Ecclesia, quia cessat ratio injuriæ Ecclesiæ Parochialis: & consequenter cessat ejus exactio, ut post *Geminianum in c. 1. de sepul. in 6. docent Feder. de Senis, cons. 119. Molfesius, tr. 13. de ultimis voluntatibus c. 9. nu. 17. Megal. ubi suprà, & D. Riccius, cit. loc. num. 13.*

3. Hinc nuper dixi, quod perperam fatigabatur quidam Episcopus, velle vexare quosdam regulares, sub prætextu, quod intra eorum Ecclesiam, clam, & noctis tempore, ipsis invitis, immò nescientibus, fuit ab hæredibus sepulta, loco depositi, quædam Civitatis Patrona, ad illam sepeliendam cum majoribus suis in Civitate Neapolitana: Dixi, *perperam*; tum quia Fratres, in casu posito, non deliquerant, nec intra, nec extrà septa, quia ipsis invitis, immò nescientibus, fuit prædicta ab Hæredibus ad tempus sepulta: tum etiam, quia non tenebantur Principi resistere cum periculo vitæ: tum etiam, quia ipsi non pulsarunt campanas, nec processionaliter extraxerunt funus è Parochia, inscio Parocho, nec Cruce elevata, Parochiam ingressi sunt, quia defuncta prædicta, non obiit intra Parochiam, sed in itinere, propè Civitatem Neapolitanam; nullum ergò crimen in hoc commiserunt; unde potiùs loci Curatus foret pœna plectendus, quia, ut audivi, sub prætextu quartæ funeralis prætendebat ab hæredibus habere quingentos ducatos, aut dimidium feudi; secùs insepultum illius cadaver super terram detineret contra voluntatem Summorum Pontificum, & Decreta Sacræ Congregationis supra extensa. Videat Deus, & Deus ipse testis sit, si vera loquor.

4. Amplia resolutionem principalem, ut nec debeatur quarta, si quis nequit sepeliri in Ecclesia, in qua elegit sepulturam, ex quo forsan reperitur interdicta; propter eamdem rationem, quia scilicet cessat ratio; ob quam quarta debetur, ut post allegatos, docet *D. Ricc. cit. loc. Prax.* ubi multos alios casus extendit, in quibus quarta non debetur, & sequitur *Mancinus in suo brevi tractatu de quarta funerali.*

Quæst. 21. An cadavera fidelium possint tuta conscientia, ab hæredibus occultè deferri ad unam aliam Civitatem, ad effugiendum solutionem quartæ funeralis, & gabellæ forsan impositæ pro libero passu de una in aliam Parochiam?

1. AFfirmat *Pelliz. tom. 2. Manual. tract. 8 c. 5. sect. [illegible] q. 23. num. 177.* ducitur que tum ex communi Praxi timoratorum conscientiæ; tum etiam, quia prædictæ Gabellæ impositæ pro libero passu cadaverum, nunquam quoad animam fuerunt receptæ: tum item, quia cadavera defunctorum non subjiciuntur gabellis, cum mors omnia solvat; nec hæredes illorum possunt collectari ad sepeliendum dicta corpora: nec cadavera, sub prætextu cujuscunque compositionis quartæ, vel Gabellæ, debent remanere insepulta, nec retardari, quominus, quantocius tumulentur, ut constat ex decisis, & maximè ex declarationibus S. C. suprà extensis: ad quod item facit *Gavantus in Manuali ver. exequiæ num. 49.* ubi ex Synodo Provinciali dicit, *quod neque Parochus, intra cujus fines aliquis alienæ Parochiæ occisus est, aliò transferri ejus cadaver prohibeat, nihilque ideò accipiat.* Et subjungit ex eadem Synod. Provinciali, *si verò translatio fit cum funere, liberum sit ei uti jure suo.* Hinc apparet, quod aliud est loqui de translatione cadaveris occultè, ac privatim facta: & aliud de translatione ejusdem, publicè cum pompa funeris, utputà processionaliter incedendo, luminaribus accensis, campanis sonantibus, Religiosis adhibitis, & similibus.

Quæst. 22. Si quis moriens eligit sepulturam apud Regulares, & in suo Testamento reliquit suæ Parochiæ legatum, quod æquivalet quartæ funerali, an tale Legatum sit computandum pro quarta, adeò ut ultra illud, non debeatur Parochiæ dicta Portio?

1. DIfficilem, ac intricatam hanc quæstionem æstimat *Rodriq. to. 1. q. 39. ar. 7.* Tu autem cum *Portel. in dub. ver. Can. Portio in Addit. ad addit. num. 1.* sub distinctione resolve. Aut dictum legatum fuit relictum expressè pro quarta, & cum clausula, ut illud tantum pro sua portione Parochus recipiat, & sic ei alia quarta non debetur; si tamen illud pro sua quarta acceptavit. Quod enim semel placuit, ampliùs displicere non potest.

2. Aut illud legatum fuit simpliciter, & absolutè relictum, absque ulla conditione: & sic Episcopus, vel Parochus potest de cæteris bonis defuncti, sibi quartam vendicare; prout expressè dicitur *in cap. off. 14. de sepult.* ibi, *Quod si eam ipsi absolutè reliquit, portionem sibi debitam poterit nihilominus de cæteris vendicare, &c.* quia ut ibidem dicit *Glossa in ver. vendicare*, recipiendo unum, non intelligitur alii renunciasse: nisi sit hoc expressè dictum, *ff. de action. & obligat. l. quoties*, & patet de uxore, quæ recipiens legatum sibi factum à marito, non intelligitur renunciasse doti. *C. de rei uxori l. unic. §. sciendum.*

Quæst.

Quæst. 23. An valeat consuetudo, quod scilicet de Bonis defunctorum nihil detur Parocho?

1. NEgat *Hostiens. in sua summa, tit. de sepul.* quia censetur irrationabilis, & contra Jura Canonica, *cap. final. de consuet.* verùm *Petrus de Perusio in tr. de Canon. Port. & Innoc. in cap. requisisti, de sepul.* dicunt, quod talis consuetudo valet, & tenet: dummodò sit præscripta spatio annorum quadraginta. Quod etiam dicunt communiter Doctores scribentes *in cap. certificari voluisti de sepult.* quod sequitur *P. Magister Frater Joannes de Tabia in sua summa, ver. Canonica Portio. num.* 3. qui fuit bis Regens Generalis studii Civitatis Bononiæ, & vixit ante annum 1520. eumque allegat *Syl. in summ. ver. Canon. Port. nu. 1. ad finem.* Quod dico propter eos, qui negant Tab. vixisse ante Sylvestrum.

2. Verùm *Syl. cit. loc. q.* 1. dicit, quod vel consuetudo est contra Jus, & sic ad præscribendum requiritur spatium quadraginta annorum, vel est præter jus, & sic sufficit spatium decem annorum *cap. final. de consuet.* ubi exinde infert. Consuetudo igitur, quod detur Episcopo, vel Parochiali Ecclesiæ ultra dimidiam, putà, quod dentur duæ partes, scilicet ex tribus, vel quod detur citrà quartam, idest minus quam quarta, valet tam de quarta Episcopali, quam quarta Parochiali secundum Hostiens. si sit præscripta, quia consuetudo dandi infrà dimidiam, & quartam, non est contra, sed præter jus. Quod verò detur ultra dimidiam vel citra quartam, vel nihil, est contra jus, quia nullo Jure cavetur, ut debeatur minus quarta, vel ultra dimidiam, vel nihil; & sic requiritur præscriptio quadraginta annorum. De qua re vide *Lud. Mirand. tom. 2. Manual. q. 48. ar. 5. concl.* 1. ubi non solùm illustrat, & magnificat doctrinam Sylvestri, verùm etiam alia multa dicit de consuetudine, an scilicet requiratur titulus, & bona fides.

3. Verùm adverte, quod Syl. & alii præcitati loquuntur de portione Canonica secundum jus commune. Tu autem, qui Regularis es, vide, & attende privilegia, quæ maximè hodie sunt in viridi observantia: dummodò tamen non adversentur Decretis Sac. Conc. Triden.

Quæst. 24. An valeat electio sepulturæ in aliquo Monasterio facta, si Ecclesiæ Parochiali nihil legetur?

1. AFfirmativè Miranda, aliis allegatis, *tom. 2. Manual. q. 48. ar.* 11. quia electio sepulturæ est libera, nec Ecclesia Parochialis, ob præteritionem quartæ sibi debitæ, & non nominatæ, acquirit jus ad demandandum, seu petendum corpus defuncti: sed solùm ad suam quartam funeralem in casu, quo sibi debeatur, ut expresse dicitur *in cap. Nos instituta* 1. *de sepul.* & liquet ibi, *sed quia dignus est operarius mercede sua, &c.* ad quæ vide, quæ dicit *Syl. ver. Canon. Portio. q.* 18.

Quæst. 25. An si quis, interdicti tempore, eligat sepulturam in aliqua Ecclesia Regulari exempta, & privilegiata ad sepeliendum tempore interdicti, debeatur quarta Ecclesiæ Parochiali?

1. DE hac quæstione ad partes disputat *Miranda tom. 2. manual. q. 48. ar.* 10. tu verò cum doctissimo *Azor tom. 2. lib. 9. c. 13. q.* 4. ad quæstionem negativè responde: si tamen Ecclesia Parochialis reperiatur interdicta, sua culpa. Quod maximè procedit, si Parochia, vel ejus Parochus dedit causam interdicti: secus autem dicendum, si sit interdicta, culpa alterius, damnum enim, quod quis sua culpa patitur, sibi imputandum: secus autem, &c. alios verò casus huic consimiles vide apud præcitatum *Azor. & Portell. ver. Canonica portio in addit. nu.* 3.

Quæst. 26. Si Parochus spoliet funus antequam perveniat ad manus eorum, quibus debetur, in quam pœnam incidat?

1. DE his pœnis dixi *tract. 9. q. 32. & tract. 10. q.* 31. quibus adde, quod perdit quartam, & omne aliud jus, tenetur restituere, peccat mortaliter contra Justitiam, & potest puniri de actione injuriarum, & violatione Sacrorum Canonum, *Portell. ver. Canon. porti nu.* 6.

Quæst. 27. Quisnam teneatur ad expensas sepulturæ, seu funeris exequiarum?

1. REspondeo cum *Sylv. ver. sepultura, q. 14. & Armill. eod. tit. num.* 27. quod hæres tenetur ad has expensas, & alia hujus generis; quia videtur quasi contractum cum defuncto, *ff. de Relig. & sumpt. funer. l.* 1. & pater respectu filii, & dominus respectu servi; *l. si quis, ff. eod. tit.* Expensa verò funeris, seu sepulturæ uxoris facta à viro, repetitur per eum à patre uxoris, si ad ipsum dos redit, secus autem si remaneat apud virum. Si verò mulier dotem habeat, & alia bona, & dos remanet marito, & alii alia ejus bona, tunc expensæ fient prò rata. Si verò dotem non habeat, nec alia bona, tunc impensæ spectant ad patrem. Sed alii dicunt, quod spectant ad maritum, in cujus posse moritur.

2. Quod autem dictum est de patre, respectu sui filii; & de domino, respectu sui servi, extende ad Prælatos Regulares respectu suorum Religiosorum.

3. An autem expensa sepulturæ Prælati sæcularis, sit facienda ab ejus Ecclesia, vel hærede? quæstio est inter Doctores non levis. Illam tamen sub distinctione resolvit Abbas in *cap. ut præterita, de elect.* dicens, quod in expensis tendentibus ad remedium, & suffragium Animæ, tenetur Ecclesia, licet Prælatus defunctus alium hæredem habeat in patrimonialibus: in aliis verò concernentibus potius solatium vivorum, Ecclesia non tenetur, sed hæres defuncti: & in his continentur pretiosa sepultura, vestes lugubres, & similia. Quod dictum lætanter amplectitur *Naldus ver. sepultura, nu. 9. & Ricc. in 3. p. prax. resol. 428. de spol. Cleric.*

4. An autem vestes lugubres factæ famulis Episcopi defuncti debeant persolvi ab Ecclesia, quæ succedit in bonis, resolvit idem *Ricc. cit. loc.* & ante eum eleganter *D. Capycius Regens decis.* 84.

Quæst. 28. An D. Episcopus loci possit prohibere hæredibus defuncti, ne solvant legata Regularibus, antequam dent Parocho Canonicam portionem, seu quartam?

1. NEgativa decisio habetur expresse in Constitut. Nicolai V. pro Carmelitis concessa, quam in partim habes hic supra *q.* 4. & liquet ibi, *Vobis, & dicto Ordini vestro, &c.* quam etiam extendit *Cespedes de exempt. Regul. quoad varia tract. 24. dub. 388. num.* 3. Quod privilegium confirmavit Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Dum attenta, &c.* ad quod etiam facit declaratio Sacræ Congregat. Episcoporum apud *Barbos. in collect. Bullarum*; & constat ex supra decisis, *q.* 4. & docet *Lez. tom. 3. ver. Canonica portio*, ubi multis firmat, Regulares non teneri solvere quartam de legatis sibi factis, nedum ratione privilegiorum, verùm etiam ratione consuetudinis legitimè

gitimè præscriptæ. Si ergo Regulares non tenentur de legatis sibi factis solvere quartam, quo jure Ordinarius poterit sub censuris prohibere hæredibus defuncti, ne solvant Regularibus legata, nisi prius ipsi solvant Parochis portionem Canonicam? esset utique præceptum injustum, & contra immunitatem eorumdem.

2. Nec his nocet *Bellectus in suis disquisit. de favore Clericorum*, ubi ad intentum Glossam citat, & alios Doctores, quia laborat in æquivoco, loquitur enim de jure communi, sed nihil dicit de privilegiis, & decretis novissimis Sacr. Congregat. nec quidem mirum, quia circa æquivocum contingit sapientes falli.

Quæst. 29. An hæres defuncti teneatur Parocho quartam solvere?


1. AFfirmat *D. Didacus Covarr. in c. officii num. 9. ver. nec obstat de testamentis sub tit. delegat. indebitum; in nova Impressione Antuerpiens.* cui favent *Molina de just. disput. 215. nu. 5. & D. Barbos. de offic. & potest. Parochi c. 25. num. 17.* Oppositum tamen, quod est de jure verius tenet *Frater Archangelus Caraccia Dominicanus in suo tractatu de quarta funeralium*, ubi pro se allegat *c. questa est nobis Nereida 12. cap. in Ecclesiastico, 14. & c. præcipiendum 15. caus. 13. q. 2. cap. non sitis, & c. cum in Ecclesiæ sepultura de simonia.* Vel dicas, quod quarta Episcopalis de legatis debita Episcopo, exigenda est à legatariis, quando eis legata per hæredes defuncti, reperiuntur soluta: secus exigi potest ab hæredibus juxtà consuetudinem loci legitimè præscriptam, & non alias, ut benè advertit *D. Ricc. 3. p. prax. resolut. 335. nu. 2.* ubi latè de quarta Episcopali, *& in subsequent. resolut. 336. de quarta Parochiali.*

Quæst. 30. Si quis in ægritudine, de qua decidit, offert se, & bona sua Monasterio, an teneatur de rebus oblatis solvere quartam?

1. AFfirmativè dic: secus autem si in sanitate transiret in loca Religiosa. Et est casus textualis *cap. de his, 4. de sepult.* ibi, *Quod si in ægritudine ipsi ad Religionem transeant: dummodò de ægritudine illa decidant, &c.* ubi *Glos.* in casu multa adunat. *Mirand. tom. 2. manual. q. 48 ar. 9. Roder. in comp. resolut. 18. num. 15.*

Quæst. 31. An statuta laicorum circa funeralia sint valida & licita?

1. SUb distinctione resolve, aut statuta prædicta concernunt ea, quæ in mortuariis in nihilo tangunt Clericos, nihilvè ab Ecclesia removent, ceu est, quod hæredes tantùm vestiantur de nigro, quod in domo dez tantùm accendantur candelæ, quod una tantùm pulsetur Campana, quod feretrum, & cadaver sericis nonornetur, & similia, quæ fiunt ad solam pompam, & consolationem vivorum, & sic licitè possunt fieri, ad hoc ut facultates hæreditariæ conserventur: aut concernunt ea, quæ fiunt ad honorem Dei, vel pro defunctorum Animarum salute, pauperum eleemosynis, vel Ecclesiæ utilitate, & sic nequeunt fieri sine peccato, & lapsu censurarum. Quandoquidem hæc prædicta non cadunt sub laicorum potestate, ut docent *S. Thom. 4. sent. distinct. 45. ar. 5. Damascenus ex Athanasio in serm. de dormientibus & S. August. in lib. de Civitate Dei, Abbas in c. fin. de rebus Eccles. non alienandis, ibidem Joann. de Imola, Panor. & Sylv. ver. statutum, q. 2. dict. 8. & firmat tex. cap. Animæ defunctorum 22. 13. q. 2.* ibi, *Curatio verò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum.* Ad quod item facit privilegium Imperat. quo quisque laicorum potest Ecclesiæ liberè donare, & Ecclesiasticis personis, *l. 1. & l. illud, & l. final. de sacrosanct. Eccles.* de qua re sunt omninò videndi præcitati Doctores, & præcipuè S. Thom. & August. *loc.* ubi dicunt, quod Oleum, Incensus, Aqua benedicta, candelæ in manibus Sacerdotum, & quæcunque similia in die funeris, sunt quædam eleemosynæ, interpretationes pro animabus defunctorum, & ad honorem Dei quoque exhibita. *Tabiena ver. excommunicatio 5. cas. 10. & Conradus 2. p. respons. q. 265.* ubi quærit, an cultus exequiarum defunctis prosit: Cætera vide apud præcitatos Authores.



TRACTATUS XII.

VARIARUM RESOLUTIONUM.

Quæst. 1. An Prælati Regulares, in puniendis delictis subditorum, teneantur servare apices, & subtilitates Iuris?

1. NEgativè deciditur *in cap. qualiter, & quando 24. de accusat. in fin.* ubi textus sic loquitur, *hunc tamen Ordinem circa Regulares personas, non credimus usquequaque servandum, quæ, cum causa requirit, facilius, & liberius à suis possunt administrationibus amoveri, & in cap. per tuas, 32. de Simonia, in fine,* ibi, *tales igitur contra talem, taliter duximus admittendos; non secundum rigorem juris; sed secundum temperantiam æquitatis, &c.* ad quod clarius, ac tutius exequendum, Prælati Dominicani habent privilegium sibi indultum à Bonifacio VIII. quod incipit, *Ad augmentum*, quod per extensum refert Confectius, *in Collect. lit. Apost. fol. mihi 18. in impress. Veneta, de anno 1607.* & liquet ibi, *Nos vobis auctoritate Apostolica indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones Fratrum ejusdem ordinis delinquentium infligendas, præfati ordinis supradicti, ad quos spectare noscuntur, rimulis, & apicibus Juris postpositis, liberè procedere valeant, secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & etiam facienda, ipsius ordinis instituta, &c.* quod item confirmavit Bonif. IX. sua Bulla incip. *Sacræ Religionis*, quæ per extensum habetur in nostro Bullario impresso jussu Reverendissimi Generalis Ulusmaris. *fol. mihi 92.* & liquet ibi, *quodque prædictus Magister, & alii Præsidentes in dicto ordine, ad quos pertinuerit pro tempore, in correctionibus Fratrum ejusdem ordinis, juris ordine postposito, secundum consuetudines approbatas, & instituta Ordinis antedicti procedere, liberè, & licitè possint, & valeant, eis auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia indulgemus,* hæc ibi.

2. Quæ quippe privilegia, cum respiciant favorem Ordinum, extenduntur ad omnes Regulares, qui nobiscum

scum communicant in privilegiis, ut notant *Portell.* *p.casu 24.n.2. Aretinus in sua practica criminali de modo* *ocedendi c.2. & de testib.c.1. in fin. & Bordon. controv.3.* *inhabilitate testium q.31.n.137.* & reperiuntur inter no-ta statuta *distin.1. de graviori culpa, c.18. lit. P. fol.80.col.1.* *distin.2.c.17. de Const. Bonif. IX. tex.5. fol.196.*

3. Et quamvis præcitati Regulares in antedictis cor-ectionibus non teneantur apices & rimas juris sequi, ihilominus tenentur substantialia & essentialia judicii bservare, quæ sic adeò sunt de essentia, & substantia idicii, ut illis omissis, judicia sint nullius roboris, aut iqua, contra illud *Deut.16. Justè, quod justum est, prose-queris,* & probat textus *Clem. sæpè contingit, de verbor. gnificat.*

Quæst. 2. Quanam, & quot sint de essentia, & substantia judicii?

RESpondent *Panorm. in cap. dilecti filii 6. de Judic. Syl. in verb. Judex, 1. qu.5. D. Anton. in 3. p. tit.9. cap. 5. §.6. Navar. de sent. & re judicata, consil.1. in fin. & de ap-pell. consil.5. n.10.* quòd illa dicuntur substantialia, & es-sentialia judicii, quæ sunt de jure divino, naturali, vel gentium; hæc autem in genere quatuor esse attestantur: primum, ut contra aliquem non procedatur, nisi accusa-tum, denunciatum, aut infamatum, juxtà tres modos procedendi à Jure statutos, per accusationem, denuncia-tionem, & inquisitionem, *cap. qualiter & quando 24. de accusat.* Secundum, ut testes examinentur cum jura-mento. Tertium, ut absens vocetur. Quartum, ut indefensus non condemnetur, nisi fuerit con-tumax.

2. Tu autem, pressiùs loquendo, dicas, quòd pri-mum essentiale judicii est, ut constet saltem in genere de corpore delicti; nam cùm de ipso delicto puniendo aga-tur, de ipso priùs naturaliter debet constare aliquo mo-do, an scilicet sit commissum, & extet in rerum natura? quia non entis nullæ sunt partes, & sine fundamento delicti inaniter conficitur ædificium processus crimina-lis, sive juridicè, sive summariè procedatur, sive agatur per viam accusationis, sive denunciationis, sive inquisi-tionis, quia in his omnibus modis militat eadem ratio, & additur, quòd quis reus in criminalibus esse non po-test, nisi ratione delicti: ergo priùs de delicto constare debet.

3. Secundum est accusatio, aut denunciatio, vel in-famia, sine qua inquisitio fieri non potest; cùm succedat loco accusatoris, sine quo justitia nequit administrari, cùm non sit ad se ipsum, sed ad alterum, ut egregiè declarat D. Thom. 2.2. *q.58. art.2. in princ. corp.* Unde oportet, ut Judex inter duos judicet, quod tunc fit, quando unus est actor, & alter reus, ut idem D. Thom. docet *in ead. 2.2. q.67. ar.3.* ubi de re nostra luculenter agit.

4. Tertium substantiale, est contestatio litis, quæ in criminalibus tunc fit, quando reus examinatur, ut prin-cipalis, ad hoc, ut respondeat ad sibi objecta: est enim de jure divino, *Gen.1.* ubi Deus, antequam condemnaret Cain de homicidio Abel fratris sui, constituit eum, & examinavit, dicens: *Quid fecisti?* Ergo judicium ne-quit fieri sine examine rei principalis, nisi fortè con-tumax; quia in tali casu habetur pro constituto exami-nato & confesso, & consequenter nequit prætermitti, cùm tale examen sit pars defensionis, vel præambulum, & dispositio necessaria ad se defendendum, licèt quoad solemnitatem à jure requisitam possit omitti.

5. Quartum substantiale est, ut non omittantur le-gitimæ defensiones, quia nemo indefensus, & inauditus debet condemnari: sunt enim hæ de jure naturæ: unde nec per summum Principem possunt auferri, & ut jura clamant, *contra inauditam partem, nihil rectè potest in ju-dicio definiri, cap. susceptis 1. de causa possessionis.*

6. Si autem reus instet, & petat testes in priori pro-cessu examinatos repeti & reexaminari, ex quo fue-runt dumtaxat examinati pro Curiæ informatione, & sperat exinde relevari: judex tenetur illos repetere, & re-examinare, ut juris, & praxis est, citato ipso reo petente, ad videndum testium juramenta, quod cùm etiam sit de substantia judicii, non potest prætermitti, sine læ-sione justitiæ; quidquid alii dicant, ad quod facit *Clem. sæpè contingit 2. de verb. signif. ver. citationem,* ubi de-cernitur, quòd quando causa expedienda est de plano, & summariè, & sine figura judicii, non sit omittenda citatio, & cùm indistinctè de citatione loquatur, intel-ligi debet non solùm de citatione rei ad comparen-dum, sed de omni citatione necessaria, ad hoc, ut in omnibus actibus dicatur auditus: & propter hanc eamdem rationem non est omittenda citatio ad senten-tiam diffinitivam, quia ut dictum est, censetur de sub-stantialibus, & aliter reus æstimaretur gravatus, ut putà inauditus, unde posset appellare, & de nullitate dicere.

7. Quintum substantiale est, ut reo petenti, & vo-lenti se defendere in crimine, sibi imputato, detur co-pia omnium actorum, sive judiciorum, cum nomini-bus, & cognominibus testium examinatorum contra illum, aliter non posset se defendere per viam ex-ceptionis contra testes, & sic impediretur in suis defen-sionibus.

8. Ultimum substantiale est, ut sententia feratur in scriptis, & reo condemnato intimetur, saltem per e-dictum, eaque tandem observentur, quæ à Jure Cano-nico reperiuntur præscripta, vel ex propriis Constitu-tionibus sancita, cum decreto irritante, vel sunt de for-ma, de quibus sunt legendi *Aretinus in practica crimina-li c.2. & 3. de modo procedendi, Peyr. in suo formul. lit. P. cap.16. not.2. & Megal. in sua practica criminali c.9. à nu. 12. usque in finem.*

Quæst. 3. Quanam sint de solemnitate & subti-litate judicii?

1. PRæcitati Doctores unico verbo quæsito satis-faciendo dicunt, ea ad judicii solemnitatem sive subtilitatem spectare, quæ sunt juris positivi civilis, vel etiam Canonici, uti sunt trina citatio in scriptis consepta, & non aliter, per intervalla, cum testibus in-timata; judicii dies non festus, locus non privatus, con-testatio litis cum solemnitate inchoata, hoc vel illo modo, ut putà, coram assessore, delicto semipleno pro-bato, dilationes interloquutoriæ, exceptiones frustra-toriæ, appellationes dilatatoriæ, Advocatorum conten-tiones, & jurgia, sententia sedendo, vel stando pro-lata, & similia hujusmodi; nam sicut illa dicuntur sub-stantialia ad judicium, quæ sunt de jure divino, vel na-turali, vel gentium: ita & illa dicuntur accidentalia sive de solemnitate & subtilitate juris, quæ aliàs nun-cupantur apices & rimæ juris, quæ emanant à solo Jure Civili, vel Canonico; de quibus latè *in tract. de judiciis in ordine nostro faciendis, ad finem nostrarum Con-stitutionum apposito, Pegna in 3. p. direct. Inquisit. Can.104. ver. fin. Aret. in pract. de modo procedendi c.2. Lud. Miran-da de ordine jud. to.1. qu.14. art.1.2. & 3.* ubi de his opiparè discurrit, *& Peyr. in for. lit. P. cap.16. n.3. §. solemnitates verò juris sunt,* ad quæ observandum, videnda est omni-nò præ-

nò prædicta Clem. *sæpè contingit 2. de verb. significat.* ubi à S. Papa optimè declaratur, quid sit procedere simpliciter, & de plano, absque strepitu, & figura judicii.

Quæst. 4. An Prælati Regulares possint ut libet in quibuscumque causis testes de jure positivo inhabiles admittere ut habiles, & idoneos ad judicandum de crimine subditorum?

1. Affirmativè *P. Franciscus Aretinus in sua practicâ criminali, c. 2. in fin. de modo procedendi*, quia ante dicti Prælati, ex decisis & relatis privilegiis, non tenentur sequi limas, & juris apices, de quarum numero extat prædicta testium inhabilitas; ac proinde (*inquit ipse*) poterunt Prælati Regulares admittere testes infames, quià infamia est de jure positivo, *cap. per tuas extrav. de simonia*, ac etiam mulieres, quia hæ excluduntur à testificando à jure positivo, *cap. mulierum 33. q. 5.* cui favet *Longus Capuccinus in tract. de casib. reserv. p. 2. casu 5. de judicio Reg. §. de exceptionibus contra testes, sub n. 8. ver. tertium est in fin.* ubi subjungit, *& certè si in Religionibus non admitterentur hujusmodi testes, infinita Religiosorum crimina remanerent impunita; quinimmò animum sumerent quàm plurimi Regulares perpetrandi multa crimina, præsertim carnalia, & inhonesta, in gravissimam perniciem, tum Religionis, tum animarum ipsorum Regul.* Hæc ille.

2. Verumtamen oppositum tenent *Ghisler. de judicio Regul. cap. 11. per totum, Miranda de ordin. Jud. tom. 1. quæst. 14. art. 2. conclus. 2. Laur. Peyr. in formul. lit. P. cap. 16. num. 3. & Bordonus controvers. 3. quæst. 31. num. 137.* & meritò; tum quia supradicta testium inhabilitas non spectat ad apices juris, ut putat Aretinus cum suis asseclis, sed ad substantiam judicii; nam veritas est basis & fundamentum judiciorum, sicut illorum perversitas & destructio est falsitas in ipsis testibus, in quibus totum jus & injuria judicandorum consistit: inhabilitas autem testium, aut totam veritatem exterminat in judiciis, aut eamdem debilitat, infirmat, & diminuit, ergo &c. tum etiam, quia solemnitates juris, sive apices, quas Regulares sequi non tenentur, illæ dumtaxat sunt, quæ per Sanctum Papam reperiuntur declaratæ in *d. Clem. sæpè contingit, 2. de verb. signif.* inter quas non reperiuntur expressæ testium inhabilitates; sed eæ tantùm, quæ ad ordinem accidentalem judicii spectant, & causam dilatant, prorogant, aut faciunt immortalem, de quibus dictum est suprà *qu. 3.* tum item, quia licèt Prælati Regulares non teneantur in eorum judiciis sequi apices juris, ut constat ex decisis, *cit. loc.* hoc tamen *Panorm. in cap. olim 26. de accusat. Rodriquez to. 2. qu. 16. art. 1. Ghisler in sua practica, cap. 11. nu. 24. & Peyr. tom. 1. de subdito, cap. 20. §. unic. ver. ad ultimum noto*, intelligunt procedere in causis civilibus, & levibus: secus autem in criminalibus, & gravibus, & quando agitur de habitu spoliando, de damnando ad triremes, de carcerando perpetuò, de Prælato deponendo, de jure quæsito privando, quia in his dicunt, omnes juris solemnitates esse servandas, quæ fortè possent reo proficere. Quod dictum colligunt ex *d. cap. qualiter & quando 24. de accusat.* ubi in fine Papa vult, ordinem judiciarium circa Regulares non esse servandum usquequaque, hoc est, ad unguem, cum tanto rigore, quanto circa sæculares. Quem rigorem Bonif. ubi suprà, apices appellat; tum item, quia jura omnibus æqualiter favent; tum denique, quia fama Religiosorum non est inferior fama sæcularium, ergo non est spernenda.

3. Neque his nocent inconvenientia relata; nam licèt de juris rigore infames mulieres, & consimiles personæ inhabiles non debeant admitti ad testificandum in judiciis, hoc tamen intelligitur regulariter, quando scilicet delictum potest aliunde probari: unde fallit in delictis exceptuatis, & in iis, quæ sunt difficillimæ probationis; nam si Religiosus comprehendatur in lupanari, ubi meretrices tantùm habitant, non ab aliis convincendus est de crimine, nisi per meretrices ibi stantes, quia ibi honestæ personæ non adsunt. Item si quis delinquat in sylvis, ubi viles personæ tantùm morantur, non aliunde de crimine convincendus est, nisi per personas ibi commorantes; inhabilitas ergo testium relinquitur prudentiæ Judicis, eò magis, quia testes inhabiles, licèt de jure non sufficiant ad condemnandum, sufficient tamen erunt ad inquirendum.

Quæst. 5. Denunciator an possit esse testis contra delinquentem à se denunciatum, ad finem illum puniendi?

1. Quòd denunciator in causâ fidei, sive in denunciatione evangelica & charitativa valeat gerere vicem denunciantis & testis, non est dubitandum; cùm habeatur expressè in *c. in omni negotio 4. de testibus*, ubi textus sic loquitur: *In omni negotio, principalis persona dicens veritatem de re sibi nota, rectissimè habenda est pro teste, cui adhibito uno efficiuntur duo testes; adhibitis duobus efficiuntur tres, quod patenter ostendit Deus, cùm dicit: Si peccaverit in te frater tuus, &c.* & de hac denunciatione sunt intelligendi *Sotus lib. 5. de just. q. 9. ar. 2. conclus. 4. Navar. in summ. cap. 23. nu. 33. in fin. Roder. tom. 2. q. 13. ar. 6. Carena p. 3. de tribus modis, §. 3. de denunciatione, & multis citatis Sousa in aphorism. lib. 2. cap. 4. de denunciat. nu. 2.*

2. An verò possit esse testis in denunciatione judiciali? quæsitum est inter Doctores non leve; quod cæteris prætermissis, negativè resolvunt *Emin. Caiet. 2. 2. q. 69. ar. 2. §. ad secundum in fin. Abbas in d. cap. in omni negotio, nu. 9. Valent. tom. 3. disput. 5. q. 13. nu. 4. conclus. 3. Arag. 2. 2. q. 33. ar. 8. Malder. ibid. q. 33. art. 6. dub. 5. Peyr. in formul. lit. D. cap. 2. nu. 9. not. 7.* & alii gravissimi Doctores non pauci, & moventur ex multis. Primò, quia idem in eadem causa non debet esse actor, & testis, *cap. nullus 2. caus. 4. q. 4.* tum item, quia quodlibet judicium debet constare ex quatuor personis, ut putà ex Judice, accusatore, reo, & testibus, *cap. forus 10. de verb. signific. § in omni quoque negotio*, ibi, *Hæ personæ requiruntur Judex, accusator, reus, & tres testes, &c.* quod etiam probat *text. d. cap. nullus, 4. q. 4.* ibi, *Accusatores verò, & Judices non sint iidem, sed per se accusatores, per se Judices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine.* Hæc ibi, ex quibus liquet, quòd prædictæ quatuor personæ debent esse inter se verè & realiter distinctæ, non autem ratione, ac metaphysicè.

3. Ad quod item facit *text. cap. in prioris 7. caus. 2. q. 1. §. quia ergo Stephanus*, ibi, *Si alii accusatores, atque alii testes fuerint, &c.* ergo testes requisiti ad condemnandum, debent esse distincti physicè, & realiter ab accusatore, secus corruit judicium.

4. Secundò, quia urget præsumptio contra illum, qui instat, ut pœna alteri infligatur, quòd scilicet hoc non faciat zelo charitatis, ut occurrit in denunciatione evangelica, sed causa odii, & inimicitiæ, ut probat *text. cap. si quis 20. 2. q. 7.* ibi, *Nihil convitii, aut criminationis objecerit.*

5. Tertiò, quia si Advocatus & Procurator in causa sui principalis non admittitur in testem, propter affectionem, quam ad causam prædictam præsumuntur habere, ut probat *Sot. cit. loc.* Unde in *d. cap. nullus 2. q. 4.*

4. Procuratores & Advocati ponuntur, ut personæ aliter distinctæ à testibus, ibi, *Defensores extenuatione minuendam causam, &c.* & *c. final. de procur. in 6.* Procurator in causa sui principalis non admittitur, ergò multò fortiùs non debet admitti denunciator, cùm si non probet, possit timere dedecus & vituperium.

6. Quartò, quia Julius III. in sua Constitut. incip. *multis depravatis*, quæ est 23. in novo Bull. Cherub. ult, ut denuncians cum juramento in peccato blasphemiæ, habeat vim unius testis, & non aliter; & liquet ibi *in condemnando pro hoc execrabili scelere statuitur duobus testibus fide dignis, poterit haberi loco testis denuncians, si medio juramento denunciet, diligenter observatâ qualitate, integritate, & reliquis circumstantiis denunciantis, cùm alterius testis, &c.* Hæc ibi, ergo seclusâ causâ fidei, nullo potest jure fulciri, quòd denunciator sit actor, & testis: aliàs hoc non esset speciale in causa fidei, nec fuisset opus declaratione Papæ.

7. Hinc *Sotus membro 2. q. 4. de teg. secret. conclus.* 8. *ver. sed dubium egregium est*, tremens de probabilitate adversæ opinionis, ait: *Hoc dixerim probabiliter, ut ostendam, saltem in crimine pravitatis hæreticæ nihil fieri contra illud, si denuncians reperiatur in testam. quamvis in aliis privatis delictis non esset fortè adeò consulendum.* Hæc ille.

9. Nec his obstat *Bordon. controversi. 1. nu. 54.* dicens, quòd textus relati loquuntur in accusatore, non autem in denunciatore, & quòd inter hunc & illum magna differentia sit; nam licèt accusator & denunciator differant . . se, quia ille de jure tenetur impositum crimen testibus probare, hic autem nequaquam, *cap. super his 16. de accusat.*

9. Nihilominus accusatio & denunciatio judicialis ratione finis intenti, non differunt; nam denunciatio judicialis, sicut & accusatio pro fine habet respicere damnum, & pœnam denunciati, & vindictam læsæ legis, & timorem cæterorum Reipublicæ, ergo ex æquali fine, æqua lance debent librari.

10. Hoc autem dictum de punitione culpati in vindictam legum, & cæterorum timorem, non potest habere locum in denunciatione evangelica, quæ fit Prælato ex charitate, hoc est, non ut Judici, sed ut Patri; non ad processum formandum, sed ad correctionem, & emendandam. Unde censetur civilis, & non criminalis, adhibita in augmentum fidei, & lucrum animarum, *Sylv. ver. denunciatio, n. 4. Lez. eod. ver. n. 2. & Sanch. in decal. lib. 6. c. 2. in proœmio.*

Quæst. 6. *Quinam testes excipiantur, sive repellantur à testimonio?*

1. Et quidem primò infames, & perjuri, non sunt examinandi in causa criminali: & esto, quòd admittantur, non probant: si tamen communi opinione hominum reputentur, & habeantur ut tales, *Bartol. in l. 1. n. 4. C. de testib.* vel constet ex aliquo delicto, & causa esse tales, quales excipiens dixit, *Alexander consil. 152. nu. 16. lib. 5.* quem refert *Crot. de testib.*

2. Secundò repelluntur à testimonio testes non jurati, *c. fraternitatis 17. & c. tuis 39. de testibus.*

3. Tertiò, mulieres ob sexus fragilitatem, & ingenii mutabilitatem, *cap. forum sub fin. de verb. signif. & cap. mulierem 33. q. 5.* quod procedit de Jure Canonico, & quoad condemnationem; nam quoad Inquisitionem admittuntur, & præcipuè contra Clericos, ut dicit *gloss. c. quoniam de testib.*

4. Quartò, minor viginti annis, *l. in testimonium, ff. de testib.* quod intellige verum quoad torturam, & condemnationem; secus quoad judicium & Inquisitionem.

5. Quintò, testes inimici, ut probat *text. cap. accusatores 2. 3. q. 5.* & liquet ibi, *Testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudius tertius inimici fuerunt, ne fratri nocere cupiant, vel læsi, ulcisci velint.* Hæc ibi, ubi *gloss. in ver. hesternum*, ad intentum allegat multa jura, & procedere de inimicitia capitali, affirmat *Jul. Clar. §. final. q. 4. ver. item quæro.*

6. Sextò, consanguinei ascendentes, & descendentes accusatoris: item collaterales, qui tamen possunt admitti ad rei defensionem, *Clar. in d. § final. q. 24. nu. 12.*

7. Septimò, socii criminis, *l. fin. C. de accusat. & cap. veniens 10. de testib.* & liquet, ibi, *Et nos tuam sententiam commendamus, eò quòd ille, qui eodem erat infectus crimine, inde contra eum testificari non posset, nullique de se confesso adversus alium in eodem crimine sit credendum.* Hæc ibi, ubi *gloss. in ver. illorum*, limitat *d. cap. non procedere in criminibus exceptis, ut putà simoniæ, sodomiæ, hæresis, & similium*, ad quod facit *cap. cùm oporteat 19. de accusat.* ubi dicitur, quòd socii criminum nullum dant jus Judici, nedum ad condemnandum, verùm etiam nec ad inquirendum, *Navarr. lib. 5. consil. 4. 5. de accusat. Aretinus in d. pract. cap. 1. de testibus, Bordon. in controver. 2. de socio crim. nu. 26.* ubi dicit, quòd in casibus non expressis, socii criminum contra complicem nihil probant, & maximè, quando nominatus est bonæ famæ, & *Megal. in sua pract. cap. 14. n. 12.* ex multis ostendit, quòd sociis criminum non sit credendum, quia socii dictum non est tanquam dictum testis, sed tanquam dictum denunciantis, seu accusantis; & addit, quòd socii criminis dictum, ut fidem faciat, est ab ipso confirmandum in tormentis.

8. Octavò, persona vilis & pauper non potest esse testis, quia potest pecunia corrumpi, *Clar. in d. §. final. q. 24. ver. quæro etiam*, & probat *tex. cap. licet causam, de probat.* ibi, *quòd corrupti falsa dixerunt*; quod tamen intellige verum de paupere, & turpi persona: secùs autem si sit persona honestæ vitæ, & bonæ famæ, & conditionis, *l. 3. 4. ff. de testibus.* Quis autem dicatur pauper, statur judicio Judicis, *Longus Capucc. de exceptionibus contra testes, ver. 9.*

9. Nonò, Conspiratores non possunt esse testes, & sunt illi, qui ex pacto conveniunt, ut unus accuset, seu denunciet, & reliqui sint testes, quorum accusatio & testimonium non solùm admittenda non sunt, verùm etiam debent exemplariter, ac rigidè castigari tanquam impostores, & Reipublicæ perturbatores; ad quod facit *cap. 1. & A. de sent. & re judicata, cap. per tuas de simon. cap. conspiratio, cap. conjurationum, cap. si qui Clerici, vel Monachi, cap. si Clericus, & cap. si qui Clericorum, q. 1.*

10. Decimò, similiter ejiciuntur à testificando laici contra Clericos, mente capti, & consimiles; de quibus omnes practici, & præcipuè *Anton. de Sousa Dominicanus lib. 2. cap. 11. & 12. aphor. Aretinus, Longus, Megal. cit. loc. & Bordon. in controvers. 3. de inhabilitate testium*, ubi diffusè dixerunt de prædictis exceptionibus.

Quæst. 7. *Inimicitia capitalis quænam sit?*

1. Noster *Sousa in aphorism. lib. 10. de teste inimico, post Pegnam 3. p. comm. sive c. 116. & Farin. de testib. q. 53. §. 6. nu. 110.* dicit, quòd capitales inimicitiæ regulariter censentur illæ, quæ oriuntur ex morte, infamia gravi, lethali vulnere, amissione omnium bonorum, aut majoris eorum partis; & additur, attentata propinatio veneni, calumnia illata Religioso, exclusio Religiosi à patria, per favores superiorum, sine culpa sua, continua rixa, & similia, quæ evidenter demonstrant mortale odium contra proximum. *Bordon. controvers. 3. de inhabilit. testim. quæst. 1. nu. 11.*

2. Et hæc inimicitia repellit inimicum ab accusatione, denunciatione, & testificatione, etiam in casibus exceptis, & privilegiatis, *Bartol. in l. in quæstionib. ff. ad l.*

& 4. cum aliis eodem tit. c. cum quis pariter eod. tit. in 6. Attamen secus est, quando Monasterium eximitur à dicta solutione ad tex. in cap. privil. dist. 3. cap. in nostra de sepul. in casu autem, de quo agitur, nedum prædictum Monasterium, sed etiam tota Religio est exempta à dicta solutione quartæ funeralium cum Paulus IV. & Gregor. XIII. dictis Clericis Regularibus communicaverint omnia privilegia aliis Regularibus concessa, quare censentur etiam communicata privilegia eximentia à dicta solutione quartæ. Inter quæ adest privilegium Julii II. concessum Minimis de anno 1506. & aliud ejusdem Pontificis, concessum Minoribus de Observantia anno 1511. sui Pontificatus 8. & aliud Pauli III. concessum Minoribus, anno 1544. & aliud Pauli IV. concessum Ordini Prædicatorum, anno 1556. quæ per extensum refert Archang. Caraccia de quarta funeralium c. 1.

7. *Nec obstat Concil. Trident. sess. 25. cap. 13. de Reform. quia cum istud Monasterium sit fundatum post publicationem Concilii; & quatenus esset fundatum ante, cum non esset solitum solvere dictam quartam, Concilium ei non obstat, ut declaravit Sanctiss. Pontifex Pius V. in sua Constit. de anno 1567. quam refert Archangelus Caraccia loc. cit. Gutierez de juram. confirmatorio, 2 p. c. 4. num. 3. Emanuel. Rodriq. in qq. Regul. tom. 1. q. 41. ar. 2. & ita etiam resolvit Congreg. Illustriss. Interpretum, ut refert Rod. cit. loc.*

8. *Quod autem hoc Monasterium fuerit fundatum post confirmationem Concilii, ex eo probatur, quia Concilium fuit confirmatum die 27. Januarii 1564. Religio autem Clericorum Regularium fuit confirmata à Clem. VII. die 24 Junii 1524. Unde per necesse inferendum est, quod hoc Monasterium sit fundatum intra quadraginta annos, de quibus loquitur Concilium. Et quatenus esset fundatum extra dictos quadraginta annos, non probatur, quod esset solitum solvere quartam funeralium.*

9. *Neque est verum quod prædicta Constitutio Pii V. fuerit revocata per Gregor. XIII. ut in ejus Bulla, quam refert Navarr. in Manual. c. 27. in fine, quia cum prædicta Bulla Pii V. plura contineret, per Gregorium redacta fuit ad terminos Concilii, ut censuit Congregatio Illustriss. Interpretum, ut refert Caraccia loc. cit. qui etiam in fin. tract. refert ipsam declarationem, & benè advertit Gutierez loc. cit. & ita fuit resolutum una parte tantùm informante.* Hæc ibi, & refert, ut jacet *D. Ricc. 3. p. prax. resol. 336. in fin. D. Barbos. in collect. ad cap. 13. Concil. Trid. sess. 25. de Reform. nu. 3. & Cesped. de exempt. Regul. quoad varia, cap. 24. sub dub. 364. nu. 4. & Mancin. in addit. in brevi tractatu de quarta funerali, dub. 3.*

10. Ex quibus omnibus intrepidè dicendum est, prædictam Constitutionem Pii V. non esse abrogatam per dict. Bullam Gregor. XIII. sed limitatam, seu reductam ad terminos Conc. Trident. cui præfata Pii Constitutio nullatenus adversatur, cum ei sit consona, & juris dubii declarativa.

11. Ad quod pariter facit Constitutio Pauli V. pro Carmelitis concessa, quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem*, & est tenoris sequentis.

12. *Decet Romanum Pontificem, quæ Sacris Ordinibus à Sede Apostolica dudum concessa sunt, sarta, tectaque tueri. Inter quos adest Ordo Beatæ & Gloriosæ, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmelo, cui inter alia, sicut accepimus, diversi Romani Pontifices concesserunt, illius Domos, seu Monasteria ante annos quadraginta ædificata non teneri ad solutionem quartæ funeralium, idque etiam à Concilio Tridentino de prædicto, & aliis Sacris Ordinibus Decretum fuit. Cum autem quæreretur, an eadem postea à quadraginta annis ædificata deberent dictam quartam solvere, Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales, Decretorum dicti Concilii Interpretes censuerunt Monasteria ædificata à quadraginta annis citra, non teneri ad solutionem quartæ funeralium hujusmodi, si modò sint ejus Religionis, cui à dicta Sede ante quadraginta annos indultum sit, ut eamdem quartam non teneantur solvere Episcopo. Quare ne di[…] Ordinis Carmelitani Monasteria, seu Domos in diver[…] Mundi partibus à quadraginta annis ædificata, indebitè i[…]gantur solvere dictam quartam funeralium, eorumque i[…]demnitati prospicere cupientes, ac tenores literarum conce[…]sionum hujusmodi forsan confectarum præsentibus pro e[…]pressis habentes, dilecti filii Procuratoris Generalis dicti O[…]dinis Carmelitani illius nomine Nobis porrectis supplicati[…]nibus adducti, volumus, mandamus, decernimus, & decl[…]ramus, omnia, & singula hujus Ordinis B. Mariæ de Mon[…] Carmelo Monasteria, seu Domus, in quibuscunque Mun[…] partibus à quadraginta annis ædificata, illorumque Conve[…]tus, & Fratres nullo modo, nullavè ratione teneri ad soluti[…]nem dictæ quartæ funeralium, & ob non solutionem huju[…]modi aliquas sententias, censuras, & pœnas incurrere pos[…] Inhibentes in virtute Sanctæ Obedientiæ omnibus, & si[…]gulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Parochi[…]lium Ecclesiarum Rectoribus, ac aliis, quos id concernit, ab ipsis Fratribus Monasteriorum, seu Domorum à quadr[…]ginta annis ædificatorum dicti Ordinis Carmelitani qua[…]tam funeralium hujusmodi quoquomodo exigere, aut eos d[…] super molestare audeant, seu præsumant. Quod si quis co[…]tradicere præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus noverit se incu[…]sum. Sicque per quoscunque Judices, & Commissarios qu[…]vis authoritate fungentes, etiam causarum Palatii Aposto[…] Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sub[…] eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interp[…]tandi facultate, & authoritate, ubique judicari, ac defin[…] debere, necnon irritum, & inane si secùs super his à quoqua[…] quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attent[…]ri. Quò circa dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apost[…]licæ Generali Auditori, & nunc, & pro tempore existentibu[…] nostris, ac dictæ Sedis Nuntiis in Regnis, seu locis aut Terris ubi Dictæ Domus ædificatæ fuerint existentibus mandamus, quatenùs ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, se[…] alios præsentes literas, & in eis contenta quæcunque ubi, [&] quando opus fuerit solemniter publicantes, ac Fratribus præ[…]dictis in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, fa[…]ciant præmissa omnia observari, nec permittant, eos desupe[…] à quoquam molestari. Contradictores quoslibet, & rebelle[…] & præmissis non parentes, per sententias, censuras, & pœna[…] Ecclesiasticas, aliaque oportuna juris, & facti remedia, ap[…]pellatione postposita, compescendo, invocato etiam, ad hoc[…] opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus qui[…]busvis constitutionibus, Apostolicis, sub quibuscunque teno[…]ribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in ge[…]nere, vel in specie ac alias in contrarium quomodolibet con[…]cessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singuli[…] etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica expressa, & individua, non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda fore[…] illorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis alià[…] in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, [&] expresiè derogamus. Aut si aliquibus communiter, vel divi[…]sim ab Apostolica sit Sede indultum, quod interdici, suspendi & excommunicari non possint per literas Apostolicas non fa[…]cientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de in[…]dulto hujusmodi mentionem. Et quia difficilè foret easdem præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quod earum transumptis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo alicujus person[æ] in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsu[s] fides adhibeatur, ac si præsentes forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Marcum sub Annulo Piscatoris di[e] 20. Augusti 1605. Pontificatus nostri anno primo.* Et habetur ut jacet *in 3. tom. Bullar. Laertii Cherub. in Paulo V. nu. 4.* & apud *Lezan. in Mari magno Carmelitar. circa §. 53. nu. 353. fol. mihi 369.*

Quæst. 6.

Quæst. 6. An Moniales sint pariter exemptæ à solutione quartæ?

1. AFfirmativè respondet *Portellus in dub.ver. Canonica portio, nu.8. Lezan. ver. quarta funeralis nu.8. Pellizz. in tract.de Monial.cap.9.nu.17.* tum quia Pius V. in dict. Bull. *Etsi Mendicantium Ordines*, & in alia, *Ad hoc nos Deus*, quæ est 41. in Bullario Cherub. loquitur generaliter, dicens Monasteria non teneri solvere quartam funeralem, supple juxta dispositionem Concil. Trid. *sess.25.cap.13.de Reform.* Conventus autem Monialium, sunt verè Monasteria, ergo; tum etiam, quia Pius V. in dict. Bulla incip. *Ad hoc nos Deus*, expressè mentionem fecit de Monialibus. Tum item, quia privilegia favorabilia Monachorum virorum, extenduntur ad Moniales ejusdem Ordinis, ut sæpè dictum est. Nec his nocet *Nomen in luc. Regul. ver. quarta funer. nu.1.* dicens oppositum, quia loquitur de jure communi, & secundùm dispositionem *Clem. dudum de sepult.* quod jus, & *cap. dudum*, fuit multoties, etiam in specie per subsequentes summos Pontifices abrogatum, ut liquet ex decisis.

Quæst. 7. An Mendicantes teneantur solvere quartam de Candelis, quæ illis ad manus dantur in funeralibus?

1. NEgativè post allegatos, *D. Didacus Covarruvias, tom.1. in cap.off.nu.12. Joan.Bapt. Confect. sub tit. de sepult. § de Candelis verò Marcell. Megal. in prima secunda Portus instit. Peregrina lib.2.q.3.nu.12. Rod. tom.1. qu.39. a.2. D. Barbos. de pot. Parochi, cap.25.num.39. Cespedes cit. loc. & D. Ricc. in 3.p. prax. resolut.337.* tum quia hanc exemptionem habent à prædictis privilegiis, & præcipuè ab ipsorum Mari magno, ubi id eis in specie conceditur, & declaravit Benedictus XI. in sua Constit. incip. *Inter cunctas*, quæ habetur in Bull. Ordinis Prædicatorum, *pag.72.* ibi, *De Candelis autem, quas Fratres portant, portio non petatur.* Tum etiam, quia ita se habet antiqua consuetudo, quæ leges interpretatur. Tum item, quia dictæ Candelæ ad manus traditæ censentur datæ personis, non autem piis locis, sed ita est, quod quarta prædicta detrahenda est à legatis factis piis locis, non autem personis, ergo.

2. Neque his obstant præcitata verba Pii V. ibi. *Id tantùm Ceræ, &c.* quia, ut constat ex lectura textus, referuntur ad illa Monasteria, quæ ultrà quadraginta annos ante Tridentinum, erant solita solvere quartam funeralem, non autem ad ea, quæ exemptionem habent, vel nunquam consueverunt dictam quartam solvere: Quibus adde, quod cum dicitur. *Quartam deberi de Cereis*, intellige de cereis, qui circa Crucem, vel cadaver deferri solent, maximè in Italia, ut aliis citatis docent *D. Barbos. de jure Eccles. lib.3.cap.24. & Lez. ver. quarta funeralis nu.7. ad finem.*

3. Nec obstat *Glossa cap. dudum de sepult. in 6.* dicens, quod prædicta constitutio Benedicti XI. fuit revocata à Clem. V. & consequenter Mendicantes tenentur solvere quartam de Candelis sibi ad manus datis; quia hoc quod dictum procedit de jure communi, fallit autem de jure speciali privilegiato, per alia privilegia, obtento: de quibus dictum est supra *q.4.*

Quæst. 8. An Mendicantes teneantur solvere quartam de Candelis accensis in Baldachino constituto in suis Ecclesiis circa cadaver?

1. NEgat noster *Remigius Scropha in suis moral. q. 13. in addit. nu.3.* tum quia quarta in casu posito debetur de Cereis, & aliis, quæ deferuntur tempore, quo corpora defunctorum deferuntur ad sepulturam, non autem de aliis, quomodolibet donatis, ut constat ex dict. Bulla Pii V. in partim extensa hic supra *q. 4.* At Candelæ, quæ ponuntur in dict. Baldachino, non fuerunt delatæ per viam una simul cum cadavere, sed aliàs transmissæ: imò erant permanentes in Ecclesia; ergo de eis quarta non debetur. Tum etiam, quia ita observat consuetudo illarum Ecclesiarum, in quibus constituitur Baldachinum circa cadaver, ergo standum est consuetudini, quæ leges interpretatur; tum item, quia ita fuit in facti contingentia sæpè decisum; tum quia Candelæ appositæ in Baldachino censentur datæ ad manus Religiosorum, de quibus certum est, quartam non deberi. Cætera vide apud præfatum authorem, & *Portell. 2. parte, casu 12.n.2.* ubi ad intentum multa refert.

Quæst. 9. An de libris, qui in signum Doctoratus, ponuntur circa feretrum, in quo jacet Doctor defunctus, debeatur quarta?

1. NEgat *D. Archangelus Caraccia in suo tract. de quarta funeralium, c.3. § adsunt indumenta mortui, libri, arma, &c.* ad quod pro se allegat consuetudinem, & Capitulum Provinciale Mediolanense. Et absolutè sequitur *Bordon. tom.2. resolut.51. num.21. & Pellizz. tom.1. manual. tract.8. cap.5. sect.4. sub nu.162. § difficultas esse posset de libris*; & meritò, quia libri, arma, & similia, quæ ponuntur circa cadavera defunctorum, sunt accidentia funeris, magis spectantia ad sæculares, & pompam vivorum, quam ad utilitatem animæ defuncti. Nec consanguinei apponunt prædicta à defunctis, vel ut dividantur inter Fratres, & Clericos pro anima illorum, sed pro consolatione, & honore familiæ. Unde si sponsus suam defunctam uxorem vestiat pretiosissimis vestibus, eamque ornet, ut in die sponsalitii cū annulis, & aureis monilibus, non ideò de his tenebitur ad quartam. Nec bona jam recensita remanebunt apud Clericos, vel Fratres, in quorum Ecclesia cadaver sepelietur, sed cum magna pietate, & charitate sunt hæredibus restituenda, ne duplici contritione conterantur. Quod totum magis firmat universalis consuetudo hujus Regni.

2. Nec his obstat *D. Ricc. 1. p. prax. decis.670. num. 4.* quia ibi loquitur de antiquo jure communi, quod, ob privilegia Regularium, & consuetudinem prædictam, reperitur abrogatum.

Quæst. 10. An Mendicantes, qui ex consuetudine solvunt quartam, teneantur illam solvere in Anniversario, quod fit in Ecclesia, ubi Testator sepultus est?

1. NEgativa decisio constat ex dict. Bulla Pii V. incip. *Etsi Mendicantium Ordines*, quæ, ut dictum est supra *qu.4.* non fuit revocata per Gregor. XIII. in sua Bulla, *In tanta rerum mole*; sed reducta ad terminos Sac. Concil. Trident. & liquet ibi. *Quæ ipsam quartam solvere consueverunt, & ubi consuevit, id tantum Ceræ, & aliorum, quæ in aliquibus partibus deferri contigerit, tempore, quo defunctorum corpora ad sepulturam deferuntur, non autem de Missis, seu legatis, aut alias quomodolibet donatis, solvi debet.* Hæc ibi, ex quibus benè vides, quod ubi adest consuetudo solvendi quartam, solùm solvenda est de obventionibus ratione funeris in die funeris, non autem in aliis diebus.

2. Idipsum dicit idem Pius V. in alia sua Bulla incip. *Ad hoc nos Deus*, 41. in Bullario Cherub. ad hoc item facit *cap. de his 10. de testam.* ibi, *De his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminaribus, Anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum divinum*

Q 4

num legantur Ecclesiis, vel reliquis piis locis, Canonica portio (dummodò in fraudem non fiat, ut ea Episcopus, seu Parochialis Ecclesia debeat defraudari) deduci non debet. Hæc ibi, inter quæ nota ly *in fraudem*, quæ cum sit quid facti, debet probari per asserentem scilicet; quia asserenti incumbit probatio, ut legistæ communiter dicunt. Sed major dubitatio est.

Quæst. 11. *An, si Parocho, in die funeris data sit sola candelarum quarta, & sequenti die, solemniori pompa, magno scilicet adhibito Religiosorum, & Presbyterorum numero, in Ecclesia, ubi defunctus fuit sepultus, die præcedenti, pro ejus Anima solemnis Missa cantetur, cum distributione candelarum, & Interstitionum, majori quantitate diei præcedentis, debeatur ex his quoque Parocho quarta?*

1. Negabant quidam olim; tum quia una quarta debetur, quæ in casu posito, præsupponitur soluta; ergo alia non debetur. Tum etiam, quia quarta debetur de obventionibus ratione funeris, & in die funeris obventis; At prædictæ obventiones, de quibus fit sermo, non fuerunt traditæ in die funeris, nec intuitu funeris, sed forsan eleemosynaliter, ob pietatem erga funus, ergo.

2. His tamen non obstantibus, Sacra Congregatio negotiis Episcoporum, & Regularium præposita, semel, atque iterum partibus hinc inde auditis, die 3. Augusti 1621. nemine discrepante, censuit deberi quartam Parocho ex funeralibus secundo loco factis, & refert per extensum *D. Barbos. de officio, & potest. Parochi cap. 25. nu.* 38. Cæterum ratio decisionis potuit esse, quia dicta pompa forsan fuit suspensa in die funeris, & reservata pro sequenti die in fraudem dictæ quartæ, contra *textum dict. c. final. de testamentis.* Vel quia, ob cadaveris fœtorem, exequiæ in præcedenti die persolvi minimè potuerunt; unde in sequenti die fuit revocatus Clericus, & cum majori pompa fuerunt recantatæ, ut benè notat *Remigius Scropha Dominicanus in suis moralibus q. 13. in addit.* ubi examinando dictum Decretum Sacr. Congregat. ait, quod pompa exequiarum in sero, & mane facta, una censetur, hinc consultò Sacr. Congregat. dixit, quod Parocho quarta debetur; & subdit, quod Sacra Congregatio in dicto Decreto non loquitur de tempore, sed de exequiis secundo loco factis; toties autem fiunt exequiæ de novo, quoties Clerus convocatur, ergo, quando Regulares sine Clero exequias faciunt in ipsorum Ecclesiis, ad quartam non tenentur.

Quæst. 12. *An Interstitia, quæ per viam circa Crucem, & cadavera defunctorum deferuntur, finito officio, sint æqualiter dividenda inter ipsos Parochos, & ministros Ecclesiæ, in qua cadavera sepeliuntur?*

1. Affirmat *D. Barbos. de potest. Parochi, c. 25. nu.* 42. duciturque ex eo, quod die 21. Martii 1629. Urb. Papa VIII. approbavit Decretum Congregationis RR. DD. Præfectorum Urbis, habitæ coram Eminen. Cardinali Urbis Vicario, in qua ad effectum removendi dissentiones, & ad evitanda scandala, ac aliis justis de causis, resolutum fuit, & declaratum, interstitia, cereos, & candelas, quæ per viam deferuntur, ac etiam ea omnia alia, quæ circa cadavera, antequam terræ tradantur, in quibuscunque privatis Ecclesiis dividenda fore, & esse, æquali portione, inter ipsos Parochos, & ministros aliarum Ecclesiarum quarumcunque, etiam Regularium, & Nationalium, seu aliàs privilegiatorum; ac propterea quando hujusmodi interstitia, seu cerei, & candelæ, in præfatis Ecclesiis, pro celebrandis divinis officiis, præsente corpore accenduntur, finito officio extinguenda, & cuiquam medietatem consignandam esse, & refert *Mancin. in brevi tractatu de quarta funeral. dub.* 4.

2. Verùm adverte cum *Remigio in suis moralibus, q. 13 in addit. nu. 15. Bordon. tom. 2. resolut. 51. num. 24. & Pelizz. to. 2. manual. tract. 8. cap. 5. sect. 4. num. 158. & num. 162. in fin.* quod D. Papa laudavit prædictum Decretum ob ejus causam finalem; ad occurrendum scilicet scandalis, & dissentionibus; ergo ubi scandala non imminent & dissentiones non adsunt, Decretum non procedit: & addunt, quod dictum Decretum fuit locale, hoc est pro Urbe dumtaxat, & non pro Orbe: & consequenter non extenditur ad alias partes mundi. Quandoquidem quæ localia sunt, loci Cancellos non transcendunt: & subjungunt, quod prædictum Decretum non comprehendit candelas ad manus datas.

Quæst. 13. *An debeatur quarta de interstitiis; seu candelis Confraternitatum funera associantium?*

1. Negativè dic ex declaratione Sac. Congregat. Episc. in una Firmana sub die 5. Martii 1615. a cujus certitudinem multa dicit *Mancinus in brevi tractatu de quarta funerali dub. 16. pag. 784. & D. Barbos. in Collect. ad cap. 13. Trid. sess. 25. de Reformat. nu.* 9.

Quæst. 14. *An Episcopus possit exigere quartam a legatis factis Oratoriis Confratrum suæ Diœcesis?*

1. Decisio affirmativa constat ex decisis *in tr. de confraternitatibus*; tum quia quarta debetur Episcopo ex omnibus legatis factis piis locis suæ Diœcesis: si tamen publica sint, ut si habeant Campanas, vel si à D. Episcopo sint specialiter destinata ad publicè orandum *Bald. in l. si quis ad declinandum, §. in omnibus*, tum etiam, quia Episcopus habet jus exigendi suam Canonicam portionem à mortuariis, & de his quæ in ultima voluntate, ad pia, & Ecclesiastica loca sibi subdita, proveniunt; ut docent communiter Doctores, & advertit *Glossa in cap. conquerente 16. in verb. mortuariorum de off. Ordin.* ad quod item facit *Clem. Dudum de sepult. in 6.*

2. Sed quid dicendum, si legatum fiat ipsis Confratribus, non autem Oratoriis ipsorum, debetur ne illo legato, quarta?

3. Negativè, aliis relatis, *Megal. in prima secundæ Partis instit. Peregr. lib. 2. c. 14. q. 4. num. 30. & D. Ricc. p. 3. Prax. resol. 338. num.* 4. tum quia de relictis personis, non debetur quarta; tum etiam, quia aliud est loqui de piis locis, & aliud de personis quæ conveniunt in loco, tum item quia liquet ex decisis suprà.

Quæst. 15. *An D. loci Episcopus, vel Parochus, possint compellere mendicantes ad solvendum sibi quartam funeralium?*

1. Quod Ordinarii Ecclesiarum Prælati, cogentes Fratres Mendicantes ad solvendam quartam in casu, quo ad illam non tenentur, sint interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & suspensi à Divinis, & Curati excommunicati, ipso facto, non cadit sub dubio, ut constat ex privil. à Sixto IV. nobis, & Minoribus concesso, sub Anno 1474. quod in partum extendit *Rod. tom. 1. q. 39. ar. 9.* & habetur per extensum in libro attitulato, Monumenta Ordin.

Ordin. *in 1. impress. fol. 62. & in 2. fol. 145. concl. 355.* & refertur etiam *in comp. priv. Mendic. ver. Canonica Portio, §. 6.*

2. Sub dubio tamen cadit, an loci Episcopus, vel Parochus possint compellere dictos Regulares ad solvendum dictam quartam funeralem in casu, quo juxtà Tridentinum, tenentur illam solvere? Ad quod negativè respondet *Rod. cit. loc. cum suo Compend. resol. 18. num. 10. de Canon. Portion. Miranda tom. 2. Manual. q. 48. ar. 14. Joan. Crucens, lib. 2. de statu Relig. dub. 5. concl. 2. Portell. in dub. ver. Canon. Portio num. 11, Remigius Scrosa in suis Moral. q. 13. num. 12. Cesped. de exempt. Regul. quoad sepul. c. 12. dub. 19. num. 21.* Et moventur, tum quia prædicta concessio Sixti IV. nullibi reperitur revocata, nec adversatur Decretis Concilii Tridentini, tum etiam, quia *in cap. Dudum de sepul. in 6.* revocantur privilegia quatenùs solùm impediunt solutionem quartæ Funeralis, non autem revocantur quantum ad hoc, quod eximunt Mendicantes à jurisdictione Episcopi; tum quia compulsio est actus jurisdictionalis, qui non potest cadere in exemptos. Quod item videtur innuere *Trid. sess. 25. c. 13. de Refor.* ubi revocat illa privilegia, quæ adversantur suo Decreto; quæ scilicet eximunt Regulares à solutione quartæ, quam juxta Tridentinum tenentur solvere, non autem revocat illa, per quæ Regulares eximuntur à jurisdictione Episcopi loci, aliàs ut dictum est suprà, non dicerentur exempti, sed subjecti: ac proinde in casu, quo debent, & tenentur dictam quartam solvere, cogendi sunt ab ipsorum superioribus, vel à Sacra Congregatione, vel à D. Papa, ut notat *Syl. in ver. Canonica Portio in fine*, non autem ab Episcopo loci, à cujus jurisdictione sunt exempti: Verum tamen adverte, quod loc. Ordinarius, hodie reperitur Conservator & Judex omnium Regul. suæ Diœcesis, si ipsi alium non elegerint in Conservatorem privilegiorum ad præscriptum Constitutionis, Gregor. XV. de Conservatoribus, & sic, uti Delegatus Apostolicus, posset cogere jam dictos Regulares, non solùm ad dictam quartam, verum etiam ad omne aliud justè debitum.

Quæst. 16. An Monasterium privilegiatum, & exemptum à solutione quartæ funeralium, dictum privil. & exempt. perdat, si bis, aut ter quartam solvat?

1. RESpondeo negativè; quandoquidem privilegia Ecclesiæ vel Ordinis, seu communitatis, non amittuntur per contrarias actiones particularium Religiosorum, nam ad hoc, ut actus contrarius præjudicet, & tollat privilegia, debet esse voluntarius, in tempore legitimo efficax, & proprius ejus, cujus est privilegium; aliàs secùs, ut constat ex latè decisis, *tom. 1. Prax. p. 1. tract. 11. de amissione privil. q. 12. num. 5. & sequen.* ac proinde privilegium Ecclesiasticum non potest amitti; nisi per actum contrarium, & proprium Ecclesiæ cujus est privilegium, qui actus, tunc talis censetur, si fiat de consensu totius Capituli, & superiorum Religionis: secùs autem si fiat à quibusdam particularibus. Quapropter si quis Regularis exemptus, in spretum privilegii sui Ordinis, vel consuetudinis legitimè præscriptæ, juxtà Trid. *sess. 25. cap. 13. de Refor.* Quartam solveret, esset valdè punibilis, uti violator exemptionis suæ Ecclesiæ, nec non ejus successor debet, & tenetur reclamare, & obtinebit, ut ibidem dico *num. 12.* Ad quod facit *Textus cap. cum accessissent, 8. de constit.* ibi, *communiter statuisse, ac statutum ipsum authoritate Sedis Apostolicæ fuisse postmodum confirmatum: vos illud faciatis in suo robore permanere*, hæc ibi, Ubi Glossa, *in ver. Confirmatum*, ad intentum multa dicit, & sequuntur *Miranda tom. 2. Manual. q. 48. ar. 13. Rodriquez tom. 3. q. 26. ar. 3. Portellus in dub. ver. privil. cessio nu. 60. & D. Barbosa de Potestate Parochi, c. 25. n. 35.*

Quæst. 17. An Conventus exemptus à solutione quartæ funeralium, possit dict. exemptioni renunciare?

1. NEgativè dic, quia faceret contra commune bonum suæ Ecclesiæ. Unde sicut Clericus non potest renunciare privilegio fori Ecclesiastici in præjudicium sui Episcopi: ita à pari, nec Regularis in damnum suæ Ecclesiæ, vel Religionis, hæc enim omnia pari passu ambulant.

Quæst. 18. An compositiones, & pacta super Iuribus Parochialibus facta inter Prælatos Conventuales & Parochos, sint valida?

1. PRo solutione hujus dubii adverte, quod Bonif. VIII. *in cap. quia ex eo, de pactis in 6.* statuit sub hoc tenore. *Quia ex eo, quod Fratres Prædicatores, & Minores, & alii Mendicantes, compositiones, & pacta cum Prælatis, Capitulis, rectoribus, & personis Ecclesiarum, Civitatum, Castrorum, Villarum, & locorum, in quibus Domus, seu habitationes eorum existunt, super iuribus Parochialibus, & aliis quibuscunque Articulis, ab eis, vel eorum antecessoribus inita, sive facta servare recusant: & ea eo prætextu infringere moliuntur, quia Magistri, aut Ministri, vel Prioris Generalium seu Provincialium eorundem non adfuit assensus in ipsis, nec approbata per ipsorum Generalia, vel Provincialia Capitula extiterunt; multa in diversis Mundi partibus insurgunt scandala, & ipsorum Fratrum (quos decet puritatem omnimodam in suis observare actionibus; & ab his abstinere propensius, per quæ possit aliis exempli pernicies generari) famæ detrahitur plurimum, & honori. Nos his occurrere paternæ sollicitudinis studio intendentes, præsenti Decreto sancimus, Compositiones, & pacta hujusmodi cum Prælatis, Capitulis, & Rectoribus, & personis prædictis ab ipsorum Fratrum Conventualibus, Prioribus seu Guardianis facta, vel approbata, de suorum Conventuum consilio, & assensu, (dum tamen aliàs sint licita, & honesta) debere ab ipsis Fratribus in locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter observari: non obstante, quod Magistri, vel Ministri, aut Priores Generalium, seu Provincialium prædictorum non intervenerit in eisdem assensus, nec ab ipsorum Generalibus, vel Provincialibus Capitulis extiterint approbata: seu quod Sedes Apostolica in his, quæ per prædictos Fratres Minores facta fuerint, authoritatem suam non præstiterit, vel assensum*, hæc ibi.

2. Per quæ revocantur privilegia nobis concessa ab Alexandro IV. & ab Honorio IV. in quibus ad validitatem harum conventionum requiritur authoritas P. Generalis Ordinis, vel Capituli Generalis, prout habetur *in lib. attitulato, monumenta Ordinis in 1. impress. fol. 18. & in 2. fol. 232. concl. 297.*

3. Advertit tamen Collector privil. mendic. *ver. privilegia*, quod hæc privilegia fuerunt postea revalidata à Sixto IV. Quibus adde, quod Leo X. in Concil. Lateranensi statuit, quod pacta, & conventiones inter Fratres, & Prælatos, ac Curatos (pro tempore inita) valeant, nisi per subsequutum Capitulum proximum Generale, vel Provinciale refutata fuerint, & per eos refutatio hujusmodi intimata debito tempore fuerit; pro ut habetur *in supplemento Ordinis, fol. 26. conclus. 75.* de quibus latè *Rod. tom. 1. q. 39. ar. 8. cum suo Comp. resol. 18. de Canonica port. nu. 9. Miranda tom. 2. Manual. q. 48. ar. 12. concl. 1. & 2. & Portel. in dub. ver. Can. Por. nu. 8.*

4. Quibus adde, quod novissimè per Clem. VIII. prædicta privilegia fuerunt confirmata, & innovata cum illa clausula, *dummodo Decretis Sac. Concil. Trident. non adversentur.* Et adde, quod dictæ conventiones debent esse licitæ, & honestæ, hoc est, non damnosæ Ecclesiæ,

non

non contra Sacros Canones, non contra proprias Constitutiones: aliàs non valent, *Tab. & Syl. ver. Can. Por. q.3.* quod est valdè notandum pro Justitia pactorum. Hinc discernes, an omnia relata per *D. Barbos. de off. & potestate Parochi c. 25. nu. 34.* vera sint.

Quaest. 19. An Novitius moriens intra annum probationis, teneatur dict. quartam solvere?

1. Decisio negativa liquet ex decisis in praecedenti *tr. q.4. & 9.* tum quia Novitius in favorabilibus, gaudet privilegiis professorum, quorum unum extat exemptio à quarta funerali, ut constat ex privilegiis suprà extensis, *q.4. Syl. ver. Can. Port. post Panorm. q.8. Azor. to. 1. lib. 9. instit. Moral. c. 12. q. 4. in 2. casu, Rod. tom. 1. q. 39. ar. 4. & D. Ricc. p. 3. Prax. resolut. 337. nu. 6.* tum etiam, quia Novitius per susceptionem habitus, & Novitiatum inceptum, mutavit Domicilium, illudque contraxit in Religione, & sic desinit esse Parochianus hujus, vel illius Ecclesiae saecularis, *Portell. in dub. ver. Can. Por. in addit. num. 2.*

Quaest. 20. An cum quis eligit sepulturam ad tempus, seu loco depositi, in aliqua Ecclesia Regularium, teneatur ad quartam Funeralium?

1. Negativè *Lez. in ver. quarta Funeralis, sub num. 10. in casu 15. & Cesped. tr. de exempt. Regul. quoad varia, cap. 12. dub. 36. 4. num. 6. & D. Riccius in 3. p. Prax. resol. 337. nu. 12.* quia interim ibi manet loco depositi, & sic cessat ratio cur haec quarta fuit introducta; & sic cessante ratione, cessat etiam ejus exactio. Ratio autem, ob quam fuit introducta quarta Parochialis, est ne fiat injuria Ecclesiae Parochiali, ob perpetuam sepulturam extra Parochiam electam: ergò quando sumus in sepultura non perpetua, sed temporali, cessat ratio quartae; & consequenter cessat ejus exactio. Quod est mente tenendum, quia Curati non pauci praetendunt quartam, etiam de sepultura temporali.

2. Amplia, ut nec debeatur quarta, si quis sepeliatur in Ecclesia contra voluntatem ejus, cujus est Ecclesia, quia cessat ratio injuriae Ecclesiae Parochialis: & consequenter cessat ejus exactio, ut post *Geminianum in c. 1. de sepul. in 6. docent Feder. de Senis, cons. 119. Molfesius, tr. 13. de ultimis voluntatibus c. 9. nu. 17. Megal. ubi suprà, & D. Riccius, cit. loc. num. 13.*

3. Hinc nuper dixi, quod perperam fatigabatur quidam Episcopus, velle vexare quosdam regulares, sub praetextu, quod intra eorum Ecclesiam, clam, & noctis tempore, ipsis invitis, immò nescientibus, fuit ab haeredibus sepulta, loco depositi, quaedam Civitatis Patrona, ad illam sepeliendam cum majoribus suis in Civitate Neapolitana: Dixi, *perperam*; tum quia Fratres, in casu posito, non deliquerant, nec intra, nec extrà septa, quia ipsis invitis, immò nescientibus, fuit praedicta ab Haeredibus ad tempus sepulta: tum etiam, quia non tenebantur Principi resistere cum periculo vitae: tum etiam, quia ipsi non pulsarunt campanas, nec processionaliter extraxerunt funus è Parochia, inscio Parocho, nec Cruce elevata, Parochiam ingressi sunt, quia defuncta praedicta, non obiit intra Parochiam, sed in itinere, propè Civitatem Neapolitanam; nullum ergò crimen in hoc commiserunt; unde potiùs loci Curatus foret poena plectendus, quia, ut audivi, sub praetextu quartae funeralis praetendebat ab haeredibus habere quingentos ducatos, aut dimidium feudi; secùs insepultum illius cadaver super terram detineret contra voluntatem Summorum Pontificum, & Decreta Sacrae Congregationis supra extensa. Videat Deus, & Deus ipse testis sit, si vera loquor.

4. Amplia resolutionem principalem, ut nec debe[atur] quarta, si quis nequit sepeliri in Ecclesia, in qua ele[git] sepulturam, ex quo forsan reperitur interdicta; prop[ter] eamdem rationem, quia scilicet cessat ratio, ob qua[m] quarta debetur, ut post allegatos, docet *D. Ricc. cit. l[oc.] Prax.* ubi multos alios casus extendit, in quibus qua[rta] non debetur, & sequitur *Mancinus in suo brevi tractatu [de] quarta funerali.*

Quaest. 21. An cadavera fidelium possint tuta co[n]scientia, ab haeredibus occultè deferri ab una [ad] aliam Civitatem, ad effugiendum solutione[m] quartae funeralis, & gabella forsan imposita p[ro] libero passu de una in aliam Parochiam?

1. Affirmat *Pelliz. tom. 2. Manual. tract. 8 c. 5. sect. q. 23. num. 177.* ducitur que tum ex communi P[ra]xi timoratorum conscientiae; tum etiam, quia praedic[tae] Gabellae impositae pro libero passu cadaverum, nu[n]quam quoad animam fuerunt receptae: tum item, q[uia] cadavera defunctorum non subjiciuntur gabellis, c[um] mors omnia solvat; nec haeredes illorum possunt col[ar]ctari ad sepeliendum dicta corpora: nec cadavera, [sub] praetextu cujuscunque compositionis quartae, vel G[a]bellae, debent remanere insepulta, nec retardari, quo[mi]nus, quantocius tumulentur, ut constat ex decisis, & [ma]ximè ex declarationibus S. C. suprà extensis; ad qu[od] item facit *Gavantus in Manuali ver. exequiae num. 49.* [u]t ex Synodo Provinciali dicit, *quod neque Parochus, in cujus fines aliquis aliena Parochia occisus est, aliò transfe[rri] ejus cadaver prohibeat, nihilque ideò accipiat.* Et subjun[git] ex eadem Synod. Provinciali, *si verò translatio fit cum [...] nere, liberum sit ei uti jure suo.* Hinc apparet, quod ali[ud] est loqui de translatione cadaveris occultè, ac privat[im] facta: & aliud de translatione ejusdem, publicè cu[m] pompa funeris, utpute processionaliter incedendo, l[u]minaribus accensis, campanis sonantibus, Religionib[us] adhibitis, & similibus.

Quaest. 22. Si quis moriens eligit sepulturam ap[ud] Regulares, & in suo Testamento reliquit suae Pa[rochiae] legatum, quod aequivalet quartae funera[li], an tale Legatum sit computandum pro quart[a], adeò ut ultra illud, non debeatur Parocho al[ia] Portio?

1. Difficilem, ac intricatam hanc quaestionem exist[i]mat *Rodriq. to. 1. q. 39. ar. 7.* Tu autem cum *Port[ell.] in dub. ver. Can. Portio in Addit. ad addit. num. 1.* sub d[i]stinctione resolve. Aut dictum legatum fuit relictum ex[pre]ssè pro quarta, & cum clausula, ut illud tantum pr[o] sua portione Parochus recipiat, & sic ei alia quarta no[n] debetur; si tamen illud pro sua quarta acceptavit. Quo[d] enim semel placuit, ampliùs displicere non potest.

2. Aut illud legatum fuit simpliciter, & absolutè re[li]ctum, absque ulla conditione: & sic Episcopus, vel Pa[]rochus potest de caeteris bonis defuncti, sibi quartam vendicare; prout expressè dicitur *in cap. off. 14. de test. an[] ibi, Quod si eam ipsi absolutè reliquit, portionem sibi deb[i]tam poterit nihilominus de caeteris vendicare, &c.* quia, ut ib[i]dem dicit *Glossa in ver. vendicare,* recipiendo unum, no[n] intelligitur alii renunciasse: nisi sit hoc expressè dictum *ff. de action. & obligat. l. quoties,* & patet de uxore, quae recipiens legatum sibi factum à marito, non intelligitur renunciasse doti. *C. de rei uxori l. uni. §. sciendum.*

Quaest

Quæst. 23. An valeat consuetudo, quod scilicet de Bonis defunctorum nihil detur Parocho?

1. NEgat *Hostiens. in sua summa, tit. de sepul.* quia censetur irrationabilis, & contra Jura Canonica, *cap. final. de consuet.* verùm *Petrus de Perusio in tr. de Canon. Port. & Innoc. in cap. requisisti, de sepul.* dicunt, quod talis consuetudo valet, & tenet: dummodò sit præscripta spatio annorum quadraginta. Quod etiam dicunt communiter Doctores scribentes *in cap. certificari voluisti de sepul.* quod sequitur *P. Magister Frater Joannes de Tabia in sua summa, ver. Canonica Portio. num.* 3. qui fuit bis Regens Generalis studii Civitatis Bononiæ, & vixit ante annum 1520. eumque allegat *Syl. in summ. ver. Canon. Port. nu. 1. ad finem.* Quod dico propter eos, qui negant Tab. vixisse ante Sylvestrum.

2. Verùm *Syl. cit. loc. q.* 1. dicit, quod vel consuetudo est contra Jus, & sic ad præscribendum requiritur spatium quadraginta annorum, vel est præter jus, & sic sufficit spatium decem annorum *cap. final. de consuet.* ubi exinde infert. Consuetudo igitur, quod detur Episcopo, vel Parochiali Ecclesiæ ultra dimidiam, putà, quod dentur duæ partes, scilicet ex tribus, vel quod detur citrà quartam, idest minus quam quarta, valet tam de quarta Episcopali, quam quarta Parochiali secundum Hostiens. si sit præscripta, quia consuetudo dandi infrà dimidiam, & quartam, non est contra, sed præter jus. Quod verò detur ultra dimidiam vel citrà quartam, vel nihil, est contra jus, quia nullo Jure cavetur, ut debeatur minus quarta, vel ultra dimidiam, vel nihil; & sic requiritur præscriptio quadraginta annorum. De qua re vide *Lud. Mirand. tom. 2. Manual. q. 48. ar. 5. concl.* 1. ubi non solùm illustrat, & magnificat doctrinam Sylvestri, verùm etiam alia multa dicit de consuetudine, an scilicet requiratur titulus, & bona fides.

3. Verùm adverte, quod Syl. & alii præcitati loquuntur de portione Canonica secundum jus commune. Tu autem, qui Regularis es, vide, & attende privilegia, quæ maximè hodie sunt in viridi observantia: dummodò tamen non adversentur Decretis Sac. Conc. Triden.

Quæst. 24. An valeat electio sepulturæ in aliquo Monasterio facta, si Ecclesiæ Parochiali nihil legetur?

1. AFfirmativè Miranda, aliis allegatis, *tom. 2. Manual. q. 48. ar.* 11. quia electio sepulturæ est libera, nec Ecclesia Parochialis, ob præteritionem quartæ sibi debitæ, & non nominatæ, acquirit jus ad demandandum, seu petendum corpus defuncti: sed solùm ad suam quartam funeralem in casu, quo sibi debeatur, ut expressè dicitur *in cap. Nos instituta 1. de sepul.* & liquet ibi, *sed quia dignus est operarius mercede sua, &c.* ad quæ vide, quæ dicit *Syl. ver. Canon. Portio. q.* 18.

Quæst. 25. An si quis, interdicti tempore, eligat sepulturam in aliqua Ecclesia Regulari exempta, & privilegiata ad sepeliendum tempore interdicti, debeatur quarta Ecclesiæ Parochiali?

1. DE hac quæstione ad partes disputat *Miranda tom. 2. manual. q. 48. ar.* 10. tu verò cum doctissimo *Azor. tom. 2. lib. 9. c. 13. q.* 4. ad quæstionem negativè responde: si tamen Ecclesia Parochialis reperiatur interdicta, sua culpa. Quod maximè procedit, si Parochia, vel ejus Parochus dedit causam interdicti: secus autem dicendum, si sit interdicta, culpa alterius, damnum enim, quod quis sua culpa patitur, sibi imputandum: secus autem, &c. alios verò casus huic consimiles vide apud præcitatum *Azor. & Portell. ver. Canonica portio in addit. nu.* 3.

Quæst. 26. Si Parochus spoliet funus antequam perveniat ad manus eorum, quibus debetur, in quam pœnam incidat?

1. DE his pœnis dixi *tract. 9. q. 32. & tract. 10. q.* 31. quibus adde, quod perdit quartam, & omne aliud jus, tenetur restituere, peccat mortaliter contra Justitiam, & potest puniri de actione injuriarum, & violatione Sacrorum Canonum, *Portell. ver. Canon. porti. nu.* 6.

Quæst. 27. Quisnam teneatur ad expensas sepulturæ, seu funeris exequiarum?

1. REspondeo cum *Sylv. ver. sepultura, q. 14. & Armill. eod. tit. num.* 27. quod hæres tenetur ad has expensas, & alia hujus generis; quia videtur quasi contractum cum defuncto, *ff. de Relig. & sumpt. funer. l.* 1. & pater respectu filii, & dominus respectu servi; *l. si quis, ff. eod. tit.* Expensa verò funeris, seu sepulturæ uxoris facta à viro, repetitur per eum à patre uxoris, si ad ipsum dos redit. secus autem si remaneat apud virum. Si verò mulier dotem habeat, & alia bona, & dos remanet marito, & alii alia ejus bona, tunc expensæ fient pro rata. Si verò dotem non habeat, nec alia bona, tunc impensæ spectant ad patrem. Sed alii dicunt, quod spectant ad maritum, in cujus posse moritur.

2. Quod autem dictum est de patre, respectu sui filii; & de domino, respectu sui servi, extende ad Prælatos Regulares respectu suorum Religiosorum.

3. An autem expensa sepulturæ Prælati sæcularis, sit facienda ab ejus Ecclesia, vel hærede? quæstio est inter Doctores non levis. Illam tamen sub distinctione resolvit Abbas in *cap. ut præterita, de elect.* dicens, quod in expensis tendentibus ad remedium, & suffragium Animæ, tenetur Ecclesia, licet Prælatus defunctus alium hæredem habeat in patrimonialibus: in aliis verò concernentibus potius solatium vivorum, Ecclesia non tenetur, sed hæres defuncti: & in his continentur pretiosa sepultura, vestes lugubres, & similia. Quod dictum lætanter amplectitur *Naldus ver. sepultura, nu. 9. & Ricc. in 3. p. prax. resol. 428. de spol. Cleric.*

4. An autem vestes lugubres factæ famulis Episcopi defuncti debeant persolvi ab Ecclesia, quæ succedit in bonis, resolvit idem *Ricc. cit. loc.* & ante eum eleganter *D. Capycius Regens decis.* 84.

Quæst. 28. An D. Episcopus loci possit prohibere hæredibus defuncti, ne solvant legata Regularibus, antequam dent Parocho Canonicam portionem, seu quartam?

1. NEgativa decisio habetur expressè in Constitut. Nicolai V. pro Carmelitis concessa, quam in partim habes hic supra *q.* 4. & liquet ibi, *Vobis, & dicto Ordini vestro, &c.* quam etiam extendit *Cespedes de exempt. Regul. quoad varia tract. 24. dub. 388. num.* 3. Quod privilegium confirmavit Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Dum attenta, &c.* ad quod etiam facit declaratio Sacræ Congregat. Episcoporum apud *Barbos. in collect. Bullarum*; & constat ex supra decisis, *q.* 4. & docet *Lez. tom. 3. ver. Canonica portio*, ubi multis firmat, Regulares non teneri solvere quartam de legatis sibi factis, nedum ratione privilegiorum, verùm etiam ratione consuetudinis legitimè

gitimè præscriptæ. Si ergo Regulares non tenentur de legatis sibi factis solvere quartam, quo jure Ordinarius poterit sub censuris prohibere hæredibus defuncti, ne solvant Regularibus legata, nisi prius ipsi solvant Parochis portionem Canonicam? esset utique præceptum injustum, & contra immunitatem eorumdem.

2. Nec his nocet *Bellectus in suis disquisit. de favore Clericorum*, ubi ad intentum Glossam citat, & alios Doctores, quia laborat in æquivoco, loquitur enim de jure communi, sed nihil dicit de privilegiis, & decretis novissimis Sacr. Congregat. nec quidem mirum, quia circa æquivocum contingit sapientes falli.

Quæst. 29. *An hæres defuncti teneatur Parocho quartam solvere?*

1. AFfirmat *D. Didacus Covarr. in c. officii num.* 9. *ver. nec obstat de testamentis sub tit. delegat. indebitum; in nova Impressione Antuerpiens.* cui favent *Molina de just. disput.* 215. *nu.* 5. *& D. Barbos. de offic. & potest. Parochi c.* 25. *num.* 17. Oppositum tamen, quod est de jure verius tenet *Frater Archangelus Caraccia Dominicanus in suo tractatu de quarta funeralium*, ubi pro se allegat *c. questa est nobis Nereida* 12. *cap. in Ecclesiastico*, 14. *& c. præcipiendum* 15. *caus.* 13. *q.* 2. *cap. non satis*, *& c. cum in Ecclesiæ sepultura de simonia*. Vel dicas, quod quarta Episcopalis de legatis debita Episcopo, exigenda est à legatariis, quando eis legata per hæredes defuncti, reperiuntur soluta: secus exigi potest ab hæredibus juxtà consuetudinem loci legitimè præscriptam, & non alias, ut benè advertit *D. Ricc.* 3. *p. prax. resolut.* 335. *nu.* 2. ubi latè de quarta Episcopali, *& in subsequent. resolut.* 336. *de quarta Parochiali*.

Quæst. 30. *Si quis in ægritudine, de qua decidit, offert se, & bona sua Monasterio, an teneatur de rebus oblatis solvere quartam?*

1. AFfirmativè dic: secus autem si in sanitate transiret in loca Religiosa. Et est casus textualis *cap. de his*, 4. *de sepult.* ibi, *Quod si in ægritudine ipsa ad Religionem transeant: dummodò de ægritudine illa decidant, &c.* ubi *Glos.* in casu multa adunat. *Mirand. tom.* 1. *manual. q.* 4 *ar.* 9. *Roder. in comp. resolut.* 18. *num.* 15.

Quæst. 31. *An statuta laicorum circa funeralia sint valida & licita?*

1. SUb distinctione resolve, aut statuta prædicta concernunt ea, quæ in mortuariis in nihilo tangunt Clericos, nihilvè ab Ecclesia removent, ceu est; quod hæredes tantùm vestiantur de nigro, quod in domo dua tantùm accendantur candelæ, quod una tantùm pulsetur Campana, quod feretrum, & cadaver sericis non ornetur, & similia, quæ fiunt ad solam pompam, & consolationem vivorum, & sic licitè possunt fieri, ad hoc ut facultates hæreditariæ conserventur: aut concernunt ea quæ fiunt ad honorem Dei, vel pro defunctorum Animarum salute, pauperum eleemosynis, vel Ecclesiæ utilitate, & sic nequeunt fieri sine peccato, & lapsu censurarum. Quandoquidem hæc prædicta non cadunt sub laicorum potestate, ut docent *S. Thom.* 4. *sent. distinct.* 45. *a* 5. *Damascenus ex Athanasio in serm. de dormientibus & August. in lib. de Civitate Dei, Abbas in c. final de rebus Eccles. non alienandis ibidem Joann. de Imola, Panor. & Syl ver. statutum, q.* 2. *dict.* 8. *& firmat tex. cap. Anima defunctorum* 22. 13. *q.* 2. ibi, *Curatio verò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt quàm subsidia mortuorum.* Ad quod item facit privilegium Imperat. quo quisque laicorum potest Ecclesiæ liberè donare, & Ecclesiasticis personis, *l.* 1. *& illud, & final. de sacrosanct. Eccles.* de qua re sunt omninò videndi præcitati Doctores, & præcipuè S. Thom. & August. *c. loc.* ubi dicunt, quod Oleum, Incensus, Aqua benedict. candelæ in manibus Sacerdotum, & quæcunque similia in die funeris, sunt quædam eleemosynæ, internæ precationes pro animabus defunctorum, & ad honorem Dei quoque exhibita. *Tabiena ver. excommunicatio* 5. *casu* 2. *& Conradus* 2. *p. respons. q.* 265. ubi quærit, an cultus exequiarum defunctis prosit: Cætera vide apud præcitatos Authores.

TRACTATUS XII.

VARIARUM RESOLUTIONUM.

Quæst. 1. *An Prælati Regulares, in puniendis delictis subditorum, teneantur servare apices, & subtilitates Iuris?*

1. NEgativè deciditur *in cap. qualiter, & quando* 24. *de accusat. in fin.* ubi textus sic loquitur, *hunc tamen Ordinem circa Regulares personas, non credimus usquequaque servandum, quæ, cum causa requirit, facilius, & liberius à suis possunt administrationibus amoveri*, *& in cap. per tuas*, 32. *de Simonia, in fine*, ibi, *tales igitur contra talem, taliter duximus admittendos; non secundum rigorem juris; sed secundum temperantiam æquitatis, &c.* ad quod clarius, ac tutius exequendum, Prælati Dominicani habent privilegium sibi indultum à Bonifacio VIII. quod incipit, *Ad augmentum*, quod per extensum refert Confectius, *in Collect. lit. Apost. fol. mihi* 18. *in impress. Veneta, de anno* 1607. & liquet ibi, *Nos vobis auctoritate Apostolica indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones Fratrum eiusdem ordinis delinquentium infligendas, præfati ordinis supradicti, ad quos spectare noscuntur, rimulis, apicibus Juris postpositis, liberè procedere valeant, secundum consuetudines approbatas, & generalia facta, & iam facienda, ipsius ordinis instituta, &c.* quod ite confirmavit Bonif. IX. sua Bulla incip. *Sacræ Religion.* quæ per extensum habetur in nostro Bullario impres jussu Reverendissimi Generalis Ususmaris. *fol. mihi.* & liquet ibi, *quodque prædictus Magister, & alii Præsidentes in dicto ordine, ad quos pertinuerit pro tempore, in correctionibus Fratrum ejusdem ordinis, juris ordine postpositis secundum consuetudines approbatas, & instituta Ordinis antedicti procedere, liberè, & licitè possint, & valeant auctoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa scientia indulgemus*, hæc ibi.

2. Quæ quippe privilegia, cum respiciant favorem Ordinum, extenduntur ad omnes Regulares, qui in bis[...]

biscum communicant in privilegiis, ut notant *Portell. 1. p. casu 24. n. 2. Aretinus in sua practica criminali de modo procedendi c. 2. & de testib. c. 1. in fin. & Bordon. controv. 3. de inhabilitate testium q. 31. n. 137.* & reperiuntur inter nostra statuta *distin. 1. de graviori culpa, c. 18. lit. P. fol. 80. col. 1. & distin. 2. c. 17. de Const. Bonif. IX. tex. 5. fol. 196.*

3. Et quamvis præcitati Regulares in antedictis correctionibus non teneantur apices & rimas juris sequi, nihilominus tenentur substantialia & essentialia judicii observare, quæ sic adeò sunt de essentia, & substantia judicii, ut illis omissis, judicia sint nullius roboris, aut nulla, contra illud *Deut. 16. Justè, quod justum est, prosequeris*: & probat textus *Clem. sæpè contingit, de verbor. signif.*

Quæst. 2. Quænam, & quot sint de essentia, & substantia judicii?

1 RËspondent *Panorm. in cap. dilecti filii 6. de Judic. Syl. in verb. Judex, 1. qu. 5. D. Anton. in 3. p. tit. 9. cap. 16. Navar. de sent. & re judicata, consil. 1. in fin. & de appellat. consil. 5. n. 10.* quòd illa dicuntur substantialia, & essentialia judicii, quæ sunt de jure divino, naturali, vel gentium; hæc autem in genere quatuor esse attestantur: primum, ut contra aliquem non procedatur, nisi accusatum, denunciatum, aut infamatum, juxtà tres modos procedendi à Jure statutos, per accusationem, denunciationem, & inquisitionem, *cap. qualiter & quando 24. de accus.* Secundum, ut testes examinentur cum juramento. Tertium, ut absens vocetur. Quartum, ut inauditus non condemnetur, nisi fuerit contumax.

2. Tu autem, pressiùs loquendo, dicas, quòd primum essentiale judicii est, ut constet saltem in genere de corpore delicti; nam cùm de ipso delicto puniendo agatur, de ipso priùs naturaliter debet constare aliquo modo, scilicet sit commissum, & extet in rerum natura? quia non entis nullæ sunt partes, & sine fundamento inaniter conficitur ædificium processus criminalis, sive juridicè, sive summariè procedatur, sive agatur per viam accusationis, sive denunciationis, sive inquisitionis, quia in his omnibus modis militat eadem ratio, & additur, quòd quis reus in criminalibus esse non potest, nisi ratione delicti: ergo priùs de delicto constare debet.

3. Secundum est accusatio, aut denunciatio, vel infamia, sine qua inquisitio fieri non potest; cùm succedat loco accusatoris, sine quo justitia nequit administrari, quæ non sit ad se ipsum, sed ad alterum, ut egregiè docet D. Thom. *2. 2. q. 58. art. 2. in princ. corp.* Unde oportet, ut Judex inter duos judicet, quod tunc fit, quando unus est actor, & alter reus, ut idem D. Thom. docet *eod. 2. 2. q. 67. ar. 3.* ubi de re nostra luculenter agit.

4. Tertium substantiale, est contestatio litis, quæ in criminalibus tunc fit, quando reus examinatur, ut principaliter ad hoc, ut respondeat ad sibi objecta: est enim de jure divino, *Gen. 1.* ubi Deus, antequam condemnaret Cain de homicidio Abel fratris sui, constituit eum, & examinavit, dicens: *Quid fecisti?* Ergo judicium nequit fieri sine examine rei principalis, nisi fortè contumacis; quia in tali casu habetur pro constituto examinato, & confesso, & consequenter nequit prætermitti, cùm tale examen sit pars defensionis, vel præambulum, & dispositio necessaria ad se defendendum, licèt quoad solemnitatem à jure requisitam possit omitti.

5. Quartum substantiale est, ut non omittantur legitimæ defensiones, quia nemo indefensus, & inauditus debet condemnari: sunt enim hæ de jure naturæ: unde nec per summum Principem possunt auferri, & ut jura clamant, *contra inauditam partem, nihil rectè potest in judicio definiri, cap. suscepti 1. de causa possessionis.*

6. Si autem reus instet, & petat testes in priori processu examinatos repeti & reexaminari, ex quo fuerunt dumtaxat examinati pro Curiæ informatione, & sperat exinde relevari: judex tenetur illos repetere, & reexaminare, ut juris, & praxis est, citato ipso reo petente, ad videndum testium juramenta, quod cùm etiam sit de substantia judicii, non potest prætermitti, sine læsione justitiæ; quidquid alii dicant, ad quod facit *Clem. sæpè contingit 2. de verb. signif. ver. citationem*, ubi decernitur, quòd quando causa expedienda est de plano, & summariè, & sine figura judicii, non sit omittenda citatio, & cùm indistinctè de citatione loquatur, intelligi debet non solùm de citatione rei ad comparendum, sed de omni citatione necessaria, ad hoc, ut in omnibus actibus dicatur auditus: & propter hanc eamdem rationem non est omittenda citatio ad sententiam diffinitivam, quia ut dictum est, censetur de substantialibus, & aliter reus æstimaretur gravatus, utputà inauditus, unde posset appellare, & de nullitate dicere.

7. Quintum substantiale est, ut reo petenti, & volenti se defendere in crimine, sibi imputato, detur copia omnium actorum, sive judiciorum, cum nominibus, & cognominibus testium examinatorum contra illum, aliter non posset se defendere per viam exceptionis contra testes, & sic impediretur in suis defensionibus.

8. Ultimum substantiale est, ut sententia feratur in scriptis, & reo condemnato intimetur, saltèm per edictum, eaque tandem observentur, quæ à Jure Canonico reperiuntur præscripta, vel ex propriis Constitutionibus sancita, cum decreto irritante, vel sunt de forma, de quibus sunt legendi *Aretinus in practica criminali c. 2. & 3. de modo procedendi, Peyr. in suo formul. lit. P. cap. 16. not. 2. & Megal. in sua practica criminali c. 9. à nu. 12. usque in finem.*

Quæst. 3. Quænam sint de solemnitate & subtilitate judicii?

1. PRæcitati Doctores unico verbo quæsito satisfaciendo dicunt, ea ad judicii solemnitatem sive subtilitatem spectare, quæ sunt juris positivi civilis, vel etiam Canonici, uti sunt trina citatio in scriptis consepta, & non aliter, per intervalla, cùm testibus intimata; judicii dies non festus, locus non privatus, contestatio litis cum solemnitate inchoata, hoc vel illo modo, ut putà, coram assessore, delicto semipleno probato, dilationes interloquutoriæ, exceptiones frustatoriæ, appellationes dilatatoriæ, Advocatorum contentiones, & jurgia, sententia sedendo, vel stando prolata, & similia hujusmodi; nam sicut illa dicuntur substantialia ad judicium, quæ sunt de jure divino, vel naturali, vel gentium: ita & illa dicuntur accidentalia sive de solemnitate & subtilitate juris, quæ aliàs nuncupantur apices & rimæ juris, quæ emanant à solo Jure Civili, vel Canonico; de quibus latè *in tract. de judiciis in ordine nostro faciendis, ad finem nostrarum Constitutionum apposito, Pegna in 3. p. direct. Inquisit. Cap. 104. ver. fin. Aret. in pract. de modo procedendi c. 2. Lud. Miranda de ordine jud. to. 1. qu. 14. art. 1. 2. & 3.* ubi de his opiparè discurrit, *& Peyr. in for. lit. P. cap. 16. n. 3. §. solemnitates verò juris sunt*, ad quæ observandum, videnda est omni-

nò prædicta Clem. *sæpè contingit 2. de verb. significat.* ubi à S. Papa optimè declaratur, quid sit procedere simpliciter, & de plano, absque strepitu, & figura judicii.

Quæst. 4. *An Prælati Regulares possint ut libet in quibuscumque causis testes de jure positivo inhabiles admittere ut habiles, & idoneos ad judicandum de crimine subditorum?*

1. AFfirmativè *P. Franciscus Aretinus in sua practicâ criminali, c. 2. in fin. de modo procedendi,* quia ante dicti Prælati, ex decisis & relatis privilegiis, non tenentur sequi rimas, & juris apices, de quarum numero extat prædicta testium inhabilitas; ac proinde (*inquit ipse*) poterunt Prælati Regulares admittere testes infames, quia infamia est de jure positivo, *cap. per tuas extrav. de simonia,* ac etiam mulieres, quia hæ excluduntur à testificando à jure positivo, *cap. mulierum 33. q. 5.* cui favet *Longus Capuccinus in tract. de casib. reserv. p. 2. casu 5. de judicio Reg. §. de exceptionibus contra testes, sub n. 8. ver. tertium est in fin.* ubi subjungit, *& certè si in Religionibus non admitterentur hujusmodi testes, infinita Religiosorum crimina remanerent impunita; quinimmò animum sumerent quàm plurimi Regulares perpetrandi multa crimina, præsertim carnalia, & inhonesta, in gravissimam perniciem, tum Religionis, tum animarum ipsorum Regul.* Hæc ille.

2. Veruntamen oppositum tenent *Ghisler. de judicio Regul. cap. 11. per totum, Miranda de ordin. Jud. tom. 1. quæst. 14. art. 2. conclus. 2. Laur. Peyr. in formul. lit. P. cap. 16. num. 3. & Bordonus controvers. 3. quæst. 31. num. 137.* & meritò, tum quia supradicta testium inhabilitas non spectat ad apices juris, ut putat Aretinus cum suis asseclis, sed ad substantiam judicii; nam veritas est basis & fundamentum judiciorum, sicut illorum perversitas & destructio est falsitas in ipsis testibus, in quibus totum jus & injuria judicandorum consistit; inhabilitas autem testium, aut totam veritatem exterminat in judiciis, aut eamdem debilitat, infirmat, & diminuit, ergo &c. tum etiam, quia solemnitates juris, sive apices, quas Regulares sequi non tenentur, illæ dumtaxat sunt, quæ per Sanctum Papam reperiuntur declaratæ in *d. Clem. sæpè contingit, 2. de verb. signif.* inter quas non reperiuntur expressæ testium inhabilitates; sed eæ tantùm, quæ ad ordinem accidentalem judicii spectant, & causam dilatant, prorogant, aut faciunt immortalem, de quibus dictum est suprà *qu. 3.* tum item, quia licèt Prælati Regulares non teneantur in eorum judiciis sequi apices juris, ut constat ex decisis, *cit. loc.* hoc tamen *Panorm. in cap. olim 26. de accusat. Rodriquez to. 2. qu. 16. art. 1. Ghisler. in sua practica, cap. 11. nu. 24. & Peyr. tom. 1. de subdito, cap. 20. §. unic. ver ad ultimum noto,* intelligunt procedere in causis civilibus, & levibus: secus autem in criminalibus, & gravibus, & quando agitur de habitu spoliando, de damnando ad triremes, de carcerando perpetuò, de Prælato deponendo, de jure quæsito privando, quia in his dicunt, omnes juris solemnitates esse servandas, quæ fortè possent reo proficere. Quod dictum colligunt ex *d. cap. qualiter & quando 24. de accusat.* ubi in fine Papa vult, ordinem judiciarium circa Regulares non esse servandum usquequaque, hoc est, ad unguem, cum tanto rigore, quanto circa sæculares. Quem rigorem Bonif. ubi suprà, apices appellat; tum item, quia jura omnibus æqualiter favent; tum denique, quia fama Religiosorum non est inferior fama sæcularium, ergo non est spernenda.

3. Neque his nocent inconvenientia relata; nam licèt de juris rigore infames mulieres, & consimiles personæ inhabiles non debeant admitti ad testificandum in judiciis, hoc tamen intelligitur regulariter, quando scilicet delictum potest aliunde probari: unde fallit in delictis exceptuatis, & in iis, quæ sunt difficillimæ probationis; nam si Religiosus comprehendatur in lupanari, ubi meretrices tantùm habitant, non ab aliis convincendus est de crimine, nisi per meretrices ibi stantes quia ibi honestæ personæ non adsunt. Item si quis delinquat in sylvis, ubi viles personæ tantùm morantur non aliunde de crimine convincendus est, nisi per personas ibi commorantes; inhabilitas ergo testium relinquitur prudentiæ Judicis, eò magis, quia testes inhabiles, licèt de jure non sufficiant ad condemnandum, sat tamen erunt ad inquirendum.

Quæst. 5. *Denunciator an possit esse testis contra delinquentem à se denunciatum, ad finem illum puniendi?*

1. QUòd denunciator in causa fidei, sive in denunciatione evangelica & charitativa valeat gerere vicem denunciantis & testis, non est dubitandum; cùm habeatur expressè in *c. in omni negotio 4. de testibus,* ubi textus sic loquitur: *In omni negotio, principalis persona dicens veritatem de re sibi nota, rectissimè habenda est pro teste, cui adhibito uno efficiuntur duo testes; adhibitis duobus efficiuntur tres, quod patenter ostendit Deus, cùm dicit: si peccaverit in te frater tuus, &c.* & de hac denunciatione sunt intelligendi *Sotus lib. 5. de just. q. 9. ar. 2. conclus. Navar. in summ. cap. 23. nu. 33. in fin. Roder. tom. 2. q. ar. 6. Carena p. 3. de tribus modis, §. 3. de denunciatione, multis citatis Sousa in aphorism. lib. 2. cap. 4. de denunc. nu. 2.*

2. An verò possit esse testis in denunciatione judiciali? quæsitum est inter Doctores non leve; quod cæteris prætermissis, negativè resolvunt *Emin. Cajet. 2. 2. q. 69. ar. 2. §. ad secundum in fin. Abbas in d. cap. in omni negotio, nu. 9. Valent. tom. 3. disput. 5. q. 13. nu. 4. conclus. 3. Ar. 2. 2. q. 33. ar. 8. Malder. ibid. q. 33. art. 6. dub. 5. Peyr. in formul. lit. D. cap. 2. nu. 9. not. 7.* & alii gravissimi Doctores non pauci, & moventur ex multis. Primò, quia idem in eadem causa non debet esse actor, & testis, *cap. nullus 2. caus. 4. q. 4.* tum item, quia quodlibet judicium debet constare ex quatuor personis, ut putà ex Judice, accusatore, reo, & testibus *cap. forus 10. de verb. signific. §. in omni quoque negotio,* ibi, *Hæ personæ requiruntur Judex, accusator, reus, & tres testes, &c.* quod etiam probat *text. d. c. nullus, 4. q. 4.* ibi, *Accusatores verò, & Judices non sint idem, sed per se accusatores, per se Judices, per se testes, per se accusati, unusquisque in suo ordinabiliter ordine.* Hæc ex quibus liquet, quòd prædictæ quatuor personæ debent esse inter se verè & realiter distinctæ, non autem ratione, ac metaphysicè.

3. Ad quod item facit *text. cap. in prioris 7. caus. 2. q. §. quia ergo Stephanus,* ibi, *Si alii accusatores, atque alii testes fuerint, &c.* ergo testes requisiti ad condemnandum debent esse distincti physicè, & realiter ab accusatore, secus corruit judicium.

4. Secundò, quia urget præsumptio contra illum qui instat, ut pœna alteri infligatur, quòd scilicet hoc non faciat zelo charitatis, ut occurrit in denunciatione evangelica, sed causa odii, & inimicitiæ, ut probat *text. cap. si quis 20. 2. q. 7.* ibi, *Nihil convitii, aut criminationis objecerit.*

5. Tertiò, quia si Advocatus & Procurator in causa sui principalis non admittitur in testem, propter affectionem, quam ad causam prædictam præsumuntur habere, ut probat *Sot. cit. loc.* Unde in *d. cap. nullus*

q. 4. Procuratores & Advocati ponuntur, ut personæ realiter distinctæ à testibus, ibi, *Defensores extenuatione ad minuendam causam, &c.* & *c. final. de procur. in 6.* Procurator in causa sui principalis non admittitur, ergò multò fortiùs non debet admitti denunciator, cùm si non probet, possit timere dedecus & vituperium.

6. Quartò, quia Julius III. in sua Constitut. incip. *In multis depravatis*, quæ est 23. in novo Bull. Cherub. vult, ut denuncians cum juramento in peccato blasphemiæ, habeat vim unius testis, & non aliter; & liquet ibi *in condemnando pro hoc execrabili scelere stabitur duobus testibus fide dignis, poterit haberi loco testis denuncians, si mediante juramento denunciet, diligenter observatâ qualitate integritate, & reliquis circumstantiis denunciantis, cùm alterius testis, &c.* Hæc ibi, ergo seclusâ causâ fidei, nullo potest jure fulciri, quòd denunciator sit actor, & testis: aliàs hoc non esset speciale in causa fidei, nec fuisset opus declaratione Papæ.

7. Hinc *Sotus membro 2. q. 4. de teg. secret. conclus. 8. ver. sed dubium egregium est,* tremens de probabilitate adversæ opinionis, ait: *Hoc dixerim probabiliter, ut ostendam saltem in crimine pravitatis hæreticæ nihil fieri contra ius, si denuncians reperiatur in testam. quamvis in aliis privatis delictis non esset fortè adeò consulendum.* Hæc ille.

8. Nec his obstat *Bordon. controvers. 1. nu. 54.* dicens, quòd textus relati loquuntur in accusatore, non autem in denunciatore, & quòd inter hunc & illum magna differentia sit; nam licèt accusator & denunciator differant [illegible] se, quia ille de jure tenetur impositum crimen testibus probare, hic autem nequaquam, *cap. super his 16. de accusat.*

9. Nihilominus accusatio & denunciatio judicialis ratione finis intenti, non differunt; nam denunciatio judicialis, sicut & accusatio pro fine habet respicere damnum, & pœnam denunciari, & vindictam læsæ legis, & timorem cæterorum Reipublicæ, ergo ex æquali fine, æquâ lance debent librari.

10. Hoc autem dictum de punitione culpati in vindictam legum, & cæterorum timorem, non potest habere locum in denunciatione evangelica, quæ fit Prælato ex charitate, hoc est, non ut Judici, sed ut Patri; non ad processum formandum, sed ad correctionem, & emendandam. Unde censetur civilis, & non criminalis, adhibita in augmentum fidei, & lucrum animarum, *Sylv. ver denunciatio, n. 4. Lez. eod. ver. n. 2. & Sanch. in decal. lib. 6. c. 2. in proëmio.*

Quæst. 6. Quinam testes excipiantur, sive repellantur à testimonio?

1. ET quidem primò infames, & perjuri, non sunt examinandi in causa criminali: & esto, quòd admittantur, non probant: si tamen communi opinione hominum reputentur, & habeantur ut tales, *Bartol. in l. 1. §. 4. C. de testib.* vel constet ex aliquo delicto, & causa esse tales, quales excipiens dixit, *Alexander consil. 152. nu. 16. lib. 5.* quem refert *Crot. de testib.*

2. Secundò repelluntur à testimonio testes non jurati, *fraternitatis 17. & c. tuis 39. de testibus.*

3. Tertiò, mulieres ob sexus fragilitatem, & ingenii mobilitatem, *cap. forum sub fin. de verb. signif. & cap. mulierem 33. q. 5.* quod procedit de Jure Canonico, & quoad condemnationem; nam quoad Inquisitionem admittuntur, & præcipuè contra Clericos, ut dicit *gloss. c. quoniam de testib.*

4. Quartò, minor viginti annis, *l. in testimonium, ff. de testib.* quod intellige verum quoad torturam, & condemnationem; secus quoad judicium & Inquisitionem.

5. Quintò, testes inimici, ut probat *text. cap. accusatores 2. 3. q. 5.* & liquet ibi, *Testes esse non possunt, qui ante hesternum diem, aut nudius tertius inimici fuerunt, ne fratri nocere cupiant, vel læsi, ulcisci velint.* Hæc ibi, ubi *gloss. in ver. hesternum,* ad intentum allegat multa jura, & procedere de inimicitia capitali, affirmat *Jul. Clar. §. final. q. 4. ver. item quæro.*

6. Sextò, consanguinei ascendentes, & descendentes accusatoris: item collaterales, qui tamen possunt admitti ad rei defensionem, *Clar. in d. §. final. q. 24. nu. 12.*

7. Septimò, socii criminis, *l. fin. C. de accusat. & cap. veniens 10. de testib.* & liquet, ibi, *Et nos tuam sententiam commendamus, eò quòd ille, qui eodem erat infectus crimine, inde contra eum testificari non posset, nullique de se confesso adversus alium in eodem crimine sit credendum.* Hæc ibi, ubi *gloss. in ver. illorum,* limitat *d. cap. non procedere in criminibus exceptis, ut putà simoniæ, sodomiæ, hæresis, & similium,* ad quod facit *cap. cùm oporteat 19. de accusat.* ubi dicitur, quòd socii criminum nullum dant jus Judici, nedum ad condemnandum, verùm etiam nec ad inquirendum, *Navarr. lib. 5. consil. 4. 5. de accusat. Aretinus in d. pract. cap. 1. de testibus, Bordon. in controver. 2. de socio crim. nu. 26.* ubi dicit, quòd in casibus non expressis, socii criminum contra complicem nihil probant, & maximè, quando nominatus est bonæ famæ, & *Megal. in sua pract. cap. 14. n. 12.* ex multis ostendit, quòd sociis criminum non sit credendum, quia socii dictum non est tanquam dictum testis, sed tanquam dictum denunciantis, seu accusantis; & addit, quòd socii criminis dictum, ut fidem faciat, est ab ipso confirmandum in tormentis.

8. Octavò, persona vilis & pauper non potest esse testis, quia potest pecunia corrumpi, *Clar. in d. §. final. q. 24. ver. quæro etiam,* & probat *tex. cap. licet causam, de probat.* ibi, *quòd corrupti falsa dixerunt*; quod tamen intellige verum de paupere, & turpi persona: secùs autem si sit persona honestæ vitæ, & bonæ famæ, & conditionis, *l. 3. 4. ff. de testibus.* Quis autem dicatur pauper, statur judicio Judicis, *Longus Capucc. de exceptionibus contra testes, ver. 9.*

9. Nonò, Conspiratores non possunt esse testes, & sunt illi, qui ex pacto conveniunt, ut unus accuset, seu denunciet, & reliqui sint testes, quorum accusatio & testimonium non solùm admittenda non sunt, verùm etiam debent exemplariter, ac rigidè castigari tanquam impostores, & Reipublicæ perturbatores; ad quod facit *cap. 1. & A. de sent. & re judicata, cap. per tuas de simon. cap. conspiratio, cap. conjurationum, cap. si qui Clerici, vel Monachi, cap. si Clericus, & cap. si qui Clericorum, q. 1.*

10. Decimò, similiter ejiciuntur à testificando laici contra Clericos, mente capti, & consimiles; de quibus omnes practici, & præcipuè *Anton. de Sousa Dominicanus lib. 2. cap. 11. & 12. aphor. Aretinus, Longus, Megal. cit. loc. & Bordon. in controvers. 3. de inhabilitate testium,* ubi diffusè dixerunt de prædictis exceptionibus.

Quæst. 7. Inimicitia capitalis quænam sit?

1. NOster *Sousa in aphorism. lib. 10. de teste inimico, post Pegnam 3. p. comm. sive c. 116. & Farin. de testib. q. 53. §. 6. nu. 110.* dicit, quòd capitales inimicitiæ regulariter censentur illæ, quæ oriuntur ex morte, infamia gravi, lethali vulnere, amissione omnium bonorum, aut majoris eorum partis; & additur, attentata propinatio veneni, calumnia illata Religioso, exclusio Religiosi à patria, per favores superiorum, sine culpa sua, continua rixa, & similia, quæ evidenter demonstrant mortale odium contra proximum. *Bordon. controvers. 3. de inhabilit. testim. quæst. 1. nu. 11.*

2. Et hæc inimicitia repellit inimicum ab accusatione, denunciatione, & testificatione, etiam in casibus exceptis, & privilegiatis, *Bartol. in l. in quæstionib. ff. ad l.*

ad l. Jul. Gomes. tom. 3. var. cap. 12. de probat. delict. nu. 14. Clar. lib. 5. sent. § final. q. 24. nu. 5. & idem Sousa cit. loc. nu. 1. & Diana resol. 40. de officio Inquisitor.

3. Amplia, ut hujusmodi inimicus nec per Principem possit fieri habilis ad testificandum, *Cardin. Parisi. cons. 2. nu. 61. & Bordon. cit. loc. nu. 13.*

4. Amplia, ut nec per torturam & juramentum possit habilitari, quia hæc media juris positivi nihil operari possunt contra jus naturale, *Sousa cit. loc. nu. 1. ubi in nu. 5.* dicit, quòd etiam inimicitiæ præsumptæ, & occultæ repellunt à testimonio: vide illum, quia eruditè loquitur, & multa docet digna notatu.

Quæst. 8. Dictum testis recusantis se subscribere, an valeat pro teste?

1. SUb distinctione resolve, aut iste testis recusavit suæ depositioni subscribere, ex quo illam uti falsam retractavit, juxta *cap. 1. de testib. & gloss. in authen. de testib. § quia verò*; & sic nihil probat, aut ob aliud motivum humanum noluit subscribere; & sic probat pro uno teste; tum quia, ut dicunt Juristæ, confessio delicti facta à reo extra judicium, est semiplena probatio, si per duos testes probetur, ut tenet *Jul. Clar. in sua praxi criminali q. 21. nu. 31. & Roder. in addit. ad summam, tom. 4. cap. 155.* sed in casu posito, testis iste sub juramento examinatus, ut supponitur, dixit veritatem coram duobus, Judice scilicet, & Notario, qui de prædicta vera & jurata depositione testantur, ergò; ad quod facit *text. ecce autem, 18. 24. q. 3.* ibi, *Crimina quorumlibet, si ipsis criminosis confiteri nolentibus, undecumque claruerint, igne piæ increpationis terenda sunt, & curanda*; tum etiam, quia subscriptio testis non est de essentia testimonii, sed de solemnitate Juris, *Portell. 1. p. casu 23. nu. 4. ver. ad primum argumentum in fin.* ubi dicit, quòd juramentum est de essentia testimonii, subscriptio autem testis est de solemnitate Juris, quam Regulares non tenentur observare: ad quod pro se allegat *cap. qualiter & quando 24. de testibus*, ubi Papa tradit formam citandi, & audiendi reum, & non dicit, quòd illi dentur copiæ, & nomina testium per scriptum; sed solùm ait, quòd hæc sint reo exponenda, & explicanda: exponere autem, & explicare sufficienter fit oretenus, & *gloss. cap. cordi nobis de appellat. in 6. in fine casus*, ubi ait, regulariter scripturam non esse de substantia rei gestæ, nisi quando lex specificat, ut res fiat per scriptum; nam scriptura est inventa, ut res de memoria non pereat: ad quod etiam facit, quod dicit *gloss. l. pactum, C. de pactis, & l. contrahitur, ff. de pignor.*

Quæst. 9. Si Regularis in testem adductus non juret, sed tantùm à Superiore astringatur in virtute sanctæ Obedientiæ, vel sub censuris, veritatem fateri, an probet, & fidem faciat in judicio?

1. GRavis est ista quæstio, circa quam non conveniunt DD. verumtamen pendet ex illa, an tale præceptum æquipolleat juramento, ita ut vim & robur habeat juramenti?

2. Ad quam negativè *Rodriquez tom. 2. q. 14. art. 8. & q. 120. art. 3. Bordon. controver. 1. nu. 28. & controver. 5. de testib. q. 21. num. 59. & Sayr. in Clavi Reg. lib. 12. cap. 21.* ducunturque, tum quia juramentum est de jure divino, ut constat ex *cap. 24. Genes.* ubi de Abraham dicitur, quòd à suo servo desumpsit juramentum super ipsius fœmur, manum superponendo, quòd non acciperet filio suo uxorem de filiabus Cananæorum; ergo est de substantialibus; ea enim, quæ sunt de jure naturali divino, vel gentium, sunt de substantialibus, ut constat ex decisis hîc suprà *q. 2.* ergo nullatenus potest prætermitti, etiam respectu Regularium, ut ibidem dictum est.

3. Unde nec quidem Monacho testificanti, sine juramento credendum est, ut probat *text. cap. nuper 51. de testib.* ibi, *Quòd nullius testimonio (quantumcumque Religiosus existat) nisi juratus deposuerit, in alterius præjudicium, debeat credi*; tum etiam, quia essentialia per æquivalentia, etiamsi aliàs ille modus æquivaleret juramento, suppleri non possint, *Bartol. & Alexander in l. 9. ff. de liber. & posthum. Decius in l. si mater, C. de instit. & sub instit.* tum item, quia forma substantialis, qualis est hæc, consuetudine tolli non potest, *gloss. cap. 2. de consuet. in 6.*

4. Oppositum tamen diffusè tuetur *Miranda 1. p. de ord. Jud. q. 18. art. 4. conclus. 1.* & movetur ex eo, quòd licèt juramentum sit de jure divino, & consequenter de substantialibus, modus tamen jurandi sive excipiendi illud, est multiplex, & non de jure divino, sed humano positivo; nam juramentum nihil aliud est, nisi affirmatio, vel negatio, sacræ rei attestatione firmatâ: talis autem testificatio fieri potest multis modis, non solùm per res sacras, quatenus sunt aliquid Dei, ut put per fidem, per evangelia, &c. verùm etiam per creaturas, in quibus veritas Dei continetur, & prædicatur, ut docet *D. Thom. 2. 2. q. 89. ar. 1.* unde jurari potest, non tantùm verbo, dicendo, ita est per Deum; sed etiam, dicatur, vivit Deus, vel vivit anima mea, hoc faciat mihi Deus, Deum testem invoco, testis est mihi Deus, veritatem dico in Christo, non mentior, testis est mihi conscientia mea, sic Deus me adjuvet; de quo modo jurandi latè *Panorm. in c. etsi Christus, de jur. jur. & Sylv. ver. jur. 1. n. 1. 2.*

5. Sed obedientia, qua astringuntur Religiosi ad dicendum veritatem, est quid sacrum, cùm per eam ipsi à sæcularibus distinguantur, ad eum modum, quo Abraham, & Israëlitici populi per circumcisionem ab aliis gentibus distinguebantur; ergo hujusmodi testificandi modus verè & propriè est juramentum; confirmatur, nam finis prætensus per juramentum, ut dicit *D. Thom. cit. loc.* est eruere, & indagare veritatem, & jurantem ad eamdem dicendam specialiter astringere, & obligare. Sed hoc idem contingit in Religiosis, quando à suis Prælatis per obedientiam, & censuras, ad dicendam veritatem constringuntur, & de novo obligantur ad fatendum veritatem, quam fateri tenentur, etiamsi hujusmodi præcepto non obligarentur. Unde si verum non fateantur, novum peccatum committunt.

6. Confirmatur denique, quia talis est consuetudo omnium Religiosorum, quæ prævalet juri posit vo humano; hanc opinionem sequitur *Roder. tom. 4. addit. sum. cap. 153. nu. 7.* ubi corrigit quod priùs dixerat cum suo compend. *resol. 73. de juram. nu. 3. & clariùs ibid. in § retractatio*, & sequitur *Portell. in dub. ver. correctio fratrum, & ver. testis, n. 22.*

7. Hanc item opinionem in universum sequuntur Dominicani; tum quia in Ordine Prædicatorum examinare testes per præceptum formale, est de substantialibus, ut dicitur *distin. 1. de gravi culpa, cap. 18. fol. 80. col. 1 sub declarat. Bonif. VIII.* & hoc non aliunde, nisi quia tale præceptum est implicitè juramentum; tum etiam quia Dominicani per tale præceptum intendunt, reum vel testem jurare ad dicendam veritatem per censuras vel per obedientiam sibi promissam, quod est ferè idem quod jurare, tactis Evangeliis, tactâ Cruce, vel tacto pectore; non enim Regulares tenentur jurare, eo modo, & forma, qua jurant sæculares; sed satis est, quòd jurent hoc, vel illo modo: verùm ego in similibus occupatus ad omnem bonum finem, ab his, de quibus agitur, excepi juramentum, tactis Evangeliis, vel tacto pectore, more Clericorum de veritate dicenda.

Quæst. 10. Quisnam dicatur convictus, vel confessus?

1. Respondeo, quòd ille dicitur convictus, qui ad minus per duos legitimos testes convincitur de crimine; prout docent communiter Doctores, & est de jure civili, *l. ubi numerus, ff. de testibus*, & etiam de Jure Canonico, *cap. licet, de testam.* imò est de Jure divino; nam *Deut.* 17. dicitur, quòd *in ore duorum vel trium peribit, qui interficietur; nemo occidatur, uno contra se dicente testimonium*, & *cap.* 19. dicitur, *quòd non stabit unus testis contra aliquem.*

2. Illi autem testes dicuntur contestes, qui per sensum externum deponunt de eodem facto, sive delicto, ut optimè docet *D. Thom.* communiter receptus, 2. 2. *q.70. ar.2. in respons. ad secundum.* Unde communiter practicè, & præcipuè *Aret. in sua praxi, cap.2. de num. testium. Ghisler. cap.17. n.9. Peyr. in suo formul. lit. T. cap. 3. n.10. Longus Capucc. in tract. de casib. reserv. p.2. casu 5. de judicio Regul. n.16. Megal. in sua pract. crimin. Canon. cap. 13. nu.35. & nu.41.* & novissimè *Bordon. controv.4. q.6. n.17.* qui facientes theoricam dicunt, quòd testes, ad hoc, ut sint contestes, & plenè probent ad condemnandum, debent habere copulativè plures conditiones, quarum prima est, ut sint jurati, quia sine juramento nihil probant, ut dicitur in *cap. fraternitatis 17. & cap. tuis 39. de testib.* ubi dicitur, quòd nec Religiosi ad testificandum admittuntur sine juramento. Secunda est, ut sint integri, seu omni exceptione majores, hoc est, qui nullum patiantur defectum. Tertia est, quòd sint contestes in eodem delicto, hoc est, quòd sint concordes, & convenientia eadem re numero, & in ejus circumstantiis, ad illius individuitatem, ut mirificè declarat *S. Thom. cit. loc.* Quarta demum est, ut deponant per sensum externum, ut puta de visu, respectu furti, vel de auditu, respectu blasphemiæ, ut expressè dicitur in *cap. cùm causam 37. de testib.* ibi, *Loco, tempore, auditu, scientia, &c.* ad quod facit *cap. testes, 15. 3. q.9.* ubi hæc verba leguntur: *Testes per quamcumque scripturam testimonium non proferant, sed præsentes de his, quæ noverunt, & viderunt, veraciter testimonium dicant.* Hæc ibi.

3. Ille verò dicitur confessus, qui proprio ore, sub juramento, coram suo legitimo Judice, suum delictum confitetur: quamobrem si Clericus seu Religiosus coram sæculari Judice convictus fuerit, vel confessus de crimine, non est propter hoc à suo proprio Superiore condemnandus: sicut enim sententia à non suo proprio Judice lata non tenet, ità nec facta confessio coram ipso, ut expressè dicitur in *c. at si Clerici 4. de judiciis in princip.* ubi *gloss. in verb. tenet*, ad intentum multa jura allegat.

Quæst. 11. An testes singulares sint satis ad reum Regularem condemnandum, saltem pœna extraordinaria?

1. Quæstio hæc quantò frequens & celebris, tantò intricata & difficilis, tu autem pro nodo solutionis multa nota. Primò, quòd nos impræsentiarum non intendimus loqui de testibus singularibus in materia fidei, seu hæresis, sed in materia profana; nam in materia hæresis, hinc inde sunt Achilles, de quibus non minus luculenter quàm eruditè disserit noster P. Fr. Antonius de Sousa *in suis Aphorismis, quæst. unic. in fine.*

2. Secundò adverte, quòd testes singulares sunt illi, qui deponunt super diversis factis, ut quilibet singularis sit in suo dicto, ut si unus deponat, Petrum furtum commisisse, alter verò Joannem percussisse, aut si unus dicat, tale delictum fuisse patratum domi, & alter in via publica; vel unus dicat, delictum fuisse commissum manè ante prandium, alter verò vesperè post prandium, vel unus in mense Martii, alter verò Aprilis, prout mirificè docet D. Thom. 2.2. *q.70. ar.2. in respons. ad 2.* quem communiter post Sotum *lib.5. de just. & jur. q.7. ar.2. ad primum*, sequuntur omnes alii dicentes, quòd testes singulares idem sunt, quod testes discordes in dictis suis.

3. Tertiò nota, quòd hæc testium singularitas est triplex, obstativa, cumulativa, & diversificativa: obstativa est, quando ex dictis testium nascitur contrarietas: quia scilicet unus negat, & alter affirmat. Cumulativa, seu adminiculativa est, quando dictum unius juvat dictum alterius, ut si unus dicat se vidisse, alius dicat audivisse. Diversificativa est, quando nascitur diversitas rei in substantia, ut si unus dicat se vidisse Petrum in uno loco, & tempore peccantem, alius verò dicat se vidisse illum alio loco, & tempore peccantem, tunc dictum unius non infringit dictum alterius, sed roborat, non tamen est contestis.

4. His notatis sub distinctione resolvo quæsitum, aut testes sunt obstativi, hoc est, singulares singularitate obstativa, quia scilicet in dictis suis sibi invicem contrariantur, & sic nihil sufficienter probant; nec quidem ad imponendum levissimam pœnam, quia, ut dictum est, unus destruit alterum, *Bald. in cap. licet causam, de probat. & l. testimonium, C. de testib. n.9. & l. de quibus, n.37. de legat. Miranda de ordin. judic. q.23. ar.4.* & est communis.

5. Aut testes sunt diversificativi, hoc est, singulares singularitate diversificativa, quia scilicet diversa disponunt, & sic idem quod prius; nam sententia non fertur, nisi in convictum, aut sua sponte confessum: hæc autem singularitas, de qua est sermo, neminem convincit, sed tantùm indiciat, seu facit indicium, ut liquet ex immediatè decisis.

6. Et quamvis pœna sit mitior, adhuc tamen est pœna certa, & declarat reum esse verè reum; nam non infligitur innocenti, & tamen in foro externo non apparet, reum esse verè reum; unde fit ei præjudicium, eò quòd sine pleno jure fori punitur, & juris ordo, seu ordo judicandi invertitur; nam de jure sententia debet incipere à probatione plenè habita.

7. Nec obstat dicere, quòd sicut testes singulares faciunt probationem imperfectam, sic etiam ex vi illius potest infligi pœna imperfecta, hoc est, levior ordinaria; nam cùm pœna respiciat delictum, non potest infligi, nisi plenè constet de ipso: unde non sequitur qualemcumque probationem, sed illam tantùm, quæ ponit delictum in claro. *Pasqual. dec. 216. n.7.* cujus sententiam ipse sequor, tum quia est germana Juri Civili, & Canonico, & Divino, ut ostensum est suprà; tum etiam, quia habet radices in prologo nostræ Constitutionis, ubi absolutè, ac indifferenter dicitur, quòd Prælati nostri Ordinis neminem damnent ad pœnam, nisi convictum, vel confessum, *tex. 5. in fin.*

8. Neque his nocet Eminentiss. Cajet. 2. 2. *q.70. art. 2. in princip. sui Comment.* ubi prædictam conclusionem quoad Religiosos limitare videtur, ibi, *quia tamen multi singulares testes in factis iterabilibus violentam suspicionem inducunt, ut si unus vidit aliquem committere unum furtum, & alius vidit eumdem committere aliud furtum, & sint testes omni exceptione majores inter Religiosos, quando quis existimatur aliàs tali vitio involutus, aut numerus multus talium testium concurrat, si arctatur, non confitetur, invenitur videtur quandoque subsequuta condemnatio multorum Patrum consilio fulta, & licèt hoc non sit secundum juris rigorem, ubi tamen absque tormentis proceditur, non*

tam ad puniendum, quàm ad salutem animæ; & Regularis observantiæ favorem, tolerabile videtur, & hoc probabiliter sufficiat ad certitudinem inter eos, qui mortui sunt in mundo; quia tamen reus non potest ad hujusmodi sententiam tolerandam cogi, deberet ex hujusmodi indiciis per tormenta religiosa tamen exquiri, ut sententia non feratur, nisi contra confessum, vel convictum juxta Sac. Canones, 2. q. 1. cap. Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi convictum, vel sponte confessum, hæc ille.

9. Tum quia Cajet. *ubi suprà* loquitur multùm dubitativè; nam non dicit, quòd possit justè condemnari, sed quòd possit tolerari; tum etiam, quia Cajet. *ubi suprà*, loquitur in casu particulari de furto, & de condemnatione ad pœnitentias salutares, quæ Religiosis infliguntur ad sustentandum Regularem observantiam: unde Cajet. *ubi suprà* non loquitur de sententia absoluta, sed conditionali, hoc est, si ipse Religiosus condemnatus velit dictam sententiam acceptare; sin autem noluerit, poterit torqueri, & si negaverit, manebit liber à pœna furti, ut benè dicunt noster Bannesius *cit. loc. Peyr. in suo formul. lit. T. cap. 3 nu. 7. in fin. & Bordon. controv. 1. de probat. per testes, n. 203. Pasqual. decis. 216. n. 5.* & meritò hæc dicuntur; tum quia Religiosi non sunt deterioris conditionis laicis; tum etiam, quia jura omnibus indifferenter favent; tum item, quia fama Religiosorum magis custodienda est, quàm laicorum.

10. Non desinam tamen dicere, quòd licèt multi famosissimi DD. sequantur prædictam opinionem Cajet. nihilominus non sunt audiendi, nisi duobus concurrentibus, hoc est, dummodò versemur in re levi, & reus sit valdè facinorosus, ac diffamatus; prout benè advertit *Portell. in dub. ver. correctio Fratrum, n. 25. & Roder. tom. 4. cap. 148. in addit. summæ*, ubi declarat opinionem suam expressam, *to. 2. q. 121. art. 12. cum suo comp. resol. 42. de testib. num. 8.* & ità intelligendi sunt *Sanchez lib. 6. consil. cap. 5. dub. 12. Bordon. cit. loc. n. 209.* & consimiles sectantes opinionem Cajetani.

11. Benè verum est, quod *Pasqual. ubi suprà, n. 11.* advertit, quòd Judex Religiosus ad hoc, ut ex vi horum testium singularium possit aliquam pœnam infligere, debet considerare, quidnam colligatur ex testificatione ipsorum; nam semper colligitur (*ait ipse*,) aut mala fama, aut quòd sit pravorum morum, aut aliquid hujusmodi; nam quantò plus actus mali deponuntur de aliquo, quamvis de singulis non benè constet: constat tamen ex ipsis, reum esse culpabilem, & criminosum, promptum ad mala patranda, & ideò Judex potest ad hoc respicere, & pro ipso reum punire, quod dictum ego censeo verum, respectu Religiosorum, quoad pœnas salutares & leves, Religiosum puniendum graviter non infamantes.

12. Aut tandem testes sunt singulares, singularitate adminiculativa, quia scilicet dictum unius, non est illudmet dictum alterius, sed illud adjuvat, ut si unus testificetur de facto, & alter de Confessione facti, & sic secundùm Doctores non sufficiunt pro infligenda pœna, etiam leviora; nam hi testes, licèt probent, non tamen plenè probant, ut attestantur *Farinac. q. 64. de testib. n. 112. & Sanchez in Thesauro recept. sentent. n. 156.* quod intellige verum in re gravi, & quando reus est bonæ famæ, & quando adminiculatio adjuncta alterius depositioni, plenam probationem non facit, secùs autem, &c.

* * *

Quæst. 12. *An Religiosus fornicarius sit ab offic[io] & beneficio deponendus?*

1. Affirmativè quidam: loquendo tamen de ju[re] communi canonico, & dummodò de ea rep[e]riatur convictus, vel confessus, & ejus fornicatio sit i[n]signiter deformis, ut putà notoria, vel scandalosa, vel d[iu] continuata, ducunturque *ex cap. at si Clerici, 4. de Judiciis*, & liquet ibi, *si verò coram Episcopo de criminibus jure confessi sunt, seu legitima probatione convicti, dummod[o] sint alia crimina, per quæ suspendi debent, vel deponi: no[n] immeritò suspendendi sunt suis ordinibus, vel Altaris m[i]nisterio perpetuò removendi*: hæc ibi, quæ licèt loquant[ur] de Clericis, nihilominus propter identitatem ration[is] immò majoritatem, extendenda sunt ad Regulares, tradunt *Bellett. in 2. p. disquis. Clerical. §. 2. n. 1. & Meg. in pract. crim. cap. 3. n. 19.* peccata enim Religiosorum su[nt] magis scandalosa, quàm peccata Clericorum.

2. Verumtamen hodie pro crimine fornicatio[nis] nullus Clericus aut Monachus plectitur pœna dep[o]sitionis, etiamsi sit in Sacris constitutus, sed tantù[m] suspensionis, vel carceris, aut privationis bonoru[m] est enim hodie arbitraria, *Abbas in cap. ex parte n. 1. in f[in]. de testib. Decius in d. cap. at si Clerici, n. 223. de judic. M[e]gal. in prompt. ver. fornicatio, num. 6.*

3. Et hanc opinionem dicunt esse communem o[m]nes scribentes *in d. cap. at si Clerici*, & alii plures, quos a[l]legat & sequitur *Clar. lib. 5. §. fornicatio, n. 3.* ubi ait, qu[òd] Clericus notorius fornicator, est ipso jure suspensus à[b] officio, ad quod allegat Abbatem *in cap. non liceat, n.. de præscript.*

4. Dixi *de jure communi canonico*, quia secùs dicen[dum] est de speciali; etenim Religiosus fornicarius est pu[niendus] secundùm statuta sui Ordinis, quæ si desinun[t] recurrendum est ad Jus Canonicum, vel ad propriam & rationabilem consuetudinem: in meo autem Ordin[e] quoad hoc debet attendi *cap. 18. de graviori culpa, text.* ibi; *Si quis, quod Deus avertat, &c.* de qua re vide *R[o]driquez to. 2. q. 26. art. 2. & Lez. 1. p. sum. cap. 5. nu. 16.* u[bi] dicit, quòd Religiosus fornicans cum Moniali, de ju[re] civili ultimo supplicio punitur, de Jure verò Canonic[o] deponitur, & incarceratur.

Quæst. 13. *An Prælatus Regularis possit punire sub[d]itum inculpatum de vitio sodomitico?*

1. Affirmativè *P. Antonius de Sousa in suo libro de soli[citat]. fœminarum in Confessionis Sacram. tr. 2. cap. 2 n. 23.* & meritò, tum quia crimen sodomiæ non est cri[]men hæresis, ut constat ex utrius criminis diffinitione ergo committens sodomiam non est suspectus de fide & per consequens ejus punitio de directo & per se no[n] pertinet ad S. Officium; tum etiam, quia crimen nefandum est mixti fori, ut ex multis ostendit *Graff. consil. 1. p. 5. lib. 5. cons. 3. n. 8. de adulteriis, & stupro* unde punitur à Judice Ecclesiastico secundùm legem Canonicam, & à Judice laico secundùm civilem, & ho[c] propter sui enormitatem, *Panorm. in cap. Clerici, & in ca[p.] tua de Procurat. Felin. in cap. de iis, fall. 2. de accusat. & Navarr. lib. 2. de Jud. conf. 1.* hoc autem non potest dici d[e] hæresi, quæ in tribunali sanctissimæ Inquisitionis solùm examinatur, ergo; tum etiam, quia sic videtur decisum [à] Pio V. in sua Bulla incip. *Horrendum illud scelus*, ibi, *Pa[r] Judice Ecclesiasticum declarati, statim potestati sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in Laicos i[n] hoc exercitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum*. Hæc ibi. Ex quibus benè apparet, quòd sodomita sæcularis à Judice laico, & ecclesiasticus à Judice ecclesiastico est puniendus: *Rodriq. to. 2. q. 29. art. 2. cum suo compend. resol. 48. §. de pœna imponenda sodomitis, nu. 24.* tum item,

item, quia ita docet praxis, nam Prælati Minorum procedunt indifferenter contra hujusmodi delinquentes, ut constat ex eorum statutis relatis per *Aretin. in prax. crimin. cap. 5. de gravissimis delictis, ver. qui peccatum innominabile admiserit*, & in Ordine Prædicatorum, *distin. 1. de grav. culpa, cap. 18. text. 9. fol. 86.* ibi *Statuimus, quod si quis nefandissimi crimen convictus, contra naturam commiserit, perpetuò Carceri sit addictus, & pœnis aliis puniatur, secundum Prælati discretionem*; tum denique, quia si hujusmodi delinquentes, tale crimen committant extra septa, & deinde ab Episcopis locorum carcerentur, remittuntur ad suos Prælatos regulares, utique puniendi, ut de praxi docet doctissimus *D. Alexander Sperell. 1. p. decis. 38. num. 31.*

2. Nec dices, quod Inquisitores fidei in Regno Portugalliæ ex privileg. sibi indulto à Gregor. XIII. inquirunt, & procedunt contra sodomitam; quia P. Sousa, qui fuit Consiliarius supremi Tribunalis S. Officii in dict. Regno, dicit, ubi supra, per tale privilegium non coarctari Ordinariam potestatem Prælatorum Regularium ad puniendum hoc crimen, sicut nec coarctatur potestas judicum sæcularium, qui non obstante citata bulla, quotidiè de hoc crimine cognoscunt, & illud puniunt: Unde subjungit, quod crimen sodomiæ est mixti fori, & quod ejus cognitio, & punitio fuit concessa Inquisitoribus S. Officii dict. Regni cumulativè, & non privativè quoad Regulares, & alios Judices sæculares; quod est dicere, quod hi Prælati Regulares, & consimiles Judices, propter dictam Bullam Gregor. XIII. datam Inquisitoribus dict. Regni, non privantur authoritate, quominus possint subditos sodomitas castigare.

3. Et secundum hæc prædicta debet intelligi id, quod docet idem noster *Sousa lib. 1. aphorism. cap. 59. nu. 10.* quod scilicet ex commissione speciali Summi Pontif. contra sodomitas, sicut in causis fidei, procedunt Inquisitores Lusitaniæ; prout Pius IV. 20. Februarii, anno 1562. Gregor. XIII. 6. August. anno 1574. per specialia Decreta, quæ in Archivio S. Inquisitionis servantur, declararunt.

4. Et numero subsequ. dicit, *Quod particulæ, sicut in causis fidei, posita in dictis concessionibus, intelliguntur solùm, quoad modum procedendi*; prout declaravit Urban. VIII. speciali Epistola, ad Inquisitorem Generalem Lusitaniæ anno 1622. die 5. Martii, quæ asservatur in eodem Archivio; Unde prædictæ sodomitæ in dict. Regno non adjuvant, nec quidem de levi, prout ex multis testatur *Carena in tract. de S. Offic. 2. p. confess. sollicitantib. tit. 6. §. 16. n. 83.* ubi dicit, idem practicari ab Inquisitoribus Regni Aragoniæ, Valentiæ, & Barcinonæ: quod etiam sequitur *Bordon. controv. 2. de socio criminis q. 11. sub num. 36.* ubi dicit, prædictum privilegium cognoscendi sodomitas, cum sit speciale, non potest extendi ad Inquisitores Italiæ, cum hujusmodi delictum non sit de pertinentibus ad sanctam fidem.

Quæst. 14. Regularis sodomita in quas pœnas incidat?

1. R_Espondeo, quod Regulares sodomitantes, nedum peccant mortaliter contra castitatem, verum etiam dant in pœnas *cap. Clerici 4. de excess. Prælat. ibi, Si Clerici fuerint, dejiciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in Monasteriis detrudantur*: necnon incurrunt pœnas taxatas à Pio V. in dict. sua Constit. quæ incipit *Horrendum illud scelus*, edita anno Domini 1568. die verò 3. Septembris, ibi, *Omnes & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos Seculares, & Regulares, cujusque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico, præsentis Canonis authoritate privamus, ita quod per judicem ecclesiasticum degradati, potestati seculari tradantur, qui de eis idem faciat supplicium, quod laicos hoc in exercitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum, &c.*

2. Quæ quippè pœnæ procedunt, tam respectu agentium, quàm patientium, tum in odium, tam pessimi criminis; tum quia ambo dicuntur propriè, & verè sodomitæ; tum etiam, quia Jura infligentia pœnas, loquuntur, tam in agente, quàm in patiente, ut constat ex *l. cum vir. C. de adulter. §. 1. in auth. ut non luxurientur contra naturam, D. Ricc. 3. p. prax. resolut. 57. n. 8.* ubi dicit, hoc procedere, tam in foro externo, quàm interno conscientiæ, & favent *Bonac. de matrim. q. 4. p. 11. num. 2. & Novar. in luc. Regul. ver. sodomia num. 3.*

3. Verùm limita dictas pœnas non procedere, quando Regulares tale crimen non committunt ex usu continuato; sed bis, aut ter, ex humana fragilitate; ut liquet ex illo Bullæ verbo (*exercentes*) quod significat frequentiam actus; non enim dicitur Mercator, qui semel mercaturam exercuit, & docent *Navar. cap. 27. nu. 249. Genuens. in praxi Neap. cap. 82. in nov. D. Riccius d. 3. p. prax. resol. 58. Barbos. alleg. 44. n. 25. Rodriq. tom. 2. q. 29. ar. 2. cum suo comp. resol. 48. n. 22.* ubi opinionem *Navar.* uti probabiliorem, communiorem, & magis piam, propugnat contra *Salzed. in addit. ad practicam crim. canon. Bernardi Diaz. de lug. & Portellus in dub. Regul. ver. pœna nu. 7.*

4. Secundò limita, dictas pœnas non obligare omnem exercentem tale vitium, sed notorium tantum, non autem occultum, *Graff. in decis. aur. 1. p. lib. 2. cap. 90. sub num. 13. Avila de censur. p. 7. disput. 4. Campanil. in divers. Jur. Can. rubric. 12. cap. 22. n. 13.*

5. Tertiò limita, dictas pœnas non comprehendere exercentes vitium bestialitatis; quia est species distincta à sodomia, *Dominicus Bannes 2. 2. q. 64. ar. 8. Garsia de benef. p. 11. cap. 10. §. 2. n. 205.* latè *Diana 2. p. tract. 3. resolut. 66. miscell.* quod nota contra *D. Riccium 3. part. prax. resolut. 59.*

6. Quartò limita, dictas pœnas non procedere contra exercentes vitium sodomiticum cum fœminis; quia pœnæ non extenduntur extra casum in jure expressum, juxtà Jur. Regul. *Odia.* Jura autem loquuntur, & debent intelligi de sodomia vera, & propria, quæ nihil aliud est, nisi coitus inter duas personas unius sexus in vase indebito, sivè, ut alii dicunt, quod sodomia est seminatio intra vas stercorarium personarum ejusdem sexus, prout Doctores allegati testantur ex doctrina *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8. Bordon. resol. 48. num. 10. & decis. 283. in fin.* Verùm his non arrident *D. Ricc. cit. loc. in fin.* nec *Novar. ubi sup. n. 9.* dicentes, quod inter masculum, & fœminam, potest reperiri, & esse vera sodomia.

7. Quintò limita, ut dictæ pœnæ nunquam debeantur, nec intelligantur incursæ ante sententiam Judicis declaratoriam, *Suar. de cens. disput. 31. nu. 22. sect. 4. Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 46. nu. 28. Diana cit. loc. & Egomet tom. 1. 2. p. prax. tract. 15. q. 25. num. 2.*

Quæst. 15. An sodomia probetur per dictum pueri sodomitati?

1. GRavis est ista quæstio, circa quam variant Doctores, nam *Marsil. in cons. 28. n. 16. vol. 1. & Gram. decis. 28. n. 14. & decis. 40. n. 16.* dicunt, quod dictum sodomitati, non solùm non convincit, sed nec quidem facit indicium ad inquirendum, & idem tenet *Paris. cons. 167. n. 7. & 8. lib. 4.* & moventur, quia sodomitatus, asserendo se passum esse sodomiam, fatetur se infamem, ut liquet in *auth. ut non luxurientur contra naturam, & in l. cum vir, C. ad l. Jul. de adulter.* Infamis autem repellitur à testimonio, ut omnes sciunt, & ex multis docet *Speculat. in tit. de teste, §. 1. verb. item, quod est infamis ergo*; tum etiam quia allegans turpitudinem suam, non est audiendus, *cap. inter*

inter dilectos de donat. & cap. cum super de concess. praebendarum.

2. Oppositum tamen, quod scilicet dictum pueri sodomitati, non solùm facit indicium ad inquirendum, verùm etiam ad torquendum, tenet *Boss. de iudic. n.6. & Aretinus in sua praxi crim. in 2. substantiali de testib. cap. 1. ver. septimo*, ubi dicit, quod depositio socii criminis in sodomia, non solùm erit sufficiens indicium ad torturam, sed etiam erit semiplena probatio, & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio, & poterit reus condemnari.

Ad quod allegat *Cynum*, & *Panor.*

3. Verumtamen *Farinac. sub tit. de iudic. & tort. q. 43. n. 89. & q. 148. n. 75.* cui subscribit *Sousa lib. 1. aphor. cap. 59. de sodom. n. 16.* dicit, praedictam secundam opinionem procedere, dummodò adsint adminicula.

4. Nihilominus negant *D. Ricc. 3. p. prax. resol. 63. & Bordon. controv. 2. de socio crim. q. 11. n. 18.* ubi dicunt, quod dictum socii in sodomia, vel foeminae in adulterio, nihil probant contra sodomitam complicem praetensum, nisi fuerit adminiculatum, & tortura convalidatum, & alium defectum non patiatur: maximè quando nominatus sodomita est bonae famae, quia socius criminis ob delictum confessum redditur infamis, qui nunquam in testem admittitur, nec admittendus est sine tortura, *l. Carmen, §. si ea res conditio, ff. de testib. cap. illi, qui 5. q. 8. cap. inprimis, 11. q. 1. Glossa in cap. per tuas de simon.* & alii plures, quos allegat *Marsil. in pract. in § negligenter*, & sequitur *Farin. in cit. loc. q. 43. n. 134.* ubi ad intentum non paucos eruditissimos Doctores adducit, & *D. Sperell. 1. p. decis. 38. nu. 7.* non est ergo ab hac opinione discedendum.

Quaest. 16. Quaenam sint ista adminicula necessaria, ad hoc, ut dictum socii criminis semiplenam probationem faciat ad torturam?

1. Et quidem quatuor sunt necessaria ad praedicta. Primò, necessariò requiritur, quod testis sit Juratus; nam sine juramento nulli creditur, quantumvis legitimo, & honestae personae etiam Religiosae, *cap. tuis 39. de testib.* quod à fortiori exigitur in complicibus, *Glossa cap. veniens, C. de testibus in ver. Confesso.*

2. Secundò requiritur, quod socius criminis suum dictum cum juramento ratificet in tortura, ut constat ex decisis, & habetur expressè in *cap. inprimis 7. 2. q. 1. propè finem, § testes*, ibi, *ut vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat, &c.* quod etiam habetur in *cap. illi qui 4. v. q. 5.* ibi, *hanc diversis Cruciatibus è latebris suis Religiosus tortor exigere debet, ut dum poenis corpora subjiciuntur, quae gesta sunt, fideliter & veraciter exquirantur*, haec ibi, ubi *glossa in verb. Relig.* ait, *quod viles testei benè torquentur in exceptis criminibus.*

3. Tertiò, ad habilitandum socii dictum, requiruntur alia adminicula, ut sunt mala fama sodomitantis, testes de auditu ab alio, quàm à complice teste, fama publica, fuga nominati, stricta amicitia inter nominantem, & nominatum, & similia, quae circa stuprum solent examinari.

4. Quartò, quod socius criminis non patiatur alios defectus, qui illum reddant inhabilem, ut si foret mendax, vel perjurius, aut mente captus, vel fraeneticus, & similis, de quibus sunt omninò videndi *Jul. Clar. lib. 5. § final. q. 25. Farinac. de testib. q. 79.* ubi latè de re nostra, *Miranda 1. p. de ordin. Jud. q. 18. art. 12. Menoch. lib. 1. de praesumpt. q. 89. n. 74. Ant. Gomez lib. 3. var. cap. 12. num. 15. Genuens. in praxi Neap. cap. 82. n. 2.* ubi dicit, quod in dicta Curia, pueri torquentur ad validandam depositionem: etiamsi dicant se per vim fuisse stupratos, nisi probetur metus, qui non praesumitur, *Sousa lib. 2. aphor. cap. 25. nu. 24. Diana resolut. 7. de tortura in S. Offic. Carena de indiciis ad torturam num. 52. & Bordon. controver. 2. de socio crim.*

Quaest. 17. Si testes, de criminibus sibi objectis per modum exceptionis sint convicti, an sint de illis puniendi? vel dumtaxat à testimonio repellendi?

1. Glossa in cap. per Inquisitionem, 26. de elect. ver. se indignum, ad finem*, dicit, *Quod si aliquis indicatur testis in causa alterius, & in modum exceptionis probetur crimen, testis non punitur, nisi quia à testimonio repellitur, nec infamiam incurrit*, & est decisio *cap. cum dilectus, 2. de ordine cognitionum in fin.* ibi, *Quemadmodum si in modum exceptionis aliquod crimen testi objicitur, ut à testimonio repellatur, & si crimen contra eum civiliter probatum fuerit, non ideò sibi poena infligitur ordinaria, sed ejus dumtaxat testimonio non creditur, quod ea ratione contingit, quoniam in ipsum accusatio non procedit, testes etiam quorum testimonium reprobatur, inter infames, quasi ex falso testimonio non habentur.* Haec ibi, interque nota illam causalem *quoniam in ipsum accusatio non procedit*, ergo ad procedendum contra testes convictos de crimine per modum exceptionis, requiritur formalis accusatio, seu petitio qui enim excipit, non petit, sed petentem repellit, ut dicit *glos. in ver. in modum exceptionis in fine.*

2. Id ipsum reperitur decisum in *cap. denique 1. de except.* ibi, *Caeterum si de criminibus ad solam exceptionem objectis testes convicti fuerint, sivè confessi, poena ordinaria mulctari non debent: Cum accusatio in ipsos, secundum Juris ordinem, non procedat: sufficit ergo si à perhibendo testimonio repellatur, praesertim ubi crimen, quod eis objicitur, causam de qua agitur, contingere non videtur.* Haec ibi, ubi *glossa in ver. contingere*, advertit, quod si crimen, quod objicitur testi, contingit causam, de qua agitur, non solùm repellitur, sed etiam punitur, sicut vir accusat uxorem de adulterio, & ipsa excipit de lenocinio, quod ipse tradidit eam adulterandam, *ff. de adult. l. 2. si publico*, sic & testis, qui in testificando vacillaverit, sivè falsum dixerit punitur, *C. de testib. nullum, & 4. q. 3. cap. si testes, §. item qui falso*, & sic intelligit *dict. cap. per Inquisitionem de elect.* ubi dicitur, aliàs puniri non debet; quia ibi non agitur de crimine falsi; sed solùm de repellendo à testimonio ergo, secus quando agitur de delicto tangente eandem causam, ut hic de his, qui ad quaerelam partis adversae processantur, & si servatis servandis convincuntur de falsitate, rigorosè puniuntur poena legis Corneliae, de falsis, *ff. ad l. Cornel. l. 1 in princip. in ver. sed, etsi Judex, & cap. falsidicus testis 1. de crimin. falsi*, quod nota, ad concordandum jura contraria.

Quaest. 18. An reo Religioso danda sit copia repertorum cum nominibus, & cognominibus testium ad finem se defendendi in causa criminali?

1. Affirmat *Panor. in cap. olim, & cap. qualiter, & quando 24. de accusat. Rodriq. tom. 2. q. 3. ar. 1. in fin. §. utrum testium nomina, &c. cum suo comp. resolut. 42. de testibus num. 45. Gisler. cap. 11. num. 24. Villagut. lib. 6. cap. 1. conclus. 11. & cap. 2. conclus. 4. Franciscus Aretin. in sua pract. crim. de quarto substantiali judicii, hoc est, de defensionibus, cap. 2. Megal. in sua pract. crim. Can. cap. 9. num. 25.* & multis citatis, *Bordon. controv. 1. num. 259.* & moventur, tum quia dict. copia inest de substantia, & essentia judicii, ut ea omissa, nullus fiat processus; nam praesupposito, quod reus velit se defendere, & non habet alium modum se defendendi, nisi excipiendo contra testes quonam modo poterit se defendere, & opponere contra

tra testes, si nomina testium non habeat, ut supra? tum etiam, quia ita probat *text. d. cap. qualiter, & quando* 24. *de accusat.* ibi, *Debet igitur esse præsens is, contra quem facienda est Inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit, & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: & non solùm dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, & à quo sit dictum appareat, publicanda, necnon exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ, nè per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum verò exclusionem deponendi falsum, audacia præbeatur.* Hæc ibi. Ex quibus manifestè apparet, quod volentibus se defendere, dicta copia est apprimè necessaria.

2. Nec his nocent *Miranda* 2. *p. Jud. ord. q.* 23. *ar.* 1. & *Portell.* 1. *p. casu* 25. *num.* 14. §. *ad quintam quæstionem,* dicentes, non esse danda testium nomina, sed tantùm dicta reis Religiosis; ex quo gaudent privilegio Judicum S. Officii, qui procedunt sine publicatione nominum testium, ex *cap. final. de hæret. in* 6. *prætermissis apicibus, & juris solemnitatibus*; tum quia prædicta copia qualificata, ut supra, non est de apicibus, sed de essentialibus, cum sit dispositio intrinseca ad defensiones, & reus sine illa nequeat se defendere, ut dictum est supra; tum etiam, quia privilegium, favore fidei, concessum S. Officio, non est extendendum ad causas fratrum, cum hoc sit illi quid singulare; tum item, quia nomina testium in S. Officio, non publicantur, ut fideles, omni timore abjecto, securius, & cum omni facilitate, sint promptiores ad deponendum in causa fidei, quæ ratio non procedit in Religione; tum denique, quia partes Judicis illius fori, sunt, ... are reos ad defensionem dispositivè, inquirendo de ..., moribus, & habilitate testium, ne forsitan innocens condemnetur, ut ex multis *Bordon. cit. loc. n.* 2. quod non procedit in Regul. ut prax. ipsa docet.

3. Dixi *in causa criminali,* quia in civilibus, & levibus apud Regulares, aut non exigitur, aut nullatenus delegatur.

Quæst. 19. *An reo Religioso dandus sit Advocatus sæcularis, si petat?*

1. QUod Judex Regularis, tam Ordinarius, quàm Delegatus, de jure naturæ, reo subdito, sufficienter teneatur dare Advocatum, qui illum defendat, non est qui dubitet; tum quia Advocati patrocinium pertinet ad defensionem naturalem: *Aldretus lib.* 1. *de discipl. Relig. tuenda, cap.* 2. *n.* 3. tum etiam, quia ita habetur expressè in *cap. ex literis,* 1. *de offic. Jud.* ubi *glossa in ver. imperando,* dicit, *quod ad officium Judicis pertinet providere ... de Advocatis, si aliàs haberi non possint:* ad quod allegat multa jura.

2. Quod dictum glossæ *Portell.* 1. *par. casu* 25. *num.* 15. extendit ad casum nostrum, dicens, quod si in Religione nullus sit sufficiens, qui in re gravissima reum defendat: potest Prælatus Regularis illis dare Advocatum sæcularem, maximè hodie, cum jam ferè apices Juris, in Religiones sint introductæ; ad quod facit ordinatio 28. Cap. Gener. Romæ celeb. 1629. sub Vigil. Rodul.

3. *Rodriq. verò tom.* 2. *q.* 3. *ar.* 1. *in* §. *pro cujus,* supponendo, quod Advocati fratrum debent esse Regulares, ait, quod abstinendum est à Juris peritis; tum quia hodie causæ Regularium tractantur simpliciter, & de plano sola facti veritate inspecta; tum quia non desunt hodie in Religione Fratres, qui totum Jus Canon. pariter & civile calleant, sintque peritissimi in utroque jure ad defendendum, & judicandum; tum item, quia nefas est pudenda matris Religionis sæcularibus patefieri: tum denique, quia sæculares Advocati non sunt contenti parvo salario, & Fratres nummos non habent, quia mendicantes sunt: est ergo ab his omnino abstinendum, & in casu urgentiæ, & rei gravissimæ, utpotè vitæ, vel triremium, Prælatus Regularis, ubi reo dedit Advocatum Regularem, potest ei committere, ut de re consulat peritissimos in Ordine, vel extrà: pios tamen, & secretos, per modum exempli, & consultationis: ne tota Religio infametur, quod etiam apud Religiosos timoratæ conscientiæ sæpè vidi practicatum.

Quæst. 20. *An Prior Monasterii possit causam sui Monachi, alteri Monacho non subdito, delegare?*

1. SUnt qui negant: ex quo delegatio debet fieri ei, qui sit de jurisdictione delegantis, ut patet de tutore; *l. jus dandi, in fin. ff. de Tutor, & Curat.* ubi cuilibet Magistratui, Tutores dare permittitur: dummodo sint suæ jurisdictionis.

2. Verùm oppositum est de jure verius: nam cum Prior sit Judex Ordinarius, non autem delegatus; potest causas subditorum delegare, etiam extra territorium, ut patet de Episcopo, qui impeditus, consecrationem sui suffraganei efficere, potest illam alteri, extra territorium committere, *c. quod sedem, de offic. Ordin. Archid. in c. si Abbatem de elect. in* 6. *Innoc. & Abbas in c. novit. de offic. delegat. Barthol. & Bald. in l. fin. de offic. Præfecti.*

3. Amplia, ut etiam laico possit causam civilem committere, *glos. in c. decernimus de Jud.* ubi *Abbas, Felin.* & cæteri in eo scribentes, idem docent. Amplia, ut qui causam sibi commissam acceptavit, post susceptum onus, possit cogi causam finire, per *text. l. non distinguemus, ver. Sacerdotio adveniente, ff. de recept. arbitr. ubi licet Sacerdos, arbitrium suscipere non teneatur, postquam autem suscepit, sententiam facere debet.*

Quæst. 21. *Regularis occidens P. Generalem sui Ordinis, an gaudeat Immunitate Ecclesiastica?*

1. B*Ordonius resolut.* 1. *de Immunitate, q.* 12. negativè respondit ad quæsitum, cui favent *Novar.* 2. *p. summ. bull. sub eod. tit. n.* 67. *Pellizz. tom.* 2. *manual. tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 1. *q.* 16. *num.* 2. tum quia hujusmodi occisor censetur commisisse crimen læsæ Majestatis, quod est offensio Principis, & ejus Ministrorum, ut ex multis ostendunt.

In Religione autem, sub nomine Principis, venit P. Generalis, qui licet non habeat supremam Majestatem, ex quo superiorem cognoscit; habet tamen merum & mixtum Imperium, hoc est, habet potestatem gladii ad castigandum facinorosos subditos, & ad dandum rerum possessionem: in his enim consistit merum, & mixtum Imperium, quod circumcernit personas, & res, ut constat ex *l. Imperium, ff. de jur. omnium Judic.* & docent *Peregrin. cap.* 9. & 18. *D. Barbos. collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. & *cap.* 6. *num.* 10. *Farinac. cap.* 13. *de Immunit. num.* 184. *Italia lib.* 1. *de Immunit. cap.* 6. §. 7. *nu.* 29. & alii plures, quos allegat, & sequitur *Diana* 1 *p. tract.* 1. *de Immunit. resolut.*

2. Unde P. Gener. non sindicatur propter eminentem sui dignitatem, *Caphal. conf.* 39. quod notandum advertit *Gennens. in sua praxi Neapolit. cap.* 74. *in nov. nu.* 4. *in fin. annot.* & est de numero Officialium Papæ, ut constat ex decisis *tom.* 1. 1. *p. tr.* 16. *q.* 11.

3. Sunt tamen, qui dicunt, quod P. Generalis non est verè Princeps, cum etiam intra Religionem, subsit Capitulo Generali, & sæpius habeat collegas: sed relativè ad subditos, potest dici princeps, supple, impropriè ac largè *Aret. in fin. cap.* 1. *prax.* nec obstat, quod non sindicetur: nam etiam Vicarius Generalis Episcopi non sindicatur, & tamen non est Princeps.

Quæst. 22.

Quaest. 22. An Religiosi delinquentes, gaudeant immunitate Ecclesiastica, respectu sui superioris?

1. GRandis est ista quaestio, & pendet ex illa, an Clerici delinquentes, & confugientes ad Ecclesiam, gaudeant ejus immunitate? circa quam dissentiunt Doctores, nam *Innoc. in c. inter alia, de immunit. Eccl. ibique Card. q. 6. & alii plures, quos allegat D. Covar. var. resolut. lib. 2. cap. 20. num. 16. ver. 29.* existimant gaudere, ducunturque ex multis. Primò, quia jura, quae de hac immunitate loquuntur, non de solis laicis, sed generaliter de omnibus tractant, scil. de liberis, & servis confugientibus ad Ecclesiam, ut apertè dicitur in *d. cap. inter alia, & cap. immunitatem, eod. tit.* ubi ab immunitate excipiuntur solum, qui homicidia, & mutilationem membrorum, in ipsis Ecclesiis, vel earum coemeteriis, committere non verentur, & in *l. praesenti, & toto tit. C. de iis, qui ad Eccles. confugiunt,* ubi indefinitè deciditur, confugientem ad Ecclesiam, gaudere dicta immunitate; ergo nec nos distinguere debemus, *l. de precio ff. de Publiciana in rem actione.*

2. Secundò *ex cap. nullus Clericorum, 19. caus. 17. q. 4.* ubi dicitur, *quod nullus Clericorum, servum, aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahere audeat, aut flagellare praesumat*; ergo à simili, non potest Praelatus Regularis extrahere Monachum ab Ecclesia, qui instar servi judicatur, cum non habeat velle, nec nolle, & suum arbitrium sit in manibus sui superioris repositum, ut dicitur in *tot. tit. de statu Monach.*

3. Tertiò, quia privilegium hujusmodi immunitatis, est locale, hoc est, loco sacro concessum, ad honorem Dei; at privilegium locale aeque extenditur ad omnes confugientes ad locum, ergo.

4. Confirmatur; nam si Ecclesia tuetur extraneos, multò fortius debet tueri Religiosos subditos; ergo privilegium Ecclesiae, datum laicis, debet cum majori favore, extendi ad clericos, & Religiosos, *argum. tex. cap. 1. de nat. ex liber.*

5. Quartò, quia clerici & Religiosi, non sunt inferioris conditionis, quàm laici, ergo in favorabilibus debent aequa lance librari, ut notat *Zerola in praxi Episcop. §. immunitas, ver. 8.*

6. Verumtamen contrariam sententiam sectantur *Abbas Panor. in d. cap. inter alia, de immun. Eccles. num. 13.* ubi ad intentum allegat *Glos. d. cap. nullus*, & sequitur *Syl. ver. immunitas Eccles. 3. qu. 3. §. 3. Covar. cit. loc. cap. 20. num. 16. Navar. in Manuali cap. 25. num. 22. Jul. Clar. in §. final. q. 30. Boër. dec. 109. num. 7. ver. scilicet in Clerico, Gutierrez practicarum lib. 3. q. 3. nu. 1. Pax. in praxi, tom. 1. p. 5. cap. 3. nu. 141. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 10. num. 6. Rodriq. tom. 2. q. 50. ar. 4. cum suo comp. resol. 56. n. 5. Portell. in dub. ver. Eccles. immunitas, n. 11. Marc. Ant. Genuen. in sua nova praxi Archiep. Neapol. cap. 22. nu. 11. Marcel. Vulpe in sua praxi fori Eccles. cap. 3. de immunit. Eccles. n. 16. ver. septimo quaero,* & moventur; tum quia aliàs Religiosi nunquàm possent incarcerari; nam semper sunt in Monasterio, quod totum est locus immunitatis, ut docent communiter Doctores, tum etiam, quia major est immunitas personalis, quae Clericis conceditur, ratione suae consecrationis, quàm illa, quae provenire potest ex circumstantia loci; sed prior non impedit, quominus à suo Praelato possit Clericus incarcerari, & corporaliter puniri, juxta textum *cap. Universitatis 24. de sent. excom.* ergo nec locus sacer impediet, tum item, quia Ecclesiasticum judicium, cùm censeatur magis medicinale, quàm vindicativum, & spirituale potius, quàm temporale, non prohibetur fieri intra Ecclesiam, ut liquet *ex cap. praeceptum 6. caus. 2. q. 2.* ergo nec prohibebitur fieri circa personam Clerici, extrahendo illum ab Ecclesia: tum item, quia ita observat rationabilis consuetudo, non tantùm ex universali praxi Ecclesiae, sed etiam, quia immunitas Ecclesiae non debet praejudicare Praelatis ipsius, quia possent suos Clericos, vel Religiosos delinquentes, e Ecclesia & proprio Monasterio extrahere; tum item quia cùm ab eodem principio potestas Ecclesiastica judicandi, & ipsa immunitas Ecclesiastica proveniant, non debet una alteram impedire, nec ad invicem pugnare tum tandem, quia non reperitur Clericus, vel Religiosus qui pro sui defensione, immunitatem proclamet, nec S. Sedes, ad hujusmodi proclamores, aures extendit. *Diana 1. p. tr. de immunit. resol. 25. in fine, Lez. ver. immunit. Eccl. Bordon. resol. 1. q. 8. nu. 18. & Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 8. cap. 5. sect. 1. q. 16. n. 29.*

7. Exindè inferunt, hanc secundam sententiam, secundùm praxim & communem consuetudinem, esse veriorem: secùs verò secundùm juris rigorem: & secundùm hanc sententiam, in causa cujusdam Clerici, in Archiepiscopali Curia Neapolitana, fuisse decisum refert *D. Ricc. 2. p. dec. 89. n. 4.* & in causa cujusdam Monachi *p. dec. 182.* quod item recantat *p. 7. collect. 3177.* ubi etiam testatur de continua praxi, & quia haec praedicta concludunt de extractione facienda; iterum quaero de extraneis.

Quaest. 23. Religiosus confugiens ad Ecclesiam Regularium exemptam, an gaudeat immunitate illius?

1. QUaestio haec pariter pendet ex illa, an Clericus delinquens, confugiens ad Ecclesiam Regularium exemptam, gaudeat ejus immunitate? quam in facti contingentia, in Archiepiscopali Curia Neapolit. negativè fuisse decisam, testatur *D. Ricc. 3. p. dec. 326. n. 5.*

2. Verum mihi non arridet; tum quia extrahere aliquem ab Ecclesia, est actus jurisdictionalis, qui non potest exerceri in alieno territorio: locus autem exemptus non est de territorio Episcopi, ut constat ex vi nominis unde licet sit in Dioecesi, non tamen est de Dioecesi aliàs non diceretur locus exemptus, ergo: tum etiam quia Episcopus prohibetur exercere suam jurisdictionem extra suam Dioecesim, *cap. Episcoporum, 9. quaest. & cap. 2. de constit. in 6.* & colligitur *ex l. final. de jurisdict. omnium judic.* tum item, quia sicut statutum Episcopi, non ligat delinquentes, extra suam Dioecesim; ita etiam non ligat eos, qui delinquunt in locis exemptis existentibus in Dioecesi. *Turrecremata in cap. 2. §. statuta de Constit. in 6. & Jason. in l. final. de jurisdict. omn. jud.* tum tandem, quia si extra extraheretur, sine licentia Papae, fieret injuria, non solùm Praelato Ecclesiae, verùm etiam & D. Papae, cum immediatè loca exempta subsint D. Papae. Undè benè dixit *Bordon. 1. p. resol. 1. q. 8. num.* quod licet Religiosi non gaudeant immunitate suorum Monasteriorum, propter absurdum supra allegatum quia scil. nunquàm possent capi, incarcerari, & puniri adhuc tamen gaudent immunitate extraneorum, prout S. Congreg. declaravit, die 24. Januarii 1617. quam per extensum refert D. Barbosa *in Collect. bull. ver. immunitas,* ac etiam *Lez. eod. ver. num. 6. in medio,* & aliam declarationem à Sac. Congr. Conc. Trid. factam 10. Augusti 1618. refert per extensum *Diana 3. p. tr. 1. de Imm. res. 35.* qua ad instantiam Illustriss. Dom. Petri Francisci Montorii Episcopi Civitatis Neocastri, cujus ipse e Theologus eram, fuit declaratum, Clericum N. dict. Civitatis Neocastri Calab. qui ob patratum crimen homicidii confugerat ad Ecclesiam Dominicanorum illius Civitatis, gaudere immunitate Ecclesiastica, ac proinde non posse exindè extrahi ab Episc. sine licentia Papae quod item refert à Sac. Congr. decisum, *Gavant. in manual. ver. clericus num. 78.*

3. Hinc additur Praelatum Regularem non posse sub-

subditum confugiatum in aliena Ecclesia exinde extrahere, sine licentia Papæ, cum ei vetitum sit, in alieno Territorio suam jurisdictionem exercere, ut dictum est immediatè supra, ad quæ vide, quæ dico, *tom.2.p.3.tr.10.de potestate Prælat.q.15.*

Quæst. 24. An Prælati Regulares per literas infamatorias, sivè criminum delatorias, incerto Authore, scriptas, possint contra subditum diffamatum specialiter inquirere?

1. RESpondeo negativè, quia ad specialiter inquirendum, necessariò requiritur accusatio, vel denunciatio, aut publica infamia, quæ gerit vicem denunciationis, ut expressè dicitur *in capit. qualiter, & quando 24. de accusat.* at dictæ literæ nullius sunt valoris, quoad accusationem, cum per eas, ut supponitur, non constet de persona accusantis: nec quò ad denunciationem, quæ si Evangelica sit, præviam monitionem exigit, de qua hic non constat; si verò judicialis, certum debet habere authorem, cui judex fidem possit adhibere; neque quoad infamiam publicam, quia hæc emanat ex propria, & non ex aliena culpa; quamobrem prædictæ literæ non infamant, ut expressè dicitur *in cap. Inquisitionis 21. de accusat. § inter dubitationis articulus*, ibi, *& utrum ad petitionem quorundam quasdam scedulas nobis occultè tradentium, infamationem Episcopi continentes, sit ad Inquisitionem eorum quæ in ipsis continentur scedulis procedendum, &c.* ubi Glossa in ver. *quæsivisti, propè finem*, dicit, *quod nullus debet inquiri vel puniri pro crimine, de quo non laborat infamiam istis recipi*, quod multis firmat *ibid. Panor. & Miranda 1. ordin. judic. q.7. art.8. concl.1.* ad quod adducit [illegible] 49. *detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.*

2. Nec his nocet illud *Ezechiel. 3. & 33.* ubi dicitur, quod Judices, & Prælati positi sunt speculatores super populum Domini, qui & proindè debent invigilare super gregem suum & vitam, & mores suorum subditorum inquirere & explorare, qualiter ipsi se gerant in cunctis operibus suis, & malè facta corrigere, & castigare; aliàs sunt reprehendendi, & puniendi, prout reprehensus, & punitus fuit Heli, ex quo filios suos sceleratos non corripuit, ut constat *ex cap.2. primi Reg. & cap. licet Heli de Simonia*, quia quamvis Judices & Prælati invigilare semper debeant super gregem suum; nihilominus haud debent regulas à jure præscriptas ad cognoscenda, & investiganda delicta prætermittere, immò strictè illas observare. Nec Heli fuit reprætensus & punitus aliundè, nisi quia destitit corrigere filios, circa publica scelera, & manifestissima delicta, *Miranda cit. loc. concl. 2. in fin. Hoc Rodriq. in comp. resol. 40. num.10. Peyr. tom.1. de subdito q.1. cap.2. §.12. ver. dico secundo, & Lez.1.p. sum. cap.8. num.30.*

3. Undè judices, quicunque illi sint, mortaliter peccant, si per literas, incerto authore missas, ad specialem inquisitionem procedant: immò & puniendi sunt, & processus lacerandi, tanquam peccantes in radice, prout de facto multi fuerunt puniti, & plures processus lacerati, ut de praxi docet *Jul. Clar. lib.5. §. final. pract. Crim. q.5. n.5. & seq.* ubi de re nostra latè agit.

4. Prædictæ tamen literæ anonymæ, & sine Authore scriptæ, debent infringi, & lacerari, juxta *cap. qui alterius 5. qu.1.* aut conservari ad generaliter inquirendum super delatis, quæ cum non exigat præviam infamiam, tum sine prædictis literis potest adhiberi, vel ad puniendum ipsarum authores, si fortè suo tempore patefiant.

Quæst. 25. Scribens literas ad Prælatum, sine nomine, vulgò cacas, continentes delicta occulta, contra superiorem, vel particularem fratrem, an peccet?

1. ET quidem peccare mortaliter, non ambigitur; ex suo genere tamen, quia revelare occultum crimen sui Fratris, graviter lædit proximum, *& ex Canon. clericus maledic. 5. distin. 46.* hujusmodi maledici excommunicantur, quæ quippè excommunicatio præsupponit peccatum mortale, nisi fortè hoc quispiam faceret ex charitate, & non ex odio, & malevolentia, quærens scil. emendationem & correctionem, non autem confusionem & vituperium, & noluit se prodere, exindè timens sibi aliquod malum, ne fortè scil. inculpatus, ob delatum crimen, fiat sibi perpetuus inimicus, *Laur. Peyr. tom.1. de subdito q.1. cap.2. §.12.*

2. An autem hæ literæ privatæ, in quibus exprimitur occultum vitium alicujus, habeant rationem famosi libelli? negat *Bonac. tom.2. de restit. in particulari, disput.2. q.4. p.9. num.2.* & meritò, quia de ratione famosi libelli requiritur, ut scriptura sit publica & notoria, ut constat ex definitione libelli famosi, quam optimè explicat *Sylv. ver. libellus quæst.4.* quod non occurrit in casu nostro, in quo scriptura est occulta, & secreta: Undè sic scribens non potest dici calumniator, sed detractor, & maledictus, *Clar. cit. loc. pract. crimin. q.5.* & multis cit. *Rodriquez tom.2. quæst.31. art.2.*

Quæst. 26. Maledicus, qua pœna sit puniendus?

1. RESpondeo, quod Clerici detractores, de jure Canonico sunt excommunicandi, ut probat *tex. cap. accusatores 4. dist.46.* ubi sic loquitur.

Accusatores Fratrum, Episcopus excommunicet, qui non probanda Fratribus objiciunt; & si emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad Clerum, &c ubi Glossa *in ver. accusatores* dicit, *id est detractores, ex eod. jur. Canonic.*

2. Item maledici, *ex cap. clericus d. dist.46.* debent per excommunicationem cogi ad postulandam veniam, ubi habentur hæc formalia verba: *Clericus Maledicus (maximè in Sacerdotibus) cogatur, (supple per excomm.) ad postulandum veniam, si noluit, degradetur; nec unquam ad officium, absque satisfactione revocetur,* hæc ibi, ad quæ faciunt verba *cap.1. 5. q.1. qui sunt illæ, qui in alterius famam, publicè scripturam, aut verba contumeliosa confixerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur, & qui eà prius invenerit, rumpat, si non vult authoris facti causam incurrere,* hæc ibi, quæ ut ibid. Glossa notat, referuntur ad famosum libellum.

3. Verum *Rodriq. tom.2. q.31. art.3.* advertit, quod in casu posito, sicut nobiles non tenentur recantare palinodiam, sed compensare per æquivalentia, ut colligitur *ex l.2. tit.10. lib.8.* ordinamentorum, ita à pari, neque Religiosus, neque sacris initiatus; nam privilegium militis sæcularis extenditur ad militem cælestis militiæ, *juxta Glos. in l. miles ff. de re judic.* & docet *Covar. lib.2. var. cap. 1. num.9.* aliàs esset satis iniquum, si miles sæcularis militiæ uteretur hoc privilegio, & non miles cælestis militiæ; cum hujus dignitas, non solùm illius dignitatem superet, verùm etiam supereminead, ut Sacri Canones testantur *in cap. duo sunt, 96. dist.* ubi dicitur, quod quanta differentia est inter Solem & Lunam, tanta est inter Imperium, & Sacerdotium.

4. Hinc *Rodriq. cit. loc.* ampliando dicit, dictum suum procedere, etiam si maledicus Sacerdos, contra alios Sacerdotes falsa crimina protulerit, quia honor Sacerdotum magis consistit in patiendo propter Deum, quàm

quam in dictam Palinodiam petendo, ob actionem injuriarum; sic enim æstimatur magis laicus, quàm à Mundo separatus; quidquid autem sit de communi Jur. Can. Religiosus maledicus, & detractor, debet (servatis servandis,) ad pœnas in suis Constitutionibus præscriptas, & determinatas condemnari; in meo quidem Ordine, hujusmodi maledicus condemnatur ad pœnā gravioris culpæ, & per multos menses carceribus mancipatur, ad *tex. 5. de graviori culp. cap. 18.* ibi, *si quis etiam alteri Fratri Ordinis, vel ipsi Ordini crimen falsò imposuerit, &c.* ubi sub *lit. q.* contra hujusmodi detractores, multa sanciuntur.

Quæst. 27. Monachus seditiosus, & seminans Zizanias, quā pœnā sit puniendus?

1. RESpondeo, quod debet puniri Judicis arbitrio, ad *text. si quis Monachus 5. distinct. 90.* ubi habentur hæc præcisa verba.

Si quis Monachus contentiones, vel rixas amaverit, vel manifestum convicium fratri intulerit, juxta arbitrium Rectoris, modumque peccati, diuturna expetur pœnitentia. Item, qui contentiosus, aut murmurans extiterit, secundum arbitrium Prioris, tamdiu pœniteat, quamdiu culpæ qualitas extat. Hæc ibi, in quibus hoc Judicis arbitrium, regulandum est ex qualitate personæ, & excitatæ seditionis; non autem, ut libet *Rodriq. tom. 2. q. 31. art. 4.* quandoquidem seditionis delictum est valdè grave, & in quibusdam gravissimum, adeò, ut in quibusdam, Religiosus seditiosus, machinans contrà Religiosos, vel publicam quietem, licitè possit degradari, & tradi manui laicali per eum, ad quem de jure spectat, ut ex multis ostendit *Menoch. de arbitr. cent. 4. casu 266. num. 4.* & sic vidi nuper practicatum, etiam respectu Sacerdotum, jussu tamen S. Papæ: & eò fortius hujusmodi maledicentia & seditio coërcenda est, si fiat in Monasteriis, vel Ecclesiis, ubi summa pax, & quies debet observari: *ad l. denunciamus, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt:* Punitio ergo hujus perniciosissimi delicti consurgit ex qualitate delicti, loci, temporis, & personæ; *Menoch. lib. 2. de arbit. cent. 5. casu 437.* unde non habet determinatam pœnam.

Quæst. 28. Religiosi subditi in unum convenientes, si scribant literas ad supremum Prælatum, à se subscriptas, & sigillatas, continentes delicta sui superioris, an peccent mortaliter?

1. HUjus dubii, quoad peccatum, resolutio constat ex decisis hic supra *qu. 24. & 25.* nam, aut hi scribunt, animo injuriandi, & infamandi, & sic mortaliter peccant, & tenentur restituere, & ut maligni infamatores debent puniri, ut dicit *glossa in cap. Inquisitionis 21. de accusat. ver. in occulto,* ubi dicit, quod hi sunt deteriores latronibus furantibus bona nostra, aut hi scribunt, non animo injuriandi, & infamandi, sed solùm animo informandi Prælatum de vita illius, & sic nullatenus peccant, vel scribunt ex charitate, ad hoc, ut ille Prælatus, ut Pastor & Pater illum cognoscat, & emendet.

2. Quo verò ad aliud dubium, an delata crimina probent? Negativè respondeo, quia omnes illi congregatim scribentes, se habent per modum unius denunciantis, ad cujus, & quorum denunciationem, Prælatus potest inquirere, specialiter verum, & in futura inquisitione, nullus illorum erit testis integer, nec debet in testem admitti: imò possunt omnes, ut inimici, vel conspiratores à testimonio repelli: ut docet *glos. cap. exhibita 19. de judic. ver. conspiratorem,* ibi, *Quia quasi inimici, & ex odio hoc facere præsumuntur. Undè ab agendo sunt repellendi, sicut à denunciatione, seu inquisitione;* ad quod allegat multa jura. Et meritò hoc dicit, quia dum accusator, & denunciator, regulariter non computantur inter testes: & omnes, ut omnes, sunt accusatores sive denunciatores, in casu posito desiderantur testes.

Quæst. 29. Religiosus, qui aperit literas observat[illegible], vel alienas scripturas, animo nocendi, vel cum gravi detrimento aliorum, quæ ibidem in secreto servantur: an peccet mortaliter?

1. AFfirmativè dic; quia in re gravi offendit pro[illegible]mum, non tamen peccat mortaliter, qui ape[rit] literas, ex quibus sibi, vel alteri timet periculum ali[cuj]us damni notabilis, injustè inferendi, quia in tali casu præceptum naturale de evitando damno injustè ferendo præfertur præcepto de observando secreto; sed concurrentibus duobus præceptis naturalibus, in aliquo casu, contraria dictantibus, standum est potiori, *Navarr. in summ. cap. 18. num. 53. Roder. tom. 2. qu. 36. art. 4. Lan[...] Peyr. tom. 1. de subdit. qu. 2. cap. 11. §. de aperientibus litera[s] ver. dico tertio, & Lez. 1. p. sum. cap. 8. num. 3.*

2. Amplia, ut qui aperit literas alienas, ad finem ill[as] ostendendi adversario mittentis, peccat mortaliter, & pœna falsi punitur, ut eruditè ex multis ostendit *Sy[lv.] ver. falsar. q. 1.* ubi dict. pœnam falsi extendit ad Advoca[-] tos, & Notarios, qui jura partis, vel Instrumenta osten[-] dunt adversario, quod à simili *Peyr. cit. loc. ver. ex quo,* ex[-] tendit ad secretarios, socios, & collegas Provincialis, ve[l] Generalis, qui in visitationibus, ostendunt depositione[s] fratrum illis, contra quos sunt factæ: quod est valdè no[-] tandum: quia pœna falsi in Clerico, est arbitraria, pen[-] satis qualitatibus loci, temporis, & personæ: ad quo[d] facit *c. cum olim, el secondo de officio, & potestate Judic. Ab[-] bas, & Panormit. ibidem.*

3. Limita tamen dictam resolutionem, ut qui dicta[s] literas aperit simpliciter, & bona fide, non peccat mor[-] taliter, nec incurrit pœnas, *Sylv. cit. loc.* sic item, qui ape[-] rit literas inadvertenter, putans esse suas, vel ob curio[-] sitatem, *Navar. cit. loc. num. 20. Graff. 1. p. decis. lib. 2. cap. 136. num. 33.* & colligitur ex illa Constit. Clem. VIII. d[e] casibus reservandis à Regularibus, inter quos, vult poss[e] reservari malitiosum impedimentum, aut retardatio[-] nem, aut aperitionem literarum à superioribus ad infe[-] riores, & ab inferioribus ad superiores missarum.

4. Tunc dicetur malitiosum impedimentum, & ma[-] litiosa retardatio, quando fit, non solùm cum gravi cul[-] pa, sed etiam ex malitia, hoc est, ex directa intentione im[-] pediendi effectum literarum, ac eas retardandi, nè sci[-] perveniant ad subditos, & è contra à subditis ad superio[-] res, quomodocunque id contingat, *Pelliz. tom. 2 manua[l.] tract. 6. cap. 1. q. 26. n. 37.*

5. Et secundùm hoc dictum, est intelligendum illud statutum nostri Ordin. Prædicat. *distin. 1. de graviculpa cap. 18. extensum text.* 4. ibi, *Si quis literas Magistr[i] Ordinis, vel Priorum Provincialium, vel eorum sigill[a] falsificaverit, vel falsificatis usus fuerit, supple malitiosè & præsumptuosè:* nam dolus tantùm, & fraus in jure punitur.

Quæst. 30. *An Delegatus teneatur citare Partes cum inserta forma suæ delegationis? Secus autem sit citatio nulla?*

1. AFfirmativè *D. Barbosa in c. cum in re, de off. deleg. num. 5. Peyr. in suo formul. lit. D. cap. 3. num. 3.* & *Bordon. decis. 376.* quod ante eos docuit *glossa c. si Episcopus 8. caus. 3. q. 2. ver. convocari in fin.* ibi, *Item citatio non valet, si rescriptum Apostolicum non inseritur:* ad quod cita[t] *d. cap*

d.cap.cum in re de offic. delegat. & cap. 2. de dilation. quod item dicit glos. in d.cap. cum in re, ver. mandato, in fin. ibi, Rescriptum D.Papæ solemniter in publicam formam redactum inseratur, &c. ubi item eadem glossa paululum supra dicit, quod si rescriptum publicatum fuit in judicio, utpote Judicibus Ordinariis locorum, sufficit, etsi postmodum fuerit transmissum, nam satis est, ut subditis, quibus præcipitur, constet de authoritate Delegati mandantis, quod scil. ipse citat, & mandat, jure Delegati, & non Ordinario; ut patet de delegatis ab Illustrissimo Nuncio Civit. Neap. qui in his partibus solent mittere literas commissionales, locorum Episcopis dirigendas, & non aliis, qui ab eisdem citantur, qui si eorum pareant mandatis, validè remanent censuræ.

Quæst. 31. An Delegatus inferioris à Principe, possit subdelegare, saltem unum articulum causæ sibi delegatæ, utputà examinationem testium?

1. Bartbol. in l. more, num. 11. de jurisdict. omnium Judicum, affirmat, etiam si sit articulus continens jurisdictionem, utputà, examen testium sub juramento. Et probatur ex textu Clem. 1. de off. & potest. Judicis delegati, ubi loquitur, Judices super receptione testium in causa ... necnon executores ad providendum aliquibus, si per ... solertem, eos esse vita laudabilis, & conversatione honesta repererint, à Sede Apostolica deputati aliis possunt committere licite vices suas. Hæc ibi, ubi glossa in ... exemplificat de Commissario Delegato à Papa super receptione testium; qui impeditus examinare testes ... distantes, rectè commisit alii examen, ex quo ... Delegatus non est nudus minister, nec recipit nudum ministerium, utputa solam examinationem, sine ... ratione, sed cum causæ cognitione; ergo rectè potest subdelegare: & hanc sententiam sequuntur Sylv. ... delegatus, quæst. 8. dic. 3. Rosella ver. delegare, in princ. ... ver. Delegatus nu. 6. in fin. & acriter in facti contingentia defendit D. Ricc. 2. p. praxis fori Ecclesi. resolut. ... num. 1. ver. nihilominus, ubi ad hoc adducit Rot. Rom. ... de concess. prebend. in novis; & decis. 63. eod. tit. in ... Iterum hoc tenuit eadem Rot. in una Regiens. Ho... 26. Maii 1580. coram Cantuccio, & patet in decis. ... 2. di ver. Gratianus in propriis terminis, in decis. 157. ... esse potest, tum dispositio d. Clem. 1. de offic. Delegati, tum etiam, quia Judex delegatus ad universitatem causarum, potest subdelegare, ut omnes sciunt.

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent communiter Doctores, quod non potest scilicet prædictus delegatus subdelegare articulum jurisdictionem continentem; posse tamen subdelegare articulum nudi, & simplicis ministerii; Panorm. in c. Clericos num. 2. de ... Vicar. Felin. in cap. super quæstionem, de offic. Delegati ... in nova praxi Neap. cap. 85. Sanch. lib. 3. de ... disput. 31. num. 10. Naldus ver. delegare, nu. 12. Me... tom. 3. disp. 7. de jurisdict. dub. 6. num. 52. & alii plures, ... tur quæ tum ex l. à Judice, C. de Judic. ubi generaliter ... Judicem datum, Judicem dare non posse; tum ... quia Delegatus nihil proprium habet, sed delegata jurisdictione utitur, l. 1. §. qui mandatam ff. de offic. ... ergo sicut usuarius suum jus in alium transferre non potest, nec in totum, nec in partem; ità neque Delegatus potest transferre in alium suam jurisdictionem, neque in totum, neque in partem, nisi hæc facultas sibi ab homine, vel à jure conceditur; nam valet argumentum à toto ad partem, l. quæ de toto ff. de rei vendicat.

3. Exinde inferunt, delegatum ab Ordinario non posse alteri committere examinationem testium, cum delatione juramenti, quia hic est articulus jurisdictionalis; sed post delatum ab ipso juramentum testibus, & admissa capitula, & interrogatoria, poterit alteri examinationem testium committere, quia simplex examinatio testium, non est actus jurisdictionalis, sed nudi ministerii.

4. Limitant tamen prædictam communem sententiam Bald. in authen. apud eloquentissimum, C. de fide instrum. & in cap. si quis testium de testibus, Angelus de malefic. in ver. qui index est statuit terminum nu. 23. Afflictus in constit. Inquisitiones Generales, Caravita in ritu 87. num. 4. & in Ritu 57. limit. 5. num. 7. & alii eruditissimi non pauci, quos refert, & sequitur Megal. in prompt. ver. delegatio, sub num. 7. dicentes, prædictam opinionem non habere locum nec procedere, quando testes examinandi habitant extra territorium; quia cum tunc non possint cogi à Judice causæ, sive Ordinarius sit, sivè delegatus, nè delicta remaneant impunita, & causa indecisa, committendum est examen judici territorii; ubi testes habitant; item limitant in delegato Principis, cap. super. quæst. art. 27. de offic. & pot. Jud. delegati, item in delegato ad universitatem causarum.

Quæst. 32. An Visitatores, ac Commissarii instituti à Magist. Ordinis ad visitandum Religionis Provincias, possint alteri subdelegare?

1. ET dico, quod non; loquendo tamen, quò ad totam suam universalem authoritatem, secùs autem quo ad unam, vel alteram causam, tum quia hi Visitatores dicuntur instituti ad universitatem causarum, ergo de his dicendum est, sicut de illis dictum est, hic supra, quod scil. non possunt instituere, & facere alium Visitatorem similem sibi, quò ad universitatem causarum, in tota Provincia: aliud enim est committere hanc, vel illam causam, & aliud committere omnem, & totam suam jurisdictionem in universim: tum etiam, quia hi dicuntur Delegati à Principe, qui, ut dictum est, hic supra quæst. 31. possunt subdelegare, unam, vel aliam causam cap. super quæst. 27. de off. & potestate Jud. deleg. nam Pater Generalis Ordinis, dicitur Princeps Religionis, ut constat ex decisis q. 21. tum item, quia hi ordinariè solent institui cum speciali mandato, ad peragendum ea omnia, quæ potest Pater Generalis, etiam si forent talia, quæ exigerent speciale mandatum.

Quæst. 33. An Commissarius à P. Generali Ordin. ad hanc, vel illam causam Delegatus, possit alicui Fratri suæ Religionis, examinationem testium committere?

1. RESpondeo affirmativè, dummodo tamen testes sint valdè distantes; vel extra territorium, & P. Commissarius reperiatur impeditus: moveor; tum quia hic censetur Delegatus à Principe, qui de Jure potest subdelegare totam causam, ut constat ex decisis hic supra q. 31. ad quæ facit cap. super qu. 27. de off. & potestate Jud. deleg. ergo multò fortius, poterit committere unum articulum dict. causæ; tum etiam, quia ità videtur decisum in d. Clem. 1. de off. deleg. & docet ibi Glossa, in casu posito; tum item, quia ità tenent Eruditissimi Doctores, quos retuli citata qu. 31. in princip.

2. Nec obstat quod opinio contraria probabilior sit, quia mihi sufficit, ut ista sit probabilis; tum item, quia aliàs retardaretur Justitia punitiva Religiosorum; tum etiam, quia commissiones hujusmodi habent saltem implicitè speciale mandatum subdelegandi. Solent enim Magistri Ordinis illas expedire, cum his clausulis, dantes sibi omnem nostram authoritatem, vel vices, & voces nostras, quod est dare liberam, & plenam authoritatem, vel

super omnibus annexis; sub quibus verbis, venit speciale mandatum examinandi testes per alios in casu posito; nam instituere cum libera & plena authoritate, æquiparatur speciali mandato, ut probat *tex. in l. procurator cum libera, & in l. mandat, & docet aliis citatis Barbos. clausf.17.num.3.* tum, quia taciti, & expressi, est eadem virtus, tum quia examen, de quo agitur, est unum de emergentibus; tum denique quia delegata jurisdictione, absolutè censentur delegata omnia, sine quibus jurisdictio illa expediri non potest, ut dicitur in *l.2.ff. de jurisd. omn. Judicum*, ubi habentur hæc verba. *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit, &c.* quod etiam habetur *in cap. præterea, de offic. delegati*, ubi sic dicitur; *ex eo, quod causa sibi committitur super omnibus, quæ ad causam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem*; hæc ibi, ex quibus apparet, quod hujusmodi delegatus potest prædictam examinationem committere, cum sine illa, causa nequeat expediri, nec cognosci, & explicari.

Quæst. 34. An nudum ministerium possit subdelegari?

1. NEgativè dicitur *in cap. ult. §. final. de off. delegati.* Undè si à Papa alicui commissum fuerit, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare in irregularitate; non potest hujusmodi munus subdelegari; quia, ut dicitur *in d. cap.* in tali casu, non sibi jurisdictio, sed potius certum ministerium committitur; limitatur tamen hoc; nisi talis potestas concessa sit, ut perpetuò annexa sit, alicui dignitati, vel officio, ut si concedatur, quòd habens tale munus, possit aliquod nudum ministerium exercere, ut dispensare, absolvere in aliquibus, &c. ut in *cap. 6. Trid. sess. 24. de refor.* de qua re *Syl. ver. delegatus*; alias autem limitationes subit dictum responsum, de quibus *Meroll. tom. 3. disp. 7. de jurisdict. cap. 4. dub. 17. num. 179.*

2. Quando autem in literis patentibus intelligatur electa industria personæ, latè docent *Syl. cit. loc. Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 31. Megal. in promptuario, ver. delegatus*, latè *D. Ricc. p. 3. dec. cur. Archiep. decis. 269: Naldus ver. delegatus num. 12.* cum præcit. Doctoribus, ubi supra.

Quæst. 35. Vicarius, Provincialis præmortui loco suffectus, vel vicesgerens Provincialis absentis, an habeat authoritatem ordinariam, vel delegatam in tota Provincia?

1. SUb distinctione resolve; aut prædictus Vicarius Provincialis repetitur Vicarius ex virtute constitutionum, seu statutorum Capitulorum Generalium sui Ordinis, & sic habebit jurisdictionem ordinariam in tota Provincia, quia jurisdictio ordinaria dicitur illa, quæ nascitur ex aliquo officio, seu ex aliqua lege Canonica, vel Civili, vel ex aliquo privilegio Papæ, vel Imperatoris, *Sanch. in decal. lib. 4. cap. 24. num. 23.* Undè supprior in nostro Ordine, mortuo Priore, vel amoto, censetur Prælatus ordinarius sui Monasterii, quia suam authoritatem habet, non à mortuo Priore, sed ex virtute Constit. ut dicitur *in Prol. tex. 3. fol. 4. col. 1.* & mortuo, vel amoto Provinciali, Prior Conventualis illius loci, in quo primum Capitulum Provinciale celebrabitur, erit Vicarius Provincialis, habebitque authoritatem ordinariam in tota Provincia, usque ad adventum novi Provincialis; quia illam habet, jure constit. & non aliundè, ut dicitur *distin. 2. de elect. Prioris Provinc. cap. 3. tex. 1. fol. 121. col. 1.*

2. Aut prædictus Vicarius repentur talis, ex institutione P. Generalis, vel Provincialis, & sic censetur delegatus, habebitque jurisdictionem, non à jure, sed ab homine, in loco sibi præscripto, *Portell. in dub. ver. Prælati potestas num. 3. in fin.*

3. Est igitur differentia inter jurisdictionem Ordinariam, & delegatam, quia illa est à Jure: hæc autem ab homine; ac proindè illa extat delegabilis; hæc autem nequaquam, & hoc ideò, quia possidens jurisdictionem ordinariam, habet illam, tanquam rem propriam, & suam, & consequenter potest de illa disponere ad libitum, illamque alteri committere, cui, quando, & quomodo, in totum, vel in partem, quia dominus est, & potest de re sua facere quidquid voluerit.

4. Habens verò illam delegatam, possidet illam tanquam rem alienam, sibi commodatam. Unde habet usum illius, & non proprietatem; Ideoque non potest de illa ad nutum disponere, ut patet de commodatario qui rem sibi commodatam, non potest, sine licentia commodantis, alteri commodare.

5. Quod nota diligenter, & tene mente, pro recta administratione illius, qui in ordine nostro, finito triennio sui Provincialatus, ex institutione P. Generalis remanet Vicarius Provincialis, usque ad adventum novi Provincialis: quia hic, cùm habeat authoritatem ab homine, & non à jure; non potest transgredi cancellos suæ commissionis, & sine speciali mandato instituentis, haud poterit extendere manus ad ea, quæ sunt de jurisdictione ordinaria; quamobrem, non poterit renunciationes Prioratuum acceptare, nec novos Priores confirmare, aut instituere, nec Fratres ad Ordines licentiare, nec ad pœnas gravioris culpæ condemnare, aut similia peragere; quia non est Judex ordinarius, sed delegatus, qui sine voluntate delegantis, nihil potest operari.

6. Neque his obstant illa verba nostræ constit. *tex. 7. cap. 3. de elect. Prioris Provincialis fol. 125. col. 3.* ibi, *instante verò Prioris Provincialis electione, Priorum Conventualium absolutionem, (nisi ob causam criminis, vel gravis scandali, vel ipso Priore petente, vel in cap. Provinciali à diffinitorio illius tunc, post Electionem Prioris Provincialis factam, licet pendentem quoad confirmationem, fieri totaliter prohibemus, &c.* quia hujusmodi verba referuntur, vel ad diffinitorium Provinciale, quod habet authoritatem ordinariam, hoc est, à Jure Constit. aut referuntur ad Vicarium Provinciæ institutum similiter à Jure earumdem Constitutionum, ad *tex. 1. cap. 3. dist. 2. de elect. Prioris Provincialis*, & non ad Vicarium datum à P. Generali, qui, ultra sibi specialiter commissa, non poterit alia exercere. Quapropter multæ Provinciæ nostri Ordinis attendentes officium Provincialatus, non posse ultra prorogari; nisi de nova licentia Papæ, vel nisi post elapsa duo officia integra, juxta constitutionem Jul. 2. de temporalitate hujusmodi officialium, qua Constit. sancitur, ut hujusmodi Provinciales, peracto quadriennio, statim absque alia declaratione, censeantur absoluti ab officio, & quòd infra duo officia integra subsequentia, non possint ad idem Officium eligi, ut meliùs constat ex eadem bulla, quam, per extensum habes 3. *p. de elect.* attendentes dico, dict. bullam fuisse datam pro toto Ordine, & à toto Ordine susceptam, ut ibidem dico, procuraverunt sibi à D. Papa aliud speciale privilegium concedi, & indulgeri; quod cum sit speciale, & à communi Jure nostri Ordinis exorbitans, ad alias Provincias non extenditur: quo fit, ut Provinciæ, aut observent ad unguem nostram constitutionem, vel procurent habere speciale indultum à D. Papa, vel à P. Generali Ordinis, qui fultus authoritate Apostolica, solet in nostra Constitutione dispensare.

7. Provincia vero nostræ Calabriæ ad occurrendum dict. *tex. dist. 2. de elect.* procuravit in cap. Generali Bono-

niæ

niæ celebrato, anno Domini 1615. sub vigilantissimo, & Reverendissimo P. F. Seraphino Sicco Sapiense pro dict. Provin. Calab. fieri declarationem hujusmodi. *Provinciali verò moderno, cum finem suo officio dederit, ut eamdem Provinciam nostram Calabriæ tanquam Vicarius Generalis, usque ad electionem, & confirmationem novi Provincialis, regat, committimus:* hæc ibi.

8. Verùm dicta commissio mihi videtur insufficiens ad derogandum prædicto textui *de elect. Prioris provin.* fol. 121. *col.* 3. nostræ Constitutionis; tum quia ad derogandum nostris Constitutionibus, exigitur specialis auctoritas D. Papæ, de qua non constat in dicto Generali Capitulo Papiense; tum etiam, quia dict. Capitulum Generale loquitur per illud verbum, (*committimus*) quod distinguitur, à verbo *statuere*: aliud enim est committere, ut regat Provinciam generali regimine, & aliud statuere, ut Vicarius possit absolvere Priores ab officio, atque electos confirmare, cum simus in odiosis ut puta contra Regulam: tum item, quia dict. Provin. Calabriæ sub anno 1643. obtinuit ab Urbano VIII. speciale privilegium, quo nobis indulsit, ut Provinciales dict. Provinciæ, in futurum essent Biennales, quo Biennio peracto, statim censerentur absoluti ab officio, & quo ... in dict. Provincia observetur dict. Bulla Jul. II. ... occurrendum dictis bullis, & textui prædicto ... *dist.* 2. *de elect. Prior. Prov.* nostræ Constitutionis, ... & necessarium est, recurrere ad Patrem Generalem Ordinis, ut de authoritate apostolica, ipsum P. ... alem in Vicarium Generalem Provinciæ, digne ... stituere, aliàs acta per eundem, non subsi...

9. Quibus omnibus adde declarationem ad *tex.* 4. ... *ap. Provincialis pag.* 140. *col.* 4. ubi expressè dicitur quod Provincialis præteritus antè confirmationem Provincialis noviter electi, remanet Vicarius Provinciæ juxta Privilegium, & consuetudinem Provinciæ, ergo ad derogandum *d. statuto tex.* 1. *cap.* 1. *de elect. Provincialis*, necessariò requiritur privilegium, aut consuetudo legitimè introducta, quæ abrogat communem legem, ... novum jus, & privilegium: & cogita, an contrà textum expressum constitutionum invalescat consuetudo, cui per prologum constit. non datur locus, & an sit talis, quæ sufficiat ad tollendum leges Ecclesiasticas, de qua aliàs pluriès loquuti sumus.

Quæst. 36. An Iudex valeat ferre sententiam secundùm opinionem probabilem, prætermissa probabiliori?

1. Negant *Syl. ver. opinio, q.* 2. *eod. ver. Cajet. Contrad. in lib. de Contract. q. ult. Sot. lib.* 3. *de Just. qu.* 6. *art.* 5. *resp. ad quartum, Bannes* 2. 2. *q.* 63. *ar.* 4. *dub.* 1. *ver.* 2. *argum. Vasquez* 1. 2. *disp.* 64. *cap.* 2. *Portell. in dub. ver. opinio num.* ... & est communis; practicè tamen loquendo, & movetur ex multis. Primò, quia sequens opinionem probabilem, prætermissa probabiliori, se exponit periculo peccandi, siquidem eligit id, quod minùs certum est, relicto certiori; ac proindè peccat; qui enim amat periculum, peribit in illo.

2. Secundò; quia in dubiis pars tutior est eligenda, juxta *cap. juvenis de sponsal.*

3. Tertiò, quia in casu dubio, pro multitudine præsumendum est, secundùm *Glos. in cap. fin. de pœnit. dist.* 1. quam sequitur *Syl. cit. loc.* habetque authoritatem, & vim consuetudinis, secundùm *Bald. in cap. nè innitaris, de Const. ... Menoch. de præsump. lib.* 2. *præsump.* 71. *num.* 1. *Scaccia in consil.* 6. *num.* 99. *vol.* 1. & tanquam lex potest allegari, *Abbas in cap.* 1. *de Decim. not. penult. Fel. in cap.* 1. *de Constit. n.* 34. *Mascar. de probat. volum.* 3. *concl.* 1138. Undè *Ripa in* *l. damnum* §. *hoc autem nu.* 107. ait iniquam esse sententiam, latam contra communem opinionem.

4. Quartò, quia Judex debet judicare secundùm merita causæ: at qui habet pro se opinionem probabiliorem, habet majus jus, majoraque merita causæ, ergo judicandum est secundùm opinionem probabiliorem, non obstante, quod contraria sit probabilis; aliàs contra justitiam peccat, eritque acceptator personarum, quia eò ipso, quod Judex scit aliam opinionem esse probabiliorem, habet consequenter hoc judicium practicum, scil. quod tutius, & securiùs sit judicare secundum illam opinionem probabiliorem, ergo aliter judicans, agit contra conscientiam suam, quod non licet.

5. Quæ quippè resolutio procedit, sivè simus in dubio juris, sivè in dubio facti. Juris dubium vocatur illa quæstio, quæ habet hinc indè varias opiniones, circa intellectum legis, sivè pragmaticæ, vel statuti, dubium verò facti vocatur illa quæstio, quæ habet varias opiniones ad probandum factum per scripturam publicam sivè privatam, sivè per testes, vel per alios actus.

6. Quando ergo sunt variæ opiniones ex parte juris, explicantes scil. legem, Judex in tali casu, tenetur judicare secundùm opinionem probabiliorem, quæ resultat ex communi intellectu Doctorum; quandoquidem Judex pro bono communi constitutus, debet judicare secundum quod æquius viderit: æquius autem judicare, est ferre sententiam secundùm opinionem meliorem, ac tutiorem; hoc est, secundùm communem opinionem Doctorum, ut constat ex ante dictis.

7. Si verò illæ variæ opiniones, ex parte Juris, sint æquales in explicanda lege; potest judex ferre sententiam secundùm opinionem, quam maluerit: immò potest modò secundùm unam, modò secundùm aliam opinionem judicare: dummodò non arguatur de levitate, & scandalo, *Bannes cit. loc.* quem sequitur *Roder.* 1. *p. sum. cap.* 6. *de acceptione personarum num.* 1. *Sayr. in clavi Reg. lib.* 1 *cap.* 11. *num.* 4. *Portell. cit. loc.* & alii communiter; quia Judex, stantibus æqualibus opinionibus, non magis uni, quàm alteri tenetur distribuere, ex vi justitiæ distributivæ. Unde Prælatus, quando duo æquè digni, & benè meriti procurant beneficium, potest illud donare, cui maluerit: est enim hoc verè liberum, & gratiosum, cum ab aliqua lege, non dependeat, *Molina* 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6.

8. Si verò sint opiniones variæ, ex parte facti; quia scil. unus probat melius, quàm alter; Judex, absque ullo dubio, debet, & ex justitia tenetur pro parte melius probante judicare; quia tenetur judicare secundùm merita causæ, hoc est, secundum allegata, & probata; secùs peccat mortaliter, & damnum illatum tenetur restituere, *Sayr. cit. loc. num.* 13.

9. Si verò ex parte facti sint duæ opiniones æquè probabiles; quia scil. utraque ex æquo probat factum suum, & tunc in criminalibus, judex tenetur favere Reo, juxta *Jur. Regul.* 11. in qua dicitur, *cum partium jura sunt obscura, Reo est favendum potius, quam Actori, in civilibus verò tenetur partes componere, & si res litigiosa sit divisibilis, inter eas dividat: Bannes cit. loc. Portell. ubi supra, & Layman. lib.* 1. *tr.* 1. *cap.* 1. *num.* 5. *& constat ex l. hoc Tiberius* 41. *ff. de hæred. instit.* ubi dicitur, quod si dubium sit de voluntate, & intentione defuncti, hæreditas dividitur, & liquet ibi, *nam divisa hæreditas est inter Tiberium, & eum, qui Parthenio substitutus erat, & l. Lucius Titius,* 78. *ad Tribellianum*, & liquet, ibi, *an aliqua pars hæreditatis Lucii Titii*, ubi Glossa in casu, ait, quod debetur dimidia, supple ad litem evitandam: quod etiam probatur ex facto Salomonis 3. *Reg. cap.* 3. qui consultus ab illis mulieribus litigantibus de generatione filii, dixit, dividatur infantulus, & quamvis hoc non fecerit; ostendit tamen, quid in rebus dubiis faciendum sit. Item ex

tam ad puniendum, quàm ad salutem animæ, & Regularis observantiæ favorem, tolerabile videtur, & hoc probabiliter sufficiat ad certitudinem inter eos, qui mortui sunt in mundo; quia tamen reus non potest ad hujusmodi sententiam tolerandam cogi, deberet ex hujusmodi indiciis per tormenta religiosa tamen exquiri, ut sententia non feratur, nisi contra confessum, vel convictum juxta Sac. Canones, 2. q. 1. cap. Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi convictum, vel sponte confessum, hæc ille.

6. Tum quia Cajet. *ubi supra* loquitur multùm dubitativè; nam non dicit, quòd possit justè condemnari, sed quòd possit tolerari; tum etiam, quia Cajet. *ubi supra*, loquitur in casu particulari de furto, & de condemnatione ad pœnitentias salutares, quæ Religiosis infliguntur ad sustentandum Regularem observantiam: unde Cajet. *ubi supra* non loquitur de sententia absoluta, sed conditionali, hoc est, si ipse Religiosus condemnatus velit dictam sententiam acceptare; sin autem noluerit, poterit torqueri, & si negaverit, manebit liber à pœna furti, ut benè dicunt noster Bannesius *cit. loc. Peyr. in suo formul. lit. T. cap. 3 nu. 7. in fin. & Bordon. controv. 1. de probat. per testes, n. 203. Pasqual. decis. 216. n. 5.* & meritò hæc dicuntur; tum quia Religiosi non sunt deterioris conditionis laicis; tum etiam, quia jura omnibus indifferenter favent; tum item, quia fama Religiosorum magis custodienda est, quàm laicorum.

10. Non desinam tamen dicere, quòd licèt multi famosissimi DD. sequantur prædictam opinionem Cajet. nihilominus non sunt audiendi, nisi duobus concurrentibus, hoc est, dummodò versemur in re levi, & reus sit valdè facinorosus, ac diffamatus; prout benè advertit *Portell. in dub. ver. correctio Fratrum, n. 25. & Roder. tom. 4. cap. 148. in addit. summæ*, ubi declarat opinionem suam expressam, *to. 2. q. 121. art. 12. cum suo comp. resol. 42. de testib. num. 8.* & ità intelligendi sunt *Sanchez lib. 6. consil. cap. 5. dub. 12. Bordon. cit. loc. n. 209.* & consimiles sectantes opinionem Cajetani.

11. Benè verum est, quod *Pasqual. ubi supra, n. 11.* advertit, quòd Judex Religiosis ad hoc, ut ex vi horum testium singularium possit aliquam pœnam infligere, debet considerare, quidnam colligatur ex testificatione ipsorum; nam semper colligitur (*ait ipse.*) aut mala fama, aut quòd sit pravorum morum, aut aliquid hujusmodi; nam quantò plus actus mali deponuntur de aliquo, quamvis de singulis non benè constet: constat tamen ex ipsis, reum esse culpabilem, & criminosum, promptum ad mala patranda, & ideò Judex potest ad hoc respicere, & pro ipso reum punire, quod dictum ego censeo verum, respectu Religiosorum, quoad pœnas salutares & leves, Religiosum puniendum graviter non infamantes.

12. Aut tandem testes sunt singulares, singularitate adminiculativa, quia scilicet dictum unius, non est illudmet dictum alterius, sed illud adjuvat, ut si unus testificetur de facto, & alter de Confessione facti, & sic secundùm Doctores non sufficiunt pro infligenda pœna, etiam leviora; nam hi testes, licèt probent, non tamen plenè probant, ut attestantur *Farinac. q. 64. de testib. n. 112. & Sanchez in Thesauro recept. sent. n. 156.* quòd intellige verum in re gravi, & quando reus est bonæ famæ, & quando adminiculatio adjuncta alterius depositioni, plenam probationem non facit, secùs autem, &c.

***

Quæst. 12. *An Religiosus fornicarius sit ab officio, & beneficio deponendus?*

1. Affirmativè quidam: loquendo tamen de jure communi canonico, & dummodò de ea reperiatur convictus, vel confessus, & ejus fornicatio sit insigniter deformis, ut putà notoria, vel scandalosa, vel diu continuata, ducunturque *ex cap. at si Clerici, 4. de judiciis*, & liquet ibi, *si verò coram Episcopo de criminibus in jure confessi sunt, seu legitima probatione convicti; dummodò sint alia crimina, per quæ suspendi debent, vel deponi: non immeritò suspendendi sunt suis ordinibus, vel Altaris ministerio perpetuò removendi*: hæc ibi, quæ licèt loquantur de Clericis, nihilominus propter identitatem rationis, immò majoritatem, extendenda sunt ad Regulares, & tradunt *Bellett. in 2. p. disquis. Clerical. §. 2. n. 1. & Megal. in pract. crim. cap. 3. n. 19.* peccata enim Religiosorum sunt magis scandalosa, quàm peccata Clericorum.

2. Verumtamen hodie pro crimine fornicationis nullus Clericus aut Monachus plectitur pœna depositionis, etiamsi sit in Sacris constitutus, sed tantùm suspensionis, vel carceris, aut privationis bonorum, est enim hodie arbitraria, *Abbas in cap. ex parte n. 1. in fin. de testib. Decius in d. cap. at si Clerici, n. 223. de judic. Megal. in prompt. ver. fornicatio, num. 6.*

3. Et hanc opinionem dicunt esse communem omnes scribentes *in d. cap. at si Clerici*, & alii plures, quos allegat & sequitur *Clar. lib. 5. §. fornicatio, n. 3.* ubi ait, quòd Clericus notorius fornicator, est ipso jure suspensus ab officio, ad quod allegat Abbatem *in cap. non liceat, n. 4. de præscript.*

4. Dixi *de jure communi canonico*, quia secùs dicendum est de speciali; etenim Religiosus fornicarius est puniendus secundùm statuta sui Ordinis, quæ si desinunt, recurrendum est ad Jus Canonicum, vel ad proprium, & rationabilem consuetudinem: in meo autem Ordine quoad hoc debet attendi *cap. 18. de graviori culpa, text. 4.* ibi; *Si quis, quod Deus avertat, &c.* de qua re vide *Rodriquez to. 2. q. 26. art. 2. & Lez. 1. p. sum. cap. 5. num. 16.* ubi dicit, quòd Religiosus fornicans cum Moniali, de jure civili ultimo supplicio punitur, de Jure verò Canonico deponitur, & incarceratur.

Quæst. 13. *An Prælatus Regularis possit punire subditum inculpatum de vitio sodomitico?*

1. Affirmativè *P. Antonius de Sousa in suo libro de solicitat. fœminarum in Confessionis Sacram. tr. 2. cap. 1. n. 23.* & meritò, tum quia crimen sodomiæ non est crimen hæresis, ut constat ex utrius criminis diffinitione, ergo committens sodomiam non est suspectus de fide, & per consequens ejus punitio de directo & per se non pertinet ad S. Officium; tum etiam, quia crimen nefandum est mixti fori, ut ex multis ostendit *Graff. consil. 1. p. 5. lib. 5. cons. 3. n. 8. de adulteriis, & stupro:* unde punitur à Judice Ecclesiastico secundùm legem Canonicam, & à Judice laico secundùm civilem, & hoc propter sui enormitatem, *Panorm. in cap. Clerici, & in cap. tua de Procurat. Felin. in cap. de iis, fall. 2. de accusat. & Navarr. lib. 2. de Jud. cons. 1.* hoc autem non potest dici de hæresi, quæ in tribunali sanctissimæ Inquisitionis solùm examinatur, ergo; tum etiam, quia sic videtur decisum à Pio V. in sua Bulla incip. *Horrendum illud scelus*, ibi, *Per Judicē Ecclesiasticum declarati, statim potestati sæculari tradantur, qui de eis illud idem capiat supplicium, quod in laicos in hoc exercitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutū.* Hæc ibi. Ex quibus benè apparet, quòd sodomita sæcularis à Judice laico, & ecclesiasticus à Judice ecclesiastico est puniendus: *Rodriq. to. 2. q. 29. art. 2. cum suo compend. resol. 48. §. de pœna imponenda sodomitis, nu. 24.* tum item,

tem, quia ita docet praxis, nam Prælati Minorum procedunt indifferenter contra hujusmodi delinquentes, ut constat ex eorum statutis relatis per *Aretin. in prax. crimin. cap. 5. de gravissimis delictis, ver. qui peccatum innominabile admiserit*, & in Ordine Prædicatorum, *distin. 1. de graviori culpa cap. 18 text. 9. fol. 86.* ibi *Statuimus, quod si quis nefandum crimen concubitus, contra naturam commiserit, perpetuò Carceri sit addictus, & pœnis aliis puniatur, secundum Prælati discretionem*; tum denique, quia si hujusmodi delinquentes, tale crimen committant extra septa, & inde ab Episcopis locorum carcerentur, remittuntur ad suos Prælatos regulares, utique puniendi, ut de praxi docet doctissimus *D. Alexander Sperell. 1. p. decis. 38. num. 31.*

2. Nec dices, quod Inquisitores fidei in Regno Portugalliæ ex privileg. sibi indulto à Gregor. XIII. inquirunt, & procedunt contra sodomitam; quia P. Sousa, qui fuit Consiliarius supremi Tribunalis S. Officii in dict. Regno, dicit, ubi supra, per tale privilegium non coarctari Ordinariam potestatem Prælatorum Regularium ad puniendum hoc crimen, sicut nec coarctatur potestas judicum sæcularium, qui non obstante citata Bulla, quotidiè de hoc crimine cognoscunt, & illud puniunt: Unde subjungit, quod crimen sodomiæ est mixti fori, & quod ejus cognitio, & punitio fuit concessa Inquisitoribus S. Officii dict. Regni cumulativè, & non privativè quoad Regulares, & alios Judices sæculares; quod est dicere, quod hi Prælati Regulares, & consimiles Judices, propter dictam Bullam Gregor. XIII. datam Inquisitoribus dict. Regni, non privantur authoritate, quominus possint subditos sodomitas castigare.

3. Et secundum hæc prædicta debet intelligi id, quod dicit idem noster *Sousa lib. 1. aphorism. cap. 59. nu. 10.* quod scilicet ex commissione speciali Summi Pontif. contra sodomitas, sicut in causis fidei, procedunt Inquisitores Lusitaniæ; prout Pius IV. 20. Februarii, anno 1562. Gregor. XIII. 6. August. anno 1574. per specialia Decreta, quæ in Archivio S. Inquisitionis servantur, declararunt.

4. Et numero subsequ. dicit, *Quod particulæ, sicut in causis fidei, positæ in dictis concessionibus, intelliguntur solùm, quoad modum procedendi*; prout declaravit Urban. VIII. speciali Epistola, ad Inquisitorem Generalem Lusitaniæ ann. 1622. die 5. Martii, quæ asservatur in eodem Archivio; Undè prædictæ sodomitæ in dict. Regno non adjurant, nec quidem de levi, prout ex multis testatur *Carena in tract. de S. Offic. 2. p. confess. sollicitantib. tit. 6. §. 16. n. 83.* ubi dicit, idem practicari ab Inquisitoribus Regni Aragoniæ, Valentiæ, & Barcinonæ: quod etiam sequitur *Bordon, controv. 2. de socio criminis q. 11. sub num. 36.* ubi dicit, prædictum privilegium cognoscendi sodomitas, cum sit speciale, non potest extendi ad Inquisitores Italiæ, cum hujusmodi delictum non sit de pertinentibus ad sanctam fidem.

Quæst. 14. *Regularis sodomita in quas pœnas incidat?*

1. RESpondeo, quod Regulares sodomitantes, nedum peccant mortaliter contra castitatem, verùm etiam dant in pœnas *cap. Clerici 4. de excess. Prælat. Si Clerici fuerint, deiciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in Monasteriis detrudantur*: necnon incurrunt pœnas taxatas à Pio V. in dict. sua Constit. quæ incipit *Horrendum illud scelus*, edita anno Domini 1568. die verò 3. Septembris, ibi, *Omnes & quoscunque Presbyteros, & alios Clericos Seculares, & Regulares, cujusque gradus & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio ecclesiastico, præsentis Canonis authoritate privamus, ità quod per Judicem ecclesiasticum degradati, potestati seculari tradantur, qui de eis idem faciat supplicium, quod laicos hoc in exercitio devolutos, legitimis reperitur sanctionibus constitutum, &c.*

2. Quæ quippè pœnæ procedunt, tam respectu agentium, quàm patientium, tum in odium, tam pessimi criminis; tum quia ambo dicuntur propriè, & verè sodomitæ; tum etiam, quia Jura infligentia pœnas, loquuntur, tam in agente, quàm in patiente, ut constat ex *l. cum vir. C. de adulter. §. 1. in auth. ut non luxurientur contra naturam. D. Ricc. 3. p. prax. resolut. 57. n. 8.* ubi dicit, hoc procedere, tam in foro externo, quàm interno conscientiæ, & favent *Bonac. de matrim. q. 4. p. 11. num. 2. & Novar. in luc. Regul. ver. sodomia num. 3.*

3. Verùm limita dictas pœnas non procedere, quando Regulares tale crimen non committunt ex usu continuato; sed bis, aut ter, ex humana fragilitate; ut liquet ex illo Bullæ verbo (*exercentes*) quod significat frequentiam actus; non enim dicitur Mercator, qui semel mercaturam exercuit, & docent *Navar. cap. 27. nu. 249. Genuens. in praxi Neap. cap. 82. in nov. D. Riccius d. 3. p. prax. resol. 58. Barbos. alleg. 44. n. 25. Rodriq. tom. 2. q. 29. ar. 2. cum suo comp. resol. 48. n. 22.* ubi opinionem *Navar.* uti probabiliorem, communiorem, & magis piam, propugnat contra *Salzed. in addit. ad practicam crim. canon. Bernardi Diaz. de lug. & Portellus in dub. Regul. ver. pœna nu. 7.*

4. Secundò limita, dictas pœnas non obligare omnem exercentem tale vitium, sed notorium tantum, non autem occultum, *Graff. in decis. aur. 1. p. lib. 2. cap. 90. sub num. 13. Avila de censur. p. 7. disput. 4. Campanil. in divers. Jur. Can. rubric. 12. cap. 22. n. 13.*

5. Tertiò limita, dictas pœnas non comprehendere exercentes vitium bestialitatis; quia est species distincta à sodomia, *Dominicus Bannes 2. 2. q. 64. ar. 8. Garsia de benef. p. 11. cap. 10. §. 2. n. 205.* latè *Diana 2. p. tract. 3. resolut. 66. miscell.* quod nota contra *D. Riccium 3. part. prax. resolut. 59.*

6. Quartò limita, dictas pœnas non procedere contra exercentes vitium sodomiticum cum fœminis; quia pœnæ non extenduntur extra casum in jure expressum, juxtà Jur. Regul. *Odia.* Jura autem loquuntur, & debent intelligi de sodomia vera, & propria, quæ nihil aliud est, nisi coitus inter duas personas unius sexus in vase indebito, sivè, ut alii dicunt, quod sodomia est seminatio intra vas stercorarium personarum ejusdem sexus, prout Doctores allegati testantur ex doctrina *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 8. Bordon. resol. 48. num. 10. & decis. 283. in fin.* Verùm his non attident *D. Ricc. cit. loc. in fin.* nec *Novar. ubi sup. n. 9.* dicentes, quod inter masculum, & fœminam, potest reperiri, & esse vera sodomia.

7. Quintò limita, ut dictæ pœnæ nunquam debeantur, nec intelligantur incursæ ante sententiam Judicis declaratoriam, *Suar. de cens. disput. 31. nu. 22. sect. 4. Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 46. nu. 28. Diana cit. loc. & Egomet tom. 1. 2. p. prax. tract. 15. q. 25. num. 2.*

Quæst. 15. An sodomia probetur per dictum pueri sodomitati?

1. GRavis est ista quæstio, circa quam variant Doctores, nam *Marsil. in cons. 28. n. 16. vol. 1. & Gram. decis. 28. n. 14. & decis. 40. n. 16.* dicunt, quod dictum sodomitati, non solùm non convincit, sed nec quidem facit indicium ad inquirendum, & idem tenet *Paris. cons. 167. n. 7. & 8. lib. 4.* & moventur, quia sodomitatus, asserendo se passum esse sodomiam, fatetur se infamem, ut liquet in *auth. ut non luxurientur contra naturam, & in l. cum vir, C. ad l. Jul. de adulter.* Infamis autem repellitur à testimonio, ut omnes sciunt, & ex multis docet *Specul. in tit. de teste, §. 1. verb. item, quod est infamis ergo*; tum etiam quia allegans turpitudinem suam, non est audiendus, *cap. inter*

inter dilectos de donat. & cap. cum super de concess. prabendarum.

2. Oppositum tamen, quod scilicet dictum pueri sodomitati, non solùm facit indicium ad inquirendum, verùm etiam ad torquendum, tenet *Boss. de judic. n.6. & Aretinus in sua praxi crim. in 2. substantiali de testib. cap.1. ver. septimo*, ubi dicit, quod depositio socii criminis in sodomia, non solùm erit sufficiens indicium ad torturam, sed etiam erit semiplena probatio, & accedente alio socio, qui idem deponat, erit plena probatio, & poterit reus condemnari.

Ad quod allegat *Cynum, & Panor.*

3. Verumtamen *Farinac. sub tit. de judic. & tort. q.43. n.89. & q.148. n.75.* cui subscribit *Sousa lib.1. aphor. cap. 59. de sodom. n.16.* dicit, prædictam secundam opinionem procedere, dummodò adsint adminicula.

4. Nihilominus negant *D. Ruc. 3. p. prax. resol.63. & Bordon. controv.2. de socio crim. q.11. n.18.* ubi dicunt, quod dictum socii in sodomia, vel fœminæ in adulterio, nihil probant contra sodomitam complicem prætensum, nisi fuerit adminiculatum, & tortura convalidatum, & alium defectum non patiatur: maximè quando nominatus sodomita est bonæ famæ, quia socius criminis ob delictum confessum redditur infamis, qui nunquam in testem admittitur, nec admittendus est sine tortura, *l. Carmen, §. si ea rei conditio, ff. de testib. cap. illi, qui 5. q.8. cap. inprimis, 11. q.1. Glossa in cap. per tuas de simon.* & alii plures, quos allegat *Marsil. in pract. in § negligenter*, & sequitur *Farin. in cit. loc. q.43. n.134.* ubi ad intentum non paucos eruditissimos Doctores adducit, & *D. Sperell. 1. p. decis. 38. nu.7.* non est ergo ab hac opinione discedendum.

Quæst.16. Quænam sint ista adminicula necessaria, ad hoc, ut dictum socii criminis semiplenam probationem faciat ad torturam?

1. ET quidem quatuor sunt necessaria ad prædicta. Primò, necessariò requiritur, quod testis sit Juratus; nam sine juramento nulli creditur, quantumvis legitimo, & honestæ personæ etiam Religiosæ, *cap. tuis 39. de testib.* quod à fortiori exigitur in complicibus, *Glossa cap. veniens, C. de testibus in ver. Confesso.*

2. Secundò requiritur, quod socius criminis suum dictum cum juramento ratificet in tortura, ut constat ex decisis, & habetur expressè in *cap. in primis 7. 2. q.1. propè finem, §. testes*, ibi, *ut vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat, &c.* quod etiam habetur in *cap. illi qui 4. v. q.5.* ibi, *hanc diversis Cruciatibus e latebris suis Religiosus tortor exigere debet, ut dum pœnis corpora subjiciuntur, quæ gesta sunt, fideliter & veraciter exquirantur*, hæc ibi, ubi *glossa in verb. Relig.* ait, *quod viles testes benè torquentur in exceptis criminibus.*

3. Tertiò, ad habilitandum socii dictum, requiruntur alia adminicula, ut sunt mala fama sodomitantis, testes de auditu ab alio, quàm à complice teste, fama publica, fuga nominati, stricta amicitia inter nominantem, & nominatum, & similia, quæ circa stuprum solent examinari.

4. Quartò, quod socius criminis non patiatur alios defectus, qui illum reddant inhabilem, ut si foret mendax, vel perjurius, aut mente captus, vel fræneticus, & similis, de quibus sunt omninò videndi *Jul. Clar. lib.5. §. final. q.25. Farinac. de testib. q.79.* ubi latè de re nostra, *Miranda 1. p. de ordin. Jud. q.18. art.12. Menoch. lib.1. de præsumpt. q.89. n.74. Ant. Gomez lib.3. var. cap.12. num.15. Gennens. in praxi Neap. cap.82. n.2.* ubi dicit, quod in dicta Curia, pueri torquentur ad validandam depositionem: etiamsi dicant se per vim fuisse stupratos, nisi probetur metus, qui non præsumitur, *Sousa lib.2. aphor. cap.25. nu. 24. Diana resolut.7. de tortura in S. Offic. Carena de indiciis ad torturam num.52. & Bordon. controver.2. de socis crim.*

Quæst. 17. Si testes, de criminibus sibi objectis per modum exceptionis sint convicti, an sint de illis puniendi? vel dumtaxat à testimonio repellendi?

1. GLossa in cap. per Inquisitionem, 26. de elect. verbo indignum, ad finem, dicit, *Quod si aliquis indictum testis in causa alterius, & in modum exceptionis probetur crimen, testis non punitur, nisi quia a testimonio repellitur, nec infamiam incurrit*, & est decisio *cap. cum dilectus, 2. de ordine cognitionum in fin.* ibi, *Quemadmodum si in modum exceptionis aliquod crimen testi objicitur, ut à testimonio repellatur, & si crimen contra eum civiliter probatum fuerit: non ideò sibi pœna infligitur ordinaria, sed ejus dumtaxat testimonio non creditur, quod ea ratione contingit, quoniam in ipsum accusatio non procedit, testes etiam quorum testimonium reprobatur, inter infames, quasi ex falso testimonio, non habentur.* Hæc ibi, interque nota illam causalem, *quoniam in ipsum accusatio non procedit*, ergo ad procedendum contra testes convictos de crimine per modum exceptionis, requiritur formalis accusatio, seu petitio; qui enim excipit, non petit, sed petentem repellit, ut dicit *glos. in ver. in modum exceptionis in fine.*

2. Id ipsum reperitur decisum in *cap. denique 1. de except.* ibi, *Cæterum si de criminibus ad solam exceptionem objectis testes convicti fuerint, sive confessi, pœna ordinaria mulctari non debent: Cum accusatio in ipsos, secundum juris ordinem, non procedat: sufficit ergo si a perhibendo testimonio repellatur, præsertim ubi crimen, quod eis objicitur, causam de qua agitur, contingere non videtur.* Hæc ibi, ubi *glossa in ver. contingere*, advertit, quod si crimen, quod objicitur testi, contingit causam, de qua agitur; non solùm repellitur, sed etiam punitur, sicut vir accusat uxorem de adulterio, & ipsa excipit de lenocinio, quod ipse tradidit eam adulterandam, *ff. de adult. l.2. si publico*; sic & testis, qui in testificando vacillaverit, sivè falsum dixerit, punitur, *C. de testib. nullum, & 4. q.3. cap. si testes, §. item qui falso*, & sic intelligit *dict. cap. per Inquisitionem de elect.* ubi dicitur, aliàs puniri non debet; quia ibi non agitur de crimine falsi; sed solùm de repellendo à testimonio: ergo, secus quando agitur de delicto tangente eamdem causam, ut hic de his, qui ad quærelam partis adversæ processantur, & si servatis servandis convincuntur de falsitate, rigorosè puniuntur pœna legis Corneliæ, de falsis, *ff. ad l. Cornel. l.1 in princip. in ver. sed, etsi Judex, & cap. falsidicus testis 1. de crimin. falsi*, quod nota, ad concordandum jura contraria.

Quæst. 18. An reo Religioso danda sit copia repertorum cum nominibus, & cognominibus testium, ad finem se defendendi in causa criminali?

1. AFfirmat *Panor. in cap. olim, & cap. qualiter, & quando 24. de accusat. Rodriq. tom.2. q.3. ar.1. in fin. §. utrum testium nomina, &c. cum suo comp. resolut. 42. de testibus num.45. Gisler. cap.11. num. 24. Villagut. lib.6. cap. 1. conclus.11. & cap. 2. conclus. 4. Franciscus Aretin. in sua pract. crim. de quarto substantiali judicii, hoc est, de defensionibus, cap. 2. Megal. in sua pract. crim. Can. cap.9. num. 2* & multis citatis, *Bordon. controv. 1. num.259.* & moventur, tum quia dict. copia ita est de substantia, & essentia judicii, ut ea omissa, nullus fiat processus; nam præsupposito, quod reus velit se defendere, & non habet alium modum se defendendi, nisi excipiendo contra testes, quonam modo poterit se defendere, & opponere contra

ra testes, si nomina testium non habeat, ut supra? tum etiam, quia ita probat *text. d. cap. qualiter, & quando* 24. *de accusat.* ibi, *Debet igitur esse præsens is, contra quem facienda est Inquisitio, nisi se per contumaciam absentaverit, & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: & non solum dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei, ut quid, & à quo sit dictum appareat, publicanda, necnon exceptiones, & replicationes legitimæ admittendæ, nè per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum verò exclusionem deponendi falsum, audacia præbeatur.* Hæc ibi. Ex quibus manifestè apparet, quod volentibus se defendere, dicta copia est apprimè necessaria.

2. Nec his nocent *Miranda* 2. *p. Jud. ord. q.* 23. *ar.* 1. *& Portell.* 1. *p. casu* 25. *num.* 14. §. *ad quintam quæstionem*, dicentes, non esse danda testium nomina, sed tantùm dicta reis Religiosis; ex quo gaudent privilegio Judicum S. Officii, qui procedunt sine publicatione nominum testium, ex *cap. final. de hæret. in* 6. *prætermissis apicibus, & strepitu solemnitatibus*; tum quia prædicta copia qualificata, ut supra, non est de apicibus, sed de essentialibus, cum sit dispositio intrinseca ad defensiones, & reus sine illa nequeat se defendere, ut dictum est supra; tum etiam, quia privilegium, favore fidei, concessum S. Officio, non est extendendum ad causas fratrum, cum hoc sit illi quid singulare; tum item, quia nomina testium in S. Officio, non publicantur, ut fideles, omni timore abjecto, securius, & cum omni facilitate, sint promptiores ad deponendum in causa fidei, quæ ratio non procedit in Religiosis; tum denique, quia partes Judicis illius fori, sunt, coadjuvare reos ad defensionem dispositivè, inquirendo de vita, moribus, & habilitate testium, ne forsitan innocens condemnetur, ut ex multis *Bordon. cit. loc. n.* 2. quod non procedit in Regul. ut prax. ipsa docet.

3. Dixi *in causa criminali*, quia in civilibus, & levibus apud Regulares, aut non exigitur, aut nullatenus delegatur.

Quæst. 19. An reo Religioso dandus sit Advocatus sæcularis, si petat?

1. Quod Judex Regularis, tam Ordinarius, quàm Delegatus, de jure naturæ, reo subdito, sufficientem teneatur dare Advocatum, qui illum defendat, non est qui dubitet; tum quia Advocati patrocinium pertinet ad defensionem naturalem: *Aldretus lib.* 1. *de disciplina Relig. tuenda, cap.* 2. *n.* 3. tum etiam, quia ita habetur expressè in *cap. ex literis,* 1. *de offic. Jud.* ubi *glossa in ver. impertiendo*, dicit, *quod ad officium Judicis pertinet providere Partibus de Advocatis, si aliàs haberi non possint*: ad quod allegat multa jura.

2. Quod dictum glossæ *Portell.* 1. *par. casu* 25. *num.* 15. extendit ad casum nostrum, dicens, quod si in Religione nullus sit sufficiens, qui in re gravissima reum defendat: potest Prælatus Regularis illis dare Advocatum sæcularem, maximè hodie, cum jam ferè apices Juris, in Religiones sint introductæ; ad quod facit ordinatio 18. Cap. Gener. Romæ celeb. 1629. sub Vigil. Rodul.

3. *Rodriq. verò tom.* 2. *q.* 3. *ar.* 1. *in* §. *pro cujus*, supponendo, quod Advocati fratrum debent esse Regulares, ait, quod abstinendum est à Juris peritis; tum quia hodie causæ Regularium tractantur simpliciter, & de plano sola facti veritate inspecta; tum quia non desunt hodie in Religione Fratres, qui totum Jus Canon. pariter & Civile calleant, sintque peritissimi in utroque jure ad defendendum, & judicandum; tum item, quia nefas est pudenda matris Religionis sæcularibus patefieri: tum denique, quia sæculares Advocati non sunt contenti parvo salario, & Fratres nummos non habent, quia mendicantes sunt: est ergo ab his omnino abstinendum, & in casu urgentiæ, & rei gravissimæ, utpotè vitæ, vel triremium, Prælatus Regularis, ubi reo dedit Advocatum Regularem, potest ei committere, ut de re consulat peritissimos in Ordine, vel extrà: pios tamen, & secretos, per modum exempli, & consultationis: ne tota Religio infametur, quod etiam apud Religiosos timoratæ conscientiæ sæpè vidi practicatum.

Quæst. 20. An Prior Monasterii possit causam sui Monachi, alteri Monacho non subdito, delegare?

1. Sunt qui negant: ex quo delegatio debet fieri ei, qui sit de jurisdictione delegantis, ut patet de tutore; *l. jus dandi, in fin. ff. de Tutor, & Curat.* ubi cuilibet Magistratui, Tutores dare permittitur: dummodo sint suæ jurisdictionis.

2. Verùm oppositum est de jure verius: nam cum Prior sit Judex Ordinarius, non autem delegatus; potest causas subditorum delegare, etiam extra territorium, ut patet de Episcopo, qui impeditus, consecrationem sui suffraganei efficere, potest illam alteri, extra territorium committere, *c. quod sedem, de offic. Ordin. Archid. in c. si Abbatem de elect. in* 6. *Innoc. & Abbas in c. novit. de offic. delegat. Barthol. & Bald. in l. fin. de offic. Præfecti.*

3. Amplia, ut etiam laico possit causam civilem committere, *glos. in c. decernimus de Jud.* ubi *Abbas, Felin.* & cæteri in eo scribentes, idem docent. Amplia, ut qui causam sibi commissam acceptavit, post susceptum onus, possit cogi causam finire, per *text. l. non distinguemus, ver. Sacerdotio adveniente, ff. de recept. arbitr. ubi licet Sacerdos, arbitrium suscipere non teneatur, postquam autem suscepit, sententiam facere debet.*

Quæst. 21. Regularis occidens P. Generalem sui Ordinis, an gaudeat Immunitate Ecclesiastica?

1. Bordonus *resolut.* 1. *de Immunitate, q.* 12. negativè respondit ad quæsitum, cui favent *Novar.* 2. *p. summ. bull. sub eod. tit. n.* 67. *Pellizz. tom.* 2. *manual. tract.* 8. *cap.* 5. *sect.* 1. *q.* 16. *num.* 2. tum quia hujusmodi occisor censetur commisisse crimen læsæ Majestatis, quod est offensio Principis, & ejus Ministrorum, ut ex multis ostendunt.

In Religione autem, sub nomine Principis, venit P. Generalis, qui licet non habeat supremam Majestatem, ex quo superiorem cognoscit; habet tamen merum & mixtum Imperium, hoc est, habet potestatem gladii ad castigandum facinorosos subditos, & ad dandum rerum possessionem: in his enim consistit merum, & mixtum Imperium, quod circumcernit personas, & res, ut constat ex *l. Imperium, ff. de jur. omnium Judic.* & docent *Peregrin. cap.* 9. & 18. *D. Barbos. collect. tom.* 1. *lib.* 3. *tit.* 49. & *cap.* 6. *num.* 10. *Farinac. cap.* 13. *de Immunit. num.* 184. *Italia lib.* 1. *de Immunit. cap.* 6. §. 7. *nu.* 29. & alii plures, quos allegat, & sequitur *Diana* 1 *p. tract.* 1. *de Immunit. resolut.*

2. Unde P. Gener. non sindicatur propter eminentem sui dignitatem, *Caphal. cons.* 39. quod notandum advertit *Gennens. in sua praxi Neapolit. cap.* 74. *in nov. nu.* 4. *in fin. annot.* & est de numero Officialium Papæ, ut constat ex decisis *tom.* 1. 1. *p. tr.* 16. *q.* 11.

3. Sunt tamen, qui dicunt, quod P. Generalis non est verè Princeps, cum etiam intra Religionem, subsit Capitulo Generali, & sæpius habeat collegas: sed relativè ad subditos, potest dici princeps, supple, impropriè ac largè *Aret. in fin. cap.* 1. *prax.* nec obstat, quod non sindicetur: nam etiam Vicarius Generalis Episcopi non sindicatur, & tamen non est Princeps.

Quæst. 22.

Quæst. 22. An Religiosi delinquentes, gaudeant immunitate Ecclesiastica, respectu sui superioris?

1. GRandis est ista quæstio, & pendet ex illa, an Clerici delinquentes, & confugientes ad Ecclesiam, gaudeant ejus immunitate? circa quam dissentiunt Doctores, nam *Innoc. in c. inter alia, de immunit. Eccl. ibique Card. q. 6. & alii plures, quos allegat D. Covar. var. resolut. lib. 2. cap. 20. num. 16. ver. 29.* existimant gaudere, ducunturque ex multis. Primò, quia jura, quæ de hac immunitate loquuntur, non de solis laicis, sed generaliter de omnibus tractant, scil. de liberis, & servis confugientibus ad Ecclesiam, ut apertè dicitur in *d. cap. inter alia, & cap. immunitatem, eod. tit.* ubi ab immunitate excipiuntur solum, qui homicidia, & mutilationem membrorum, in ipsis Ecclesiis, vel earum cœmeteriis, committere non verentur, & in *l. præsenti, & toto tit. C. de iis, qui ad Eccles. confugiunt,* ubi indefinitè deciditur, confugientem ad Ecclesiam, gaudere dicta immunitate; ergo nec nos distinguere debemus, *l. de precio ff. de Publiciana in rem actione.*

2. Secundò *ex cap. nullus Clericorum, 19. caus. 17. q. 4.* ubi dicitur, *quod nullus Clericorum, servum, aut discipulum suum fugientem ad Ecclesiam extrahere audeat, aut flagellare præsumat*; ergo à simili, non potest Prælatus Regularis extrahere Monachum ab Ecclesia, qui instar servi judicatur, cum non habeat velle, nec nolle, & suum arbitrium sit in manibus sui superioris repositum, ut dicitur in *tot. tit. de statu Monach.*

3. Tertiò, quia privilegium hujusmodi immunitatis, est locale, hoc est, loco sacro concessum, ad honorem Dei; at privilegium locale æque extenditur ad omnes confugientes ad locum, ergo.

4. Confirmatur; nam si Ecclesia tuetur extraneos, multò fortius debet tueri Religiosos subditos; ergo privilegium Ecclesiæ, datum laicis, debet cum majori favore, extendi ad clericos, & Religiosos, *argum. tex. cap. 1. de nat. ex liber.*

5. Quartò, quia clerici & Religiosi, non sunt inferioris conditionis, quàm laici, ergo in favorabilibus debent æqua lance librari, ut notat *Zerola in praxi Episcop. §. immunitas, ver. 8.*

6. Verumtamen contrariam sententiam sectantur *Abbas Panor. in d. cap. inter alia, de immun. Eccles. num. 13.* ubi ad intentum allegat *Glos. d. cap. nullus*, & sequitur *Syl. ver. immunitas Eccles. 3. qu. 3. §. 3. Covar. cit. loc. cap. 20. num. 16. Navar. in Manuali cap. 25. num. 22. Jul. Clar. in §. final. q. 30. Boër. dec. 109. num. 7. ver. scilicet in Clerico, Gutierrez practicarum lib. 3. q. 3. nu. 1. Pax. in praxi, tom. 1. p. 5. cap. 3. nu. 141. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 10. num. 6. Rodriq. tom. 2. q. 50. ar. 4. cum suo comp. resol. 56. n. 5. Portell. in dub. ver. Eccles. immunitas, n. 11. Marc. Ant. Genuen. in sua nova praxi Archiep. Neapol. cap. 22. nu. 11. Marcel. Vulpe in sua praxi fori Eccles. cap. 3. de immunit. Eccles. n. 16. ver. septimo quæro,* & moventur; tum quia aliàs Religiosi nunquàm possent incarcerari; nam semper sunt in Monasterio, quod totum est locus immunitatis, ut docent communiter Doctores, tum etiam, quia major est immunitas personalis, quæ Clericis conceditur, ratione suæ consecrationis, quàm illa, quæ provenire potest ex circumstantia loci; sed prior non impedit, quominus à suo Prælato possit Clericus incarcerari, & corporaliter puniri, juxta textum *cap. Universitatis 24. de sent. excom.* ergo nec locus sacer impediet, tum item, quia Ecclesiasticum judicium, cùm censeatur magis medicinale, quàm vindicativum, & spirituale potius, quàm temporale, non prohibetur fieri intra Ecclesiam, ut liquet *ex cap. præceptum 6. caus. 2. q. 2.* ergo nec prohibebitur fieri circa personam Clerici, extrahendo illum ab Ecclesia: tum item, quia ita observat rationabilis consuetudo, non tantùm ex universali praxi Ecclesiæ, sed etiam, quia immunitas Ecclesiæ non debet præjudicare Prælatis ipsius, quin possent suos Clericos, vel Religiosos delinquentes, ex Ecclesia & proprio Monasterio extrahere; tum item, quia cùm ab eodem principio potestas Ecclesiastica judicandi, & ipsa immunitas Ecclesiastica proveniant, non debet una alteram impedire, nec ad invicem pugnare; tum tandem, quia non reperitur Clericus, vel Religiosus, qui pro sui defensione, immunitatem proclamet, nec S. Sedes, ad hujusmodi proclamores, aures extendit. *Diana 1. p. tr. de immunit. resol. 25. in fine, Lez. ver. immunitas Eccl. Bordon. resol. 1. q. 8. nu. 18. & Pelliz. tom. 2. Manual. tr. 8. cap. 5. sect. 1. q. 16. n. 29.*

7. Exindè inferunt, hanc secundam sententiam, secundùm praxim & communem consuetudinem, esse veriorem: secùs verò secundum juris rigorem: & secundùm hanc sententiam, in causa cujusdam Clerici, in Archiepiscopali Curia Neapolitana, fuisse decisum refert *D. Ricc. 2. p. dec. 89. n. 4.* & in causa cujusdam Monachi *3. p. dec. 182.* quod item recantat *p. 7. collect. 3177.* ubi etiam testatur de continua praxi, & quia hæc prædicta concludunt de extractione facienda; iterum quæro de extraneis.

Quæst. 23. Religiosus confugiens ad Ecclesiam Regularium exemptam, an gaudeat immunitate illius?

1. QUæstio hæc pariter pendet ex illa, an Clericus delinquens, confugiens ad Ecclesiam Regularium exemptam, gaudeat ejus immunitate? quam in facti contingentia, in Archiepiscopali Curia Neapolit. negativè fuisse decisam, testatur *D. Ricc. 3. p. dec. 326. n. 5.*

2. Verum mihi non arridet; tum quia extrahere aliquem ab Ecclesia, est actus jurisdictionalis, qui non potest exerceri in alieno territorio: locus autem exemptus, non est de territorio Episcopi, ut constat ex vi nominis, unde licet sit in Diœcesi, non tamen est de Diœcesi, aliàs non diceretur locus exemptus, ergo: tum etiam, quia Episcopus prohibetur exercere suam jurisdictionem extra suam Diœcesim, *cap. Episcoporum, 9. quæst. 2. & cap. 2. de constit. in 6.* & colligitur *ex l. final. de jurisdict. omnium judic.* tum item, quia sicut statutum Episcopi, non ligat delinquentes, extra suam Diœcesim; sic etiam non ligat eos, qui delinquunt in locis exemptis, existentibus in Diœcesi. *Turrecremata in cap. 2. §. statuto de Constit. in 6. & Jason. in l. final. de jurisdict. omn. judic.* tum tandem, quia si extra extraheretur, sine licentia Papæ, fieret injuria, non solùm Prælato Ecclesiæ, verùm etiam & D. Papæ, cum immediatè loca exempta subsint D. Papæ. Undè benè dixit *Bordon. 1. p. resol. 1. q. 8. num. 18.* quod licet Religiosi non gaudeant immunitate suorum Monasteriorum, propter absurdum supra allegatum: quia scil. nunquàm possent capi, incarcerari, & puniri: adhuc tamen gaudent immunitate extraneorum, prout S. Congreg. declaravit, die 24. Januarii 1617. quam per extensum refert D. Barbosa *in Collect. bull. ver. immunitas,* ac etiam *Lez. eod. ver. num. 6. in medio,* & aliam declarationem à Sac. Congr. Conc. Trid. factam 10. Augusti 1618. refert per extensum *Diana 3. p. tr. 1. de Immu. resol. 35.* qua ad instantiam Illustriss. Dom. Petri Francisci Montorii Episcopi Civitatis Neocastri, cujus ipse ego Theologus eram, fuit declaratum, Clericum N. dict. Civitatis Neocastri Calab. qui ob patratum crimen homicidii confugerat ad Ecclesiam Dominicanorum illius Civitatis, gaudere immunitate Ecclesiastica, ac proindè non posse exindè extrahi ab Episc. sine licentia Papæ, quod item refert à Sac. Congr. decisum, *Gavant. in manual. ver. clericus num. 78.*

3. Hinc additur Prælatum Regularem non posse subdi-

[illegible]bditum confugiatum in aliena Ecclesia exinde extra[illegible]here, sine licentia Papæ, cum ei vetitum sit, in alieno Ter[illegible]nono suam jurisdictionem exercere, ut dictum est im[illegible]mediatè supra, ad quæ vide, quæ dico, *tom.2.p.3.tr.10.de [illegible]testate Prælat.q.15.*

Quæst.24. An Prælati Regulares per literas infamatorias, sivè criminum delatorias, incerto Authore, scriptas, possint contra subditum diffamatum specialiter inquirere?

1. RESpondeo negativè, quia ad specialiter inquirendum, necessariò requiritur accusatio, vel denunciatio, aut publica infamia, quæ gerit vicem denunciatoris, ut expressè dicitur *in capit. qualiter, & quando 24. de accusat.* at dictæ literæ nullius sunt valoris, quoad accusationem, cum per eas, ut supponitur, non constet de persona accusantis: nec quò ad denunciationem, quæ si Evangelica sit, præviam monitionem exigit, de qua hic non constat; si verò judicialis, certum debet habere au[illegible]thorem, cui judex fidem possit adhibere; neque quoad infamiam publicam, quia hæc emanat ex propria, & non ex aliena culpa; quamobrem prædictæ literæ non infamant, ut expressè dicitur *in cap. Inquisitionis 21. de accusat. §. [illegible] dubitationis articulus,* ibi, *& utrum ad petitionem [illegible] quasdam scedulas nobis occultè tradentium, [illegible] Episcopi continentes, sit ad Inquisitionem eo[illegible] in ipsis continentur scedulis procedendum, &c.* ubi [illegible] *ver. quæsivisti, propè finem,* dicit, *quod nullus de[illegible] vel puniri pro crimine, de quo non laborat infa[illegible] recipi,* quod multis firmat *ibid. Panor. & Mi[illegible]rdin. judic. q.7. art.8. concl.1.* ad quod addncit [illegible]9. *detrahentem secretò proximo suo, hunc perse-*

[illegible] Nec his nocet illud *Ezechiel. 3. & 33.* ubi dicitur, [illegible] judices, & Prælati positi sunt speculatores super [illegible] Domini, qui & proindè debent invigilare su[illegible]per gregem suum & vitam, & mores suorum subdito[illegible]rum inquirere & explorare, qualiter ipsi se gerant in cun[illegible]ctis operibus suis, & malè facta corrigere, & castigare; [illegible] reprehendendi, & puniendi, prout reprehen[illegible]sus & punitus fuit Heli, ex quo filios suos sceleratos non [illegible], ut constat *ex cap.2. primi Reg. & cap. licet Heli* [illegible] quia quamvis Judices & Prælati invigilare [illegible] debeant super gregem suum; nihilominus haud [illegible] regulas à jure præscriptas ad cognoscenda, & in[illegible] [illegible] delicta prætermittere, immò strictè illas ob[illegible] Nec Heli fuit repræhensus & punitus aliundè, [illegible] destitit corrigere filios, circa publica scelera, & [illegible]ssima delicta, *Miranda cit. loc. concl. 2. in fin. Rodriq. in comp. resol.40. num.10. Peyr. tom.1. de sub[illegible] [illegible]cap.2. §.12. ver. dico secundo, & Lez.1.p. sum. cap.8.* [illegible]

[illegible] Undè judices, quicunque illi sint, mortaliter pec[illegible] si per literas, incerto authore missas, ad specialem [illegible]sitionem procedant: immò & puniendi sunt, & [illegible]essus lacerandi, tanquam peccantes in radice, prout [illegible]o multi fuerunt puniti, & plures processus lacera[illegible] de praxi docet *Jul. Clar. lib.5. §. final. pract. Crim. q.5. & seq.* ubi de re nostra latè agit.

[illegible] Prædictæ tamen literæ anonymæ; & sine Autho[illegible]ptæ, debent infringi, & lacerari, juxta *cap. qui alte[illegible] 5. qu.1.* aut conservari ad generaliter inquirendum [illegible] delatis, quæ cum non exigat præviam infamiam, [illegible] sine prædictis literis potest adhiberi, vel ad pu[illegible]niendum ipsarum authores, si fortè suo tempore patefiant.

Quæst.25. Scribens literas ad Prælatum, sine nomine, Vulgò cacas, continentes delicta occulta, contra superiorem, vel particularem fratrem, an peccet?

1. ET quidem peccare mortaliter, non ambigitur; ex suo genere tamen, quia revelare occultum crimen sui Fratris, graviter lædit proximum, *& ex Canon. clericus maledic. 5. distin.46.* hujusmodi maledici excommunicantur, quæ quippè excommunicatio præsupponit peccatum mortale, nisi fortè hoc quispiam faceret ex charitate, & non ex odio, & malevolentia, quærens scil. emendationem & correctionem, non autem confusionem & vituperium, & noluit se prodere, exindè timens sibi aliquod malum, ne fortè scil. inculpatus, ob delatum crimen, fiat sibi perpetuus inimicus, *Laur. Peyr. tom.1. de subdito q.2. cap.2. §.12.*

2. An autem hæ literæ privatæ, in quibus exprimitur occultum vitium alicujus, habeant rationem famosi libelli? negat *Bonac. tom.2. de restit. in particulari, disput.2. q.4. p.9. num.2.* & meritò, quia de ratione famosi libelli requiritur, ut scriptura sit publica & notoria, ut constat ex definitione libelli famosi, quam optimè explicat *Sylver. libellus quæst.4.* quod non occurrit in casu nostro, in quo scriptura est occulta, & secreta: Undè sic scribens non potest dici calumniator, sed detractor, & maledicus, *Clar. cit. loc. pract. crimin. q.5.* & multis cit. *Rodriquez tom.2. quæst.31. art.2.*

Quæst. 26. Maledicus, qua pœna sit puniendus?

1. REspondeo, quod Clerici detractores, de jure Canonico sunt excommunicandi, ut probat *tex. cap. accusatores 4. dist.46.* ubi sic loquitur.

Accusatores Fratrum, Episcopus excommunicet, qui non probanda Fratribus objiciunt; & si emendaverint vitium, recipiat eos ad communionem, non ad Clerum, &c ubi Glossa *in ver. accusatores* dicit, *id est detractores, ex eod. jur. Canonic.*

2. Item maledici, *ex cap. clericus d. dist.46.* debent per excommunicationem cogi ad postulandam veniam, ubi habentur hæc formalia verba: *Clericus Maledicus (maximè in Sacerdotibus) cogatur, (supple per excomm.) ad postulandum veniam, si noluerit, degradetur; nec unquam ad officium, absque satisfactione revocetur,* hæc ibi, ad quæ faciunt verba *cap.1. 5. q.1. quæ sunt illa, qui in alterius famam, publicè scripturam, aut verba contumeliosa confixerit, & repertus scripta non probaverit, flagelletur, & qui ea prius invenerit, rumpat, si non vult authoris facti causam incurrere,* hæc ibi, quæ ut ibid. Glossa notat, referuntur ad famosum libellum.

3. Verum *Rodriq. tom.2. q.31. art.3.* advertit, quod in casu posito, sicut nobiles non tenentur recantare palinodiam, sed compensare per æquivalentia, ut colligitur *ex l.2. 2. tit.10. lib.8.* ordinamentorum, ità à pari, neque Religiosus, neque sacris initiatus; nam privilegium militis sæcularis extenditur ad militem cælestis militiæ, *juxta Glos. in l. miles ff. de re judic.* & docet *Covar. lib.1. var. cap. 1. num.9.* aliàs esset satis iniquum, si miles sæcularis militiæ uteretur hoc privilegio, & non miles cælestis militiæ; cum hujus dignitas, non solùm illius dignitatem superet, verùm etiam superemineat, ut Sacri Canones testantur *in cap. duo sunt, 96. dist.* ubi dicitur, quod quanta differentia est inter Solem & Lunam, tanta est inter Imperium, & Sacerdotium.

4. Hinc *Rodriq. cit. loc.* ampliando dicit, dictum suum procedere, etiam si maledicus Sacerdos, contra alios Sacerdotes falsa crimina protulerit, quia honor Sacerdotum magis consistit in patiendo propter Deum, quàm

quam in dictam Palinodiam petendo, ob actionem injuriarum; sic enim æstimatur magis laicus, quàm à Mundo separatus; quidquid autem sit de communi Jur. Can. Religiosus maledicus, & detractor, debet (servatis servandis,) ad pœnas in suis Constitutionibus præscriptas, & determinatas condemnari; in meo quidem Ordine, hujusmodi maledicus condemnatur ad pœnã gravioris culpæ, & per multos menses carceribus mancipatur, ad *tex. 5. de graviori culp. cap. 18.* ibi, *si quis etiam alteri Fratri Ordinis, vel ipsi Ordini crimen falsò imposuerit, &c.* ubi sub *lit. q.* contra hujusmodi detractores, multa sanciuntur.

Quæst. 27. Monachus seditiosus, & seminans Zizanias, quâ pœnâ sit puniendus?

1. Respondeo, quod debet puniri Judicis arbitrio, ad *text. si quis Monachus 5. distinct. 90.* ubi habentur hæc præcisa verba.

Si quis Monachus contentiones, vel rixas amaverit, vel manifestum convicium fratri intulerit, juxta arbitrium Rectoris, modumque peccati, diuturna expietur pœnitentia. Item, qui contentiosus, aut murmurans extiterit, secundum arbitrium Prioris, tamdiu pœniteat, quamdiu culpæ qualitas extat. Hæc ibi, in quibus hoc Judicis arbitrium, regulandum est ex qualitate personæ, & excitatæ seditionis; non autem, ut libet *Rodriq. tom. 2. q. 31. art. 4.* quandoquidem seditionis delictum est valdè grave, & in quibusdam gravissimum, adeò, ut in quibusdam, Religiosus seditiosus, machinans contrà Religiosos, vel publicam quietem, licitè possit degradari, & tradi manui laicali per eum, ad quem de jure spectat, ut ex multis ostendit *Menoch. de arbitr. cent. 4. casu 266. num. 4.* & sic vidi nuper practicatum, etiam respectu Sacerdotum, jussu tamen S. Papæ; & eò fortius hujusmodi maledicentia & seditio coërcenda est, si fiat in Monasteriis, vel Ecclesiis, ubi summa pax, & quies debet observari: *ad l. denunciamus, C. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt:* Punitio ergo hujus perniciosissimi delicti consurgit ex qualitate delicti, loci, temporis, & personæ; *Menoch. lib. 2. de arbit. cent. 5. casu 437.* unde non habet determinatam pœnam.

Quæst. 28. Religiosi subditi in unum convenientes, si scribant literas ad supremum Prælatum, à se subscriptas, & sigillatas, continentes delicta sui superioris, an peccent mortaliter?

1. Hujus dubii, quoad peccatum, resolutio constat ex decisis hic supra *qu. 24. & 25.* nam, aut hi scribunt, animo injuriandi, & infamandi, & sic mortaliter peccant, & tenentur restituere, & ut maligni infamatores debent puniri, ut dicit *glossa in cap. Inquisitionis 21. de accusat. ver. in occulto,* ubi dicit, quod hi sunt deteriores latronibus furantibus bona nostra, aut hi scribunt, non animo injuriandi, & infamandi, sed solùm animo informandi Prælatum de vita illius, & sic nullatenus peccant, vel scribunt ex charitate, ad hoc, ut ille Prælatus, ut Pastor & Pater illum cognoscat, & emendet.

2. Quo verò ad aliud dubium, an delata crimina probent? Negativè respondeo, quia omnes illi congregatim scribentes, se habent per modum unius denunciantis, ad cujus, & quorum denunciationem, Prælatus potest inquirere, specialiter verum, & in futura inquisitione, nullus illorum erit testis integer, nec debet in testem admitti: imò possunt omnes, ut inimici, vel conspiratores à testimonio repelli: ut docet *glos. cap. exhibita 19. de Judic. ver. conspiratorem,* ibi, *Quia quasi inimici, & ex odio hoc facere præsumuntur. Unde ab agendo sunt repellendi, sicut à denunciatione, seu inquisitione;* ad quod allegat multa jura. Et meritò hoc dicit, quia dum accusator, & denunciator, regulariter non computantur inter testes: & omnes, ut omnes, sunt accusatores sivè denunciatores, in casu posito desiderantur testes.

Quæst. 29. Religiosus, qui aperit literas observatas, vel alienas scripturas, animo nocendi, vel cum gravi detrimento aliorum, quæ ibidem in secreto servantur: an peccet mortaliter?

1. Affirmativè dic; quia in re gravi offendit proximum, non tamen peccat mortaliter, qui aperit literas, ex quibus sibi, vel alteri timet periculum alicujus damni notabilis, injustè inferendi, quia in tali casu præceptum naturale de evitando damno injustè ferendo, præfertur præcepto de observando secreto; sed concurrentibus duobus præceptis naturalibus, in aliquo casu, contraria dictantibus, standum est potiori, *Navar. in summ. cap. 18. num. 53. Roder. tom. 2. qu. 36. art. 4. Laur. Peyr. tom. 1. de subdit. qu. 2. cap. 11. §. de aperientibus literas, ver. dico tertio, & Lez. 1. p. sum. cap. 8. num. 3.*

2. Amplia, ut qui aperit literas alienas, ad finem illas ostendendi adversario mittentis, peccat mortaliter, & pœna falsi punitur, ut eruditè ex multis ostendit *Sylv. ver. falsar. q. 1.* ubi dict. pœnam falsi extendit ad Advocatos, & Notarios, qui jura partis, vel Instrumenta ostendunt adversario, quod à simili *Peyr. cit. loc. ver. ex quo,* extendit ad secretarios, socios, & collegas Provincialis, vel Generalis, qui in visitationibus, ostendunt depositiones fratrum illis, contra quos sunt factæ: quod est valdè notandum: quia pœna falsi in Clerico, est arbitraria, pensatis qualitatibus loci, temporis, & personæ: ad quod facit *c. cum olim, el secondo de officio, & potestate Judic. Abbas, & Panormit. ibidem.*

3. Limita tamen dictam resolutionem, ut qui dictas literas aperit simpliciter, & bona fide, non peccat mortaliter, nec incurrit pœnas, *Sylv. cit. loc.* sic item, qui aperit literas inadvertenter, putans esse suas, vel ob curiositatem, *Navar. cit. loc. num. 20. Graff. 1. p. decis. lib. 2. cap. 136. num. 33.* & colligitur ex illa Constit. Clem. VIII. de casibus reservandis à Regularibus, inter quos, vult posse reservari malitiosum impedimentum, aut retardationem, aut aperitionem literarum à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores missarum.

4. Tunc dicetur malitiosum impedimentum, & malitiosa retardatio, quando fit, non solùm cum gravi culpa, sed etiam ex malitia, hoc est, ex directa intentione impediendi effectum literarum, ac eas retardandi, ne scil. perveniant ad subditos, & è contra à subditis ad superiores, quomodocunque id contingat, *Pelliz. tom. 2. manual. tract. 6. cap. 1. q. 26. n. 37.*

5. Et secundùm hoc dictum, est intelligendum statutum nostri Ordin. Prædicat. *distin. 1. de gravi culpa, cap. 18. extensum text. 4.* ibi, *Si quis literas Magistri Ordinis, vel Priorum Provincialium, vel eorum sigilla falsificaverit, vel falsificatis usus fuerit, supple malitiosè & præsumptuosè:* nam dolus tantùm, & fraus in jure punitur.

Quæst. 30. An Delegatus teneatur citare Partes cum inserta forma suæ delegationis? Secus autem sit citatio nulla?

1. Affirmativè *D. Barbosa in c. cum in re, de off. deleg. num. 5. Peyr. in suo formul. lit. D. cap. 3. num. 3. Bordon. decis. 376.* quod ante eos docuit *glossa c. si Episcopus 8. caus. 3. q. 2. ver. convocari in fin.* ibi. *Item citatio non valet, si rescriptum Apostolicum non inseritur:* ad quod cit. *d. ca.*

d.cap.cum in re de offic. delegat. & cap. 2. de dilation. quod item dicit *gloss. in d.cap. cum in re, ver. mandato, in fin.* ibi, *Rescriptum D.Papæ solemniter in publicam formam redactum inseratur, &c.* ubi item eadem *glossa* paululum supra dicit, quod si rescriptum publicatum fuit in judicio, utputà Judicibus Ordinariis locorum, sufficit, etsi postmodum fuerit transmissum, nam satis est, ut subditis, quibus præcipitur, constet de authoritate Delegati mandantis, quod scil. ipse citat, & mandat, jure Delegato, & non Ordinario; ut patet de delegatis ab Illustrissimo Nuncio Civit. Neap. qui in his partibus solum tenentur literas commissionales, locorum Episcopis ostendere, & non aliis, qui ab eisdem citantur, qui si illorum pateant mandatis, validè remanent censurati.

Quæst. 31. An Delegatus inferioris à Principe, possit subdelegare, saltem unum articulum causæ sibi delegatæ, utputà examinationem testium?

1. B*Arthol. in l. more, num. 11. de jurisdict. omnium Judicum,* affirmat, etiam si sit articulus continens jurisdictionem, utputà, examen testium sub juramento. Et probatur ex textu *Clem. 1. de off. & potest. Judicis delegati,* ubi loquitur, *Judices super receptione testium in causa ... necnon executores ad providendum aliquibus, si per inquisitionem solertem, eos esse vita laudabilis, & conversatione honestæ repererint, à Sede Apostolica deputati aliis committere licitè vices suas.* Hæc ibi, ubi *glossa* in ... exemplificat de Commissario Delegato à Papa super receptione testium; qui impeditus examinare testes ... distantes, rectè commisit alii examen, ex quo ... Delegatus non est nudus minister, nec recipit nudum ministerium, utputa solam examinationem, sine jurisdictione, sed cum causæ cognitione; ergo rectè poterit subdelegare: & hanc sententiam sequuntur *Sylv. ... Delegatus, quæst. 8. dic. 3. Rosella ver. delegare, in princ. ... ver. Delegatus nu. 6. in fin.* & acriter in facti contingentia defendit *D. Ricc. 2. p. praxis fori Ecclesi. resolut. ... num. 1. ver. nihilominus,* ubi ad hoc adducit *Rot. Rom. ... 18. de concess. præbend. in novis; & decis. 63. eod. tit. in ... Iterum hoc tenuit eadem Rota in una Regiens. Ho... 26. Maii 1580. coram Cantuccio,* & patet in *decis. ... p. 2. diver. Gratianus in propriis terminis, in decis. 157.* ... quo esse potest, tum dispositio *d. Clem. 1. de offic. Delegat.* tum etiam, quia Judex delegatus ad universitatem causarum, potest subdelegare, ut omnes sciunt.

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, tenent communiter Doctores, quod non potest scilicet prædictus Delegatus subdelegare articulum jurisdictionem continentem; posse tamen subdelegare articulum nudi, & simplicis ministerii; *Panorm. in c. Clericos num. 2. ... Vicar. Felin. in cap. super quæstionem, de offic. Deleg. ... Genuens. in nova praxi Neap. cap. 85. Sanch. lib. 3. de ... m. disput. 31. num. 10. Naldus ver. delegare, nu. 12. Me... tom. 3. disp. 7. de jurisdict. dub. 6. num. 52.* & alii plures, ... nturque tum ex *l. à Judice, C. de Judic.* ubi generaliter dicitur, *Judicem datum, Judicem dare non posse;* tum ..., quia Delegatus nihil proprium habet, sed delegata jurisdictione utitur, *l. 1. §. qui mandatam ff. de offic.* ...; ergo sicut usuarius suum jus in alium transferre non potest, nec in totum, nec in partem; ità neque Delegatus ... transferre in alium suam jurisdictionem, neque in totum, neque in partem, nisi hæc facultas sibi ab homine, vel à jure conceditur; nam valet argumentum à toto ad partem, *l. quæ de toto ff. de rei vendicat.*

3. Exindè inferunt, delegatum ab Ordinario non posse alteri committere examinationem testium, cum delatione juramenti, quia hic est articulus jurisdictionalis; sed post delatum ab ipso juramentum testibus, & admissa capitula, & interrogatoria, poterit alteri examinationem testium committere, quia simplex examinatio testium, non est actus jurisdictionalis, sed nudi ministerii.

4. Limitant tamen prædictam communem sententiam *Bald. in authen. apud eloquentissimum, C. de fide instrum. & in cap. si quis testium de testibus, Angelus de malefic. in ver. qui judex est statuit terminum nu. 23. Afflictus in constit. Inquisitiones Generales, Caravita in ritu 87. num. 4. & in Ritu 57. limit. 5. num. 7.* & alii eruditissimi non pauci, quos refert, & sequitur *Megal. in prompt. ver. delegatio, sub num. 7.* dicentes, prædictam opinionem non habere locum nec procedere, quando testes examinandi habitant extra territorium, quia cum tunc non possint cogi à Judice causæ, sivè Ordinarius sit, sivè delegatus, nè delicta remaneant impunita, & causa indecisa, committendum est examen judici territorii; ubi testes habitant; item limitant in delegato Principis, *cap. super. quæst. art. 27. de offic. & pot. Jud. delegati,* item in delegato ad universitatem causarum.

Quæst. 32. An Visitatores, ac Commissarii instituti à Magist. Ordinis ad visitandum Religionis Provincias, possint alteri subdelegare?

1. ET dico, quod non; loquendo tamen, quò ad totam suam universalem authoritatem, secùs autem quo ad unam, vel alteram causam, tum quia hi Visitatores dicuntur instituti ad universitatem causarum, ergo de his dicendum est, sicut de illis dictum est, hic supra, quod scil. non possunt instituere, & facere alium Visitatorem similem sibi, quò ad universitatem causarum, in tota Provincia: aliud enim est committere hanc, vel illam causam, & aliud committere omnem, & totam suam jurisdictionem in universum: tum etiam, quia hi dicuntur Delegati à Principe, qui, ut dictum est, hic supra *quæst. 31.* possunt subdelegare, unam, vel aliam causam *cap. super quæst. 27. de off. & potestate Jud. deleg.* nam Pater Generalis Ordinis, dicitur Princeps Religionis, ut constat ex decisis *q. 21.* tum item, quia hi ordinariè solent institui cùm speciali mandato, ad peragendum ea omnia, quæ potest Pater Generalis, etiam si forent talia, quæ exigerent speciale mandatum.

Quæst. 33. An Commissarius à P. Generali Ordin. ad hanc, vel illam causam Delegatus, possit alicui Fratri suæ Religionis, examinationem testium committere?

1. REspondeo affirmativè, dummodo tamen testes sint valdè distantes; vel extra territorium, & P. Commissarius reperiatur impeditus: moveor, tum quia hic censetur Delegatus à Principe, qui de Jure potest subdelegare totam causam, ut constat ex decisis hic supra *q. 31.* ad quæ facit *cap. super qu. 27. de off. & potestate Jud. deleg.* ergo multò fortius, poterit committere unum articulum dict. causæ; tum etiam, quia ità videtur decisum in *d. Clem. 1. de off. deleg.* & docet ibi Glossa, in casu posito; tum item, quia ità tenent Eruditissimi Doctores, quos retuli citata *qu. 31.* in princip.

2. Nec obstat quod opinio contraria probabilior sit, quia mihi sufficit, ut ista sit probabilis; tum item, quia aliàs retardaretur Justitia punitiva Religiosorum; tum etiam, quia commissiones hujusmodi habent saltem implicitè speciale mandatum subdelegandi. Solent enim Magistri Ordinis illas expedire, cum his clausulis, dantes sibi omnem nostram authoritatem, vel vices, & voces nostras, quod est dare liberam, & plenam authoritatem, vel

super omnibus annexis; sub quibus verbis, venit speciale mandatum examinandi testes per alios in casu posito; nam instituere cum libera & plena authoritate, æquiparatur speciali mandato, ut probat *tex. in l. procuratorem cum libera, & in l. mandat, & docet aliis citatis Barbos. clausf.17 num.3.* tum, quia taciti, & expressi, est eadem virtus, tum quia examen, de quo agitur, est unum de emergentibus; tum denique quia delegata jurisdictione, absolutè censentur delegata omnia, sine quibus jurisdictio illa expediri non potest, ut dicitur in *l.2. ff de jurisd. omn. Judicum*, ubi habentur hæc verba. *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit, &c.* quod etiam habetur *in cap. præterea, de offic. delegati*, ubi sic dicitur; *ex eo, quod causa sibi committitur super omnibus, quæ ad causam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem*; hæc ibi, ex quibus apparet, quod hujusmodi delegatus potest prædictam examinationem committere, cum sine illa, causa nequeat expediri, nec cognosci, & explicari.

Quæst. 34. An nudum ministerium possit subdelegari?

1. NEgativè dicitur *in cap. ult. §. final. de off. delegati.* Undè si à Papa alicui commissum fuerit, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare in irregularitate; non potest hujusmodi munus subdelegari; quia, ut dicitur *in d. cap.* in tali casu, non sibi jurisdictio, sed potius certum ministerium committitur; limitatur tamen hoc; nisi talis potestas concessa sit, ut perpetuò annexa sit, alicui dignitati, vel officio, ut si concedatur, quod habens tale munus, possit aliquod nudum ministerium exercere, ut dispensare, absolvere in aliquibus, &c. ut in *cap. 6. Trid. sess. 24. de refor.* de qua re *Syl. ver. delegatus*; alias autem limitationes subit dictum responsum, de quibus *Meroll. tom. 3. disp. 7. de jurisdict. cap. 4. dub. 17. num. 179.*

2. Quando autem in literis patentibus intelligatur electa industria personæ, latè docent *Syl. cit. loc. Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 31. Megal. in promptuario, ver. delegatio*, latè *D. Ricc. p. 3. dec. cur. Archiep. decis. 269. Naldus ver. delegatus num. 12.* cum praecit. Doctoribus, ubi supra.

Quæst. 35. Vicarius, Provincialis præmortui loco suffectus, vel vicesgerens Provincialis absentis, an habeat authoritatem ordinariam, vel delegatam in tota Provincia?

1. SUb distinctione resolve, aut prædictus Vicarius Provincialis reperitur Vicarius ex virtute constitutionum, seu statutorum Capitulorum Generalium sui Ordinis, & sic habebit jurisdictionem ordinariam in tota Provincia, quia jurisdictio ordinaria dicitur illa, quæ nascitur ex aliquo officio, seu ex aliqua lege Canonica, vel Civili, vel ex aliquo privilegio Papæ, vel Imperatoris, *Sanch. in decal. lib. 4. cap. 24. num. 23.* Undè supprior in nostro Ordine, mortuo Priore, vel amoto, censetur Prælatus ordinarius sui Monasterii, quia suam authoritatem habet, non à mortuo Priore, sed ex virtute Constit. ut dicitur *in Prol. tex. 3. fol. 4. col. 1.* & mortuo, vel amoto Provinciali, Prior Conventualis illius loci, in quo primum Capitulum Provinciale celebrabitur, erit Vicarius Provincialis, habebitque authoritatem ordinariam in tota Provincia, usque ad adventum novi Provincialis; quia illam habet, jure constit. & non aliundè, ut dicitur *dist. 2. de elect. Prioris Provinc. cap. 3. tex. 1. fol. 121. col. 1.*

2. Aut prædictus Vicarius reperitur talis, ex institutione P. Generalis, vel Provincialis, & sic censetur delegatus, habebitque jurisdictionem, non à jure, sed ab homine, in loco sibi præscripto, *Portell. in dub. ver. Prælati potestas num. 3. in fin.*

3. Est igitur differentia inter jurisdictionem Ordinariam, & delegatam, quia illa est à Jure: hæc autem ab homine; ac proindè illa extat delegabilis; hæc autem nequaquam, & hoc ideò, quia possidens jurisdictionem ordinariam, habet illam, tanquam rem propriam, & suam, & consequenter potest de illa disponere ad libitum, illamque alteri committere, cui, quando, & quomodo, in totum, vel in partem, quia dominus est, & potest de re sua facere quidquid voluerit.

4. Habens verò illam delegatam, possidet illam tanquam rem alienam, sibi commodatam. Unde habet usum illius, & non proprietatem; Ideoque non potest de illa ad nutum disponere, ut patet de commodatario, qui rem sibi commodatam, non potest, sine licentia commodantis, alteri commodare.

5. Quod nota diligenter, & tene mente, pro recta administratione illius, qui in ordine nostro, finito triennio sui Provincialatus, ex institutione P. Generalis remanet Vicarius Provincialis, usque ad adventum novi Provincialis: quia hic, cùm habeat authoritatem ab homine, & non à jure; non poterit transgredi cancellos suæ commissionis, & sine speciali mandato instituentis, haud poterit extendere manus ad ea, quæ sunt de jurisdictione ordinaria; quamobrem, non poterit renunciationes Prioratuum acceptare, nec novos Priores confirmare, aut instituere, nec Fratres ad Ordines licentiare, nec ad pœnas gravioris culpæ condemnare, aut similia peragere; quia non est Judex ordinarius, sed delegatus, qui sine voluntate delegantis, nihil potest operari.

6. Neque his obstant illa verba nostræ constit. *tex. 7. cap. 3. de elect. Prioris Provincialis fol. 125. col. 3.* ibi, *nisi ante verò Prioris Provincialis electione, Priorum Conventualium absolutionem, (nisi ob causam criminis, vel gravis scandali, vel ipso Priore petente, vel in cap. Provinciali diffinitorio illius tunc, post Electionem Prioris Provincialis factam, licet pendentem quoad confirmationem, fieri totaliter prohibemus, &c.* quia hujusmodi verba referuntur, vel ad diffinitorium Provinciale, quod habet authoritatem ordinariam, hoc est, à Jure Constit. aut referuntur ad Vicarium Provinciæ institutum similiter à Jure earumdem Constitutionum, ad *tex. 1. cap. 3. dist. 2. de elect. Prioris Provincialis*, & non ad Vicarium datum à P. Generali, qui, ultra sibi specialiter commissa, non potest alia exercere. Quapropter multæ Provinciæ nostri Ordinis, attendentes officium Provincialatus, non posse ultra prorogari; nisi de nova licentia Papæ, vel nisi post elapsa duo officia integra, juxta constitutionem Jul. 2. de temporalitate hujusmodi officialium, qua Constit. dicitur, ut hujusmodi Provinciales, peracto quadriennio, statim absque alia declaratione, censeantur absoluti ab officio, & quòd infrà duo officia integra subsequentia, non possint ad idem Officium eligi, ut melius constat ex eadem bulla, quam, per extensum habes 3. p. de elect. attendentes dico, dict. bullam fuisse datam pro toto Ordine, & à toto Ordine susceptam, ut ibidem dico, procuraverunt sibi à D. Papa aliud speciale privilegium concedi, & indulgeri; quod cum sit speciale, & communi Jure nostri Ordinis exorbitans, ad alias Provincias non extenditur: quo fit, ut Provinciæ, aut observent ad unguem nostram constitutionem, vel procurent habere speciale indultum à D. Papa, vel à P. Generali Ordinis, qui fultus authoritate Apostolica, solet in nostra Constitutione dispensare.

7. Provincia vero nostræ Calabriæ ad occurrendum dict. *tex. dist. 2. de elect.* procuravit in cap. Generali Bono-

niæ celebrato, anno Domini 1615. sub vigilantissimo, & Reverendissimo P. F. Seraphino Sicco Sapiense pro dict. Provin. Calab. fieri declarationem hujusmodi. *Provinciali verò moderno, cum finem suo officio dederit, ut eamdem Provinciam nostram Calabria tanquam Vicarius Generalis, usque ad electionem, & confirmationem novi Provincialis, regat, committimus:* hæc ibi.

8. Verùm dicta commissio mihi videtur insufficiens ad derogandum prædicto textui *de elect. Prioris provin. fol. 121. col. 3.* nostræ Constitutionis; tum quia ad derogandum nostris Constitutionibus, exigitur specialis authoritas D. Papæ, de qua non constat in dicto Generali Capitulo Papiense; tum etiam, quia dict. Capitulum Generale loquitur per illud verbum, (*committimus*) quod distinguitur, à verbo *statuere:* aliud enim est committere, ut regat Provinciam generali regimine, & aliud statuere, ut Vicarius possit absolvere Priores ab officio, absque electos confirmare, cum simus in odiosis ut puta contra Regulam: tum item, quia dict. Provin. Calabriæ sub anno 1643. obtinuit ab Urbano VIII. speciale privilegium, quo nobis indulsit, ut Provinciales dict. Provinciæ, in futurum essent Biennales, quo Biennio peracto, statim censerentur absoluti ab officio, & quo ad reliqua in dict. Provincia observetur dict. Bulla Jul. II. ergo ad occurrendum dictis bullis, & textui prædicto *cap. 1. dist. 2. de elect. Prior. Prov.* nostræ Constitutionis, tamen, & necessarium est, recurrere ad Patrem Generalem Ordinis, ut de authoritate apostolica, ipsum P. Provincialem in Vicarium Generalem Provinciæ, dignetur instituere, aliàs acta per eundem, non subsistunt.

9. Quibus omnibus adde declarationem ad *tex. 4. cap. 7. de cap. Provincialis pag. 140. col. 4.* ubi expressè dicitur, quod Provincialis præteritus antè confirmationem Provincialis noviter electi, remanet Vicarius Provinciæ juxta Privilegium, & consuetudinem Provinciæ, ergo ad derogandum *d. statuto tex. 1. cap. 1. de elect. Provincialis*, necessariò requiritur privilegium, aut consuetudo legitimè introducta, quæ abrogat communem legem, atque novum jus, & privilegium: & cogita, an contrà textum expressum constitutionum invalescat consuetudo, cui per prologum constit. non datur locus, & an sit talis, quæ sufficiat ad tollendum leges Ecclesiasticas, de qua alias pluries loquuti sumus.

Quæst. 36. *An Iudex valeat ferre sententiam secundùm opinionem probabilem, prætermissa probabiliori?*

Negant *Syl. ver. opinio, q. 2. eod. ver. Cajet. Conrad. in lib. de Contract. q. ult. Sot. lib. 3. de Just. qu. 6. art. 5. resp. ad quartum, Bannes 2. 2. q. 63. ar. 4. dub. 1. ver. 2. argum. Suarez 1. 2. disp. 64. cap. 2. Portell. in dub. ver. opinio num.* & est communis; practicè tamen loquendo, & movetur ex multis. Primò, quia sequens opinionem probabilem, prætermissa probabiliori, se exponit periculo peccandi, siquidem eligit id, quod minùs certum est, relicto certiori; ac proindè peccat; qui enim amat periculum, peribit in illo.

2. Secundò; quia in dubiis pars tutior est eligenda, *in cap. juvenis de sponsal.*

3. Tertiò, quia in casu dubio, pro multitudine præsumendum est, secundùm *Glos. in cap. fin. de pænit. dist. 1.* quam sequitur *Syl. cit. loc.* habetque authoritatem, & vim consuetudinis, secundum *Bald. in cap. nè innitaris, de Const. Menoch. de præsump. lib. 2. præsump. 71. num. 1. Scaccia consil. 6. num. 99. vol. 1.* & tanquam lex potest allegari, *Abbas in cap. 1. de Decim. not. penult. Fel. in cap. 1. de Constit. Mascar. de probat. volum. 3. concl. 1138.* Undè *Ripa in l. damnum §. hoc autem nu. 107.* ait iniquam esse sententiam, latam contra communem opinionem.

4. Quartò, quia Judex debet judicare secundùm merita causæ: at qui habet pro se opinionem probabiliorem, habet majus jus, majoraque merita causæ, ergo judicandum est secundùm opinionem probabiliorem, non obstante, quod contraria sit probabilis; aliàs contra justitiam peccat, eritque acceptator personarum, quia eò ipso, quod Judex scit aliam opinionem esse probabiliorem, habet consequenter hoc judicium practicum, scil. quod tutius, & securiùs sit judicare secundum illam opinionem probabiliorem, ergo aliter judicans, agit contra conscientiam suam, quod non licet.

5. Quæ quippè resolutio procedit, sivè simus in dubio juris, sivè in dubio facti. Juris dubium vocatur illa quæstio, quæ habet hinc indè varias opiniones, circa intellectum legis, sivè pragmaticæ, vel statuti, dubium verò facti vocatur illa quæstio, quæ habet varias opiniones ad probandum factum per scripturam publicam sivè privatam, sivè per testes, vel per alios actus.

6. Quando ergo sunt variæ opiniones ex parte juris, explicantes scil. legem, Judex in tali casu, tenetur judicare secundùm opinionem probabiliorem, quæ resultat ex communi intellectu Doctorum; quandoquidem Judex pro bono communi constitutus, debet judicare secundum quod æquius viderit: æquius autem judicare, est ferre sententiam secundùm opinionem meliorem, ac tutiorem, hoc est, secundùm communem opinionem Doctorum, ut constat ex ante dictis.

7. Si verò illæ variæ opiniones, ex parte Juris, sint æquales in explicanda lege; potest judex ferre sententiam secundùm opinionem, quam maluerit: immò potest modò secundùm unam, modò secundùm aliam opinionem judicare: dummodò non arguatur de levitate, & scandalo, *Bannes cit. loc.* quem sequitur *Roder. 1. p. sum. cap. 6. de acceptione personarum num. 1. Sayr. in clavi Reg. lib. 1 cap. 11. num. 4. Portell. cit. loc.* & alii communiter; quia Judex, stantibus æqualibus opinionibus, non magis uni, quàm alteri tenetur distribuere, ex vi justitiæ distributivæ. Unde Prælatus, quando duo æquè digni, & benè meriti procurant beneficium, potest illud donare, cui maluerit: est enim hoc verè liberum, & gratiosum, cum ab aliqua lege, non dependeat, *Molina 1. 2. quæst. 19. art. 6.*

8. Si verò sint opiniones variæ, ex parte facti; quia scil. unus probat melius, quàm alter; Judex, absque ullo dubio, debet, & ex justitia tenetur pro parte melius probante judicare; quia tenetur judicare secundùm merita causæ, hoc est, secundum allegata, & probata; secùs peccat mortaliter, & damnum illatum tenetur restituere, *Sayr. cit. loc. num. 13.*

9. Si verò ex parte facti sint duæ opiniones æquè probabiles; quia scil. utraque ex æquo probat factum suum, & tunc in criminalibus, judex tenetur favere Reo, juxta *Jur. Regul. 11.* in qua dicitur, *cum partium jura sunt obscura, Reo est favendum potius, quam Actori, in civilibus verò tenetur partes componere, & si res litigiosa sit divisibilis, inter eas dividat: Bannes cit. loc. Portell. ubi supra, & Layman. lib. 1 tr. 1 cap. 1. num. 5. & constat ex l. hoc Tiberius 41. ff. de hæred. instit.* ubi dicitur, quod si dubium sit de voluntate, & intentione defuncti, hæreditas dividitur, & liquet ibi, *nam divisa hæreditas est inter Tiberium, & eum, qui Parthenio substitutus erat, & l. Lucius Titius, 78. ad Trebellianum*, & liquet, ibi, *an aliqua pars hæreditatis Lucii Titii*, ubi Glossa in casu, ait, quod debetur dimidia, supple ad litem evitandam: quod etiam probatur ex facto Salomonis 3. *Reg. cap. 3.* qui consultus ab illis mulieribus litigantibus de generatione filii, dixit, dividatur infantulus, & quamvis hoc non fecerit; ostendit tamen, quid in rebus dubiis faciendum sit. Item ex facto

facto Abram, cum Loth Fratre suo, *Genes.* 13. qui ad evitandam litem inter se, & Pastores suos, in litigiosa possessione Terræ Jordanis, dixit illi, nè quæso sit jurgium inter me, & te, & inter Pastores meos, & tuos, dividamur, prout de facto divisi sunt, ergo de Jure naturali divino, res litigiosa dividenda est inter partes, æque illam prætendentes.

10. Quod etiam ratione probatur multipliciter. Primò, quia Judex non debet esse acceptator personarum, circa id, quod ex vi justitiæ distributivæ, distribuendum est; ergo duobus habentibus æque firmum jus, & æque probabile, tenetur æque rem litigiosam dividere: Nam si totam uni daret, altero vacuo remanente, esset utique acceptator personarum, & consequenter peccaret mortaliter, & teneretur damnum illatum restituere, ut dictum est suprà, & docet *Jur. Reg.* 12. in qua dicitur, ***quod in judiciis non est acceptio personarum habenda.***

11. Secundò, quia judex non est dispensator, aut administrator rei litigiosæ; sed declarator juris partium, ergo si utraque pars habet jus æque firmum, & validum, tenetur declarare utrique parti jus competere; ac proindè inter eos rem dividere.

12. Tertiò, quia nemo potest disponere de jure tertii, sine consensu illius, ad quem spectat, ut liquet, *ex l. cum Hermes C. de locato*, quæ rationes sic adeò validæ sunt, ut *Baldus in cap.* 1. *col. penul. de natura feudi, & Joann. Andr. in cap. in nostra, de Testibus*, visæ sint habere locum, etiam circa opiniones æque probabiles, in dubio Juris.

13. Verùm falluntur, quia convincunt, & concludunt veritatem, quoàd opiniones æquales, in dubio facti, & non juris; ut ex multis scitè ostendit venerabilis *P. Vericellus in suis Moral. tr.* 2. *singul. opin. q.* 14. *num.* 3. ubi disparitatis rationem assignans, recurrit ad dictas leges suprà nominatas, quæ loquuntur in dubio facti, & non juris, & juxta Juris Cæsarei *Regul.* 156. expressa nocent, non expressa, non nocent: immò non prohibita, concessa censentur.

14. Nec his potest nocere illud quorumdam proloquium, dicentium, ***licere in agendis opinionem minùs probabilem sequi: probabiliori dimissa***, quia hoc intelligendum venit de probabiliori speculativè, & probabili practicè, sic scil. ut liceat viro docto, prætermissa opinione probabiliori speculativè, hoc est, per principia intrinseca, possit sequi opinionem probabilem practicè, hoc est, per principia extrinseca, ut doctè notat *P. Andreas Lanfrancus tom.* 2. *in opusc.* 1. *cap.* 4. *num.* 16. & constat ex decisis; nam si opinio probabilis in speculativis illa est, quam in docendo sequi possumus, sine periculo deceptionis, & erroris, ergo opinio probabilis practicè ea est, quam in agendo sequi possumus; sine periculo peccandi; nam utrobique ead. militat ratio, *Medin.* 1. 2. *quæst.* 19. *ar.* 6. *§. certè.*

15. Verumtamen adverte, quod difficillimum est judicare, an hæc opinio sit probabilis, vel æque probabilis, aut probabilior; nam, ut infrà dicetur, non dicitur probabilis opinio, ex eò, quod rationibus apparentibus, possit confirmari, aut quia plures habet assertores, & defensores: nam sic hæreses Arrii, & Sabellii, cum plures apparentes habeant rationes, assertores, & defensores, quàm quædam Catholicorum veritates, dicerentur probabiliores veritate Catholica.

16. Sed ex eo dicitur opinio probabilis, quia uni sapienti, aut pluribus videtur talis, ob ejus argumenta alicujus momenti, rationi consona, & possibilia; ut testatur *Arist.* 1. *Top. cap.* 1. *&* 1. *Æthicor. cap.* 4. at non omnibus datum est hæc cernere & videre; ergo non omnibus licet dicere, hæc est opinio probabilis, hæc verò æque probabilis, hæc autem probabilior.

17. Quapropter ad evitandum omnem errorem, debemus in praxi communiorem sequi, de qua opin. communi latè discurrit *Peyr. tom.* 3. *privil. cap.* 1. *num.* 10.

18. Quibus additur, supradictum Elogium de sequendo opinionem probabilem, prætermissa probabiliori, habere multas fallentias, & in multis non procedere. Primò circa materiam, & formam Sacramentorum; unde non licet baptizare in nomine ingeniti, geniti, & procedentis ab utroque, cum in Baptizando, necessarium sit exprimere formam institutam à D. Jesu Christo; licet quidam gravissimi Doctores contrarium teneant.

19. Secundò fallit, quoad essentialia aliorum Sacramentorum, ut latè *Lanfrancus cit. opusc. cap.* 5. Tertiò fallit in judicando; quia, ut dictum est, judex in judicando, tenetur sequi opinionem probabiliorem. *Diana p.* 2. *tr.* 1. *de opin. probal. resol.* 3. Quartò fallit, quoad medicos, qui tenentur uti melioribus medicamentis, pro salute infirmorum recuperanda, *Sot. cit. loc. & Sayr. in Clavi Reg. lib.* 1. *cap.* 11. *nu.* 12. & in aliis multis, de quibus videndi sunt præcitati Doctores.

Quæst. 37. *Opinio quid sit, & quotuplex?*

1. RESpondeo, quod opinio est assensus unius partis, cum formidine alterius, ut docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *in corpore*, & liquet ibi, *Etsi quidem hoc fit, cum dubitatione, & formidine alterius partis, erit opinio; si autem fit cum certitudine absque tali formidine ob scil. contestantis Dei authoritatem, erit fides*; Hæc ibi, per quæ item distinguitur à dubio, in quo intellectus, vel ob oppositas rationes, vel ob rei ignorantiam, nulli parti assentitur, sed veluti in æquilibrio pendet, ut dicit *Aristot.* 3. *metaph. text.* 1. *& S. Thom. in* 3. *sent. distin.* 17. *qu.* 1. *art. ult.* ubi quærit utrum Christus secundùm quod homo, dubitaverit, & liquet in *princip. corp.* ibi, *Dubitatio primò, & principaliter significat motum rationis super utraque parte contradictionis, cum formidine determinandi alteram.*

2. Item per ly *assensus*, distinguitur à suspicione, sivè credulitate, per quam intellectus nulli parti assentitur; sed adhuc pendulus, sivè dubius, & credulus manens, aliquantulum in alteram partem inclinat; & tandem opinio quatenus est assensus, distinguitur à scrupulo, qui non dicit assensum illius partis, in qua formidatur peccatum, sed scrupulosus ipse opinatur, & assentitur, non esse peccatum; & tamen aliunde trepidat, & ex levi fundamento, timet esse peccatum, ubi non est illud, juxta illud *Psalm* 13. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

3. Ex quibus collige primò, scrupulum posse coëxistere cum opinione, quia potest quis opinari, & assentiri circa unam partem, utputà hodie non est præceptum jejunandi; & deinde ex levi fundamento potest trepidare, & habere formidinem oppositi v. g. timeo hodie jejunandum esse, ex quo heri, cum esset vigilia, non jejunavi, ut eruditè advertit amicissimus *P. Angelus Maria Verricellus Theatinus in suis moralib. tract.* 1. *q.* 1. *num.* 5. ubi etiam in *tract.* 5. scitè discurrit de scrupulorum causis, & remediis, *q.* 2.

4. Secundò opinionem non posse coëxistere cum scientia; quia hæc propter rei evidentiam, omnem oppositi formidinem excludit *S. Thom. cit. loc.* de quibus *Sylv. ver. opinio, nu.* 1. *Tab. eod. ver. Navar. in summ. cap.* 27. *nu.* 279. *miscell.* 3. ubi diffusè de scientia, credulitate, opinione, dubitatione, & scrupulo.

5. Et dividitur in probabilem, & improbabilem; opinio, seu sententia probabilis, est illa, quæ innititur rationi alicujus momenti: dummodo tamen pro opposita parte, non sit aliquod convincens, utputa textus clarus, vel ratio evidens, nam sic non esset opinio, sed scientia certa & indubitata.

6. Opi

6. Opinio autem improbabilis est illa, quæ nititur rationi alicujus fundamenti, sed debilissimo fundamento, aut nulli, & sic in rigore non debet dici opinio, sed potius sententia falsa, erronea, & temeraria; *Portell. in dub. ver. opinio, num.* 1. *& Sanch. in summ. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6. etiam si plures habeat authores, *Joann. Sanch. in select. disp.* 48. *num.* 48. *& Lez.* 4. *p. sum. ver. opinio à Regularibus eligenda*; quia omnes illi infirmo nituntur fundamento.

7. Hæc autem opinio probabilis, est etiam duplex, una scil. minus probabilis, quæ nititur paucioribus, ac debilioribus rationibus.

Altera verò probabilior, quæ scil. habet plures, & meliores rationes, ut attestantur præcitati Doctores.

8. Præterea opinio probabilior, subdividitur in probabiliorem intrinsecè, & extrinsecè; illa opinio dicitur probabilior intrinsecè, quæ pro se habet plures, ac potiores rationes, quæ, ut ità dicam, sunt viscera opinionum.

Illa verò censetur extrinsecè probabilior quæ plures habet authores, & pauciores rationes. Undè fieri potest, ut opinio sit probabilis per principia extrinseca, hoc est per authoritatem Doctorum illam docentium; & non esse probabiliorem speculativè per principia intrinseca, hoc est, per rationes; *Sancius in select. disp.* 44. *num.* 65. *& Verricell. tra.* 2. *q.* 3. *cit. loc.*

9. De qua duplici probabilitate, intrinseca scil. & extrinseca loquitur *S. August. in epist.* 19. *ad Hier.* ubi de aliorum scriptis ait, *Alios autem ità lego, ut quanta libet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quod ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt*, & in *prol. lib.* 3. *de Trinit.* ponens differentiam inter Sacram Scripturam, & suam doctrinam, & scripta, ait, *Noli meis literis, quasi Canonicis scripturis inservire; sed in illis, & quod non credebas, cum inveneris incunctanter crede. In istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.* Hæc ille, qui, ut vides, pro scriptis hominum, recurrit ad alios authores & rationes, ita ut ista duo copulativè requirantur.

10. Verumtamen non potest negari, quin ista extrinseca probabilitas referri debeat ad intrinsecam; tum quia omne per accidens, reducitur ad id, quod est per se; tum etiam, quia parum facit ad majorem probabilitatem opinionis, habere pro se plures, vel pauciores Doctores, cum fundamentum, & basis opinionum, sint rationes meliores, & non numerus Doctorum. Undè ut dictum est, fieri potest, ut una opinio habeat plures Doctores; sed pauciores, & debiliores rationes, & ita erit minus probabilis, quàm illa, quæ habet pauciores Doctores, sed plures, ac meliores rationes.

11. Hinc *S. Thom. quodl.* 4. *ar.* 18. ait, quod Magister in Scholis ad instruendum auditores, ut inducantur ad intellectum veritatis, quam intendit, tenetur uti magis rationibus, quàm authoritatibus, quia rationes faciunt scire quid res sit, authoritates verò quia est, & *Sot. de just. & jur. lib.* 3. *q.* 6. *ar.* 2. *post nonam conclus.* ait, neque in his satis est authores numero æstimari, aut dicere, hoc tenent Canonistæ, hoc verò Theologi: sed auscultandæ sunt horum authoritates, rationesque exprimendæ: & *Navar. in summ. cap.* 27. *nu.* 289. *miscell.* 6. *de eligenda opin.* inquit, *Quod non videtur una opinio appellanda communis, ad effectum præjudicandi alteri eo solo, quod plures eam sequantur, tanquam Oves, aliæ aliasque præcedunt, sine judicio sequentes, velut Aves, quæ unam volantem, aliæ omnes sequuntur secundùm Decium in cons.* 494. *incip. quod supra.*

12. Et subjungit, *Communiorem enim ad hoc existimarem illam, quam sex vel septem authores classici, rem ex professo tractantes, assererent, quàm probatam à quinquaginta, sola ferè authoritate Priorum ductis.* Opinio enim communis, non ex numero opinantium, sed ex pondere authoritatis fit, ut dicit *Alex. cons.* 202. *lib.* 7. *n.* 6. quem allegat, & sequitur *Lud. Gomez in q.* 2. *proëm. Regul. Cancell.* qui dicunt, quod pondus authoritatis est ratio, sine qua erubescimus loqui, quod longè prius docuit *S. Hieron. tom.* 3. *in epist. ad Minerium, & Alex. n.* 15. ibi, *Juxta Pythagoræ discipulos, præjudicata Doctoris opinio, sed doctrinæ ratio ponderanda est.*

13. Ex quibus collige, authoritatem unius Doctoris pii, probi, & docti, qui rem ex professo discussit, posse efficere unam opinionem probabilem, ex quo ejus authoritas non est levis, sed alicujus ponderis, propter rationabile fundamentum, cui innititur; *Sylv. ver. opinio, num.* 2. *q.* 2. *in fin.* ibi, *Sed neque ex multitudine authorum, quid melius, & æquius est, judicato, cum possit unius, & fortè deterioris sententia multos in aliqua parte superare, quod menti commendandum est.* Hæc ille.

14. Dixi, *Doctoris pii, & probi*; quia si foret homo ventosus, novitatum cupidus, quærens mundi applausum, aliter esset dicendum; *Lez. cit. loc.*

15. Dixi, *Doctoris docti*: quia non homini credendum propter ejus dignitatem, sed ob ejus doctrinam, & sapientiam.

16. Dixi, *qui rem ex professo discussit*, quia qui rem casualiter, incidenter, aut negligenter tractat, non est fide dignus, *Sanch.* 1. *part. sum. lib.* 1. *cap.* 9. *nu.* 7. *& Diana* 4. *p. tract. miscell. resol.* 30. & favet *S. Tho. quodl.* 3. *art.* 10. ubi ait, posse quempiam amplecti opinionem, quam à suo Magistro audivit in iis, quæ ad mores pertinent, quod dictum *Portel. in dub. ver. opinio*, limitat procedere in casu non ventilato ab aliis; absolutè tamen illud admittit, *Meroll. tom.* 1. *disput.* 3. *cap.* 4. *dub.* 1. *num.* 4. *Lez. cit. loc. nu.* 3. *& consult.* 48. *num.* 5. ubi ait, quod ad hoc, ut opinio unius Doctoris prævaleat communi, & tutè practicari possit, ultra supradictas conditiones, debet habere melius, ac firmius fundamentum; & quod non rejiciatur communiter ab aliis Doctoribus, ut falsa, seu improbabilis, & quod non sit reprobata ab Ecclesia. Doctissimus verò *Verricellus in moral. tract.* 2. *q.* 1. *n.* 5. ait, dictum unius viri docti & pii, tribuere justam causam credendi; non tamen necessariam; ad quod pro se multos Doctores allegat, & præcipuè *Glos. in l. unio. ff. de condit. & demonst.*

17. Ego tamen (quidquid sit de prædictis) non desinam dicere, quod in moralibus, opiniones singulares sunt apprimè periculosæ. Unde meritò in Cap. Generali nostri Ordinis Prædicatorum Cæsaraugustæ congregato, anno Domini 1309. teste Ferdinando de Castillo, in ejusdem Ordinis historia, *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 10. sub gravissimis pœnis interdictum fuit, nè quis in rebus fidei, ac morum, singulares ac proprias asserat opiniones; quod item reperitur statutum in Constit. Societ. Jesu, *p.* 3. *cap.* 1. §. 18. *& p.* 4. *cap.* 5. §. 4. quamobrem *S. August. in lib. de utilit. credendi, cap.* 14. *& contra epistolas fundamenti, cap.* 4. dicit, *Ego nulli me video credidisse, nisi populorum, atque gentium confirmatæ opinioni, ac famæ admodum celeberrimæ, &c.* & Sapiens *Proverb. cap.* 3. ait, *Nè innitaris prudentiæ tuæ, & cap.* 22. *Nè transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui.* Quæ verba sunt hodie valdè notanda à novatoribus hujus temporis.

Quæst. 38. *An omnis opinio theoricè, sivè speculativè probabilis, sit etiam practicè probabilis?*

1. Negativè *Granado* 1. 2. *tr.* 12. *disput.* 4. *sect.* 4. *num.* 32. *Gerson.* 2. *p. tract.* 1. *de Regul. moral. Navar. in cap. si quis, num.* 57. *Suar. tom.* 5. *de legibus, cap.* 18. *num.* 20. *Garzias tom.* 2. *de benef. p.* 8. *cap.* 1. *num.* 24. *& Sanch. de matrim. lib.* 7. *disp.* 7. *Meroll. tom.* 1. *disp.* 3. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 96. & alii plures, quia multa speculativè censentur vera, quæ tamen fallunt in praxi.

2. Oppositum tamen, quod æstimo de jure verius, docent *Joann. Sancius in suis select. disp. 44. num. 63. & disp. 54. nu. 11. Pasqualig. dec. 362. nu. 2. Diana 2. p. tract. 13. de opin. probab. resol. 12.* relativè tamen, & *Pelliz. tom. 1. manual. tra. 4. cap. 2. sect. 2. num. 129.* & moventur ex eo, quod practica differt à speculativa, tanquam effectus à sua causa; id enim, quod quis opere exequitur justè, vel injustè, ab eo nascitur, quod scilicet speculativè judicavit posse agi licitè, vel illicitè; qui ergo arbitratur speculativè aliquid justè operari se posse propter rationes probabiles, id tutò executioni mandare poterit; aliàs nihil operabitur, nec alicujus fructus, sivè momenti erit illa speculatio probabilis, si ad opus esset impedita.

3. *Joann. tamen Baptista Lez. in suo consulto 48. nu. 73.* has contrarias opiniones conciliat, dicendo, quod prior opinio sit vera, attendendo, non solùm ad principia intrinseca probabilitatis alicujus opinionis, quæ sunt fundamenta illius, & authoritas Doctorum, qui illam tenent; sed etiam ad extrinseca, scilicet præceptum, vel prohibitionem superiorum, consuetudinem, legem, &c. in hoc enim sensu, manifestum est, aliquas opiniones speculativè probabiles, non esse tales in praxi, propter præceptum, & legem superiorum.

4. Posterior verò opinio est vera, attendendo solum ad principia intrinseca probabilitatis opinionis: hoc enim modo considerata opinio, certum est, quod ea, quæ est speculativè probabilis, etiam in praxi est probabilis; quia praxis oritur ex speculatione, tanquam effectus à sua causa, & sequitur naturam illius, ut dixit *Sancius cit. loc.*

5. Verùmtamen hæc Lezanæ conciliatio mihi non arridet, & ex eo, quod si opinio speculativè probabilis, nequit ad praxim reduci, ob aliquam legem sibi resistentem, vel ob aliquod inconveniens, ex praxi opinionis oriturum; signum est, quod neque sit speculativè verè probabilis, quamvis tale inconveniens, in esse speculativo non cognoscatur: quandoquidem non potest homo operari secundùm probabilitatem speculativam, nisi applicet tale judicium, ad mensurandam, & dirigendam operationem, secundùm regulas rectæ rationis, quod scilicet sit moraliter certus, quod ex usu, & praxi talis opinionis, nemini fit injuria, nullum emanat exinde inconveniens, nulliusvè conscientia læditur: secus non foret ejus judicium firmum, nec diceretur applicare secundum regulas rectæ rationis, ut benè advertit *Pasqualig. citato loco, num. 4.* quid autem sit moraliter certum, accuratè ex multis ostendit *P. Verricellus in suis moral. tract. 2. quæst. 13.* ubi *sub num. 1.* extendit verba Eminentiss. *Cajet. in sum. ver. opinionis usus, num. 2.*

Quæst. 39. Prælati Regulares non monentes subditos, tempore stabilito, de observantia, & executione Constit. Apostolic. spectantium ad S. Officium, in quas pœnas incidunt, & à quo declarandi?

1. HUjus quæsiti decisio pendet ex Constit. Urban. VIII. incip. *Sanctissimus Dominus sedulò incumbens, &c.* edita die 14. Aprilis 1633. quæ per extensum habetur in libello attitulato, *Bulla, & Decreta recentiora, fol. mihi 226.* & apud *Dian. 4. p. tract. 8. post resolut. 130. in Decret. Urban. VIII. fol. mihi 263.* & liquet ibi, *Teneantur sub pœna privat. officii, ac vocis activæ, & passivæ, ipso facto incurrenda, aliisque arbitrio Sanctitatis Suæ infligendis, in perpetuum semel saltem in anno, id est feria sexta post octavam assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in publica mensa, vel in cap. ad hoc specialiter convocato, & insuper in quocunque Generali, ac Provinciali Capitulo, Conventu, dieta, vel alio quovis nomine, nuncupato, Capitulari congressu, suos subditos, ac Religiosos commonere de injuncta omnibus observantia, & executione earumdem Apostol. Constit. & Decretorum ad S. Offic. Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentium.* Hæc ibi.

2. Ex quibus benè vides, quod superiores transgressores subjiciuntur judicio inquisitorum, qui, nec quoad pœnas expressas, reum condemnant, inconsulto Papa; & ita in Inquisitione Cremonæ, in facti contingentia fuisse practicatum, docet eruditissimus *D. Cæsar Carena in tract. de offic. SS. Inquisitionis, 2. p. sub tit. 17. §. 24. num. 99. fol. mihi 318.* & favet *Cesped. de exempt. Regul. cap. 16. dub. 266. n. 6.*

3. Sed quid dicendum, si die præscripta, contingat dict. Decretum non legi, & ibi adsit P. Generalis, vel Provincialis causa visitationis, inciduntnè isti in pœnas Decreti? Negativè *Pellizz. tom. 2. manual. tract. 7. cap. 6. sect. 2. q. 7. num. 38.* tum quia Decretum solùm comprehendit Prælatum localem, & immediatum superiorem loci; tum etiam, quia P. Provincialis, vel Generalis per accidens ibi reperitur adesse. Lex autē respicit ea, quæ semper, aut sæpè fiunt, non autem, quæ rarò eveniunt. Verùm non potest negari quin prædicti supremi Prælati teneantur monere Prælatum localem de sua obligatione adimplenda; eò fortius, quia ad petitionem Canonicorum Regularium S. Augustini, die 11. Februarii 1638. Sacra Congr. declaravit, tempus faciendi dictam commonitionem extendi per totum mensem Augusti; & hanc extensionem suffragari omnibus Religiosis, *Pelliz. cit. loc.* ubi etiam addit, quod si Prælatus localis ex justa causa anticiparet præfatam commonitionem, beneficeret; nam præfixio temporis apposita in dict. Decreto, nō est de substantia causæ finalis, & debitor plus solvit, si ante tempus solvat.

4. Quibus additur, quod subditi videntes prædictum Decretum malitiosè non legi, tenentur Inquisitoribus denunciare, & potest colligi ex illis verbis Decreti (*Et insuper iidem superiores teneantur curare, & efficere, ut hujus Decreti exempla, aliquo in loco apud eos publico affigantur, & affixa conserventur, ita ut ab eisdem subditis Religiosis omnibus videri, ac legi commodè queant, &c.* ad finem scil. procurandi observantiam, & executionem præfati Decreti.

Quæst. 40. Prælati locales non facientes legi decreta de celebrat. Missar. in quas pœnas dant, & à quo declarandi?

1. DE hac quæst. latè dico in *tract. de celebrat. Missar. quæst. 72.*

Quæst. 41. Prælati locales non facientes legi decreta de apost. & eject. an incurrant pœnas?

1. QUod Prælati Regulares teneantur efficere, ut dict. Decreta bis saltem in anno, in suis locis legantur, constat ex eisdem, §. 13. *in fine*, ubi expressè hoc eis imponitur, sub his verbis, *Si quis verò ipsorum adversus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid quomodo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto, pœnam incurrat privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit vocisque activæ, & passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus, & Generalibus, & Protectoribus, illam moderandi, seu relaxandi potestate penitus interdicta, & nihilominus sit irritum, & inane quidquid secùs à quoquam actum extiterit; non obstantibus, &c.* Hæc ibi, quæ si per eosdem præfatos superiores contingat non legi, dantnè in pœnas?

2. Sub

2. Sub distinctione resolve, aut ex oblivione, vel ignavia omittunt dicta Decreta legi, & sic non incurrunt; nam textus loquitur per illud verbum *præsumpserit*, quòd de natura sua exigit scientiam, dolum, & temeritatem, ut probat *textus cap. Monasteria, 8. de vita, & honest. Cleric.* & docent *Navar. consf. 19. de rebus Eccles. non alien. & D. Ricc. 1. p. prax. decis. 647. in 1. edit. & Egomet dixi to. 1. prax. 2. p. tr. 4. q. 17.* aut omittunt legi ex malitia, & dolo, & sic dant in pœnas; nam sic censentur temerarii contemptores, *Bordon. decis. 14. nu. 5.* ubi dicit, primam partem dictæ resolutionis habere locum etiam in foro externo, quod mihi non probatur; nam cùm forus externus nitatur præsumptionibus, non probatâ bonâ fide, & oblivione, procederet ad declarationem pœnarum, ut praxis ipsa docet.

Quæst. 42. An P. Provincialis hujus Provinciæ possit punire subditum pro crimine commisso in aliena Provincia?

1. REspondeo affirmativè, servatis tamen servandis, & dummodò sit hujus Provinciæ professus; tum quia hic professus per professionem ita contraxit domicilium in hac Provincia, ut non sit amplius in ejus potestate domicilium mutare, *Portell. p. 1. casu 19. num. 1.* tum etiam, quia ita docet praxis canonica & civilis, qua videmus delinquentes in alieno territorio, remitti ad Judicem territorii delinquentis, de qua praxi multa refert *Zerola in sua practica Eccles. 1. p. ver. remissio reorum,* ubi ex multis ostendit, Episcopum posse repetere suum Clericum detentum ab alieno Episcopo, etiam invito Clerico; ad quod facit *cap. dilectus, & cap. si Judex laicus, de appellat. & Sylv. ver. furtum, q. 4. nu. 9.* ubi ex multis allegatis dicit, quòd committens hîc furtum, potest puniri per Judicem territorii, ad quod transivit cum re furtiva, & non aliter, nisi ratione domicilii contracti.

2. Dixi *servatis, &c.* quia ad hoc, ut professus, de quo agitur, puniatur, debet constare de delicto: an autem per novum processum faciendum à Provinciali hujus Provinciæ, vel per processum illius? Pendet ex illa quæstione, an acta unius Curiæ probent in alia Curia: de qua latè dico *tom. 1. prax. p. 2. tr. 13. q. 55. de exempt.*

Quæst. 43. An P. Generalis jus habeat judicandi subditos delinquentes circa res pertinentes ad S. Fidem?

1. REsponsio negativa hodie est indubitata, ut constat ex Constitutione Pauli V. incip. *Romanus Pontifex*, edita sub anno Domini 1606. quæ est 26. in novo Bullario Cherub. inter Bullas ejusdem Papæ, qua Constit. Summus Pontifex, quascunque facultates, cujuscunque Ordinis Prælatorum, cognoscendi Regularium causas ad officium SS. Inquisitionis spectantes, revocat, & annullat, easque mandat denunciari Ordinariis locorum, ut ibi meliùs est videre.

2. Causa autem hujus Constit. potuit esse, tum quia omnis quæstio spectans ad fidem, de jure communi est Summo Pontifici reservata, ut expressè dicitur in *cap. quoties 24. q. 1.* ubi dicitur, quotiescunque ratio fidei ventilatur, ejus decisio ad Romanam Ecclesiam deferatur; quod item dicitur in *cap. frater noster 16. q. 1. & cap. præceptis, distinct. 12. & cap. convenior 23. q. ult. & c. 2. distinct. 80.* tum etiam, quia causa fidei in tribunalibus Inquisitorum, de quorum numero sunt Episcopi Ordinarii, examinatur magis juridicè, & secretè, & cuncta fiunt, prout de jure facienda sunt, ut praxis ipsa docet, & notat *Pegna in Direct. Inquisit. p. 3. comment. 77. ver. etsi justissimè*, ubi alias graviores causas prudenter deferre recusat, & egomet dico *to. 1. p. 2. tr. 16. de exempt. q. 31.*

3. Hinc Prælati Regulares omnes, & quascunque causas de hæresi suorum subditorum, etiam in generali visitatione repertas, vel sibi tanquam Patri revelatas, ipsius pravitatis Inquisitoribus, & Ordinariis locorum tenentur committere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ: in quam item incurrunt, si impediant suos subditos denunciare suspectos de hæresi, ut constat ex eadem Bulla Pauli V. & docent *D. Ricc. 1. p. praxis resolut. 47. in nov. & 2. p. resolut. 210. D. Aug. Barbos. p. 3. de potestate Episcopi, allegat. 105. num. 56. in fin. Novar. in Luc. Regul. ver. Hæresis, n. 4. Marcell. Vulpe. in praxi for. Eccles. cap. 42. n. 2. & Cespedes de exempt. Regul. c. 16. dub. 266.* & se movent *ex cap. ad abolendum, §. si qui verò, de Hæresi in 6. & Clem. unic. in ver. à jure, de excess. Prælat.*

Quæst. 44. An P. Generalis in causa fidei subsit tribunali, & officio sanctæ Inquisitionis?

1. REspondeo affirmativè, ut constat ex decisis *tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 31. de exempt.* nam Constitutiones Apostolicæ in concernentibus fidem Catholicam, & sanctæ Inquisitionis officium, hactenus editæ, comprehendunt omnes Regulares, tam subditos, quàm Superiores, quomodolibet privilegiatos, & nominatos, ut constat ex Constit. Urbani VIII. incipient. *Cùm sicut accepimus Sancti Benedicti, &c.* edita die 5. Novembris 1631. Pontificatus sui anno 9. & est penult. in libello attitulato, *Bullæ, & Decreta recentiora. fol. mihi 267.*

2. Benè verum est, quòd contra Ordinum Prælatos Generales, ob dignitatis prærogativam, non est facilè procedendum, donec Generalis Inquisitor consulatur ad instar Episcoporum, quorum causæ graviores, etiam hæresis, Sedi Apostolicæ referuntur, ex Decreto Trid. *sess. 24. cap. 5. de reformat.* & extravagantii Pii V. incipiente *Romanus Pontifex*, edita sub anno Domini 1563. qua sancitur, ut Eminentissimi Cardinales Inquisitores Generales in universa Republica Christiana procedere possint contra Episcopos, & quoslibet alios Prælatos, de quibus *Pegna in 3. p. Directorii Inquisit. Comm. 77. pag. mihi 557. Navar. c. 1. de foro compet. n. 3. Emmanuel. Roder. 2. p. qu. 81. de hæretica pravitate ar. 1. cum suo Comp. resol. 73. & Flav. Cherub. in Comp. Bull. in d. Bulla Pii V. in 2. Schol.*

Quæst. 45. An P. Generalis possit ad nutum in prima instantia à suis subditis ad se causas avocare?

1. P. *Suar. tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. cap. 2. n. 24.* ait, quòd sic, duciturque, tum quia voluntas superioris Prælati absolutè loquendo, potentior est, ergo; tum etiam, quia nulla est lex positiva, quæ hujusmodi factum irritet; tum item, quia neque ex sola natura rei potest censeri nulla. Multa enim illicitè fiunt, quæ facta tenent, inter quæ videtur hoc computandum, quia nullam habet specialem rationem nullitatis, cùm defectus magis sit in modo, quàm in substantia, cùmque magis ibi interveniat injuria legalis, quàm commutativa; tum denique, quia in his actibus major ratio habenda est boni communis, quàm privatæ injuriæ; ad bonum autem commune expedit, ut talis restrictio timeatur & servetur, etiamsi injusta appareat ex defectu causæ; ergo sic facta tenet, & valida est.

2. Oppositum tamen est de jure verius; tum quia unusquisque Prælatus habet aliquod jus in re, quoad jurisdictionem exercendam in suo territorio, ad omnes suos subditos; ergo non potest illicitè illos suo quæsito jure privare sine justa causa; justitia enim prohibet quem spoliari suo jure quæsito sine causa.

3. Confirmatur, quia limitatio jurisdictionis, respectu ejus, cui limitatur, est pœna, quæ non debet alicui inferri sine causa; ergo si Prælatus inferior non culpavit, ut supponitur, qua de causa erit privandus suo jure? tum etiam, quia pœna sine culpa illata, est perversio, & immutatio ordinis, de se instituti, ad bonum commune, quod prohibet pœnam inferri, absque justa causa; tum etiam, quia ex his injustis restrictionibus multùm perturbatur pax & quies communis, & exinde oriuntur scandala; tum item, quia ità vult Tridentinum *sess.24.cap.20. de refor.* ubi postquam omninò prohibet, ne Prælati superiores avocent ad se causas ex prima instantia, sic ait: *De Archiepiscopis, & similibus, Episcopos in prædictis causis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem eis eripere, aut turbare non præsumant*; sed Prælati Regulares sunt ordinarii suorum subditorum, ergo; tum denique, quia sic expressè reperitur decisum *in cap. pervenit* 39.11.*qu.1.* ubi textus ità loquitur, *nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per vos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur*? Hæc ibi.

4. Ad quod facit *cap. corripiantur* 17. *caus.*24. *q.*3. ubi dicitur, quòd pro varietate culparum fratres subditi debent corrigi à Præpositis suis, *& cap. ea, quæ* 8. *de statu Monach.* ubi dicitur, quòd criminum correctio spectat ad Abbatem, ibi, *ità tamen, quòd Monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant*, & ibid. notat Glossa *in ver. per Abbatem loci, & cap. quanto* 7. *de Off. Jud.ord.* ubi Glossa *ver. si Prælati*, dicit: *sic patet, quòd coërctio, & correctio Monachi, primo loco spectat ad Abbatem, ad quod allegat alia Jura.*

5. Confirmatur per illam Juris Regulam, qua dicitur, *quòd judicium, ubi inceptum est, ibi debet finiri, & terminari.*

6. Dixi *in prima instantia, & sine justa causa:* quia secùs ex causa justa, & in secunda instantia, ut putà, per appellationem à gravamine, vel retardatæ justitiæ; nam Metropolitani, Archiepiscopi, Patriarchæ, & similes Superiores, quibus Generales assimilantur, licèt non possint causas in Curiis Ordinariorum pendentes, aut aliorum judicium, ad se avocare, sine justa tamen causa; secus autem, ut putà ex negligentia inferioris Judicis, vel ex gravamine, ut dictum est, & ex multis ostendit *D. Didac. Covar. cap.9. pract. qu. num.2.*

7. Nec nocent *P. Suar. cit. loc. & Pasqual. decis.*57. *& Bordon. dec.*410. §. *ad secundum*, quia licèt P. Generalis parem habeat potestatem cum omnibus Prælatis inferioribus sui Ordinis, immò & majorem, tam collectivè, quàm distributivè, hoc est, non solùm respectu totius Congregationis, cujus ipse est caput, verùm etiam respectu singulorum Conventuum.

Nihilominus habet majorem potestatem conservativè, non autem destructivè; volo dicere, quod P. Generalis habet ab Electoribus, vel à S. Papa, tam magnam facultatem, ad finem conservandi jura inferiorum Judicum suæ Religionis, & non ad finem destruendi Religionem, quæ unicuique Judici sui Collegii jurisdictionem, munia, & jura præscribit, & patet de prima causa, quæ licèt sit infinita in essendo, & operando, adhuc tamen secundarum causarum cursum & motionem non impedit, nec destruit.

Quæst. 46. *An Capitulum Generale possit limitare potestatem Patris Generalis?*

1. SUnt qui affirmant ex eo, quia Congregatio Generalis est superior P. Generali, unde potest illum corrigere, & ab officio absolvere, & deponere, ut constat ex decisis *tom. 2. 3. p. prax. tr. 12. q.10. de author. cap. General.* sed Cap. generale potest præcipere suis subditis, ne utantur ea facultate, quam habent à Jure, ergo; tum item ex eo, quia P. Generalis recipit authoritatem ab eligentibus, qui possunt limitatam authoritatem concedere; tum tandem, quia ità observat praxis in Ordine Prædicatorum; etenim ejus Capitulum Generale inter cæteras concessiones solet concedere P. Generali, ut ad nutum disponat de statutis in dicto Capitulo Generali; ergo Cap. Generale potest illi concedere, & concessam, vel aliunde habitam, limitare.

2. Mihi autem videtur distinguendum; nam, vel sumus in iis, quæ per Capit. Generale reperiuntur Magistro Generali concessa, & sic procedunt antedictæ rationes, sive congregetur Capitulum vivente Generali, sive sede vacante; nam res, per quas causas fit, per easdem dissolvitur; vel versamur in privilegiis à Papa ipsi P. Generali concessis, & sic subdistinguo, aut P. Generalis annuit limitationi sibi factæ à prædicto Generali Capitulo, & sic tenetur observare, tum quia unusquisque potest abrenunciare juri suo; tum etiam, quia dissolutâ Congregatione, res non est ampliùs integra, & consequenter non est ampliùs locus pœnitentiæ; secus autem, si non annuit præfatæ limitationi, & intendat latè uti authoritate sibi concessa à D. Papa.

Quæst. 47. *An P. Generalis possit de novo aliquam Provinciam instituere, vel institutam dividere, aut ejus alternativam supprimere, sine licentia Papæ?*

1. NEgat *Syl. ver. casus q.1. casu* 8.9. *&* 10. cui favent *Roder. tom.1. qu.*33. *ar.*8. *Miranda tom.2. Manual. q.7. ar.11. & Lezan. sum.1. p. cap.8. n.24.* ducitur que ex eo, quod de Provincialibus, & Generalibus philosophandum est, sicut de Episcopis, & Archiepiscopis, cùm illi his sint similes, & in potestate æquales, cæteris paribus, & respectu subditorum, & de similibus idem sit judicium; sed ità est, quòd Episcopus non potest sine licentia Papæ novam Sedem, seu Cathedralem constituere, *cap. fœlix Episcopus* 50.16.*q.1. & in eadem quæstione cap. præcipimus* 53. ibi, *ex vigore Apostolicæ Sedis, nec constitutam mutare, cap. mutationes* 34.7.9. *& in ead. quæst. cap. temporis* 44. *nec dividere, aut divisam alteri subjicere, cap. sicut unire* 8. *de excessib. Prælat. & c. quoad translationem* 4. *de offic. legat.* ad quod Fratres Minores habent speciale privil. sibi concessum à Nicolao IV. quod per extensum referunt *Roder. & Miranda cit. loc.* Quod cùm sit favorabile, ut putà favore Religionis indultum, extenditur ad omnes Regulares communicantes cum illis, ergo.

2. Quæ quippe Jura Canonica, & privilegium antedictum, extende ad alternativam Provinciarum, adeò ut sicut P. Generalis non potest sine licentia Papæ novam Provinciam constituere, & constitutam dividere, vel divisam alteri subjicere, ità non potest jure ordinario provinciam erectam in nationes dividere, ut alternatim & vicissim eligant Provinciales; nec ita divisam potest unire ad hoc, ut unus indiscriminatim eligatur Provincialis, nullo habito respectu ad jus Alternativæ; nam sicut non potest dividere Provinciam in diversas nationes sine licentia Papæ; ità non potest in nationes divisam, reunire; nam utrobique eadem militat ratio, ut dixi *to.2.p.3. tract.1. q.32. de nat. elect.*

3. Hinc noster Reverendiss. P. Generalis Ordin. Jo. Baptista de Marinis, ad refrænandum bellos humores quorundam Patrum volentium hujus nostræ Provinciæ immemorabilem alternativam supprimere, optimo Jure, ac apprimè prudenter decrevit, adeant Sacr. Congreg. Emin. Card. nosque super his ampliùs non fastidiant; ut meliùs est videre in actis Capituli Provincialis, celebrati in nostro Conventu S. Dominici de Suriano

riano, die 3. Maji, 1653. Sed adverte, quòd alii tenent contrarium ob rationes, quas sequitur idem *Ledes. to. 5. in Mari Magno Prad. n. 9. & seq.*

Quæst. 48. *An P. Generalis possit eximere subditum ab obedientia sui Prælati?*

1. RESpondeo negativè, loquendo tamen de jure communi, & exemptione totali; nam sic eximere, est de reservatis Papæ, ut refert *Sylvest. ver. casus, quæst.* 1. *casu* 5. ubi dicit, quòd exemptio Episcoporum ab Archiepiscopis, & Religiosorum ab Episcopis, est de Jure Papali, & movetur ex *cap. frater noster* 52. 16. *q.* 1. ubi expresse hoc habetur, & quod ibi diffinitur respectu Episcopi, extenditur ad Religiosos respectu suorum Superiorum, quia hi sub solemni voto promittunt obedientiam suis Superioribus: dispensare autem in voto solemni, ad solum Romanum Pontificem spectat, *Miranda to. 2. manual. q. 7. ar. 6. Roder. to. 1. q. 33. ar. 3. Portellus 1. p. casu* 31. *nu.* 8. *Barthol. à S. Fausto in thes. Relig. lib. 6. q. 133. in nov. Peyr. to. 1. privil. in Constit. Jul. 2. §. 3. n. 6. & in for. lit. E. cap. 35. nu. 2. & Lez. 1. p. sum. cap. 18. n. 23.*

2. Dixi, *loquendo tamen de exemptione totali*; nam quoad aliquem casum, potest illum eximere, & causam aliquam ad se avocare, ut in casu manifesti gravaminis, notoriæ inimicitiæ, Judicis negligentiæ, legitimi impedimenti subditi, & similium; nam sicut potest superior Prælatus causa interveniente inferiorem totali jurisdictione privare, ita eadem causa interveniente, potest eandem jurisdictionem limitare, *Peyr. cit. loc. for. & habetur in l. 2. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni jur. & instit. eod. tit.* Sed hoc limitant aliqui Doctores, ut hujusmodi Prælatus inferior teneatur obedire, dummodò in præcepto sibi facto, turpitudo nulla sit; quia respectu Superioris limitantis est subditus, qui ex voto Superiori tenetur obedire, justa tamen præcipienti, *Suar. to. 4. de Relig. tr. 8. lib. 2. c. 2. n. 22.* ubi latè de dependentia subditi à Prælato.

3. Dixi *de jure communi*; nam de jure speciali aliter dicendum est, quandoquidem P. Generalis Ordin. Prædic. ex privilegio sibi indulto à Jul. II. sub die 14. Novembris, 1511. incip. *Exposuisti, &c.* pro augumento vitæ Regularis, & in favorem Regularis vitæ, potest non solùm Conventus Fratrum eximere à jurisdictione Provincialium, sed etiam Monasteria Monialium, Collegia, & personas quascunque, ut constat *ex §. 3. d. Bull.* quam referunt per extensum *Confect. in sua collect. lit. Apostol. & est 6. inter Bull. d. Papa, & Peyr. to. 1. privil. & est is inter Constit. ejusdem*, ubi *in §. 3. nu. 1. in fin.* dicit, quòd prædicta Bulla uti nimis præjudicialis ad alios Religiosos Generales & Provinciales non extenditur, mihi tamen videtur favorabilis, utpotè pro augumento vitæ regularis, & animarum salute edita; ac proinde alias Provincias, aliosque Provinciales, & Generales comprehendit per modum extensionis.

4. Amplia, ut P. Generalis propter eandem rationem non possit de jure communi instituere, & efficere Prædicatores Generales, ut prædicent ubique terrarum sine licentia, non solùm Episcopi Ordinarii, sed neque sine licentia Ordinariorum Prælatorum Regularium; quia hoc in effectu esset eximere Religiosos à jurisdictione suorum Prælatorum, quod, ut dictum est, solus Papa potest efficere; ad quod facit *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 4.* ubi *textus* sic loquitur:

5. *Ne quis Regularis sine sui Superioris licentia, prædicationis, aut lectionis, aut cujusvis pii operis prætextu subjiciat se alicujus Prælati, Principis, vel Universitatis, vel Communitatis obsequio, aut alterius cujuscunque personæ, sive loci, nec aliquod privileg. aut facultas ab aliis super his obtenta suffragetur, quòd si contra fecerit, tanquam inobediens arbitrio Superioris puniatur.* Hæc ibi, cum quibus stat, ut P. Generalis ex justa causa in aliquo casu valeat subditum eximere à suo immediato Superiore, ut constat ex decisis.

Quæst. 49. *An P. Generalis possit eximere subditum ab officiis publicis, & oneribus suæ Religionis?*

1. RESpondeo affirmativè, justa tamen interveniente causa; quia licèt hæ exemptiones sint contra Regulam, ut eximere à Choro, & Refectorio; & Prælatus nihil possit contra Regulam suis subditis concedere; adhuc tamen potest in aliquo casu, etiam supra Regulam, ex justa tamen causa, cum aliquo dispensare, teste *D. Thom. 1. 2. q. 97. ar. 4.* ubi ait, *quòd Rectores multitudinis possunt in legibus dispensare, & in quarto sent. dist. in. 15. q. 3. artic. 2 quæstiuncula 4. ad 3.* dicit, *quòd quis potest jejunium solvere, per dispensationem proprii Sacerdotis*, & sequitur *Cardin. Cajet. 2. 2. q. 147. ar. 4. ad 1. dub. & Sotus in propriis terminis lib. 1. de just. q. 7. ar. 4. dub. 1.* & praxis ipsa docet.

2. Et additur, quòd talis exemptio causa remunerationis concessa, cùm sit potiùs beneficium, quàm privilegium, non dicitur esse supra Regulam, sed potius secundùm Regulam; stant enim sua præmia laudi, id est, virtuti, ut dicit *Tuschus ver. exemptio, conclus. 567. num. 7. & 8.*

3. Amplia, ut dicta exemptio propter benemerita concessa, non possit revocari à suo Superiore, qui illam concessit; nec à successore suo, etiam causa ingratitudinis; quia censetur exemptio onerosa, hoc est, causa remunerationis concessa, quæ transit in naturam contractus, de cujus substantia est, ut non possit revocari, ut dixi *to. 1. p. 1. prax. tract. de privil.* & probat *Tuschus cit. loc. conclus. 570. n. 5.* Sed in hoc casu talem exemptionem revocare, pertinet ad supremum Prælatum, ut putà Papam, Sac. Congreg. vel Capit. Generale: excepto tamen casu necessitatis, qua durante, ob commune & publicum bonum suspenderetur privilegium, *Peyr. in formul. lit. E. cap. 35. num. 1. in fin.*

Quæst. 50. *An P. Generalis possit præcedentias, & exemptiones, jure Constit. Lectoribus, vel Provincialibus debitas, illis Fratribus concedere, qui talia officia non exercuerunt?*

1. RESpondeo negativè, sine tamen licentia Papæ; quia aliàs hoc foret proprias Constitutiones destruere, Ordinem invertere, ne dicam perturbare, confundere, ac dilapidare. Unde jure optimo Urban. VIII. sua Constit. incip. *Inter cæteras*, sub gravissimis pœnis & censuris prohibuit Provincialibus, & Generalibus Ordinis Eremitarum S. Augustini, ne in posterum concederent exemptionem officiorum, & præsertim Provincialatus, ac Lectoratus illis Fratribus, qui nunquam talia officia exercuerunt, ut meliùs est videre in dicta Bulla, quæ *in 4. tom. Bull. Cherub. est 99.* inter Bullas ejusdem Papæ, quæ ô utinam extenderetur ad omnes alias Religiones, cùm ea valde indigeant in custodiam illius Pauli dicti *2. Thess. 3. Si quis non vult operari, nec manducet*, & illius proloquii, *Stant sua præmia laudi*; & ne in odium otiosorum cogantur canere illud Psalm. 72. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur:* & tamen supple, laborantium exemptiones procurant habere.

***

Quæst. 51.

Quæst. 51. An P. Generalis possit Provincialem unius Provinciæ in aliam transmittere?

1. NEgativè *Syl. ver. casus, q. 1. casu 2. Roder. tom. 1. q. 23. ar. 2. & 2. p. summ. c. 29. conclus. 5. cum suo compendio resol. 68. nu. 10. Miranda tom. 2. manual. q. 7. art. 5. & Portell. in dub. ver. Generalis, in addit. nu. 1.* & moventur, quia sicut nullus inferior Papâ potest transferre Episcopum ex una ad aliam Diœcesim, *cap. 1. & 2. de translat. Episcop.* ità à pari P. Generalis jure communi attento, non potest Provincialem unius Provinciæ in aliam transferre: quod dictum, sunt qui extendunt ad Priores & Guardianos, sic adeò, ut P. Generalis sine speciali licentia Papæ nequeat Priorem unius Monasterii in aliud Monasterium transferre.

2. Verumtamen falluntur; tum quia præcitata jura nihil dicunt de Prioribus & Guardianis; tum etiam, quia non possunt cum proportione extendi ad omnes Provinciales indefinitè, sed ad Provinciales, & Abbates exemptos, & perpetuos tantùm, ut notat *Sylv. cit. loc. & favet Miranda, ubi suprà.*

3. Ergo P. Generalis solo jure Generalatûs attento, salvis tamen statutis sui Ordinis, ob bonum commune suæ Religionis potest Provincialem unius Provinciæ in Visitatorem, & Commissarium alterius Provinciæ transmittere: & licèt residentia facienda in propria Ecclesia, sit de jure divino, adhuc tamen, justâ interveniente causâ, potest ad paucos menses dispensare, alium subrogando in vices ejus, ut valeat gregem illi commissum gubernare & regere, ut patet de Provincialibus, qui hinc discedunt ad finem celebrandi Capitula generalia, & similia peragendi: ad quæ vide quæ dico *tom. 1. p. 2. tract. 5. de transl. q. 22.* ubi habes propria verba nostræ Constitutionis.

Quæst. 52. An P. Generalis possit Provincialem suo officio privare, ipso inaudito & incitato?

1. NEgativa responsio est de jure naturali, divino, & humano: quandoquidem omnibus à natura inditum est se defendere: citatio autem est species defensionis, ut docent Doctores scribentes in *l. final. C. de legibus.* Ergo idem est, reum prætensum non citare, quod defensiones abnegare. Unde Clem. VIII. in sua Constit. incip. *Licitum dispendiis*, quam extendit *Stephan. Quaranta in summ.* verbo *nullitas.* Jure optimo sanxit, non esse locum nullitatibus in quocunque tribunali Ecclesiastico, nisi ex defectu jurisdictionis, citationis, & mandati; de qua nullitate latè *Vantius de nullit. in rubric. ex defectu citat.*

2. Item est de jure divino; nam licèt Deus certissimè sciret, Adam, Cain, & Sodomitas esse reos, adhuc tamen illos, antequam condemnaret, ac puniret, vocavit, & citavit, ad finem se exculpandi, si quam causam exculpationis haberent, ob quam non forent condemnandi, ut expressè dicitur in *cap. Omnipotens Deus, 20. 2. q. 1.* ibi, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, priusquam manifestè cognosceret, ut nobis exemplum daret, ne præcipites simus, &c.

3. Est tandem de jure humano Canonico, in *cap. susceptis, 1. de causa possess.* ibi, *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire*, & in *cap. caveant, 2. caus. 3. q. 9.* leguntur hæc formalia verba: *Caveant Judices Ecclesiæ, ne absente eo, cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit.* Et in *cap. omnia 4. subsequenti*, ibi, *Quoniam absentem nullus addicit, id est, nullus Judex punit, nec ulla lex damnat.* Hæc ibi.

4. Ex quibus benè apparet, quòd citatio est de substantialibus judicii, & absolutè necessaria, etiam respectu Religiosorum; sic adeò, ut omissa, nullum & irritum sit judicium, etiamsi simus in notoriis & manifestis.

Quæst. 53. An P. Generalis possit ex justa causa amovere Provincialem à suo officio?

1. ET quidem posse, non est qui dubitat, servatis tamen Constitutionibus Ordinis, & ipso removendo audito in juribus suis, ut dictum est immediatè suprà; nam suppositâ jurisdictione removente, & justâ causâ ad usum illius, nihil ampliùs desideratur, ut clarè constat ex *cap. qualiter & quando, 24. de accusat.*

2. Hæc autem justa causa deponendi Prælatum ab officio suo, potest esse duplex, una scilicet culpa sufficiens ipsius Provincialis, ob quam justè potest à suo officio privari, in pœnam suæ culpæ; etenim privatio officii potest esse justa pœna correspondens culpæ.

Altera verò causa potest esse aliqua ratio urgens boni communis; nam hæc munera non ad privatum commodum Prælatorum, sed ad bonum commune Religionis ordinantur, *Roder. tom. 2. q. 26. art. 1. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2. nu. 25. & Ascan. Tambur. to. 1. de jur. Abbat. disp. 13. q. 2.* ubi *num. 3.* dicit, quòd causa sufficiens ad effectum prædictum: Primò censetur, si Prælatus sit dilapidator bonorum Monasterii. Secundò, si sit negligens in eorum administratione, quod intellige verum, si negligentia sit magna, & supina. Tertiò, si Prælatus incontinenter vivat: nam sola incontinentia absque alia delicti qualitate, est sufficiens causa ad deponendum Abbatem, ut ex multis ostendit *Panor. in cap. 2. de statu Monach. n. 6.* Quartò, si sit Regulæ prævaricator, ut dicitur in *d. cap. cùm ad Monasterium, de stat. Monach. §. final.* ille autem dicitur Regulæ prævaricator, qui Regulam prædicat, & eam non observat, vel qui exterius videtur Religiosus in habitu, intrinsecus autem est lupus rapax. Unde *Matth. 7.* Christus dicit: *Attendite a falsis Prophetis, &c.* vel ille dicitur prævaricator, qui falsas culpas subditis imponit, *Joann. Andr. in d. cap. de statu Monach. §. final. & Graff. decis. aur. p. 2. lib. 3. cap. 2[illegible] nu. 27.*

3. Verùm adverte, quòd ultra prædictas causas, quæ sunt de jure communi, adsunt aliæ plures, quæ exprimuntur in propriis, & specialibus statutis, quæ ad finem prædictum sunt omninò attendenda.

4. Dixi in principio, *ipso deponendo audito, &c.* quia nemo inauditus est suo jure quæsito privandus, ut constat ex decisis hîc suprà *q. 52.* Provincialis autem per confirmationem habet jus quæsitum in Provincialatu, ut sæpè dictum est, & docet *Innoc. in c. cùm olim, de caus. possess. & propriet. Lez. 1. p. summ. cap. 18. nu. 14. & sequen. Bordon. dec. 274. & decis. 485. & Egomet tom. 2. p. 3. tract. 9. de Prælat. q. 9. n. 2. & sequ.*

Quæst. 54. An P. Generalis vel Provincialis possit suo solo arbitratu loci Vicarium deponere?

1. REspondeo affirmativè, loquendo tamen de jure communi; prout dico *tom. 2. p. 3. tract. 9. de Prælat. q. 3. nu. 3.* quia sic amoventes utuntur jure suo. Unde nulli injuriam faciunt, nec hujusmodi subditi ab officio remoti, possunt agere de spolio, nec conqueri, quòd sine causa fuerunt spoliati sua Prælatura: nam penitus hoc differunt prælatura electiva, & collativa manualis, quia illa non potest auferri sine justa causa; secus autem ista manualis, ad *textum c. Monachi, 2. de statu Monach.* ibi, *Priores autem cùm in Ecclesiis Conventualibus per electionem Capitulorum suorum canonicè fuerint instituti, nisi pro manifesta, & rationabili causa non*

mutentur. Ubi *gloss. in ver. non mutentur*, dicit, quòd hoc procedit in omni Prælatura Canonica, & electiva, secus autem in aliis Prælaturis, quæ sunt collativæ, id est, quæ per Superiores conferuntur manualiter, seu ad nutum. Ad quod item facit *cap. cùm ad Monasterium 6. eod. tit. in fin.* ibi, *Tales autem ad agenda officia Monasterii deputentur, qui fideles fuerint, & discreti, nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuò*, ubi *glossa in ver. perpetuo.* dicit, quod dixit in *d. cap. Monachi:* quod etiam docent plures eruditissimi Doctores, quos allegat, & sequitur *D. Ricc. 4. p. prax. resolut. 51. Sigismundus à Bononia in tract. de elect. 1. p. cap. 7. dub. 49. num. 7.* ubi dicit, quòd Provinciales Societatis Jesu instituuntur à P. Generali ad nutum, & consequenter possunt ab eodem deponi ad nutum, etiam sine causa, *P. Diana 3. p. tract. 2. de dub. Regul. resolut. 17.* limitat d. jus commune non habere locum pendente accusatione, vel inquisitione contra aliquem, quia dum Prælatus intendit procedere via juridica, censetur renunciare juri suo procedendi ad nutum, & ut libet.

2. Dixi *de jure communi*, quia secus de speciali dicendum est, *D. Ric. cit. loc.* etenim generi per speciem derogatur. Unde si in aliqua Provincia sint aliqua specialia jura confirmata à Sacr. Congregat. vel à Legato Apostolico, aut data à S. Papa, sunt omninò ad unguem observanda.

Quæst. 55. Quænam sit forma citandi & excommunicandi Regulares apostatas, vel fugitivos à suis Conventibus, vel Provincia?

1. RUspondeo, quòd hujusmodi apostatæ & fugitivi possunt & debent sub tali forma citari:

2. *Nos Fr. N. humilis Prior Provincialis Provinciæ N. Ord. Prædicat. Dilecto Fratri N. vagabundo, & fugitivo, ut ... &c. Regularem Observantiam, & spiritus humilitatem. Cùm ex mandato sacrorum Canonum fugitivos, & ... ndos Fratres teneamur requirere, & ipsos reducere ... Ordinis Claustrum, ne ut errabundi pereant: salvâ ... Ordinis disciplinâ: & cùm tu Frater N. de N. diebus ... is illuc entiatus incedas ad quævis loca vagabundus, & ... contra tui Ordinis honestatem, & in damnationis animæ tuæ evidens periculum, ut reducaris ad ovile gregis ... um tuorum, prout debes, & de jure teneris. Idcircò Nos Frater N. Prior Provincialis, qui suprà, authoritate nostri ... & præsentium tenore, te prædictum Fratrem N. re... us, citamus, & monemus, primò, secundò, & tertiò ... toriè, seu hac una pro trina Canonica monitione præ... non in virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedien... sub pœna privationis vocis activæ & passivæ per decem ... & sub pœna carcerum formalium per quatuor an... nec non sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ... ipso facto incurras, & aliis ad nostrum arbitrium, & ... placitum, &c. præcipientes tibi, mandamus, quatenus ... sex dies, à receptione præsentium, vel postquam de præ... is tibi constiterit, ad Claustrum tui Conventus, & Or... Sancti Dominici Civitatis Salerni, Fratrum Ordinis ... atorum, deposita omni rebellione humiliter venire, ac ... debeas, à quo Conventu exire, seu discedere tibi non ... nisi de tui legitimi Prælati, obtentâ in scriptis licen... c. quòd si infrà dictum terminum sex dierum, quem ... ucemus, una pro tribus, & peremptoriè Canonica mo... præmissa, venire contempseris, vel nolueris, Te suprà ... tum Fratrem N. tanquam contumacem, & rebellem ... datorum nostrorum, & Ordinis, quem professus es, ex ... prout tunc, condemnamus ad supradictas pœnas, & ex... municationis sententiam super te ferimus in his scriptis, ... es pro Tribunali in Sella Cameræ nostræ solitæ residen... volumusque te prædictum N. prædictis pœnis, & censu... addictum esse, & alligatum, donec comparueris coram tuo legitimo Superiore, & ab eo absolutionem, & pœnarum remissionem obtinueris: salvis tamen nostris Constitutionibus, & Decretis Apostolicis. In quorum, &c. his subscripsimus manu propria, &c. die, &c. Datum, &c. ita est. Frater N. Prior Provincialis. Ego Frater N. Actuarius assumptus, prædicta scripsi, atque alta & intelligibili voce publicavi in publico Refectorio, vel in Capitulo nostri Conventus N. coram omnibus, &c. & obtuli prædictorum copiam, ad finem. &c.*

Quæst. 56. An P. Generalis possit Provinciali capto à Turcis, ejusque regressu desperato, licentiare electores ad novum Provincialem eligendum, quo electo, confirmato, & administrante, si primus redeat, habet ne restitutionem in integrum?

1. IN facti contingentia Provincialis captus à Turcis, & liber factus, contendit, petitam restitutionem sibi ex multis deberi. Primò ex *l. postliminium ff. de captivit. & postlimin. & redempt. ab hostibus*, ubi habentur hæc præcisa verba: *Postliminii jus competit, aut in pace, aut in bello. Cùm ii, qui nobis hostes sunt, aliquem ex nostris ceperunt, & intrà præsidia sua perduxerunt; nam si eodem bello is reversus fuerit postliminium habet, hoc est perindè omnia restituantur ei jura, ac si captus ab hostibus non esset.* Et in *l. cùm Dux*, sic dicitur: *Recuperet & ipse jus suum.* & in *l. postliminium* sic habetur: *Postliminium est jus amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ.* Et in *l. hostes*, sic habetur: *Ab hostibus autem captus, &c. postliminium, statum recuperat pristinum.* Hæc ibi.

2. Ex quibus manifestè apparet, prædictum Provincialem esse restituendum in pristinum statum sui Provincialatus. Secundò ex *cap. cùm per bellicam cladem, 1. caus. 34. q. 1.* ubi expressè dicitur, quòd si aliqua fœmina alii nupserit, putans, virum suum mortuum esse, illo redeunte, ad priorem redire cogitur, & ita praxis ipsa observat. Nec obstat dicere, quòd matrimonium est de jure divino, ac proinde non potest, nisi per mortem dissolvi. Secus autem matrimonium inter Provincialem, & suam Provinciam initum, cùm hoc non sit perpetuum, nec verum, sed fictum, fictione juris, quia licet arguere à matrimonio corporali ad spirituale, & tenet argumentum *cap. inter corporalia 3. de translat.*

3. Tertiò, quia electio facta de novo Provinciali in casu posito, non potest esse valida; nam fundamentum validitatis electionis est, ut Ecclesia providenda sit viduata, ut expressè dicitur in *cap. ea propter, de elect.* tunc autem Ecclesia dicitur viduata, quando vacat suo legitimo Pastore: hæc autem vacantia potest haberi multis modis, ut putà per mortem, renunciationem, translationem, vel proprii Prælati remotionem, ut dixi *tom. 2. Prax. p. 3. tr. 3. de tempore electionis, q. 3.* & habetur expressè *in cap. inter corporalia 2. de translat.* nullus autem istorum modorum procedit in casu nostro, nec quidem ultimus; nam Provincialis actualis nequit inauditus suo jure privari, ut dictum est suprà: hic autem, de quo agitur, ut supponitur, nunquam fuit citatus, nec quidem per publica proclama, nec præcessit declaratio vacantiæ Ecclesiæ; ergo Provincialis à Turcis liberatus, sive spectetur Jus Civile, sive Canonicum, restituendus est in suam pristinam dignitatem.

4. Ex adverso tamen Provincialis de novo electus, & confirmatus, contendit, non posse ab officio revocari, tum quia P. Generalis non solùm ob culpam, verum etiam ob rationem boni communis potest removere Provincialem à suo officio, prout occurrit in casu nostro; nam ne Provincia ampliùs vexaretur, & læderetur, placuit ei vocales licentiare ad novum Provincialem eligendum: tum etiam, quia non reperiebatur alius

Reli-

Religiosus, qui vellet illius vices gerere: & sic subintrat casus extremæ necessitatis, quæ rumpit leges, & non licitum, licitum facit, *cap. quod non est licitum, de regul. jur.* tum etiam, quia hoc totum potuit facere jure Constitutionum, ut constat ex illis; quæ quippe rationes, nisi errent in præsupposito, mihi videntur veritatem concludere. Unde valde demiror de illo Provinciali à Turcis regresso; nam ex tanta ardentia restitutionis in integrum, videtur nimis valde ambitiosus, dum à subesse inimicis, tentat amicis præesse.

Quæst. 57. An P. Generalis possit transferre Capitulum Generale de loco ad locum, sine licentia Papæ?

1. SUnt, qui negant ex eo, quòd cùm P. Generalis sit inferior Capitulo Generali, non potest ejus statutis derogare: ergo quando Capitulum Generale statuit, subsequens Capitulum celebrandum esse in tali loco, non potest illud aliò transferre sine licentia Papæ.

2. Verumtamen falluntur, nam etiam inferior potest dispensare in lege sui Superioris ex justa causa, respiciente publicam, & communem utilitatem, ut constat ex decisis *tom. 2. p. 3. tr. 11. q. 4.* ad quod facit *Trid. sess. 25. de Regul. cap. 18. de refor. & S. Thom. 1. 2. q. 97. ar. 4.* Quod procedit etiam, si statuta Capituli Generalis reperiantur per D. Papam confirmata, ut ibi dicitur *nu. 3.* dummodò tamen per dictum Cap. Generale non fuerit ei vetitum in suis statutis dispensare: secus autem indiget dicta licentia Papæ. Quandoquidem per assignationem factam in præcedenti Capitulo Generali, de celebrando subsequens in tali loco, quæsitum est illi jus: sic adeò, ut nequeat ab illo auferri sine præfata licentia.

Quæst. 58. An P. Generalis teneatur ostendere rescriptum Apostolicum tangens subditos?

1. REspondeo affirmativè, ducorque, quia nulli credendum est, asserenti, se habere facultatem à Principe, nisi ostendat literas patentes suæ commissionis, sive facultatis, & mandati, ut probat *textus cap. cùm in jure 31. de off. deleg.* ibi, *super quo tibi hujusmodi damus responsum, quòd nisi de mandato Sedis Apostolicæ certius extiteris, exequi non cogeris, quod mandatur,* ubi Gloss. in fine casus ait, *Nota, quòd nisi Delegatus ostendat jurisdictionem suam, non est ei credendum, si dicat, se Delegatum.* Ad quod in ver. *super mandato,* allegat multa jura. Quod expressiùs habetur in Extrav. inter communes, incip. *Injunctæ nobis, &c. de elect.* ibi, *Asserenti namque cum mandatis Principis se venisse, credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit, nec similiter creditur se asserenti legatum, nunquam enim Apostol. Sedes moris fuit absque signatis apicibus undecunque legationem suscipere, nec dicenti se Delegatum Sedis ejusdem creditur, vel intenditur, nisi de mandato Apostolico fide doceat oculata:* hæc ibi, ubi Glossa in verbo *doceat,* allegat prædictum *cap. cùm in re, de off delegati.*

2. Ratio autem sanctionis prædictæ potuit esse, quia esse Principis Delegatum, sive Commissarium, est quid facti, & in facto consistit, quod non creditur esse verum, nisi probetur, *l. eos, §. final. ff. de curat.* & docent *Decius lib. 3. consil. 437. & Bald. in l. prohibitum, C. de jur. fisci, col. 3.* si ergo legato Papæ non creditur, nisi ostendat literas suæ legationis, quantò minùs P. Generali credendum est, nisi ostendat rescriptum sibi indultum.

3. Unde benè dicit *Portell. 3. p. casu 34. in fin.* quòd subditus non tenetur credere suo Prælato, asserenti, se habere commissionem annullandi certam licentiam, nisi priùs ostendat commissionem, per quam constet de authoritate sibi concessa.

4. Nec dices, quòd credendum est personæ qu[...] ficatæ, & dignæ simpliciter asserenti, sine alia probatione, quia hoc intelligitur habere locum in iis, quæ dependent à sua voluntate & arbitrio, *Menoch. de recuper. possess. remed. 12. nu. 14. & Mar. Ant. lib. 3. resolut. 4 num. 18.*

Quæst. 59. An P. Generalis possit sibi subdito concedere generalem licentiam exeundi à Cla[...], ut libet, sine licentia loci Superioru?

1. ET dico quòd non; tum quia ei resistit Decr[...] Clem. VIII. quod est 36. inter cætera edit[...] reformat. Regul. & confirmata ab Urb. VIII. cuju[s] pr[o]pria verba habes *tom. 1. p. 2. tract. 3. de claus. q. 4.* [...] tum etiam, quia hoc foret eximere subditum à t[...] obedientia Prælati loci, quod est contra decisa hic [...] *q. 48.* tum item, quia ei adversantur nostræ Constit[...] nes *distinct. 2. cap. 16. tex. 6.* ibi, *Item quòd Fratres, q[...] recedunt à Capitulis, per Superiores combinentur, ne va[...] do discurrant, sed directè ad suos vadant Conventus,* & [...] dem in declarat. *ad lit. F. pag. 194. col. 4.* fuit add[...] *quando verò à Capitulis, vel è Conventibus recedunt [...] Superiores prudenter & discretè alterum cum altero [...] ciare, & Fratres ad hunc modum consociati, non se sep[...] ita ut mutuò se videre non possint, sed contra simul amb[...] tes, ut sibi dare possint mutuum testimonium in quoc[...] loco, vel de quocunque negotio, & si quos transgressor[...] nerint, debent acriùs & severiùs corrigere, & punire* [...] ibi; tum etiam, quia hæ licentiæ generales va[...] præjudicant locorum Prælatis, propter ea quæ S. B[...] dicit *lib. 3. de considerat. ad Eugenium,* ibi, *Murmur [...] & querimoniam Ecclesiarum, truncari se clamant, [...] membrari. subtrahuntur Abbates Episcopis, Archie[...] Patriarchis, sive Primatibus: bona nè hæc spes? fa[...] quia potestis, sed utrum, ut debeatis, quæstio est [...] probatis vos habere plenitudinem potestatis, sed [...] non habetis,* hæc ille Sanctissimus. Ubi [...] contra dantes exemptionem, ne obediatur Præla[...] de qua te legatur *Navarr. tom. 4. de Regul. q. 9. n. 5[...]* de injustitia harum facultatum multa dicit.

2. Hinc jure optimo Urb. VIII. ad petitionem [...] stri Catholici Regis derogavit privil. particularibus [Re]ligiosorum Hispaniæ, sibi à Prælatis concessis, & p[ro]hibuit in futurum concedi, ut liquet ex sua Bulla [...] *Pastoralis Off.* edita anno Domini 1626. & est 57 [...] Bullas ejusdem, in Bullar. Cherub.

Quæst. 60. An Pater Generalis possit coarcta[re] facultatem factam suo subdito à Sancto Pa[pa]

1. QUòd Generales & Provinciales Ordinu[m Re]gularium possint limitare, atque restring[ere ju]risdictionem & potestatem ordinariam Præla[torum] omnium sibi subditorum, ex causa tamen ju[sta &] rationabili, ut liquet ex decisis *tom. 1. par. 1. [tr.] q. 20.*

2. Quòd item in Capitulis Generalibus & Pr[ovin]cialibus possint coarctare & restringere, immò [etiam] tollere suis subditis usum quorumcunque privile[gio]rum, etiam à S. Sede concessorum, constat ex [...] multis privilegiis, & præcipuè ex illo per Leon. X. M[ino]ribus concesso, quod refertur à *Cæsarubeo in comp. p[riv.] Regul. ver. privil. Fratrum, n. 26. §. item Leo conce[ssit]*, quo multa loquitur *Peyr. to. 1. privil. in Constit. 2. [Leon.] n. 9.* item ex privilegio per Greg. XIII. Jesuitis conce[ssum] quod habetur in comp. eorumdem, *sub tit. gratiar[um ver]sus, §. 2.* cujus propria verba transfert *Roder. to. 1. q. 9. [...] & Miranda to. 2. manual. q. 19. ar. 5.*

3. I

Item ex privilegio per Clem. IV. & Eug. II. concessa Cistercienibus & Augustinianis, quod refertur in ... Ordin. Cisterciensis, de quo multa Lud. Miranda, supra q. 43. ar. 5. in fin. concl. 1. cui favet Portell. in dub. ... Generalis Ordinis n. 5. & ver. privilegii declaratio.

4. Amplia, ut iidem valeant idem, etiam extra Capitula Generalia, & Provincialia, ut constat ex dictis privilegiis, quæ prædictam facultatem concedunt absque ... ne ad prædicta Capitula.

5. Quod dictum ego intelligo verum: dummodo ... tollitur, aut limitatur in Capitulo, vel alibi, non ... usum Sacrorum Canonum, nec contra decreta ... Congreg. & Conc. Trid. nec contra favorem publicum Ecclesiarum, vel Religionum, prout latè dico ... 1. tr. 13. de revocat. privil. q. 20. Verùm gravior ... sto est.

Quæst. 61. An hi supradicti Prælati, etiam seclusis privilegiis, valeant prædicta peragere?

1. AFfirmant Casarubeus in d. comp. ver. absolutio ordinarius quo ad Fratres §. 7. ver. advertendum est in ... tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 22. dub. 3. nu. 14. & Lez. 1. p. ... nu. 56. dummodò id expressè in indulto non reperiatur prohibitum, & moventur ex eo, quia nullo ... credendum est Summos Pontifices velle, ut Fratres privilegiis utantur independenter à suis Prælatis: ... oppositum præsumendum est; tum quia ... privilegia Regularibus concessa, non intendit ... à potestate Prælatorum; nisi id clarè, & ... exprimat, nec tollit Jus Prælatis, hæc prohi... Religioni noverint expedire; tum etiam, ... Papa concedens privilegium in favorem Religionis ... conferre juxta debitum Ordinum, & magis ... neum ipsi Religioni, dum aliud expressè non ... debitus ordo Religionis postulat, ut inferiores ... pendeant à Superioribus, ergo.

2. Neque his obstat dicere, quod prædicta indulta ... quuntur, & quod cùm sint gratiæ & favores, ... amplianda, quàm restringenda, quia licet ... privilegia sint favorabilia, adhuc tamen censenda ... cum subalternatione prædicta, dum in eis ... contrarium non appareat, secùs periret Regularis ... & aut confunderetur ordo Monacho-...

Verumtamen Corduba in annot. ad d. comp. in ver. ordinarius quoad Fratres, §. 7. ver. item ibid. dicit ... & ver. accedere ad Monasteria Monial. prope finem ... notandum etiam, Roder. tom. 1. q. 9. ar. 2. ibi, verum ... Miranda tom. 2. Manual. q. 19. ar. 5. & multis cit. ... 2. de Prælat. q. 1. cap. 4. §. 4. nu. 79. cum distin... solvunt, aut sumus in casu abusus privilegii, & ... Prælati possunt dictam auctoritatem suspendere ... illa subditi abutantur, & interim, durante suspen... S. Papam consulere; nam privilegium omninò ... amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, ut ... in cap. privil. 63. 11. q. 3.

Si verò nullus sit abusus potestatis traditæ, non ... indultam potestatem limitare, & multò minùs ... tollere: tum quia sic expressè dicitur in cap. infe... dist. 21. & cap. ne Romani Clem. lib. 1. de elect. ... potestate, & cap. cum inferior de major. & obed. ubi ... tur, quod lex superioris per inferiorem tolli ... nisi cum major se subjicit arbitrio minoris, ut ... erit. u q. 1. & notat Glossa in d. cap. inferior: tum ... Papa censetur dicta privilegia concedere, ex... tionem ordinariam Prælatorum Ordinis, & ... subordinatione ad illos: nisi aliter exprimat, ... hæc ad favorem animarum concedantur; tum

item, quia quando S. Papa aliter vult, se declarat, prout se declaravit, quo ad illum articulum eligendi sibi Confessarium in vim privilegiorum independenter à Prælatis, ut constat ex Decisis in tract. de Confessariis Regul.

5. Quamobrem benè dicitur in nostris Constit. dist. 1. de novit. c. 14. text. 2. sub lit. C. col. 2. fol. 49. quod authoritas Prioris, Mari Magno sibi concessa, non potest à Priore Provinciali coarctari; quia, ut dictum, quod à Superiore conceditur, revocari ab inferiori non potest.

Quæst. 92. An P. Generalis possit contra statuta sui Ordinis, à S. Sede confirmata, concedere aliquam gratiam sibi subdito, in præjudicium alterius subditi?

1. REspondeo negativè: nisi fortè ob commune bonum Religionis, & ad id habeat speciale privilegium à S. Papa, & tunc non alias, nisi parte satisfacta in juribus suis, & moveor.

2. Primò, quia P. Generalis non potest, nec in totum, nec in partem, tollere, aut mutare statuta Religionis approbata à Papa sine speciali licentia Papæ, & præcipuè quando ipsa confirmatio fuit facta in bonum Religionis, & ipsa statuta reperiuntur lata per modum decreti, mandati, aut ordinationis; quia statuta hujusmodi, sic confirmata à Papa, habent vim legis Papalis, cui nullus Papa inferior potest derogare, ob defectum facultatis, ut ex multis ostendunt *Felin. in cap. cum accessissent, de constit. nu. 9. Navar. consil. 8. de Constit. Roder. tom. 1. q. 10. ar. 4. Miranda tom. 2. manual. Prælat. q. 29. ar. 8. Remigius Scropha in moral. q. 23. nu. 2. Lez. 1. p. c. 8. num. 22. & Egomet tom. 1. p. 1. tract. 13. de revocat. privil. q. 20. & 2. p. tract. 9. de Gall. q. 1. nu. 26.* ubi habetur, quod statuta Religiosorum per Rom. Pontificem confirmata, præferuntur juri communi, & cuivis Constitutioni conciliari.

3. Secus verò dicendum, si dicta statuta essent lata in particularem favorem ipsorum statuentium, vel per modum privilegii: nam P. Generalis, ut dixi ubi supra, habet speciale privilegium limitandi subditorum privilegia, ipsorumque usum prohibendi, ut etiam docent præcitati Doctores.

4. Secundò, quia dato, quod P. Generalis ad id, de quo agitur, habeat speciale privilegium à S. Papa, adhuc tamen nequit præsumi hoc ei fuisse concessum in præjudicium juris tertii, *argum. textus cap. ult. de confirma.* ibi, *Cum igitur nolumus jura, quæ Diœcesanis debentur per collationem seu confirmationes prædictas, minui, seu lædi, &c.* ubi Doctores dicunt, debere impropriari verba privilegii, adhoc ne inferant præjudicium tertio, *l. si quis à Principe 3. ff. ne quis in loco publico.*

5. Idipsum habetur in *cap. pastoralis 19. de privil.* ibi, *Nisi fortè in Indulgentia Summi Pontificis id contineatur expressum, &c.* ubi *Glossa in ver. præsumi*, subnectit, *Quia privilegium semper intelligitur concessum, sine læsione alterius* ad quod probandum allegat multa jura.

6. Idem dicitur in *cap. licet 12. de offic. Judic. ord.* ibi, *Quia tamen intentionis nostræ, nec fuit, nec esse debuit, jurisdictioni tuæ per mandatum hujusmodi derogare, præsentium auctoritate duximus declarandum*; idipsum habetur in *c. cum dicat 2. de Eccles. ædificandis*, ibi, *Quod enim eis proprietate conceditur, ad aliorum injuriam nolumus redundare*, ubi *Glos. in ver. aliorum*, ait, *Nullis inopiam relevari, cum alterius jactura:* ad quod refert multa jura: hoc idem reperitur sancitum in *cap. denique 10. caus. 14. q. 5.* per hæc propria verba.

7. *Denique si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est, neutrum juvari, quam gravari alterum.* Hæc ibi, ex quibus apertè apparet, nulli esse licitum alteri

alteri subvenire cum alterius detrimento; quod habet locum, etiamsi privilegium foret concessum, motu proprio, & ex certa scientia: quia hæ clausulæ nequeunt tollere jus alterius, maximè in re magna, & gravi, qualis est isthæc, de qua agitur, etenim nemini inferendum est præjudicium: aliàs præjudicati & aggravati possunt appellare, prout expresè dicitur in *cap. super eo, 15. de offic. Jud. deleg.* ibi, *Non tamen est nostræ intentionis Diœcesano Episcopo, Archiepiscopo, vel Archipresbytero præjudicium generare, ideoque tenebit eorum appellatio, si videntes juri suo detrahi, duxerint appellare.* Hæc ibi.

8. Quod idem ex multis aliis, verum ostendunt *Panorm. in cap. cum in nostris, de conceß. præbend. Paris. consil. 1. nu. 82. Cancer. tom. 1. var. cap. 3. nu. 193. Lud. Gomez in comment. in Regul. Cancell. in Regula de non tollendo jus quæsitum*, & alii quamplures, quos *Egomet* allego *tom. 1. p. 1. tract. 11. de confirmat. privil. quæst. 11.*

9. Nec dices, quod P. Generalis hoc illi concessit de plenitudine potestatis: quàm etiam jus alterius tertii, potest tolli & auferri: tum quia solus summus Princeps potest uti tali clausula, & non nisi in causa publica, communi, & necessaria. P. autem Generalis, cum habeat superiorem supra se, non potest dici summus Princeps, & consequenter non potest uti prædicta clausula: tum etiam, quia id, quod fit de plenitudine potestatis, dicitur fieri, ut plurimum de plenitudine tempestatis.

10. Quia dictum jus privilegiatum Magistris, & Provincialibus in nostris Constitutionibus, quoad locum, & præeminentiam concessum, censetur indultum, meritorum intuitu, utputà, ob obsequia, & servitia Religioni præstita, hoc autem privilegium intuitu meritorum concessum, dicitur remuneratorium, & indultum ex debito Justitiæ, ergo est irrevocabile, & transit in naturam contractus onerosi; ac proinde non potest auferri ab eo, cui ex Justitia debetur, & alteri gratiosè concedi, nec quidem in casu necessitatis, nisi ex causa justa, cum recompensatione competenti: cùm etiam summus Princeps, ex debito Justitiæ teneatur præmiare subditorum labores, maximè passos, ob causam communem, publicam, & utilem, uti est custodia Religionis, ejusque augumentum; item ex debito Justitiæ tenetur Princeps observare pacta, & contractus initos inter se, & suos subditos, ut ex multis ostendunt *Gram. decis. 45. num. 28. Capyc. decis. 121. num. 16. Reg. Tapia in l. ult. ff. de Constit. Princip. p. 2. c. 9. num. 7.* cum aliis, quos refert *Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 33. nu. 4.* & ipsemet *tom. 1. p. 1. tract. 13. de revocat. privil. q. 9. num. 2.* Secùs autem dicti labores, obsequia, & servitia præstita, dant ipsi privilegiario jus agendi, & actionem implorandi officium Judicis, pro subditorum satisfactione, ut ibidem dico.

11. Quartò, quia possidens, titulo Justitiæ, est præferendus possessori, titulo gratiæ: Justitia enim præfertur gratiæ: nam quod possidetur titulo Justitiæ, nequit sine nova & justa causa à Principe avocari, ut liquet ex decisis; secus autem quod possidetur titulo gratioso, ut dixi multis allegatis citato loco.

12. Quintò, quia nemo est spoliandus jure quæsito, nisi causâ cognitâ, & discussâ. Unde proverbium est. *Quod etiam prædo manutenendus est in possessione, in qua reperitur*, aliàs diceretur injustè spoliatus, ac proinde à Judice, juris ordine prætermisso, ante omnia restituendus, ut expresè dicitur in *c. conquerente 7. de restit. spoliat.*

13. Quapropter ex his omnibus benè consideratis, dicendum est, quod literæ patentes expeditæ à P. Generali, præjudicantes Religiosorum juri quæsito, aut sunt per contrarium actum revocandæ, aut cum illo addito intelligendæ: dummodo scilicet hujusmodi indulta communi praxi, & usui Religiosorum non adversentur, *argum. cap. cum tanto u de consuet.*

Quæst. 63. An P. Generalis licitè possit, [illegible] servandis, reum subditum ad mort[illegible] condemnare?

1. ET dico, quod non potest hoc agere sin[illegible] irregularitatis: effectu tamen sequuto [illegible] subtrahere subdito alimenta ad vitæ sustentat[illegible] cessaria, est illum occidere, ut probat *textus cap[illegible] distin. 86.* ibi, *Quisquis enim pascendo hom[illegible] poteras, si non pavisti, occidisti*; ubi *glos. in ver[illegible]* cit, *Occidit quis alium per subtractionem* P[illegible] autem, & præsertim Religiosis non licet [illegible] lefactores, nec publica, nec privata authorita[illegible] dem si simul essent terrarum Principes, ut [illegible] multis ostendit *S. Thom. 2. 2. q. 64. art. 4.* ibi[illegible] *noster Bannes*. tum etiam, quia privare subd[illegible] tum vis facinorosum omnibus alimentis, ut inde [illegible] tur mors, non solùm est durum, asperum, [illegible] verùm etiam causam sanguinis agere, quod d[illegible] nonico est omnibus Clericis prohibitum, etiam [illegible] pis, *cap. his a quibus 30. caus. 23. q. 8. c. Clericis, cap[illegible] tiam 9. ne Clerici, vel. Monac. cap. ex literis, de [illegible] Prælat.* tum item, quia nullus potest exercer[illegible] guinis, nisi habeat potestatem gladii tempora[illegible] ret Prælatus Regularis, etiam respectu subd[illegible] ut constat ex illo *Matth. 20.* ibi, *Scitis, quia Pr[illegible] tium dominantur eorum, & qui majores sunt, pot[illegible] ercent in eos; non ita erit inter vos, &c.*

2. Unde colligitur, quod Clericus, etiam [illegible] nus Terrarum, & habeat potestatem gladi[illegible] non tamen potest illum immediatè exercere, [illegible] tè. Hoc est, per personam laicam, teste *D.* [illegible] *& Bann. ubi supra.*

3. Nec his obstat dicere, quod mors h[illegible] subtractionem cibi illata, non est illativa [illegible] quia falleris in præsupposito: nam censetur [illegible] ta, non autem naturalis: quandoquidem mo[illegible] dicitur, non solùm ex commissione, utputa per [illegible] vel baculum illata; verùm etiam ex omissi[illegible] tractione necessariorum, ad conservationem [illegible] violentia naturæ, & personæ æquipolleant, [illegible] tia inferatur, etiam sine læsione corpora[illegible] *Panorm. in cap. nuper, de sent. excomm. not. 3.* [illegible] *homicidium 3. q. 5. num. 7. §. quintum Prælati* [illegible] *ces*, ubi dicit, quod in casu posito, non solu[illegible] ad quod allegat multa jura, & præcipuè *cap* [illegible] *§. illi autem, de homicidio.* Mors enim ex inedi[illegible] naturalis, quando petenti deest cibus simpl[illegible] ex subtractione humana. Etenim in hoc ca[illegible] est, hominem subtrahentem, efficaciter influ[illegible] tem proximi, & esse causam proximam, & p[illegible] moriendi.

4. Irregularitas autem hujus generis, red[illegible] defectum lenitatis, quæ deberet esse in Judice [illegible] no, & præcipuè Religioso, *Bordon. decis. 29* [illegible]

5. An autem reus subditus, ad talem mo[illegible] demnatus, possit licitè porrectis sibi cibis [illegible] pereat, & integrum sit subditis, damnato p[illegible] baria porrigere, ne fame moriatur, ele[illegible] *Cardinal. Cajet. 2. 2. q. 69. ar. 3. & 4. & Bann. ibi[illegible] Victoria in relect. de homicid. in 6. argum.* ubi [illegible] damnato ad mortem per mediam mul[illegible] ta dicit.

* * *

Quæst.

Quæst.64. An P. Provincialis recusatus pro speciali visitatione, & judicio causæ, teneatur visitationem, & causam alii committere?

SUppono, quod Judex ordinarius possit recusari causâ suspicionis, probanda tamen coram arbitris [illegible]endis de consensu ambarum partium, ut constat ex [illegible] *cum speciale sit, 61. de appellat.* & quæro, an teneatur [illegible] committere, vel ad superiorem remittere? ad quod [re]spondens *Panor. in cap. si quis contra Clericum, de for [com]p.* dicit, quod Judex ordinarius, si recusetur, poterit [c]ommittere causam, cui voluerit; etiam sine consensu [re]cusatoris; & movetur ex *authent. si contingit, C. de Ju[dic]. & Bartol. in l. 1. ff. apud eum, à quo appellatur*, ubi di[ci]t, quod Judex recusatus, non ex toto removetur, sed illi [da]tur adjunctus: quod dictum *Bartoli*, æstimo posse ha[be]re locum, etiam inter Regulares, ut Judici scil. Regu[lar]i ordinario suspecto detur adjunctus, ad omnem bo[n]um finem.

2. Verum illud Panormitani dictum mihi non arri[de]t: nam si Judex recusatus posset causam committere, [s]ine consensu recusatoris: sequeretur quod posset etiam [i]llam causam committere suo amicissimo, vel meo ini[mi]co, quod est rationi dissonum; cum hujusmodi com[m]issio novam appellationem excitaret. Unde melius [d]icit *Glossa* marginalis in *d. cap. cum speciale*, quod scilicet [Ju]dex recusatus, negotium non debet committere, nisi [utr]aque pars consentiat, & in fine casus, ait, Judex recu[satus] negotium committat personæ idoneæ, de assensu [re]cusatoris, nè illum valeat postea recusare, vel si magis [vi]deat expedire, ad superiorem negotium remittat, [et] hoc ultimò dictum, debent Regulares practicare, [ne] fortè videantur ambitiosi, aut ultores, & vindica[tiv]i.

3. Dixi *Judex ordinarius*, quia Delegatus non potest [ta]m negotium alii committere, sine speciali man[dato].

Quæst.65. An P. Provincialis possit recusari, & [ta]nquam suspectus impediri, nè visitet ex officio suum Conventum visitatione generali, & ordinaria?

REspondeo negativè; tum quia Provincialis sua visitatione generali, & ordinaria, nihil aliud in[tendi]t, nisi providere communi bono suæ Religionis, [ad] præscriptum Decreti *cap. 1. Concil. Trid. sess. 25. de Re[g.]* & liquet ibi, *Omnisque cura, & diligentia adhibea[tur,] tam in Capitulis Generalibus, quàm Provincialibus, [qua]m in eorum visitationibus, &c.* sed nullus Religiosus [pot]est impedire commune bonum suæ Religionis, ergo; [tum] etiam, quia contra Prælatos, subditorum accusatio [no]n facilè admittitur, per ea, quæ docet S. Papa in *cap. [qua]liter, & quando 24. de accusat.* ibi, *Diligentius tamen [ob]servandum in Prælatis, qui quasi signum positi sunt ad [sagi]ttam, & quia non potest omnibus complacere, cum ex [offic]io teneantur, non solùm arguere, sed etiam increpa[re, q]uin etiam interdum suspendere, nonnunquam ligare, [frequ]enter odium multorum incurrunt, & insidias patiun[tur, i]ta accusatio Prælatorum non facilè admittatur; ne ex[sufflante] calumniis, corruat ædificatum, nisi diligens adhibeatur [caute]la, per quam non solùm falsæ, sed etiam malignæ cri[min]ationi janua præcludatur.* Hæc ibi.

2. Tum item, quia sic Paulus V. Apostolico Decre[to] diffinivit sub anno Domini 1610. in sua Epistola de[cret]ali, quam transmisit ad Episcopum Portugallensem, [qua]m per extensum refert *D. Aug. Barbos. in remiss. ad [ca]p. 19. Concil. Trident. sess. 24. de refor. ver. appellatio n. 4.* [i]n fin.

3. Nec dicas prædictum Decretum loqui de Episcopis: nam loquitur de Episcopis, & Regul. & liquet ibi, *Episcoporum, vel aliorum, cui id legitimè competat, &c.* quod autem visitare suos Conventus, legitimè spectet ad Provinciales, & Prælatos Regulares, dictum est supra, & additur, quod etiam, si ibi nihil diceretur de Provincialibus visitantibus, adhuc tamen dispositum pro visitatione Episcoporum, extendendum est ad visitationem Provincialium: quia de æquipollentibus, idem est judicium; *l. fin. ff. mandat. & cap. si quando de rescriptis*: nam ubi est eadem ratio, est etiam eadem juris dispositio, *cap. dudum, de elect. il 2.* at Episcopus, & Provincialis, æquipollent in jurisdictione; ut sæpè dictum est; ergo dispositum pro visitatione Episcopi, censetur dispositum pro visitatione Provincialis, qui respectu subditorum, dicitur Episcopis æquivalenter, *Roder. addit. ad summ. tom. 4. ver. Prælatos c. 104. conclus. 7. & Egomet. tom. 2. p. 3. tract. 10. de potest. Palat.*

Quæst.66. An Prælatus Regularis possit per solos testes in generali visitatione examinatos, Religiosum culpatum condemnare, absque eo, quod testes examinati, iterum examinentur?

1. AFfirmat *Portell. 1. p. casu 10. nu. 7.* ducitur que ex eo, quod ratificatio testium receptorum, seu repetitio examinatorum in processu informativo, pertinet ad apices juris, quas Prælati Regulares in suis judiciis non tenentur observare, ut constat ex eorum privilegiis.

2. Oppositum tamen, quod est de jure verius, & in praxi omninò observandum, tenent *Navar. cons. 3. de accusat. & visit.* & alii eruditissimi Doctores infrà citandi, tum quia visitatio generalis neminem infamat, tum etiam, quia ratificatio testium examinatorum, facienda, & repetenda, parte adversa citata, est de substantialibus judicii, ad condemnandum, ut constat ex decisis hic supra. Unde sine nullitate sententiæ, non potest prætermitti, ut docet *Bald. in l. final. ff. de quæstionibus, per legem si quando, C. de testibus*; tum item, quia ita probat *textus cap. in nomine Domini, 2. de testibus in fin.* ibi, *Ecce admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes veniat: quod quia hic commissum est, necesse est, ut quod contra legem actum est, non habeat firmitatem.* Hæc ibi, quorum ultimum verbum, censetur Decretum irritans, ubi *Glos. in ver. audire*, dicit, quod adversarius debet audire testes, id est, videre, & audire eos jurantes: quia quoad reliqua, testes, cum deponunt, in secreto, & sigillatim, sunt recipiendi.

3. Hanc sententiam communiter tenent Doctores, & præcipuè quoad Regulares, docent *Aldretus de disciplina Regul. tuenda, lib. 2. cap. 3. nu. 4. & cap 13. nu. 4. P. Josephus à S. Maria in suo Tribunali Religiosorum, tract. 4. c. 11. §. 2. Miranda de ordin. judic. q. 18. ar. 6.* qui addit, quod est tantæ importantiæ ista testium repetitio, ut neque etiam, ex consensu delinquentium, possint pro ritè receptis haberi: latè *Peyr. in suo formul. lit. T. cap. 3. nu. 11. Megal. in sua praxi crimin. Canon. cap. 4. nu. 7. & Pelliz. tom. 2. manual. tract. 9. cap. 4. q. 72. & 73. num. 148. & 150.*

4. Nec his obstat *Panorm. in cap. ad petitionem*, ubi sic ait, notat ex *textu, quod si in Inquisitione generali, aliquis reperitur culpabilis, potest contra eum procedi ad impositionem pœnæ, ex illis probationibus in inquisitione generali receptis, nec est opus, ut de novo illæ probationes specialiter recipiantur, sed satis est illum nominatum citare ad opponendum, &c.* quia hæc prædicta protulit *Panorm.* ad significandum, quod Regulares in suis visitationibus, non tenentur observare accidentalem juris ordinem, sicut tenentur sæculares, sed tantùm substantialia, prout item dixit *Glossa in eod. cap. ad petitionem, ver. non servatum*, ad quod allegat

allegat *c, qualiter, & quando* 24. *de accusat.* non tamen Panor. dicit, quod receptio testium examinatorum parte adversâ non citata, absque alio addito, sit sufficiens ad condemnandum, sed dicit, quod satis est, illum nominatum citare, ut veniat ad opponendum, quod est dicere, quòd examinatis testibus pro informatione Curiæ, debet citari reus ad respondendum accusationi sibi factæ, & dictis testium, ut declarat *Glos. in cap. unic. de litis contestatione*, & an scilicet se defendere, & contra testes excipere? Vel velit illos habere pro ritè, & rectè receptis, & repetitis? Etenim secundùm opinionem probabiliorem, reus potest huic repetitioni renunciare, cum hæc repetitio reperiatur introducta ad favorem ipsius rei, cui potest renunciare, ut notant Doctores scribentes in *l. fin. C. de testib. Guido Papa, dec.* 216. *Farin. de hæresi, q.* 188. *nu.* 27. *& Carena de offic. SS. Inquisit. p.* 3. *de testib.* §. *de testium repet. nu.* 34. & secundum hæc prædicta intelligendi sunt Doctores, quos pro se allegat *Rodriq.* 2. *p. q.* 28. *ar.* 3. dicentes, quod valeat processus factus per viam inquisitionis parte adversâ non citata, quia testes, coram legitimo Judice, sub juramento examinati, lite non contestata, si sint tales, quales requiruntur, sufficiunt ad inquirendum, & inquisitum, sive inculpatum ad quæstiones ponendum; non autem ad condemnandum, nisi servatis aliis de jure servandis, prout scitè advertit *Franciscus Pegna* 2. *part. directorii, c.* 3. *comment.* 19.

Quæst. 67. *An Prior Dominicanus possit, ob solos fratres in visitatione examinatos, ab officio removeri, absque eo, quod testes recepti iterum examinentur?*

1. R.R. PP. Dominicani habent ad hoc speciale statutum, editum in Capit. Generali Romæ celebrato, sub vigilantissimo P. Nicolao Rodulphio, anno Domini 1639. §. *ordinationes*, *ordinat.* 13. sub hoc tenore verborum.

2. *Ordinamus, ut quando in visitatione, sive Provincialium, sive aliorum visitatorum, aderit sufficiens causa absolutionis Priorum Conventualium, sive ex culpa in suo regimine, sive ex alia, quæ non inducat infamiam personalem ad legitimam hujusmodi Priorum absolutionem sufficiat, ut de causa verè constet, & capita, quæ adversus Priorem à subditis in visitatione proponuntur, sint ab eisdem manu propria subscripta, & Visitatori tradita, ut admoneat Priorem, ut ad objecta sibi in scriptis respondeat: quibus omnibus deinceps à Provinciali in Consilio duodecim, vel octo Patrum, vel saltem quatuor in Provinciis desolatis, in alio Conventu examinatis, ac discussis, statuatur quid agendum fuerit: hanc autem procedendi formam, ita à nobis præscriptam sufficientem ad absolutionē declaramus, ut Prior qui secundùm eam fuerit absolutus, de sibi denegata Justitia conqueri minimè valeat: si verò delicta Prioris, adversus quem agitur, infamiam ordini, & personæ inurant, tunc juris servato ordine juridicè procedatur.* Hæc ibi.

3. Ex quibus clarè apparet, quod culpa sufficiens absolvendi Priorem Conventualem in Ordine Prædicatorum, potest esse duplex. Una, quæ non inducit infamiam personalem, ut si oscitanter, & conniventer permittat suos subditos passim, ac frequenter violare statuta accidentalia Ordinis, utpotè non deferre Tonicellam, non jejunare in diebus Veneris, non sequi Chorum, & Refectorium; & sic de aliis. Hæc enim conniventia, & dissimulatio, licet in se, & respectu Prælatorum, sit mortifera, per allegata in *tract. de obligat. Regul. ad propr. Regul.* Nihilominus non inducit infamiam personalem: vel quia omissio est, vel quia inter fratres frequens est. Etenim infamia personalis irrogatur per grave peccatum commissionis, cui debetur gravis pœna corporalis, vel pecuniaria, applicanda fisco, ut ex communi sententia docet *Clar. in* §. *final. q.* 11. *nu.* 2. *& Megalius in suo prompt. ver. infam. nu.* 1.

4. Hujus generis est culpa, seu defectus naturalis, ut si Prior agros & possessiones Monasterii omittat defendere, vel cultivare, aut si fiat leprosus, surdus, cæcus, podagrosus, vel aliunde inhabilis ad regimen: nam licet hi defectus infamiam personalem non inducant; adhuc tamen Prælatus, etiam invitè debet ab officio privari *c. tua nos*, 4. *de Clerico ægrotante*.

5. Altera verò culpa est, quæ Ordini, & personæ infamiam inducit, prout est, delictum sodomiæ, fornicationis, sacrilegii, furti famosi, dilapidationis bonorum Monasterii, & similium; prima transgressio, ut dictum est, licet in se sit gravis, censetur tamen levis, respectu secundæ transgressionis; ac proinde appellationem non admittit.

Quæst. 68. *An Prior Conventualis possit, sine justa causa, & absque consensu sui Capituli, Suppriorem sui Conventus absolvere?*

1. NEgativè respondet noster *P. Castell. in tract. de elect. Canon. cap.* 18. *nu.* 6. & meritò, quia hoc habetur expressè in nostris Constit. *dist.* 2. *de elect. Prioris Conventualis, cap.* 2. *fol. mihi* 119. ubi habentur hæc præcisa verba. *Similiter poterit Prior Conventualis Suppriorem institutum à Priore Provinciali absolvere, ut declaratur in Capitulo Barcinonæ* 1574. *Sed hoc de absolutione Supprioris intelligendum est juxta declarationem Capit. Valentiæ* 1596. *quod possit absolvi à Priore, de Patrum tamen Consilio per vota secreta.* Hæc ibi.

2. Hoc autem Consilium, non ob aliam causam exigitur, nisi ad judicandum, & resolvendum de justa causa, an scilicet sit rationabilis, & sufficiens ad removendum Suppriorem ab officio? Quod item hujusmodi judicium, & resolutio non debet aliàs proferri, & publicari, nisi per vota secreta, ad finem eximendi Consiliarios ab omni timore, ut item expressè dicitur, *distinct.* 1. *de recep. capit.* 8 *fol.* 40 *columm.* §. *potissimè.*

3. Neque his obstat, quod dico *tom.* 1 *p.* 2. *tract.* 10. *de appellat. q.* 41 *num.* 1. quod scilicet Suppriores possunt ad nutum, etiam sine causa suis officiis spoliari; quia hoc dictum est, attento jure communi; secus autem dicendum, de jure nostro speciali: item illud dictum potest habere locum, ubi Suppriores instituuntur à solo Provisore, quod non potest extendi ad meam Religionem, in qua instituuntur per modum electionis Canonicæ, hoc est, à majori parte Capitulantium, & de consilio discretorum Fratrum proprii Conventus, & per vota secreta, ut probat *tex.* 8. *cap.* 2. *de elect. Prior. Conven.* ubi facta mentione de auctoritate, quam Supprior habet jure Constit. & de auctoritate, quam potest habere ex delegatione Prioris, subjungitur, *Nisi Prior Provincialis aliter ordinaverit.* Ad quorum verborum claritatem, *sub lit. V fol.* 119. *col.* 2. fuit declaratum, quod mortuo, vel amoto Priore, Prior Provincialis potest Suppriorem à suo officio absolvere, supple, non ut libet, sed cum causa, ut supra dictum est; tum quia illa declaratio est subsequens ad præcedentem declarationem, qua fuit resolutum, Suppriorem non esse absolvendum, sine justa, & rationabili causa, examinanda in Cap. Patrum, & per vota secreta; lex autem subsequens generaliter lata recipit specificationem à præcedenti sibi consona; tum etiam, quia agitur de re gravi, & de præjudicio juris tertii; & adverte, quod id, quod dicitur in dict. textu de Provinciali, non potest extendi ad Vicarium Generalem Provinciæ, nisi habeat speciale mandatum à Superiore instituente: nam dicta dispositio est odiosa, & pœnalis; in odiosis

odiosis autem & pœnalibus non fit extensio, juxta *Jur. Regul. odia.*

4. Quibus adde, quod quamvis in *d. fol. 118. col. 1. §. item declaramus*, sit dictum, quod Priores Provinciales in sua Provincia possunt instituere Suppriores, hoc tamen intelligendum est, ut paulò inferius declaratur, quod scilicet, si Priores Conventuales infrà mensem, tenentur Priores suos Suppriores instituere, vel petere, ut à Provinciali instituantur, illo tamen mense transacto, jus eligendi, & providendi, resolvitur ad P. Provincialem, & in pœnam negligentiæ, Priores absolvendi sunt ab officiis, ut ibidem dicitur, & hoc procedit & observandum est, quandocunque & qualitercunque occurrerit Conventum carere suo proprio Superiore; Etenim Prior Conventus, non solùm infrà mensem in principio sui Prioratus, tenetur Suppriorem instituere, verum etiam in omni alia quacunque carentia Supprioris.

5. Hinc quidam Supprior institutus in Conventu N. hujus Civitatis Neap. ab Admod. R. P. Provinciali, non fuit admissus, ex quo ibidem paulò ante fuerat alius institutus a P. Priore, de consensu Capituli sui Conventus, infrà legitima tempora, & re delata ad P. Reverendiss. Generalem, fuit resolutum ad beneficium prædicti P. Prioris, ex quo usus fuerat Jure suo, quo, sine rationabili causâ cognitâ & discussâ, haud potuisset spoliari.

Quæst. 69. An Prælati locales possint accipere pecuniam ad cambium, sive ad mutuum, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis?

1. QUod non possint, certum est ex Decreto Sacr. Congr. quod per extensum habes *tom. 1. prax. p. 2. tr. 14. de reb. Monast. non aliena n. q. 68.* Verum quia prædictum Decretum ibidem integrè non refertur, placuit illud referre, prout fuit innovatum ab eadem Sacr. Congreg. sub anno Domini 1643. Die verò 19. Septembris, cum subscriptione D. Paulutii ejusdem Sac. Congr. Secret. Romæ Typis datum, sub his verbis.

2. *Cum post editum Decretum de rebus Regul. non alienand. compertum sit, Regulares, qui eod. Decreto prohibentur census imponere, & alios contractus facere super bonis ad eorum Monasteria pertinentibus, loco censuum & contractuum hujusmodi, pecunias accipere mutuò, etiam sine alicujus lucri solutione, vel ad cambium, cum solutione lucri etiam cessantis, vel damni emergentis, cum obligatione seu hypotheca bonorum, aut datò pignore, cumque ex hujusmodi contractibus eludatur mens S. Congreg. cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex dictis contractibus plurimum læduntur, SS. D. N. approbante decrevit & declaravit, non licere Regularibus, ut supra proponitur accipere, & si acceperint, in ipsius Decreti pœnas, ipso facto incidere. Datum Romæ 21. Mart. 1626. quod innovatur hac die 10. Septembris 1643. Joan. Baptista Cardinalis Pamphilius, Franciscus Paulutius S. Congr. Concil. Secret.*

3. Quod etiam per extensum refert *Lez. in addit. ad cap. 10. 1. p. sum. fol. mihi 174. col. 2.* ex quo Decreto sic integrè relato, benè vides, quod ad hoc, ut Regulares incurrant pœnas alterius Decreti S. Congreg. extensi in eadem secunda parte, præexigitur, ut monetæ per eosdem acceptæ ad cambium, vel mutuum, sint acceptæ cum obligatione, aut hypotecha bonorum Monasterii, aut dato pignore bonorum præfati Monasterii, ut clarè dicitur in dict. Decreto.

4. Quamobrem, seclusis obligatione, ac pignore bonorum Monasterii, Regulares non prohibentur, cæteris paribus, accipere pecunias ad cambium reale, sive commutare numismata de loco ad locum, pro majori securitate personæ, quæ transfertur, vel pro majori facilitate negotiorum peragendorum; alias nimis molestarentur, aut respectu ipsorum periret ars campsoria, quæ ad politicum regimen est valdè necessaria, *Syl. ver. usura 4. nu. 1. & sequen.*

5. Idem existimo dicendum esse de pecuniis accipiendis ad mutuum, nam mutuum est actus necessarius ad remedium pauperum, *Roder. 2. p. sum. cap. 7. num. 12.* de re vide, quæ dico, *tom. 2. prax. p. 2. tr. 12. de obligat. Monasterii q. 23.*

6. Quod autem prædictum Decretum non comprehendat Capuccinos, Minores Reformatos de Observantiâ, vel Theatinos, constat ex declaratione ejusdem Sac. Congr. quam authenticè habes in libello attitulato *Bullæ, & Decreta recentiora fol. mihi 100.* & ratio potest esse, quia his omnibus repugnat bona stabilia possidere, etiam in communi. Unde sibi legata, coguntur vendere, & pecuniam exinde receptam, in usum Fabricæ convertere.

Quæst. 70. Dominicani renunciantes votum electivum, an possint eodem anno, in diversis tamen Conventibus, duos eligere Priores?

1. ET dico, quod non, quia eis resistit propria Constitutio, *distin. 2. de elect. Prior. Conven. cap. 2. fol. 116. col. 3. sub lit. q.* ubi habentur hæc formalia verba, *nullus fratres ratione nova assignationis, potest eodem anno duos eligere Priores in diversis Conventibus, &c.*

2. Nec obstat dicere, quod hi, de quibus est sermo, renunciarunt votum electivum, & consequenter non potest dici, quod elegerunt in priori Conventu, à quo recesserunt, quia renunciatio hujusmodi præsumitur maliciosè ac fraudulenter facta; ad eligendum scilicet amicum, vel ad fovendum discordias in secundo Conventu; fraus autem, & dolus nemini debet patrocinari, ut pluries dico & patet de eo, qui suæ voci renunciat ad hoc, ut in capitulo à majori parte eligentium eligatur: nam per talem renunciationem, non juvatur; ut clarè dicitur *cit. loc. Constit. fol. 107. col. 1. in fin.* ibi, *si quis propriæ vocis renunciatione, medietatem eligentium excesserit, in quacunque electione Canonica, irrita censeatur electio*, hæc ibi.

Quæst. 71. An postulationes, quæ fieri solent in electione Canonica, sint computandæ inter vota eligentium: ita ut electus à decem Electoribus unius partis, & postulatus à duobus alterius partis dicatur electus à duodecim?

1. NEgativè dic, tum quia postulatio differt specie ab electione, per ea quæ dico, *tom. 2. prax. p. 3. tr. 1. q. 1. num. 11. de electione*, & constat *ex cap. postulationem 5. de postulat. Prælat.* ubi expressè dicitur, quod per postulationem nullum Jus acquiritur postulato, secùs autem per electionem electo; tum etiam, quia postulatio innititur gratiæ Principis, electio autem Justitiæ Canonum, ut *in eod. cap.* tum item quia postulatio fieri potest de persona illegitima; secùs autem electio, *cap. cum Monasterium 13. de elect.* ergo postulatio, & electio sunt res diversæ, positæ sub diversis titulis in Decretal. & à diversis non fit illatio, *l. Pamponianus*, quamobrem sicut electio, ad hoc, ut confirmetur, debet esse à majori parte eligentium, ita, & postulatio à majori parte postulantium, aliàs non subsistit, ut clarè dicitur in nostris Constit. *distin. 2. de elect. Prior. Conven. cap. 2. tex. 3. fol. 110.* & liquet ibi, *idem etiam fiat, si aliquis à majore parte illorum, ad quos spectat electio, fuerit postulatus.*

Quæst. 72. An Vicarius à Reverendissimo P. Generali missus ad gubernandum Conventum N. & ad dirigendum electionem Prioris ejusdem Conventus, possit eod. anno eligere Priorem in Conventu suæ assignationis, non obstante, quod in electione prædicta votum emisit?

1. ET dico, quod sic: cæteris tamen concurrentibus, & dummodo fuerit missus ad terminos nostræ Constit. *distin. 2. cap. 2. de elect. Prior. Coven. tex. 1. sub lit. D. fol. 109. col. 3. §. declaramus, & cap. Generali Valentia celebrati, sub anno 1647. §. declarationes, num. 7.* & moveor, tum quia lex illa de non posse eligere duos Priores, vel socios, eodem anno, in diversis Conventibus, non comprehendit casum, de quo agitur; nam dictum Capitulum Generale, ubi verba fecit de dicta lege, statim statuit in casu nostro, absque ulla limitatione, ergo: tum etiam quia prædicta lex loquitur de Fratribus, qui ex uno in aliud Monasterium, assignantur absque ulla qualitate superioritatis, & regiminis: quamobrem, Regentes, lectores primi, & studentium Magistri excipiuntur à dict. lege, ut expressè legitur, *in cit. loc. tex. 7. sub lit. Q. fol. 116. col. 3.* tum item, quia suppriores de novo instituti, qui correspondent Vicariis missis, ut supra, excipiuntur à dict. lege, ut ibidem dicitur, & non aliter; nisi, quia prædicti censentur assignati cum qualitate superioritatis, & eligunt, non ratione novæ, & nudæ assignationis, sed qualificatæ, ut supra; tum item, quia causa finalis dict. legis, non procedit in casu nostro, ergo nec legis dispositio; etenim prædicta lex fuit lata ad occurrendum fraudibus, quæ frequenter possent fieri per Provinciales, ad habendum Priores, & socios ad sui nutum pro futuro Capitulo Provinciali: nam sublata dict. lege, infrà breve tempus, & per paucos vocales sibi amicos, possent quamplurimos habere Priores, & Socios, ad sui voluntatem, & beneplacitum, quod non potest habere locum in casu nostro, cum sit de raro contingentibus, hoc est talis in electoribus inventæ, ut, excepto tali Vicario, nullus sit inter illos, qui sciat electionem dirigere, ut dicitur *cit. loc.* tum denique, quia munia Charitatis, uti sunt docere ignorantes, & componere litigantes, non debent esse damnifera, & læsiva, sed honorifica, & utilia, alioquin ad se præcavendum à privatione vocis sibi debitæ, aut nullus, aut vix unus reperiretur, qui vellet, ut supra esse Vicarius, & sic multi retraherentur à mandatis superiorum, & ab operibus charitatis, quod non est dicendum.

Quæst. 73. Fratres Dominicani unius Provinciæ, assignati in aliena Provincia, an habeant votum in electione Prioris illius Conventus, in quo reperiuntur assignati?

1. RESpondeo, quod quo ad hoc, observandum est statutum, *distin. 2. de election. Prior. c. 2. tex. 6. fol. 114. col. 3. lit. P.* ubi hæc habentur.

2. *Si verò de aliena Provincia fuerint, postquam per annum continuum, in aliquo Conventu alienæ Provinciæ assignati, morati fuerint admittantur ad electiones in illa Provincia, sicut alii, & hoc tamsi ad tempus, quàm si simpliciter ad alienam Provinciam quis assignetur,* hæc ibi, quæ procedunt, sive dicti Fratres repeniantur assignati in aliena Provincia pro studio, sive quocunque alio modo, ut *sub eadem lit. P.* declaratur: & ibid. subjungitur, *quod dictum statutum intelligitur,* quod fuerit continuatio assignationis unius anni in aliquo Conventu, ut declaratum fuit in cap. Romæ 1532. & notat noster Festus *in sum. constit. 3. p. c. 6. fol. 242.*

3. Exinde ego infero, ergo ad hoc, ut dicti Fratres vocem habeant in casu posito, non sufficit, quod steterint in aliena Provincia per majorem partem anni; sed requiritur juxta textum, quod per annum continuum fuerint in Provincia, & quod continuatio assignationis fiat in aliquo Conventu dict. Provinciæ, ad minùs per majorem partem anni, duo enim copulativè exigit textus allegatus ubi supra, annualem scilicet permanentiam, & continuationem moræ faciendæ, ut suprà.

4. Quapropter si Frater Lombardus reperiatur assignatus in Provincia Calabriæ, ibique manserit per annum continuum, in nullo tamen Conventu, supra sex menses, non habebit vocem in casu posito, quia licet steterit per annum continuum in dict. Provincia; in nullo tamen Conventu stetit continuè per majorem partem anni, ut supponitur.

5. Non desinam tamen dicere, quod in quibusdam Provinciis, praxis inolevit in contrarium: verùm mihi videtur introducta contra textum, qui duo copulativè postulat, ut dictum est suprà, quod scilicet advena per annum continuum sit in aliena Provincia, ad finem prædictum, & quod continuatio anni, supra majorem partem anni, debeat fieri in aliquo Conventu.

6. An autem prædicti hospites subjiciantur dictæ legi toties, quoties? quæsitum est inter nostrates, ad quod ego affirmativè respondeo, si dicti Hospites revertuntur in eandem suam Provinciam, à qua recesserunt, in virtute novæ assignationis; sic enim censentur veri & novi Hospites: secus autem si revertantur in virtute primæ assignationis; nam sic intelliguntur suam primam assignationem continuare, & tanquam concives redire, ut patet de Confessario forensi, hic Neapoli ab Emin. Ordinario simpliciter approbato pro audientia Confessionum, qui si in suam patriam abiit, & rediit, potest sine novo examine, in virtute primæ approbationis, dictam audientiam continuare, vivente tamen eodem Eminentissimo.

Quæst. 74. An moderatores studii Generalis alienæ Provinciæ, assignati tamen à P. Generali, comprehendantur sub dict. lege de forestieriis?

1. RESpondeo affirmativè, & moveor; tum ex dict. textu, qui cum indefinitè loquatur, æquipollet legi universali, ut constat, *ex l. si servitus 24. ff. de servit. Urban. præced. si ita relictum. ff. de legat. 2. cap. solitæ, de major. & obedient. & cap. quia circa, de privil.* quod maximè procedit, quando subest eadem ratio, *Card. Tuschus tom. 4. lit. I. concl. 86. num. 2.* & alii plures, quos allegat *D. Barbos. Axiomat. 123. num. 2.* tum item ex declaratione ibidem adhibita *sub lit. P. fol. 115. col. 3. in fin.* ubi dicitur, prædictum statutum procedere, sive Fratres Hospites repeniantur assignati in aliena Provincia pro studio, sive quocunque alio modo; tum denique, quia illa dictio, (*quocunque alio modo,*) comprehendit omnia, etiam quæ alias non comprehenderentur, *l. 1. ff. de Testam. milit.* & multis citatis docet *Barbos. dict. 329. nu. 1.*

2. Et quamvis hæc vera sint, adverte tamen, quod sicut lectores assignati à P. Provinciali, pro officio lectoratus, non comprehenduntur sub illa lege, de serviendo Conventui, per duos menses, antecedenter ad electionem, ad hoc, ut votent in electione ibi facienda, ut liquet *ex c. 16. de ordinat. tex. 4. fol. 193.* ita videtur dicendum, de lectoribus assignatis à Magistro Ordinis; tum quia utrobique militat eadem ratio; tum etiam quia totum illud, quod potest Provincialis in sua Provincia, potest P. Generalis in toto Ordine, & meliori modo, ergo, &c.

3. Quamobrem, ego censeo, quod in facti contingentia, inspicienda sit assignatio facta à P. Generali Ordinis; nam si prædicti moderatores reperiantur assignati in aliquo studio generali; sub hac forma verborum, *assignamus, & damus te in Baccalaureum Ordinarium talis nostri*

nostri studii Generalis cum omnibus gratiis, & privilegiis, quibus consimiles moderatores, assignari, dari, & gaudere consueverunt, quibuscunque in contrarium non obstantibus: certè non comprehenduntur sub dict. lege, sed ab illa eximuntur, per illam clausulam generalem, *quibuscunque, &c.* quæ per ea multa; quæ dico, *tom.1.p.1.praxis, tr.9.de clausul. Clausula 9.num.4.* derogat omni communi juri sibi contrario: secùs autem dicendum, si assignatio prædicta careret clausula derogante.

Quæst. 75. An privilegium Patrum Cælestinorum eundi Romam, sine superiorum licentia, extendatur ad Dominicanos?

1. Suppono pro claritate quæsiti, quod P.P. Religionis Cœlestinorum, possint ad Sanctam Sedem evolare, absque suorum licentia, in duobus tamen casibus, in casu scilicet appellationis à gravamine, & pro negotiis Romæ peragendis, ut constat ex Bull. Pauli V. incip. *injuncti nobis apostolici muneris, ratio postulat. &c.* ad favorem eorumdem edita die 29. Aprilis 1606. quæ per extensum habetur in eorum Bullario, & liquet, ibi, *secùs, autem si velint accedere ad Urbem, tanquam ad Apostolicam Sedem, pro negotiis, & recursibus habendis, tunc enim volumus liberum esse unicuique, ad eam confluere, nec licere superioribus cuique prohibere*, hæc ibi.

2. Quæ quidem verba mihi, quoad secundum casum, accedendi scilicet ad S. Sedem, intuitu appellationis à gravamine, non videntur specialia, nec nova, neque dubia, ac proinde Religiosis omnibus indifferenter convenire: nam casus eundi Romam, ob gravamen, non comprehenditur in Decreto de non eundo Romam, sine superiorum licentia, quod reperitur insertum inter cætera Decreta, edita Jussu Clem. VIII. & Urbani VIII. pro refor. Regul. quæ per extensum referunt libellus attitulatus, *Bullæ, & Decreta recentiora fol. mihi* 107. *Naldus in sum. ver. Religiosus, sub num.* 41. *Peyr. tom.2. in Constit.10. Urb. VIII. & egomet tom.1.2.p.prax.tr.3.de clausf. in fin.§.23.* & liquet ibi, *si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire præsumpserit, &c.*

3. In casu autem posito, nulla est præsumptio, *Peyr. tom.3.cap.4.num.17. & Pelliz.tom.2. Manual.tr.7. de pœnis c.6.sect.2.q.1. num.27.* ergo non comprehenditur sub dict. Decreto; nam præsumptio includit dolum & malitiam, *Lez.1.p.sum.cap.10.num.33.* at dolum nullum facit, qui Jure suo utitur, *l.non utitur ff. de Regul.jur.* appellare à gravamine, nobis competit de Jure naturæ; nam appellatio est species defensionum, ut sæpè dictum est, ergo per viam defensionis, vel per modum exponendi querelam contra aggravantem, potest unusquisque Religiosus Romam ingredi, absque facultate superioris, non obstante dicta prohibitione, de non ingrediendo Urbem, sine facultate superiorum, ut ex multis ostendo *cit. loc. prax.*

4. Quò verò ad primum casum, pro negotiis scilicet agendis, vertitur in dubium: nam quidam opinantur, prædictam Bullam integrè, & secundum totam sui dispositionem, ad Dominicanos extendi; tum, ob privilegium communicationis, quo communicant, etiam cum Monachis; tum quia censetur favorabilis; nempè lata ad favorem subditorum, favores autem sunt ampliandi, & odia restringenda, juxta Jur. Regulam. *Odia*, ergo, &c.

5. Verùm ego oppositum censeo, quod sit de Jure verius; moveor, tum quia prædicta Bulla, respectu præfatæ partis, non solum est specialis, sed etiam exorbitat à Jure communi; opponitur enim de directo, & per se, Decreto *cap.4. Conc.Trid.sess.25.de Regul.* nec non prædicto Decreto edito jussu Clemen. VIII. & ab Urbano VIII. confirmato, quod ad sui observantiam in universum obligat omnes Monachos, & Mendicantes, ut clarè apparet ex rubrica ejusdem: ea autem quæ exorbitant à Jure communi, vel specialia sunt, non comprehenduntur in generali communicatione privilegiorum, unde non sunt in consequentiam trahenda, per ea multa quæ dico *tom.1.p.1.tr.7.de commun.privil.qu.14.num.4.* & habetur expresse *in Regul.8.de Regul.Jur.in 6.* & in *l.3.in fin.C.de legib. & l.Jus singulare ff. eod.* ubi dicitur, quod privilegium specialiter quibusdam concessum, generaliter observari non debet, tum etiam, quia præjudicat Juri tertii, scilicet Prælatorum, & consequenter censetur odiosum, & quoad debitam obedientiam Religiosorum, Ordinem invertit; qui, sine dubio, magnam jacturam pateretur, si Religiosi subditi, ut libet in Urbem confluerent, absque superiorum licentia.

6. Quapropter, nec quidem Jubilæi tempore, licitum est Religiosis, sine Superiorum facultate, Romam petere, eo prætextu, quod omnes Christi fideles generaliter inviténtur à S.Papa, ad finem lucrandi Indulgentias, Romam ire; quia talis convocatio generalis Papæ, debet intelligi, salvo jure tertii, & servato debitæ obedientiæ ordine, & non aliter, nec alio modo, prout post allegatos docet *Lez. in Mari Magno Minor. circa §.21. num.54.*

7. Benè tamen verum est, quod prædicta facultas fieri potest, non solùm à P. Generali, & Protectore Ordin. verùm etiam à P.Provinciali Provinciæ, juxta declarationem S. Congreg. insertam in dictis Decretis Clemen. VIII. circa finem: immò & à Visitatoribus, Definitoribus, ac aliis Prælatis: dummodo habeant eandem authoritatem, quam habet Provincialis, & moveantur pro communi bono Provinciæ, ut benè notat *P.Francisc.Pelliz.tom.2.Manual.de pœnis, tr.7.cap.6.section.2.nu.28.*

Quæst. 76. Regularis deferens habitum suæ Religionis subtus habitu alterius Religionis, an sit censendus Apostata?

1. Affirmant quidam juristæ, cum Glos. *Clem.2. de vita, & honest. Cleric.in ver. extrinsec.* & se fundant *in cap. ut periculosa 2. nè Clerici, vel Monachi in 6.* quia idem est occultare habitum omninò, & illum dimittere. *Navar.in sum.cap.27. & Bannes 2.2.disp.1.qu.12.*

2. Negant verò Theologi, ceu sunt *Emin. Cajet. 2.2. q.12.ar.1. Navar.de Apostasia, consil.unic. nu.6.* & alii plures quos allegat, & sequitur *P.Sanchez. in sum.lib.6.cap.8. num.5.* ducunturque, quia ratio formalis Apostasiæ consistit in retrocessione à Religione, cum animo non ampliùs redeundi in eam; sive fiat cum habitu, sive sine habitu; sive mutato, vel occultato, parum refert per ea multa, quæ dixi *tom.1.p.2.prax.tr.6.de Apost. q.2.num.7. & sequent.* possunt tamen hæ opiniones conciliari, si dicatur, quod prima opinio procedit de Apostasia largè dicta; secunda verò de propriè dicta, sed quidquid sit de his opinionibus, attendenda sunt propria statuta, & considerandū, an Religiosus ex justa & rationabili causa, occultet proprium habitum, & assumat alienum, vel potius temerè? nam assumptio habitus alterius Religionis, & occultatio habitus propriæ Religionis temerè facta, subjicitur excommunicationi nedum ex *d.cap.ut periculosa*, verùm etiam ex aliis Constit. quas refert *Lez. 1.p. sum.c.13.nu.7. & 8.*

3. Dixi *ex rationabili causa*: quia relinquere habitum propter necessitatem tuendi vitam, vel vitandi aliquod grave damnum, vel scandalum, exculpat à pœna, & culpa: nam regulariter loquendo, leges humanæ non censentur obligare cum tanto dispendio. Item considerandum est, an simus in foro poli, vel fori? Quia quoad forum externum, ad effectum puniendi apostasiam, requiruntur hæc tria, nempè recessus à Religione sine licen-

tia, habitus dimissio, & animus non amplius eum assumendi, ut liquet ex decisis *cit. loc. praxis nu.* 14.

Quaest. 77. An Regularis, saltem ex dispensatione P. Generalis, possit simul habere duas Praelatias utputa duos Prioratus, vel Guardianatus, vel Abbatias?

1. NEgativè *Syl. verb. casus, n.* 2. *cas.* 21. & est decisio *cap. de multa* 28. *de praeben.* ibi, *Nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, & plures Ecclesias Parochiales recipiat, contra Sacrorum Canonum statuta, & cap. unum.* 4. 21. *q.* 1. ibi, *Unum Abbatem duobus Monasteriis praesidere interdicimus,* & *c. sicut,* 4. 21. *q.* 2. ibi, *Unde interdicimus, ut nullus praesumat Ecclesiam inter duos, vel plures dividere, quia Ecclesia Christi, uxor & sponsa debet esse, non scortum, sicut Calistus Papa testatur.* Haec ibi, ex quibus benè apparet, quod unus non potest simul habere duas Ecclesias, habentes curam Animarum, & quod uni Ecclesiae duo pariter praeesse non possunt; ad quod facit *tex. cap. consuetudinem, cap. de consuet. in* 6. ibi, *Nulli liceat de caetero, nisi unicum personatum, vel dignitatem aut praepositum sive administrationem, vel officium perpetuum quocunque nomine censeatur*; ad quod item facit *tex. cap.* 2. *Concil. Trid. sess.* 7. *de refor.* ibi, *Nemo quacunque etiam dignitate, gradu, praeeminentia fulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias in titulum, sive commendam, aut quovis nomine, contra Sacr. Canon. instituta recipere, & simul retinere praesumat. Cum valde foelix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam benè & fructuosè, & cum Animarum sibi commissarum salute, regere contigerit, &c.* & *c.* 17. *sess.* 24. *de refor.* ibi, *Statuit, ut in posterum unum tantùm beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandum non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri, &c.*

2. Et quamvis praedicta Decreta loquantur de beneficiis Clericorum, praebendis, & dignitatibus Animarum curam habentibus, hoc tamen etiam intelligendum est, de officiis, Praelaturis, & dignitatibus Regularium, quibus Animarum cura subest, uti sunt Abbatiatus, Prioratus, Praepositatus, Guardianatus, & similia; tum quia causae impulsivae, & finales Sacrorum Canonum, & Sac. Concil. Triden. utputa, quia nemo potest duobus Dominis servire; quia unusquisque, secundum Apostolum, debet manere, in quo vocatus est; quia Ecclesia Christi debet esse uxor, & non scortum, quia aliàs Clericorum ordo perverteretur: quia Ecclesia Curata exigit personalem residentiam; & similes militant, & locum habent in Prioratibus, & Abbatiatibus Regul. tum etiam, quia de similibus, idem est judicium, ut rectè advertunt *Emin. Bellar. in addit. ad d. cap.* 17. *Trid. sess.* 24. *de reform. num.* 5. *ver. honestè sustentandum*, §. *ex eod. & Lud. Miranda* 2. *p. q. ar.* 3.

3. Exinde plura collige. Primò, quod, Papa excepto, nullus potest dispensare, ut unus Regularis habeat duos Prioratus, vel duas Abbatias, *c.* 1. *de consuet. in* 6. Secundò, quod Prioratus non potest dici beneficium simplex, sed curatum, ex quo petit personalem residentiam sui Pastoris. Tertiò, quod sicut adepta possessione secundi, beneficii Curati, primum vacat, quia Episcopus non potest conferre; ita adepta possessione secundi Prioratus, primus cessat, quia Provincialis, ac Generalis, non potest dispensare ad *tex. cap. si quis jam translatus est,* 3. 21. *q.* 1. ubi *glos. ibi ver. translatus*, de hujusmodi dispensatione multa congerit.

Quaest. 78. An Priores teneantur in suis Conventibus residere?

1. ET dico, quod sic; nam sive hi considerentur, ut Parochi, sive ut Gubernatores, aut Praefecti gregis sibi commissi, tenentur de jure divino residere: cum alias non possint rectè fungi proprio officio, prout colligitur ex multis locis Sacrae Scripturae, & praecipuè ex *Proverb.* 27. ibi, *Cognosce vultum Pecoris tui, & Greges tuos diligenter considera,* & *Eccles.* 7. ibi, *Pecora tibi sunt, attende illis*; & *Act.* 20. *Attendite universo Gregi, in quo nos Spiritus Sanctus posuit.*

2. Hinc Sacr. Conc. Trid. *cap.* 1. *sess.* 23. *de reform.* Jure optimo dicit, *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est Oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & inter caetera munia Pastoralia incumbere, quae omnia nequaquam ab iis praestari, & impleri possunt, qui Gregi suo non invigilant, neque assistunt, &c.* Haec ibi, quae licet sint dicta de Episcopis: adhuc tamen extenduntur ad Curatos inferiores, & Regulares habentes curam Animarum: cùm utrobique eadem omninò militet ratio: ergo quoad residentiam Praelati Regulares, aliique Parochi, aequiparantur Episcopis, caeteris tamen paribus.

3. Non desinam tamen dicere, quod cum praedictum praeceptum de residentia, sit affirmativum, obligat semper, sed non ad semper. Ideoque restat determinandum à S. Papa, quo tempore obliget, ut mirificè ex multis ostendit, *S. Tho. quod l.* 4. *ar.* 13. *Cardinalis Cajet.* 2. 2. *q.* 185. *ar.* 5. *Graff.* 1. *p. decis. aur. lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 8. *& Barbos. de offic. & potest. Parochi, c.* 8. *nu.* 2.

Quaest. 79. Percutiens Monachum, cui tenetur satisfacere, & à quo remissionem petere?

1. QUod percutiens Monachum, vel Religiosum Conversum, tanquam excommunicatus sit denunciandus, & evitandus, donec laesis congruè satisfecerit, & se Sanctae Sedi pro absolutione praesentaverit, habetur expressè in *c. Parochianos* 9. *de sent. excomm.* & liquet ibi, *Donec laesis congruè satisfaciant.*

2. Verùm in utrum vertitur, cui facienda sit hujusmodi satisfactio Monachorum, vel ejus Monasterio, aut utrique simul?

3. *Glossa d. c. in ver. satisfaciant*, dicit, quod cum Monachus laesus proprium non habeat, facienda est Monasterio, ea ratione, quia ejus injuria redundat in totū Conventum, *argum. l.* 1. § *injuria, l. cum qui*, § *final. de injur.* ubi dicitur, quod injuria filii redundat in patrem, servi in dominum, & uxoris in maritum: quod item dixit *Glossa in cap. vulgaris est quaestio* 16. *de poenit. distin.* 1. ubi in *ver. totum* ait, quod injuria facta Clerico, vel Canonico redundat in Collegium latè, *Sylv. ver. injuria, q.* 6. *n.* 8. unde eadem *Glossa in d. cap. Parochianos,* 9. *de sent. excomm. in ver. Monachos*, ait, quod Monachus laesus non poterit agere actione injuriarum; sed actio competit Monasterio, & aget Syndicus Monasterii, sicut actio injuriarum competit Domino, si injuria fit servo, etiam aget Dominus, & non servus, *Instit. de injur.* § *servis autem.*

4. Sed quid, si remittit Monachus injuriam? Respondet *Glossa cit. loc.* quod perperam agit, quin possit agere Monasterium, sicut licet filius familias remittat injuriam factam sibi, pater tamen potest agere pro injuria filio irrogata, *ff. de pactis in personam*: imò etsi injuria fieret filio volenti, pater agere posset, *ff. de injur. l.* 1. §. *usque.*

5. Ex-

5. Exinde *Glossa* ibidem subnectit, quod ad Monasterium spectat remittere injuriam factam Monacho; quod replicat in *cap. cum desideres, 15. de sent. excomm. ver. quam offendit*, ex quo hæc injuria, non solùm fit injuriaro, sed toti Ordini, & quia Ordo repræsentatur per Capitulum, dicendum est, quod ad Capitulum Monasterii spectat remittere offensam factam suo Monacho: quod multis probat *Navar. tom. 1. comm. 2. de Regul. nu. 64. & tom. 3. in cap. vulgaris 16. de pœnit. distin. 1.* ubi ampliando conclusionem dicit, quod Capitulum Regulare potest agere actione injuriarum; non obstante remissione facta à Monacho læso; & potest dimittere injuriam illatam suo Monacho, etiam ipso nolente, *S. Antonin. 2. p. summ. ut. 8 cap. 3. §. 6. Comitol. lib. 4. responsorum moralium q. 32. num. 13. Filiuccius tract. 15. num. 45. Bonac. tom. 3. disp. 2. q. 3. p. 8. sect. 5. nu. 24. Alphons. de Leon. de censur. recollect. 5. nu. 646. & Egomet. tom. 1. p. 2. prax. tract. 12. de obligat. Monast. q. 33. 34. & 35.*

6. Quibus adde, quod cum percussor non sit absolvendus, nisi parte satisfacta, Capitulum, sive Collegium Monasterii, circa fidem remissionis, debet diligenter advertere, & Superiores majores consulere, ne in re tam gravi, temerè erret, vel odibile fiat: nam quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.

Quæst. 80. Sed quidam intelligatur, pro satisfactione præstanda Monacho, vel Clerico percusso?

1. DE hac re disceptant Doctores in *cap. ea noscitur, & cap. quamvis, de senten. excomm.* nam sunt quidam, qui dicunt, quod nomine satisfactionis dandæ personæ Ecclesiasticæ percussæ, non solùm venit petitio veniæ, & satisfactio pecuniaria pro damnis, expensis, & interesse, sed etiam satisfactio pecuniaria pro extimatione injuriæ; tum quia qui causam damni dat, damnum fecisse videtur, *l. qui occidit ff. ad legem Aquiliam*; tum etiam, quia spoliatio bonorum est maxima pœna, quæ secundùm magis & minus, potest correspondere culpis, prout docent *Sylv. ver. injuria, q. 7.* ubi secundum probabiliorem opinionem dicit, quod satisfactio, pro extimatione injuriæ, debet attendi ex juramento partis læsæ; ut si juraverit, se potius velle, de suo perdidisse tantum, vel tantum, quam talem injuriam sustinuisse; ad quod pro se allegat *Hostiens. in summ. tit. de injuriis, & damno dato, & Specul. eod. titulo*, & sequuntur praxis *Neapolit. in cap. 39. sub nu. 4. in nov. Graff. p. 1. decis. aur. lib. 2. cap. 49. nu. 61. & Sayr. lib. 2. de cens. cap. 8. nu. 8. Squill. cap. 6. de privil. Cleric. & Alphons. de Leone, de censur. sive de off. potest. Confessar. tract. 5. nu. 641. & sequen.* qui ibidem advertit, quod hujusmodi satisfactio, non est de forma absolutionis, quamobrem potest prætermitti, vel de voluntate personæ percussæ; vel ob impotentiam percutientium.

Quæst. 81. An prædictus Monachi percussor, si sit laicus, sit absolvendus à suo Episcopo, vel potius à Prælato percussi?

1. RESpondeo cum *Glossa cap. Parochos, 9. de sent. excomm. in fin.* quod regulariter loquendo, debet absolvi à suo Episcopo, & non à Superiore percussi: quia de jure communi Canonico, ad Episcopum spectat in sua Diœcesi invigilare pro observantia Sacrorum Canonum, eorumque transgressores censuris multare; non autem ad Superiores Regulares. Dixi *regulariter loquendo*, quia si simus in percussione enormi, aut enormissima, recurrendum est ad S. Sedem, nisi fortè eadem facultas aliàs Episcopo loci reperiatur indulta.

Quæst. 82. Regularis percutiens Religiosum alterius Ordinis, vel Clericum subditum Episcopo, à quonam sit absolvendus?

1. RESpondeo, quod de jure communi debet absolvi ab Episcopo loci, ut expressè dicitur in *cap. Religioso 21. de senten. excomm. in 6.* dummodo tamen percussio sit levis, & non atrox, ut ibidem limitat *Glossa in ver. eo casu.* Verum tamen virtute privilegiorum potest absolvi à suis Superioribus Regularibus, utpotè à Provinciali, vel Priore sui Conventus: nam Innocent. Papa IV. concessit Generali, & Provincialibus Ministris, ut eos, qui ex fratribus suis, pro injectione manuum, in seipsos, incurrerint in excommunicationis vinculum, aut in id ante habitum susceptum inciderint, vel si aliàs sint excommunicati, valeant absolvere, nisi adeò gravis, & enormis fiat excessus, quod meritò sint ad S. Sedem Apostolicam destinandi, quod privilegium refert Collector *privileg. Mendicantium, ver. absolutio ordinaria, quoad fratres, nu. 1. & Roder. tom. 1. q. 20. a. 12.*

2. Nobis verò, inter cætera concessit Bonif. IX. ut Magister Ordinis Prædicatorum, & Priores, aut eorum Vicarii, eorum subditos fratres, & sorores, qui forsitan manus violentas in alios quoscunque Clericos, etiam usque ad sanguinis effusionem, & enormem læsionem injecerint: dummodo læsio hujusmodi enormis non existat, quod propterea meritò foret Sedes Apostolica consulenda, quoties expedierit absolvere, & cum eis super irregularitate, si quam hujusmodi sententiis ligati, celebrando divina, vel miscendo se illis, &c. ex quibus *Sorbus Capuccinus in annotat. ad prædictum privilegium, ver. sed posset*, dicit, quod *cap. cum illorum de sentent. excom.* & similia, quibus cavetur, ut percussor sit absolvendus à Superiore personæ Ecclesiasticæ percussæ, hodie quoad Regulares, ob prædicta privilegia non procedunt, sed absolvendi sunt à suis Superioribus.

3. Item *P. Suar. tom. 5. de censur. disput. 22. sect. 1. num. 79. in fin.* quod si Abbas, sive Superior Monasterii percutiat suum subditum, est absolvendus à suo Superiore Regulari, quia percussio illa de se non est enormis, & consequenter non est Papæ reservata; quod rectiùs confirmat *tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 23. num. 7.* ubi dicit, quod Superior Monasterii non est inferioris conditionis, quàm si sit suus subditus: ergo sicut subditus, virtute privil. potest absolvi à suo Superiore Regulari: ita, & Superior Monasterii, dummodo percussio non sit enormis: ad quod facit privil. incip. *Sacra Religionis*, quod refert *Confectus fol. 21. & Collector cit. loc. nu. 31.*

4. Amplia prædictam conclusionem procedere, etiamsi talis percussio fiat extra Claustra: nam cum Superior Regularis habeat in suos subditos jurisdictionem quasi Episcopalem, potest etiam in foro exteriori eum absolvere, *Campanil. in suo diversorio jur. Canon. rubr. 11. cap. 13. nu. 135. & Alphons. de Leon. p. 2. recoll. 11. nu. 198. & Graff. 2. p. decis. aur. lib. 3. c. 6. nu. 38.*

5. Verùm Judex Ecclesiasticus potest talem percussorem, pro punitione ipsius processare, juxtà terminos *cap. 14. Concil. Triden. sess. 25. de Regul.* necnon & illum excommunicatum declarare, secundùm opinionem multorum, de qua opinione, & sua contraria, latè dico, *tom. 1. p. 2. prax. tract. 13. q. 26. de exempt.*

Quæst. 83. Si Religiosus subditus suum Superiorem percutiat, an dict. percussio adeò sit enormis, ut sit consulenda S. Sedes?

1. SApientissimus *D. Jacobus de Graff. p. 2. decis. aur. lib. 3. cap. 6. nu. 41.* dicit, quod pro tali absolutione recurrendum est ad S. Papam, quia hujusmodi percussio, ob dignitatem personæ percussæ, per *cap. cum aliorum de sent.*

sent. excomm. censetur enormis, & consequenter est de reservatis Papæ; secùs si percutiat Prælatum non suum. *in prax. lib. 1. nu. 244.* quod ante eum dixit *Suar. tom. 5. de censur. disp. 22. sect. 1. nu. 77. in fin.* ubi limitat, dummodo percussio extranei Superioris, non sit enormis; nam si sit enormis, recurrendum est ad Papam per *d. cum illorum de sent. excom. §. eorum Prælatos.*

2. Verùm doctissimus *P. Alphon. de Leon. recoll. 5. de censur. sub nu. 594.* dicit, prædictam sententiam procedere de jure communi: secus autem de jure speciali dicendum est: nam secundum specialia privilegia, maximè Mendicantium, non excluduntur subditi percutientes Prælatum suum: tum quia per ea conceditur facultas absolvendi ab enormi, qualis efficitur percussio, ratione dignitatis personæ percussæ; tum etiam, quia prædicta percussio non est enormis in se, sed extrinsicè, hoc est, ratione dignitatis personæ percussæ: tum etiam, quia Superior percussus, per percussionem sibi illatam, non desinit in se habere facultatem absolvendi suum percussorem; tum denique, quia adsunt aliæ concessiones factæ Benedictinis pro absolutione ipsorum, ab omnibus censuris, cum clausula contraria, scilicet, etiam si talia forent, perquæ Sedes Apostolica esset consulenda, ut habetur in *compend. privil. Soc. Jesu, ver. absolutio §. 10.* quod item referunt *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. de oblig. Religios. c. 20. ad finem, & Roder. tom. 1. q. 20. ar. 13.*

3. Ex quibus prædictus P. Alphons. colligit Prælatos posse absolvere suos subditos ab omni excommun. subsequuta, etiam ob mutilationem membrorum, etiam ob homicidium, etiam ab excom. ob manus violentas in Episcopum, &c.

4. Verum ego absolutè prædicta non admitto. nam esto, quod Prælatus subditum sui percussorem, possit absolvere ab excom. non tamen expedit, ut in propria causa, sit ipsemet Judex, maximè si versemur in foro externo: item attentè legenda sunt propria privilegia, quibus intendimus uti, ne contingat errare: item cogitandum est, an simus in manifestis, an verò in occultis? Item cogitandum est, circa satisfactionem requisitam, & remissionem faciendam: nam injuria illata Regulari Prælato, non censetur ipsi soli facta, sed toti Ordini: an item prædicta privilegia, quibus fungi volumus, sint in viridi observantia? an item sint oracula? an contra propria statuta, & speciales constitutiones? de quibus vide quæ dico, *tom. 2. p. 3. tract. 11.* ubi latè de auth. dispensandi.

Quæst. 84. Si in uno Monasterio duo tantùm reperiantur Sacerdotes, quorum unus sit superior, alter verò subditus, & ad invicem se percutiant: an possint mutuò se absolvere?

1. Quæstio hæc pendet ex illa, an excommunicatus, & suspensus à jurisdictione, possit ab excommunicatione absolvere? Cujus negativa sententia videtur certa: nam potestas ligandi, & absolvendi, non reperitur extra Ecclesiam, sed excommunicatus est extra Ecclesiam, ergo non potest solvere, nec ligare: ut probat *tex. c. audivimus 4. 24. q. 1.*

2. Verùmtamen noster *Tabiena, ver. absolvere 2. §. sexto quæritur,* dicit, quod licet excommunicatus, ordinariè loquendo, non valeat absolvere; nihilominus in necessitate extrema, potest: quia necessitas legem non habet, *cap. quod non est licitum, de Regul. Jur.* quod etiam probat à majori: nam si excommunicatus in casu necessitatis extremæ potest absolvere à peccatis, ut tenet *Glossa in c. Pastoralis, de officio ordin.* & tenent communiter Doctores, ergo à fortiori, poterit absolvere ab excommunicatione: quod dictum amplectitur, tum *Sorbus in compend. privil. Mendicantium, ver. absolutio ordinaria, quoad fratres ver. sed quia,* tum etiam *Roder. tom. 1. q. 20. ar. 12. ad finem, Peyr. de Prælat. q. 1. cap. 4. §. 4. nu. 82. & D. Barbos. in cap. Monachi, de sent. excomm.* cæterum *P. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 9. lib. 2. cap. 23. nu. 9. & sequen.* dicit, prædictam sententiam posse in casu posito habere locum, si dicta percussio sit secreta: secus autem si notoria: quia Prælatus secretò excommunicatus, non est omninò privatus jurisdictione, & communione, in bonum sui subditi: ergo si versamur in occultis, poterit ipse Prælatus prius subditum absolvere, qui sic absolutus, esset idoneus ad absolvendum suum Prælatum excommunicatum. Secus autem si sit notoria: sic ambo per *cap. si quis suadente Diabolo,* forent evitandi, uti privati activa & passiva participatione Sacram, quando ergo casus est publicus, neuter habet potestatem administrandi Sacramenta, ut dictum est supra, & probat *text. d. cap. audivimus 4. 24. q. 1. & c. prudentiam, §. 6. de offic. Delegat. & cap. duobus, de sent. excomm.* ubi dicitur, duos habentes facultatem sese invicem absolvendi, si ambo in excommunicationem minorem incidant, non privari dicta potestate, nec usu ejus, ut rectè ibi glossa exponit, quia excommunicatio minor privat à receptione Sacramentorum, & non usu jurisdictionis: ergo per argum. à contrario sensu, excommunicatio major. privat excommunicatum jurisdictione, usu, & potestate administrandi Sacramenta.

3. Ideòque in casu posito, notorio tamen, & claro, Superior debet eligere Confessarium sæcularem, vel alterius Ordinis, à quo absolvatur ipse priùs ab illa excommunicatione, & postquam fuerit absolutus, absolvat subditum: quia cum facultas eligendi Confessarium, non sit actus jurisdictionis, dictus superior per præcedentem excomm, non censetur privatus privilegio eligendi Confessarium, ad finem passivè absolvendi, qui Confessor sic electus potest dict. excommunicatum absolvere: quia in tali casu Confessor electus, non recipit potestatem absolvendi ab ipso eligente, sed à D. Papa committente.

4. Sed quid, si in eo loco non sit copia Sacerdotis sæcularis, vel alterius Ordinis? Respondet *Suar. cit. loc. num. 12. in fin.* quod in tali casu, ita se habere quemlibet ipsorum, ac si esset solus, & non haberet copiam Confessoris, quod est dicere, tunc ratione scandali evitandi in populo, vel infamiæ, non solùm personarum, sed Religionis, & aliarum causarum, utpotè ad evitandum aliquod grave nocumentum in vita; vel in bonis, posse celebrare, & celebrando non incurrere irregularitatem, ut docent Doctores quos allegat, & sequitur *P. Ant. Diana p. 5. Moral. tr. 9. de excom. resol. 96. & Alphons. de Leon. de de cens. recoll. 5. nu. 593.*

5. Verum hoc Suarez responsum mihi videtur à Tabiena non differre, ex quo pariter se fundat in necessitate extrema, quæ, ut dictum est suprà, legem non habet, & transgressionem exculpat.

Quæst. 85. An Prælatus Regularis percutiens publicè Religiosum subditum, sit ipso facto privatus suo officio, & beneficio, & consequenter evitandus, ante declarationem Iudicis?

1. Affirmant quidam; tum quia percussor hujusmodi, absque ullo dubio, est excommunicatus, *per c. si quis suad. diab. caus. 17. q. 4.* excommunicatus autem, est ipso facto suspensus ab omni administratione rerum Ecclesiæ, & ab omni officio, & actu publico, etiam civilibus, ut docet *Syl. ver. excom. 3. nu. 3.* & habetur expressè *in c. Pia 1. de except. in 6.* ibi, *dum à communibus actibus excluduntur, &c.* hoc est, non solum à judicialibus; sed etiam extrajudicialibus, ubi tamen de ipsorum utilitate agitur, *Glos. ibid. ver. eodem,* tum etiam, quia censuræ incurrun-

curruntur statim admissâ culpâ, nulla præcedente Judicis declaratione; ad quæ faciunt quæ dico, *tom.2.p.3. tr.5.q.11. & 12.* tum item, quia publicus percussor Clerici, est ab omnibus evitandus, ut omnes docent, ergò.

2. Verumtamen *Laur. Peyr.tom.2.de Prælat.q.1.c.4. §.4.n.84.* dicit, quod licet Prælatus excommunicationem incurrat, per levem percussionem subdito inflictam suadente diabolo, non tamen est ipso facto privatus officio, quia tam gravis pœna, pro levi percussione infligenda non est, ad quod pro se allegat *Roder.to.2.q.34.ar. 3 & Portell.in dub.ver.manus violenta,in addit.n.3.in fin.* qui dicunt quod Constitutiones Papales graviter pœnales, rationabiliter limitantur, ut in minimis frangentes, non comprehendant, quod dictum *Alphon. de Leon. in tr.de Cens.recoll.5.num.592.* extendit etiam ad percussionem gravem, quando crimini aliàs non est etiam annexa pœna privationis officii, ipso facto: quibus ego addo, quod in omni casu, quoad forum externum contentiosum, requiritur sententia declaratoria; tum quia aliud est loqui de excommunicatione, quoad forum Dei, & aliud quoad forum Cæsaris; tum etiam, quia Dei forus, scriptura non indiget.

3. Tum item, quia licet excommunicatus sit privatus omnibus supradictis communibus actibus: hoc tamen procedit, quando delictum est notorium, ut declarat *Syl. cit. loc.* delictum autem ad finem prædictum, nulla postulat, ad hoc, ut dicatur notorium, ut docet *Navar. in sum. c.25. num.73.* ibi, *quia ad effectum non sufficit esse famosum, nec testibus probabile, notorium autem dicitur quoad hoc, quod est confessum à parte in Judicio, vel super quo est lata sententia, quæ transivit in rem judicatam, vel est manifestum, ut nulla tergiversatione celari possit,* hæc ibi, quæ in casu nostro non concurrunt; tum etiam, quia aliud est percussionem esse publicam, & manifestam, & aliud notorium esse, nullam defensionem competere ipsi percussori: hoc enim mihi moraliter loquendo, videtur impossibile, per ea, quæ dixi *tom.1.p.2. tr.13.de exempt.q.52.nu.9.in fin.* unde benè dicit *Peyr. cit. loc.* quod excommunicatus non toleratus subjicitur prædictis pœnis; secùs autem toleratus, hoc est, non denunciatus, ad quod vide, quæ dico, *tract. de Voto obedientiæ.*

Quæst. 86. An Regulares in Festis Sanctorum sui Ordinis, possint suspendere interdictum generale locale, non obstante cap.12.Concil. Trid.sess.25. de Regul.?

1. REgulares, & præcipuè Prædicatores, Minores, & plerique alii privilegiati, ante tempora Bonifacii VIII. qui sub anno Domini 1300. regebat Ecclesiam, ut ex proemio lib.6. Decretal. poterant virtute Privil. interdictum generale locale suspendere in festivitatibus Sanctorum sui Ordin. interdum usque ad Octavas, ut liquet ex dict. Privil. quæ summatim colligit Cæsar. *in comp. Privil. Mendic.ver. interdicto.1.* & clarius habentur *in monum. & supplem. Ord.* quæ quippè privilegia, ob rationabiles causas fuerunt abrogata, & pœnitus extincta à prædicto Bonifac. *in c. Alma Mater 34. de sent.excom. in 6. in fin.* ibi, *non obstantibus quibusvis privilegiis, Ecclesiis Monasteriis, Ordinibus, Religionibus, seu personis Ecclesiasticis, Secularibus, vel Regularibus, exemptis, & non exemptis, sub quavis forma, vel expressione verborum ab Apostolica Sede concessis, &c.*

2. Unde iidem Regulares coacti sunt, post dict. Bonif. VIII. procurare deperdita Privilegia, à Sede sibi restitui, instaurari, & renovari, prout de facto, servatis servandis fuerunt sibi restituta, & de novo pluries concessa, & renovata, cum validis clausulis, & non obstantiis, ut licet videre in dict. Privil. de novo concessis, quæ similiter habentur in dict. comp. Privil. *ver. interdictum 2. & 3.* ubi item *Doctissimus Ant. Cord. & Hier. Sorb. Capucc. multa notant, & Eruditissimus P. Emmanuel Rodriquez tom.2.q.112.ar.2.cum suo comp. resol.* 80. *de inter. & latè Mirand. 2.p. Manual. quæst.37.ar.12.de inter. & plures, iterum extendunt.*

3. Quæ quidem privilegia forsitan, ob easdem causas, quas infra dico, fuerunt pariter à Sac. Conc. Trid. *cit. loc.* revocata sub tali tenore.

4. *Censuræ, & interdicta, nedum à S. Sede Apostolica emanata: sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque serventur,* hæc ibi, ad quorum majorem custodiam, observantiam, & securitatem, idem Concilium, *in cap. 22. ejusdem sess.* apposuit validissimas non obstantias, ibi, *hæc omnia, & singula in superioribus Decretis contenta, observari Sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis Collegiis, ac Domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium, &c. non obstantibus eorum omnium, & singulorum privilegiis, sub quibuscunque formulis verborum conceptis, ac Mare Magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus, & Regulis, etiam juratis, atque etiam consuetudinibus, vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus, &c.* quæ omnia, *ut in principio præfati c. expresiè dicitur* referuntur ad singula superioribus Decretis contenta. Unde valdè hallucinantur, qui dicunt prædictum Decretum *cap.12.Trid.* non habere clausulas annullativas privil.

5. Ratio verò dict. Decreti conciliaris potuit esse multiplex. Primò, ne vilescant censuræ, nam adjunctis his privilegiis, novo juri communi dicti *cap. Alma Mater in 6.* quo cavetur, ut in Festivitatibus Natalis Domini, Paschæ ac Pentecostes, & Assumptionis, celebrentur Missæ januis apertis, & pulsatis campanis, sicut ante interdictum celebrabrantur, quæ quippè concessio fuit per Martinum V. pariter extensa ad Festum Corporis Christi, & per Eug. IV. ad totam octavam ejusdem Festi, & per Leon. X. ad Festum Conceptionis B.M.V. & ad Octavam ejusdem, *Syl. ver. interd.5.q.1.* & alii plures, quos sequitur *Avila de Cens.5 p.disp.4.sect.2.dub.9. ver. 2.notandum,* parum, aut nihil timeretur interdictum generale locale, cum Laici, etiam illo affixo in Ecclesia Matrice, possent confluere ad Ecclesias Regulares, quæ nec quidem in minimis oppidis desunt.

6. Secundò, ne despiciatur Episcopus loci, ob elusionem interdicti. Tertiò, ne sit scandalum in populis, qui videntes Ecclesiam Matricem servare interdictum, Regulares vero non servare, scandalizarentur utique, causam diversitatis ignorantes, & sic privilegia essent petra scandali. Quartò, ad evitandum jurgia & lites, quæ possent oriri inter Clerum secularem, & Fratres Regulares, circa prætermitionem, & inobservantiam interdicti. Quintò, ad evitandum murmura hæreticorum, qui indefesè latrant, etsi nunquam mordeant, contra censuras Ecclesiasticas.

7. Hinc affirmativam partem, hoc est privilegia Regul. revocari à Trid. *cit. loc.* constanter tenet *Navar. in sum. lat. cap.27 nu.190.* ubi ad rem multa dicit, corrigendo quod dixerat *in Cons.7 de privil. in nov.*

8. Nec ideò debet de inconstantia notari, nam *in sum. vulgari,* contrarium dixit, ex quo viderat Pium V. in sua constit. incip. *etsi Mendicantium Ordines,* declarasse privilegia Regularium non comprehendi sub dict. cap. 12. Trid. de interdicto, quia tamen Greg. XIII. successor Pii V. in sua Constit. incip. *in tanta negotiorum Mole,* moderavit per Pium V. indulta ad Regularium utilitatem, eaque reduxit ad terminos juris communis, & Sac. Concil. Trident. de qua moderatione mentionem facit idem Navar. *in fine dict. summæ latinæ Venetiis impressæ sub anno 1600.*

9. Ideir-

9. Idcirco ad mutationem Constit. Sum. Pontif. sententiam mutavit, advertens præfata privilegia Regularium, adversari prædicto Decreto Trid. necnon, & Bullæ Pii IV. incip. *in Principis Apostolorum*, qua revocantur omnia privilegia Tridentino adversantia, etiam in futurum concedenda, supple in forma communi, secùs ex certa scientia, & motu proprio, ut colligitur ex illis verbis, *& in posterum fient*, *& in his in quibus dict. Conc. Decretis adversantur nulla, invalida, & irrita esse*, *&c.* ac item adversari antiquo, & novo juri communi.

10. Nec quidem mirum est, jus antiquum, aut privilegia mutari, ut dicitur in principio dict. cap. *Alma Mater de sent. excom.* ibi, *plerumque rationabiliter ordinat, & consulte, quæ suadente subjectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat, &c.* ad quod facit, *l. 1. C. eod. tit.* ubi Baldus dicit, *quod sicut Medicus secundum tempora alterat medicinas, ita legislator leges*, ad quod item facit, *l. Relegatio, ff. de pœnis.*

11. Hanc affirmativam sententiam Navarri tenent Eruditissimi Doctores, & præcipuè *Nicolaus Garcias Hispanus, in tr. de Benef. p. 3. cap. 2. a num. 278. & p. 5. c. 8. de Vic. Episc. num. 87.* refert Sac. Congr. consultam ab Episcopo Abulens. super novem dubiis, quorum octavum erat, *an Privilegium Regularium, quod non teneantur servare interdicta in aliquibus diebus tantùm, veluti in Festis suorum Ordinum, sit contra Concil. & sublatum*; ita respondisse; *ad octavum*; *Privilegia, si ante Concilium concessa fuerint, utique revocata existunt, &c.* & hujusmodi declarationem ibid. testatur authenticam esse, nempè subscriptam manu Eminentiss. Cardinalis Matthæi, ejusque sigillo munitam.

12. Et idem aliàs ab ead. Congreg. fuisse decisum, refert *Armendar. in addit. ad recapitul. legum Navarræ lib. 2. tit. 18. lib. 7. nu. 73.* sub his verbis. *Privilegia Regularium, quod non teneantur servare interdicta aliquibus diebus tantùm, si ante Concilium concessa fuerunt, revocata sunt*, & referunt *D. Barbos. 3. p. de off. & potestate Episc. allegat. 105. nu. 44. & in Collect. Bull. ver. Privilegium, & in coll. ad d. cap. 12. Trident. sess. 25. de Regul. num. 3. D. Ricc. p. 2. prax. aur. resol. 210.* ubi quærit, *an Episcopus possit excommunicare Regulares, ver. quinto fallit, Campanil. in diversorio Jur. Can. in Rubrica 12. cap. 13. nu. 114. & sequentibus, Leyna in exam. Episcop. lib. 6. c. 8. nu. 13. cum sequen. Cochier. de jurisdict. in exemptos, p. 2. q. 45. num. 46. Joan. Maria Novar. in Luc. Regul. ver. interdictum*, idem tenet *Compendium Soc. Jesu, ver. interdictum in fin. Tambur. tom. 2. de Jure Abbatum, disp. 16. q 4.*

13. Et revera, stante Sacræ Congr. declaratione prædicta, authenticè facta, non est amplius disputationi locus, sed exequutioni mandatorum Episcopi.

14. Nec his obstat dicere, quod Trid. *cit. loc.* non revocat omnia privilegia Regularium suspendendi interdictum in Festis Sanctorum Ordin. sed ea tantùm, per quæ ipsis Regularibus fiebat facultas auferendi interdictum universaliter, seu in universum, perpetuò, & omninò; tum quia ista limitatio est voluntaria, nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. 1. C. de Aleatoribus l. pretio ff. de public.* & ubi lex generaliter loquitur, generaliter debet intelligi, *l. sticchus ibique Bald. ff. de Alimentis, & cibariis legatis*; tum etiam, quia est falsa limitatio prædicta, nam dict. cap. 12. Trid. adjuncto subsequenti cap. 22. ejusdem sess. 25. de Regul. verè, & realiter ea auferuntur privilegia, quæ in unum collecta, dicuntur Mare Magnum, quæ dabant facultatem auferendi interdicta in Festis Sanctorum Ordin. ut est videre in Mari Magno Prædic. §. 40. *in Mari Magno minor.* §. 39. *in Mari Magno Carmelitarum* §. 37. *& in Mari Magno Servitarum* §. 54. tum item, quia Sac. Congr. Purpuratorum pluries consulta in individuo, de Privilegiis Regul. auferendi interdictum generale locale in Festis Sanctorum sui Ordinis, an fuerint per Trid. revocata ubi suprà respondit affirmativè, ut supra, quæ responsio, cum fuerit authentica, & geminata, ut dictum est suprà, debet pro lege teneri.

15. Nec dices, quod ei deest subscriptio Secretarii Sac. Congr. ad hoc ut fidem faciat in omni loco, secundùm decretum ejusdem Sac. Congr. Jussu Urb. VIII. editum die 11. Aug. 1632. quod egomet extendo, *tom. 1. p. 1. tr. 8. de interp. privil. q. 4. nu. 3.* quia fortè hoc factum est errore impressoris.

16. Nec item his nocet dicere, quod Regulares ad id, de quo agitur, habent particularem concessionem sibi factam à Clem. VIII. sub anno 1595. die 7. Octobris, anno sui Pontif. IV. quam per extensum refert, *Rodriq. tom. 2. q. 112. ar. 2.* tum quia non fuit nova concessio privil. sed extensio eorumdem, ad Festum S. Didaci, & Portiunculæ, quæ inter Fratres Minores vertebatur in utrum, ut liquet ibi, *Festa verò S. Didaci, & Portiunculæ in prædicto indulto minimè comprehenduntur*; tum etiam, quia extensio, seu concessio facta ad instantiam partis, seu in forma communi, supponit jus competere, & esse acquisitum, prout de communi docet, *Guttier. Pract. lib. 3. q. 17. num. 48.* & nullum jus novum tribuit: sed solum antiquum conservat, ut dicitur *in cap. ex parte, & cap. quia intentionis 29. de Privil. & cap. præceptis, ibi, non novum aliquid 12. distin. & cap. inter dilectos ver. ceterum, de fide instrum.* tum item, quia confirmare, & extendere non est de novo facere, ut dictum est, & patet ad sensum, tum item, quia fuit facta relativè ad privilegia præcedentia, quibus deficientibus, deficit, & ista accessoria ad prædicta privilegia, juxta jur. Regulam, qua dicitur, quod *deficiente principali, deficit accessorium*, tum item, quia censetur subreptitia; nam non fuit D. Papæ dictum, quod res principalis præsupposita; erat valde incerta, ut patet, quia privilegia quæ supponebantur adesse ad finem auferendi interdictum generale, erat sub Judice, an fuissent per Trident. ubi suprà, sublata?

17. Tum denique, quia idem Clem. VIII. paulò ante mortem, tam ipsis Minoribus, quam nobis Prædicatoribus, confirmavit privilegia Ordinis, cum illa clausula, dummodo non adversentur Decretis Concil. Trident. interque adversantia, debet annumerari dict. concessio, secundum prætensionem illorum, qui contendunt esse novam concessionem post Tridentinum, ergo.

18. Nec tandem nocet quod pariter dicit idem *Roder. cit. loc. & in exposit. Bullæ Cruciatæ, §. 5. sub dub. 5. cum Miranda, & Sorbo cit. loc.* quod scil. in Hispania, sub anno Domini 1576. in Civit. Toleti, lite orta inter Fratres nostri Monasterii S. Petri Martyris, & Cleros ejusdem Civitatis super re, de qua agitur, Regali Concilio Judice, Fratres Prædicatores, ad suum favorem, victoriam obtinuerunt, quia, ut omnes faciunt, sententiæ locales, non extenduntur, sicut, & illa declaratio facta per Patres Minores in suis Constit. de qua latè *Roder. & Miranda cit. loc.* nam in his iudiciis, in quibus agitur de præjudicio tertii, nempè Episcopi loci, nihil rectè potest diffiniri; nisi coram Judice competente, & parte audita.

18. Unde non approbo, quod dicit *Bonac. tom. 3. de cens. extra. Bull. Cœnæ, disp. 2. q. 8. p. 14. nu. 11.* quod scilicet opinio negativa de hac re, sit probabilior affirmativa; tum quia corrigit, quod melius dixerat, *tom. 1. de interdicto, disp. 5. p. 1. n. 25. ver. major difficultas est*, tum etiam, quia ad intentum allegat Doctores opinionis contrariæ, sine ipsorum fundamento, quid enim refert Phalanx Doctorum, si sine Jure, & textu loquantur? tum item, quia despicit declarationem Sac. Congr. sub prætextu quod legem non facit, quod non est dicendum de declaratione authentica, & toties geminata, quæ certiorem rem reddit.

20. Et

20. Et si dicat, ut objectum est supra, quod præfatæ declarationi deest subscriptio Secretarii, non nocet: quia, ut dictum est, incuria, & negligentia impressoris, fuit prætermissa, ut constat ex Regestro Decret. Sacr. Congregat. quod asservatur pœnes Secretarium ejusdem, quapropter melius loquitur *Lez. in sum. ver. interdictum num. 28. & 29.* quod scil. probabile sit, prædicta Regularium privilegia non esse revocata, ubi supra, per Tridentinum, & numero 29. dubitat, an dict. declarationes sint authenticæ? & subjungit, dato, quod de eis authenticè constaret, per illas tamen solùm declaratur, revocata esse, quoad hoc privilegia Regularibus concessa, ante Concil. Trident. cum autem Clem. VIII. post ipsum Concil. idem privil. concesserit Minoribus, ideo tam ipsi, quàm alii qui cum ipsis habent communicationem privilegiorum, eo uti possunt.

21. Quod dictum, de privil. Minoribus concesso à Clem. VIII. apud me est falsissimum, per ea multa, quæ dixi immediatè suprà.

22. Non reticeam tamen duo dicere, unum scil. quod ipsi Regulares, etiam concessis sibi privilegiis suspendendi interdictum universale locale; non debent illis uti, sed se conformare cum Ecclesia Matrice, præcipuè in pulsandis Campanis, & procurare, ut Capitulo debitus honor adhibeatur, & uniformitas observetur inter Ecclesiasticos, & Regulares; hoc enim summopere Deo placet, & proximo.

23. Alterum verò dicam cum Glossa, *d. cap. Alma Mater. in* casu, quod ex non celebratione divinorum, & subtractione Sacramentorum, diù, & longè protracta, insurgit Hæresis, indevotio, & periculum animarum, ad quod ead. Glos. *ibid. in ver. insurgunt,* dicit, quod audivit de quodam loco Marchiæ, quod tanto tempore steterat Interdictum, quod facta relaxatione, homines illius loci, triginta, & quadraginta annorum, qui nunquam audiverant Missam, deridebant Presbyteros celebrantes, & ad idem, additio subdit, quod dicit Hieron. ad Atherachiam, ubi loquitur de natis in obsidione, qui non desiderabant, quam non noverant libertatem, quæ omnia sunt valdè notanda ab Illustrissimis Episcopis locorum, nè Arte Dæmonis, aspidem pro pane, & pro medicina, porrigant venenum in longenis interdictis, cum tanto damno animarum.

Quæst. 87. *An Græcus laicus, qui contraxit cum unica, & Virgine, possit ab Episcopo tonsurari: si aliàs sit idoneus, non obstante habitu laicali, & matrimonio consumato?*

1. RESpondeo affirmativè cum Glossa, *cap. quæsitum est 7. de pœnit. & remissionibus, in ver. Matrimonio,* ubi subnectit, Matrimonio contracto in laicali habitu, vel dum erat in Minoribus Ordinibus; ad quod allegat, *cap. cum olim, 6. de Clericis conjugatis*, ubi dicitur, quod Cleric. Græci possunt contrahere in Minoribus, ac etiam uti Matrimonio, etiam in Ordinibus Majoribus, quia Ecclesia Orientalis votum continentiæ non admisit, & liquet ibi. *Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admisit, quoniam Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in superioribus utuntur Matrimonio jam contracto, &c.* hæc ibi.

2. Ex quibus manifestè apparet, licitum esse Græcis, tum post Tonsuram, Matrimonium contrahere, quàm post contractum cum unica, & Virgine tonsurari, si alias sit idoneus, cùm in utroque casu, nullum sit impedimentum ad suscipiendum tonsuram, vel alios Minores Ordines, cum Ecclesia Orientalis votum continentiæ non admisit, ut dictum est, & expresè dicitur in *d. cap. cum olim de Clericis conjugatis*; sed majus dubium est.

Quæst. 88. *An Clerici Orientales, post Ordines Sacros, possint Matrimonium contrahere, cum unica tamen, & Virgine?*

1. CArdinalis Cajet. *tom. 1. opus, tr. 27. qu. unica,* qua quærit, *utrum Summus Pontifex possit dispensare cum Sacerdote occidentalis Ecclesiæ, ut accipiat uxorem?* Respondet ad supradictum dubium affirmativè, *sub nu. 50.* ibi, *quoniam nec ratione, nec auctoritate probatur, quod absolutè loquendo, Sacerdos peccet contrahendo matrimonium, quin potius, & ratio ad oppositum ducit, quoniam, ut patet in 4. sent. distin. 17. nec ordo in quantum ordo, nec ordo sacer, in quantum sacer, est impeditivus matrimonii, & in Ecclesia Orientali, olim Diaconi poterant contrahere matrimonia, ut dicitur in cap Diaconi, dist. 28. manifestè quoque in 31. distin. in Canone, aliter dicitur, quod Orientales in Sacris Constituti, copulantur matrimonio.*

Nec admittenda est Glossa exponens, copulantur, id est, copulato utuntur, quoniam manifestè series textus, de contractu matrimonii loquitur, ut confirmat, etiam adversativa subjuncta, quod occidentales non sortiuntur conjugia, &c. hæc ille.

2. Oppositum tamen, quod est de Jure verius, tenent communiter Doctores, quos allegat, & sequitur *D. Covar. tom. 1. 2. 2. cap. 6. §. 3. de impedimento Sacri Ordinis,* ibi, *Græcis enim solis licuit uti conjugio, contracto ante sacrum susceptum Ordinem, non autem post Sacrum Ordinem contrahere,* idem post Doctorum Collectaneum fatetur, *Suar. tom. 3. de Relig. lib. 9. de voto Castitatis, cap. 15. num. 2.* ubi ad intentum multa refert, & moventur, tum *ex cap. Nicena 12. distin. 31.* in quo Concilium Lateranen. permisit Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, & subdiaconos Orientalis Ecclesiæ, posse dormire cum illis conjugibus, cum quibus contraxerunt ante Ordines Sacros: secùs autem post Ordines prædictos, adjuncta Glossa ibidem; tum quia talis fuit usus, & praxis totius Ecclesiæ Orientalis, à primordiis nascentis Ecclesiæ, ut per singula sæcula probat *Suar. cit. loc.* tempora supputando, & nominando personas, & Concilia, Epistolas, & Episcopos. Consuetudo autem legitimè introducta, habet vim legis, & privilegii, non est ergo ab hujusmodi consuetudine recedendum, sine Papæ speciali licentia, ad quod facit, *cap. nullus Episcop. 4. de tempore Ordin.*

Quæst. 89. *An Nepos ità repræsentet Patrem, ut admittatur, una cum Patruo, vel Fratribus sui Patris ad emphyteusim Ecclesiasticam?*

1. NEgat *D. Marcus Ant. Gennens. nova praxi Archiepiscopali Neapol. cap. 75. nu 13. tit. de alienat. rerum Eccles. & in suis practicabilibus q. 97 num. 5. de Emphyteusi Ecclesiastica*; tum quia filius non ingreditur in locum Patris, nec ejus personam repræsentat ad Emphyteusim Ecclesiasticam, ut dicit *Bartol. in authen. post. Fratres, C. de legit. hæred.* quem sequuntur eruditissimi Doctores; quos ipse ibidem allegat, & sequitur *Menoch. cons. 200. lib. 2. num. 61.* quia successio hujusmodi, non regulatur secundùm successiones ab intestato, ex quo non est quid hæreditarium; sed ex pacto, & providentia, quod est dicere, quod emphyteutica Ecclesiastica successionem habet in stirpes, & non in capita, hoc est, successiones primi Emphyteuticæ, succedunt in dict. Emphyteutica, non in capita, id est, non tot, quot descendunt à primo conductore; sed in stirpes, id est, eo ordine, quo fuerunt nominati à primo investito; ergo existentibus primò vocatis, non succedunt secundò vocati, & sic de aliis; at regulariter loquendo res Ecclesiastica solet concedi, pro se, suisque filis, & Nepotibus, ergo existentibus filiis, Nepotes non possunt succedere, sicut superstito primo investi-

investito, filii non possunt succedere; quia non vacat eis locus: tum etiam, quia ità expressè deciditur *in l. heredes mei, §. final. ff. ad Rebell.* ibi, *quando plures vocantur, ordine successivo, donec extat aliquis ex filiis, Nepos ex filio premortuo, non admittitur*; hæc ibi, tum item, quia ità judicavit Rota Romana in una Romana Emphyteusi, anno 1595. cotam emin. Seraphino, & in una Romana Domus 6. Martii 1595. coram Emin. Pamphil. non obstantibus allegatis per partes, quod est valdè notandum ad utilitatem Ecclesiæ.

2. Nec his nocet *Clar. in §. Emphyt. q.* 14. tum quia ipse non loquitur de Emphyteusi Ecclesiastica, sed privata laicali; quæ non est ità privilegiata, sicut Ecclesiastica; tum etiam, quia loquitur de Emphyteusi concessa successoribus indefinitè, & sic censetur hæreditaria, quod non potest applicari ad Emphyteusim Eccles. quæ de rarò conceditur in universum, ac indefinitè; sed modo limitato à S. Papa, cujus statutum non debet alterari.

Quæst. 90. An Res Ecclesiastica in Emphyteusim concessa, possit dividi inter hæredes, inscio Papa?

1. Respondeo negativè, ducorque, tum quia de natura contractus Emphyteutici est, ut res concessa in Emphyteusim, melioretur; *ad textum l.* 1. *C. de Jur. Emphyt.* & declarat *Paulus de Castro in l. Colonus, & sequitur D. Regens de Franchis, dec* 191. *num.* 12. Undè sine controversia dicitur, quod Emphyteuticarius tenetur meliorare, & non diminuere rem sibi in Emphyteusim concessam, ac dividere fundum Ecclesiæ inter tot partes, quot sunt hæredes, non solùm est minorare res Ecclesiæ, verùm etiam dilapidare, & extinguere, ut patet ad sensum, ergò: tum quia successores primi Emphyteutici, non habent majorem potestatem in re concessa, quam habuit primus conductor, qui, ut supponitur, nunquam habuit à Papa potestatem dividendi dict. fundum, in plures, & minimas partes, ergo nec ejus successores, cùm non sint illo potentiores: tum item, quia Emphyteusis Ecclesiastica, & Feudum, pari passu ambulant in suis privilegiis, ut communiter docent Doctores: at feuda Ecclesiastica nequeunt dividi inter hæredes, & successores primi investiti, sine expressa, & explicita voluntate Summi Pontificis investientis, ut probat *textus cap. Imperialem, §. preterea, de feudis*, & decisum refert *D. Ricc. in coll.* 439. ergo; tum tandem, quia majus damnum, & præjudicium infert directo, ac naturali patrono, divisio rei emphyteuticæ, quando divisio redditus, seu census ejusdem rei concessæ in emphyteusim: at redditus, sivè annuus census rei emphyteuticæ, non potest dividi inter hæredes, ut ex multis decisum refert *D. Afflict. decis.* 153. ergo multò fortius non debet dividi fundus Ecclesiæ. Confirmatur, quia redditus, seu census, cùm sit accessorius ad fundum, servat, & in se retinet naturam illius, juxta Juris regulam, qua dicitur, *Quod accessorium sequitur naturam sui principalis*; si ergo fundus Ecclesiæ esset divisibilis, pariter & divisibilis foret ejus redditus, sed redditus ut dictum est, de se, & per se, est indivisibilis, ergo & ille.

Quæst. 91. An exceptio rei non datæ, sivè pecuniæ non numeratæ, in hoc Regno possit opponi à quocunque, & quando?

1. D. *de Afflictis, decis.* 110. sub distinctione resolvit, aut sumus in mutuo; & sic potest opponi, etiam post biennium, ante tamen solutionem: aut versamur in contractibus, & sic non potest opponi, ut dicitur in *l. in contractibus, C. de non num. pecun. & l. cum fidem, C. eod. tit.*

2. *D. verò Ursill. ibid. super d. dec.* dicit, quod de jure civili, dicta exceptio non procedit: at de Jure Canonico, potest opponi à quocunque, etiam quando fuisset geminata promissio, & quando intervenit juramentum: ad quod *num.* 3. allegat jura. Cæterum *Prosper Caravita in ritu M. C. Vicaria* 166. *sub num.* 51. ad occurrendum hujusmodi exceptioni ponit unam bonam cautelam, quod quando quis contrahit cum debitore; faciat præsentialiter pecuniam apparere, sicque liber erit à tali exceptione.

3. Neque his nocet Bulla Pii V. incip. *Cùm onus, in cujus* §. 2. dicitur, quod numeratio pecuniæ est necessaria, secus contractus erit nullus: & liquet ibi, *Nisi præsentibus testibus, & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro pretio solutionis fiant*; quod in §. 8. limitat in dote, ut melius est videre in dict. Bulla, quæ in Bulla Cherub. est 79. inter Bullas ejusdem, quam etiam extendit *Navar. in comm. de usur. sub nu.* 84. quia dicta Bulla in hoc Regno Neapolit. non fuit acceptata, ut testantur *D. Regens Constantius in commentariis ad tres libros, Cod. rubr. de fiscal usur.* 42. *Gaitus in tract. de credito, tit.* 7. *cap.* 2. *q.* 6. *nu.* 220. *D. Ricc.* 3. *p. prax. resol.* 42. ubi dicit, hic observari Bullam Nicolai V. & in *Collect.* 2678. *par.* 7. dicit Bullam Nicolai esse receptissimam in Regno, & haberi pro lege; & in 4. *p. decis. Cur. Archiep. Neap. decis.* 33. item repetit, & idem testantur *Molfes. cons.* 8. *post comm. ad consuet. Neapolit. n.* 8. *& in sum. tract.* 12. *cap.* 6. *n.* 34. *n.* 35. *& n.* 82. *in fin. tom.* 2. *Mutius decis.* 81. *n.* 26. *Thor. to.* 2. *comp. dec. Regni, ver. contractus censuales fol.* 104. *colu.* 1. *in medio, Duard. in tract. de censibus, §.* 2. *de pretii census solutione q.* 3. *n.* 13. *Vulpe in tract. fori Eccles. cap.* 29. *num.* 2. *fol.* 102. *Naldus in ver. census, n.* 15. *Regens de Aponte cons.* 41. *n.* 37. *to.* 2. *& Navar. in suis novissimis decisionibus* 101. imò pro Regno Siciliæ ultra Pharum fuit in specie revocata per Gregor. XIII. sub tali tenore.

4. *Gregorius XIII. ad futuram rei memoriam, &c. Quæ à Romanis Pontificibus, & infrà, ut tam Regi ipsi, quàm omnibus, & singulis Regni Siciliæ ultra Pharum Insulis, & habitatoribus, & locorum Civitatum, & Terrarum, Universitatibus, præsentibus, & futuris, census juxta Nicolai V. Constit. facere, emere, & vendere liceat, eosque sicque constitutos census, validos, & licitos, non autem feneratitios esse, perinde, ac si litera Pii V. præd. non emanassent: tenore præsentium, Apostolica auctoritate concedimus, declaramus, & statuimus: illud addentes, ut in censuum emptione, & venditione prius unius, vel plurium rerum certarum, ut in censuum empt. & vendit. super qua, vel quibus census ipse constituatur expresse, & deindè si voluerint, omnium bonorum in genere mentio fiat, quemadmodum in censualibus contractibus hujusmodi in futurum in eo Regno celebrandis, & præteritis, in quibus fortè prius generalis, deinde specialis bonorum mentio facta est, quo ad hoc in suo robore permanentibus, retineri, & quatenus opus sit, de novo introduci, & observari præcipimus: præterea, si qui abusus in contractibus prædictis faciendis irrepserint, qui Constit. Nicolai prædec. aliqua ex parte adversentur, vel facultatem redimendi censum, tam annualem, quàm perpetuum, juxta dicti Nicolai, & Pii V. literas esse decernimus, aliquo modo restringant, eas omnes harum authoritate literarum, quas perpetuò valere volumus, abolemus, literis Pii V. quatenus literis Nicolai V. adversentur, vel aliud præterea decernant, & aliis contrariis quibuscunque non obstantibus, &c.*

5. Quam Constitutionem, ut jacet, refert *Naldus sub d. num.* 16. ubi etiam extendit Bullam Nicolai V. pro hoc Regno concessam, ad instantiam Serenissimi Alphonsi Aragoniæ, tunc temporis Regis utriusque Siciliæ, quàm etiam habes sub *Prag.* 1. *de censib.*

6. Amplia, ut dict. Bulla Pii V. nec in aliis Regnis Hispaniarum reperiatur recepta, ob ea multa, quæ allegat *Portell.* 3. *p. casu* 16. ubi docet de praxi, undè non approbo,

bo, quod dicit *Naldus cit. loc. num.* 15. quod scil. ultra Regnum Siciliæ, in universum observatur prædicta Bulla Pii V. de censibus, nec de hoc mireris, quia contenta in dict. Bulla Pii V. non sunt de jure naturali, aut divino, vel de jure gentium, sed de jure humano positivo, quod potest ad libitum summi Principis variari, & per legitimam contrariam consuetudinem tolli, & abrogari; prout de facto censetur abrogata per allegata per *Vulp. in d. pract. cap.* 19. *num.* 4.

Quæst. 92. *Si Clericus, vel Monachus conjuret contra suum Regem, vel Dominum Terræ, in qua habitat, an committat crimen læsæ Majestatis?*

1. SUnt multi, qui affirmant, quos refert, & sequitur *D. Carolus de Graffis, de effectibus Clericatus, effect.* 1. *num.* 571. *& D. Reg. de Franch. decis.* 691. & moventur; tum quia licet personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ à foro laicali; adhuc tamen, in quantum sunt partes, & membra corporum mysticorum, & Regnorum Dominorum laicorum, tenentur illis ad fidem & reverentiam; tum etiam ex *textu. cap. si quis laicus,* 19. *caus.* 22. *qu.* 5. ubi crimen læsæ Majestatis, quod ibi dicitur de laico, extenditur ad Clericum, licet sit exemptus, ibi, *Episcopus verò, Presbyter, Diaconus si hoc crimen commiserit, degradetur*; ergo.

2. Quidam verò negant, & rectiùs; quia Clericus, sivè Monachus est exemptus à foro laicali simpliciter, & absolutè in omnibus causis, tum civilibus, tum criminalibus, & mixtis, ut liquet ex Epistola Caii Papæ ad Fœlicem Episcopum, & ex Epistola 2. Marcellini, & ex aliis, quæ registrantur in libro Registri Divi Gregorii, *Epist.* 14. *ad Joannem defensorem*, & docet *Clemens III. in c. omnes 4. de major. & obedientia*; & consequenter non est subditus tali foro: at non subditus offendens Principem laicum, non incurrit crimen læsæ Majestatis, cum, ut supponitur, non sit illius subditus, licet aliunde atrocissimè peccet; & est decisio *Clem. Pastoralis, de sententia, & re judicata,* §. *denique, &* § *cæterum*, ubi S. Papa sententiam latam ab Henrico Imperatore contra Robertum Regem Siciliæ, de fellonia, & crimine læsæ Majestatis, declarat nullam & irritam, uti latam contra non subditum; unde ibidem glossa in casu posito, in medio dicit, *Nota quod non subditus, crimen læsæ Majestatis non committit*, & docet *Bartol. in extrav. qui sint rebelles in ver. tenore, num.* 7. *Rolandus multis allegatis in cons.* 4. *nu.* 1. *& Farinac. in q.* 8. *n.* 28. *& q.* 12. *num.* 248.

Quæst. 93. *An Iudex laicus possit cognoscere, & punire Monachum, vel Clericum, de crimine læsæ Majestatis?*

1. NEgativè in facti contingentia, in Sac. Consil. Neapolit. fuisse decisum, refert *D. Regens de Franchis decis.* 691. ubi dicit, quod quamvis prædicti de jurisdictione non existant; sunt tamen puniendi de seditione contentiosa, per Judices Ecclesiæ: Et subjungit, benè tamen poterit Rex, secundùm aliquos, expellere Clericum, & quamcunque personam Ecclesiasticam, propter crimen prædictum, à suo Regno, tanquam membrum putridum à corpore Regni, cujus ipse Rex est caput mysticum; eamdem opinionem tenet *Gigas in tract. de crimin. læsæ Majest. in tit. qui de crimin. læsæ Majest. cognoscere possit, lib.* 1. *qu.* 6. & sequuntur *D. Ricc. p.* 5. *collect.* 2062. *D. Paul. Squillant. in tra. de privil. Cleric. cap.* 7. *n.* 115. *& cap.* 15. ad quod allegat *D. Affl. super Constit. Regni, lib.* 1. *rub.* 43. *& in Const. de personis, num.* 3. *&* 7. *& D. Sperell. tom.* 1. *decis.* 21. *num.* 33.

2. Quod item fuit acriter disputatum in dict. Sacr. Consil. Neapolit. sub anno 1600. ex quo ibidem reperiebatur carceratus quidam Religiosus, inquisitus de crimine læsæ Majestatis, ex quo prætendebatur conjurasse, cum multis aliis, contra Regiam Majestatem, ut aliquas Terras Regni Neapolitani traderent in manus Turcarum, & tandem fuit, ut supra negativè decisum; cujus decisionis rationes, & fundamenta refert *D. Marcus Anton. Genuens. Neapolit. in sua nova praxi Archiep. Neapol. cap.* 90. *in addit.*

3. Ad quod item facit *decis.* 6. *D. de Ponte*, ubi refert, annis elapsis in tali crimine, contra Clericos, & Monachos, fuisse de licentia Summi Pontificis processum per Judicem laicum insimul cum Judice Ecclesiastico in rebellione Calabriæ, & refert *D. Ricc. cit. loc.*

4. Quod item occurrit Neap. sub anno Domini, 1634. occasione cujusdam Religiosi prætendentis fontes dict. Civitatis venenare, & Proregem cum suis officialibus veneno, ut dicebatur, occidere. Undè re detecta, fuit intùs Ecclesiam, per Judices laicos carceratus, & ad Carceres Castri novi ductus; & licet exindè, jussu Urb. VIII. fuerit eidem Ecclesiæ restitutus; adhuc tamen ex illa, de mandato Illustr. & Reverend. Nuntii, fuit iterum extractus, & ad Priores carceres reductus, ibique detentus, nomine dicti D. Nuntii, ubi servatis servandis, illinc ad paucos dies, laqueo fuit suffocatus, secretò tamen, ob honorem suæ Religionis, & præcedente degradatione per D. Episcopum Puteolanum effecta, ad *tex. c. si quis laicus,* 22. *q.* 5.

5. Neque obstant *Jul. Clar. in pract. crim. lib.* 5. *in* §. *final. q.* 36. *num.* 2. *ver. quæro, nunquid Clericus committens crimen læsæ Majestatis, Camill. de Curte in diversor. jur. feud.* 2. *p. n.* 129. *& D. Carol. de Graffis in effect.* 1. *nu.* 565. dicentes, quod licet prædicta opinio sit de jure vera: de facto tamen Principes laici servant contrarium, dum eum non remittunt ad suos Officiales, & Judices Ecclesiasticos, sed ipsi per suos Judices in hoc crimine procedunt usque ad mortem; quoniam nos loquimur de eo, quod fieri debet: non autem de eo, quod fit; & additur, quod arguere à facto ad jus, non valet argum. ut benè advertit *D. de Franchis cit. loc.*

6. Nec replices dicendo, quod Principes habent leges latas contra hujusmodi Clericos facinorosos: quia hujusmodi leges ab homine latæ, ob defectum potestatis in exemptos, nihil operantur, cum exemptio personalis Clericorum sit de jure divino, ut aliàs dictum est. Jus autem humanum nequit jus divinum abrogare.

Quæst. 94. *Quidnam possint Regulares in suis Conventibus peragere?*

1. ET dico, quod constat ex subsequentibus declarationibus, quas extendunt *Peyr. tom.* 2. *privil. Min.* §. 11. *in Const.* 7. *Pii V. sub num.* 11. *Lez.* 1. *p. summ. cap.* 12. *n.* 41. *& in partim D. Barbos. in tract. de officio, & potestate Parochi cap.* 26. *num.* 68. & sunt tenor. sequen.

2. *Primò, an Regulares possint annunciare dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis ad Altare in celebratione Missæ? Secundò, an possint recipere ea, quæ offeruntur, & dare pacem Populo ad Missam? Tertiò, an possint portare Pluviale, aut Stolam per Parochiam extrà Ecclesiam aut Claustrum? Quartò, an quando vocantur ad sepulchrum mortuorum, debeant accedere ad domum, ubi est corpus defuncti, an verò ad Ecclesiam Parochialem, ubi Clerus congregari consuevit, aut expectare in via? Quintò, an possint celebrare primam Missam in eorum Ecclesiis ante Missam Curati? Sextò, an possint infrà Missam publicare ordinationes D. Cardinalis Archiepiscopi, matrimonia & alia, quæ occurrent? Septimò, an possint prædicare in eorum Ecclesiis tempore Adventus, Quadragesimæ, & infrà annum,* quando

quando prædicatur in Ecclesia Parochiali? Octavò, an possint extrà eorum Ecclesias aut Claustra portare Pluviale aut Stolam, quando faciunt Processiones sui Ordinis? Nonò, an possint in eorum Ecclesiis recipere mulieres ad purificationem post partum? Decimò, an cùm fratres aliqui extrà Monasterium moriuntur, & à Curatis Sacramenta receperunt, possint ab eorum Superioribus ad suas Ecclesias deferri, Parochis inconsultis. Undecimò, an quando moritur aliquis Superior Religiosorum, vel Magister, aut Cathedraticus, possint corpus illius portare per Civitatem, per Plateas, & alias Parochias cum Musica, & Ritibus extraordinariis, aut illi imponere Pluviale, sine interventu Parochi? Duodecimò, an Religiosi possint admittere ad celebrandum in suis Ecclesiis Presbyteros extraneos, non habentes licentiam à sua Illustriss. Dominatione, vel ejus Vicario, si hoc prohibitum sit ab eodem Illustrissimo? Decimotertiò, an possint recipere Triticum, Uvas, Ligna, & similia antequam Parochus receperit suas primitias? Decimoquartò, an possint in Hebdomada Sancta benedicere domos in Diœcesi existentes, cùm hoc sit munus Parochi, ut habetur in novo Rituali Romano.

3. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Interpretum ad singula capita proposita, in hunc modum respondit. Ad primum Regulares non prohiberi dies festos, & jejunia in suis Ecclesiis annunciare. Ad secundùm respondet posse, dummodò à perambulationibus per Ecclesiam, ac similibus eleemosynarum extorsionibus abstineant. Ad tertium non posse. Ad quartùm debere ad Parochialem Ecclesiam accedere, ubi Clerus congregare consuevit. Ad quintùm prohiberi non posse, quominus Missa in Ecclesiis Regularium celebretur ante Missam Parochialis Ecclesiæ. Ad sextùm non posse publicare Matrimonia. Ad septimùm posse, petita tamen benedictione ab Illustrissimo Archiepiscopo. Ad octavùm non licere Regularibus hujusmodi Processiones facere extrà Ecclesias, & ambitum illarum. Ad nonùm, Regulares non prohiberi in eorum Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere. Ad decimùm, Regulares extrà Claustra decedentes posse ad eorum Ecclesias deferri, etiam Parochis inconsultis. Ad undecimùm, non posse. Ad duodecimùm, non licere Regularibus in suis Ecclesiis ad celebrandum admittere Presbyteros sæculares contrà prohibitionem Illustrissimi Archiepiscopi. Ad decimumtertiùm, non esse id prohibitum Regularibus. Ad decimumquartùm, non posse.* Quæ quippè declarationes, & responsiones fuerunt, ut jacent, missæ ad Eminentiss. Cardin. Ludovisium Archiepiscopum Bononiensem, & Principem, 2. Julii 1620. Cùm à Sacra Congregatione quæsitum fuisset per Curatos illius Civitatis, præinserta dubia declarari.

Quæst. 95. An Moniales possint introducere consuetudinem, quæ apud ipsas vim legis habeat?

1. NEgativè *Bartol. consil. 136. Alexander cons. 173. nu. 12. Roland. cons. 5. num. 74. & 76. Tiraquell. tract. de primogenit. qu. 16 num. 2. Gregor. XIII. decis. 162. num. 2. Pasqual. 1. p. dec. 415.* & alii plures, ducunturque, quia, qui non habent potestatem, & jurisdictionem condendi leges, non possunt inducere consuetudinem per modum legis, quia consuetudo ex se non habet vim obligandi, sed hoc habet ab eo, qui potest obligare; solùm autem, qui habet jurisdictionem, & potestatem condendi leges, potest obligare imponendo novas obligationes, & statuendo consuetudinem obligare. Sed communitas mulierum non habet jurisdictionem, & facultatem condendi leges, sed secundùm suam naturam subjecta est viro, & propter sexus imbecillitatem, exigit, ut extrinsecus ab homine regatur, & gubernetur, juxtà Dei institutionem, *Genes. 3.* ibi, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

2. Ad quod facit *l. fœmina, ff. de Regul. jur.* ubi interdictum est fœminis jurisdictionem habere: quia fœmina, ut dictum est, instituta fuit, non ut regat, sed potiùs, ut regatur.

3. Sunt tamen qui tenent contrarium, dicta lege non obstante; & moventur, quia ubi facta est consuetudo, potest dare jurisdictionem omnibus indistinctè, *l. 3. §. final. ff. de testibus, quem textum decantat Baldus in cap. 1. de testibus cogendis, Jason in l. final. de jurisdict. omn. Judic. limit. 12. & Glossa in cap. cum contingat, de for. compet. vers. consuetudine c. cum irrefragabili, §. excessus de offic. Ordin. & in cap. auditis, & cap. accedentibus de excessibus Prælat. cap. dilecti de arbitr. cap. conquestus 9. qu. 5.* & non solùm personæ publicæ, sed etiam privatæ, *Glossa singularis in l. jubemus, C. de mancip. liber. & Joan. Andr. in d. cap. cum contingat de foro compet.* & non solùm hominibus, sed etiam fœminis, per *textum* à contrario sensu, *l. cum Prætor. § final. de judiciis, non obstante d. l. fœmina, Parisius cons. 25. vol. 1.* nam sicut lex lege, ita consuetudo consuetudine redditur caduca; *l. de quibus, ff. de legibus, l. 1. C. quæ sit longa consuetudo, Baldus in l. moribus, ff. de vulg. & pupill. & Angelus in l. more, ff. de acquirend. hæredit.* Quæ omnia circà fœminam, declarat *Panorm. in d. c. dilecti, de arbitr.* procedere in fœmina dignitatem habente, non autem in privata, quod videtur innuere *Glossa in cap. nova, de pœnit. & remiss. ver. prædicare. Decius autem in d. l. fœminæ,* tenet procedere indistinctè: quia sicut caput est membrorum Princeps, & ab eo omnia dependent; ità jurisdictionis, Princeps, & caput est consuetudo, *Cravetta cons. 238.* Ad quæ vide quæ dico hic suprà *tract. 9. de sepult. in comm. q. 14.* ubi quidam dicunt, actus mulierum Monialium habere vires inducendi consuetudinem, non à potestate ipsarum; quia hanc non habent, sed à concessione D. Papæ, vel supremi Principis concedentis.

Quæst. 96. An Clerici possint cogi ad solvendum Gabellas, quæ imponuntur à laicis pro communi utilitate, seu necessitate, prout est illa collecta, quæ imponitur pro liberanda Universitate ab incursu hostium?

1. AFfirmant communiter gravissimi Doctores, quos retuli, *tom. 1. prax. p. 2. tract. 13. de exempt. q. 88. &* sequitur *D. Carol. de Grassis in tr. de effect. Clericat. effect. 3. n. 200. fol. mihi 420. Marc. Ant. Genuens. in pract. Eccles. q. 648. fol. 631. & Bonac. tom. 3. de censur. in Bull. Cœnæ contentis disp. 1. q. 19. punct. 3. §. 3. ver. quæres secundò, fol. 151.*

2. Concurrentibus tamen quibusdam requisitis: non aliàs, nec alio modo: & est expressa decisio Concil. Lateranens. sub Alexandro III. congregati sub anno Domini 1580. & Concil. Lateranens. habiti sub Innoc. III. anno Domini 1215. cui interfuerunt quinque Reges, Hierusalem, Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, & Cypri; Oratores Imperii, alii Græci Principes, & Duces: nec non mille trecenti Episcopi cum Patriarchis Hierosolymitano, & Constantinopolitano. Et habetur in *c. non minus, de immunit. Eccles. tit. 49. & in cap. adversus, eod. tit.*

3. Requisita autem, quæ cohonestant hanc Clericorum exactionem, sunt multa.

4. Et primò requiritur, quòd adsit magna necessitas, ut expresse habetur in *cap. non minus,* ibi, *Nisi Episcopus, & Clerus tantam necessitatem, &c.* & in *d. cap. adversus,* ibi, *Verùm si quando fortè Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem perspexerint.*

5. Secundò communis utilitas, prout expresse dicitur in *præcit. cap. non minus, & c. adversus,* ibi, *vel utilitatem aspexerint.*

6. Tertiò requiritur, ut facultates laicorum non suppetant ad sustinendum tale onus, prout *Genuens. in præcit. loc. & q. 249. num. 5. & de Grassis ubi suprà, num. 227.* & ha-

& habetur expressè in *d. cap. non minus*, per illa verba: *Ubi laicorum facultates non suppetunt, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Id ipsum habetur in *d. cap. adversus.* & hoc ideo, quia Clerici, & Ecclesia solùm & tantummodò tenentur contribuere cum laicis in subsidium, hoc est, tunc, & quando facultates laicorum non sufficiunt, quod est valdè notandum.

7. Quartò requiritur, quòd ad hujusmodi onus imponendum, vocetur totus Clerus, ut consentiat, nec sufficeret Episcopus cum Capitulo suo; nam quod omnes tangit particulariter, ab omnibus debet approbari, ut dicitur in *cap. quod omnes, de Regul. jur. in 6.* & colligitur ex *d. cap. adversus*, ibi, *Verùm si quando fortè Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, &c.* & docent *Abbas in d. c. minus, & de Grassis cit. loc. n. 238. & 239.*

8. Quintò requiritur, quòd onus imponatur, consulto Romano Pontifice, & habetur expressè in *d. cap. adversus*, ibi, *Romanus Pontifex priùs consulatur.*

9. Sextò & ultimò requiritur, quòd ad hoc onus solvendum, Clerici & Ecclesiæ cogantur per Episcopum, & per Superiores Ecclesiasticos, *Abbas in d. cap. minus, & Guido Papa q. 28.* & colligitur ex *d. cap. adversus*, in quo D. Papa monet laicos, ut humiliter & devotè cum gratiarum actione recipiant, quod à Clericis offertur: & hoc ideò, quia Clerici offerunt ex pietate & charitate: secus autem.

10. Sed pone, quòd periculum sit in mora, & quòd non pateat aditus, vel quòd non sit facilis accessus ad Romanum Pontificem; an Clerici inconsulto Romano Pontifice, possint contribuere in collectis, & oneribus concernentibus pietatem communem, servatis autem aliis requisitis?

11. Respondeo, quòd si periculum immineat de præsenti, & magna urgeat necessitas, quæ sine periculo & scandalo recurrere ad D. Papam non permittit, utique potest Episcopus cum suo Clero Clericos collectare, inconsulto Romano Pontifice, aliis tamen servatis requisitis. Ita *Abbas in d. cap. non minus, nu. 20.* quem multis citatis sequitur *de Grassis cit. loc. nu. 232. Genuens. in d. q. 64. in fin. & Bonac. ubi suprà, nu. 16.* secus autem; & colligitur ex *d. cap. non minus*, ubi in posito casu fit facultas Episcopis, ut cum suo Clero possint absque alio superaddito, Clericos ad tale onus astringere, ut dixi citato loco praxis, *q. 89.*

12. Nec obstat *d. cap. adversus*, quia intelligitur regulariter. Nec officiunt *cap. Clericis laicos, de immunit. in 6.* & alia hujus generis, quia sunt revocata per Clem. V. in Concil. Vienn. & patet ex *Clem. unica de immunit. Eccles. tit. 17.* quæ incipit; *Quoniam*, adeò, ut hodiè tantummodò observentur *dict. capit. non minus, & dict. capit. adversus*, prout dixi suprà.

13. Nec dices, per Concil. Trident. *sess. 25. cap. 20.* innovari & confirmari omnes Sacros Canones, & Concilia generalia in favorem ecclesiasticarum personarum. Et præcipuè per Bullam Cœnæ Domini, quia pariter innovatur dicta Clementina de immunitate Ecclesiastica, quæ alia contigit ex rationabili causa, prout latè firmat *Bonac. cit. loc. punct. 4. n. 4.*

14. Sed quid dicendum, si Clerus recuset consentire?

15. Respondeo, quòd Clerus sine justa causa non potest dissentire, *Genuens. in d. qu. 648. vers. quartò requiritur*, & si de facto omittat succurrere, peccat contra pietatem, & Episcopus solus in tali casu poterit collectas imponere, dummodò urgeat causa justa, ac probabilis necessitas, & periculum immineat de præsenti, *Carol. de Grassis effect. 3. nu. 239. & 41. & Bonac. cit. loc. n. 16. in fin. & colligitur ex cap. cùm Apostolus, 6. de censibus, §. prohibemus.*

16. Sed dices, imminens necessitas, vel magna utilitas à quonam est judicanda?

17. Respondet *Gloss. in d. c. non minus, vers. tantam necessitatem*, quod committitur arbitrio Episcopi.

18. Si roges, an nomine Clerici veniant singuli Clerici de Diœcesi? Affirmat *Bonac. in cit. loc. nu. 17.* & constat ex suprà decisis.

19. Si roges, an prædicta decisio comprehendat Regulares? Respondeo negativè, regulariter tamen loquendo, quia in odiosis nomine Clericorum non veniunt Regulares, tum etiam, quia Episcopi nullam habent jurisdictionem in exemptos, nisi in specie eis fuerit concessum, quod nullibi legitur, quoad casum, de quo agitur.

20. Dixi *regulariter loquendo*, quia meo videre, Regulares ex pietate & charitate, si in communi possideant, & ad id valeant, tenentur dictum charitativum subsidium sponte & eleemosynaliter præstare, nullam expectando coactionem, cùm & ipsi, in quantum possunt, in casu extremæ necessitatis, communi bono teneantur providere. Deus enim unicuique mandavit de proximo suo.

Quæst. 97. ***An D. Episcopus loci habeat intentionem in jure fundatam, exigendi decimas immediatè, nedum à Parochis, verùm etiam à Parochianis?***

1. Responsio affirmativa habetur expressè in *cap. quoniam 13. de decimis*, ibi, *sua parte retenta, & cap. dudum, 31. eod. tit. de decimis*, ibi, *Intentione tua de jure communi fundata, & cap. unic. caus. 10. q. 3.* & clariùs in *cap. conquerente Oeconomo, de officio ordin. 16.* aut enumerantur illa, quæ de jure pertinent ad Episcopos, prout sunt visitatio, jurisdictio ecclesiastica, & alia multa, inter quæ enumeratur quarta decimationum, & mortuariorum, & in *cap. final. de success. ab intest. Hostiens. Abbas, Cardin. Butr. Joan. Andr. Anchar. in cap. de quarta, de præscript.* ac demum idem *Hostiens. Joann. Andr. & Abbas in d. cap. cùm contingat de decim.*

2. Et hanc opinionem esse communem docet *Rota decis. 31. nu. 5. p. 2. diversi. & Rebuff.* eamdem sententiam tenet de *Decimis, q. 7. num. 11. Rota decis. 402. num. 1. part. 2. recens. Gonzal. ad Regul. 8. Gloss. 6. num. 84. & 88.*

3. Quæ omnia procedunt in quota Decimarum, spectante ad Episcopum post divisionem redditum ecclesiasticorum, & ubi erectæ sunt distinctæ Parochiæ, & singulis dati redditus, de quibus *cap. 1. quod incip. Ecclesias singulas, caus. 13. q. 2.*

4. Nam antequam fuisset facta Parochiarum divisio, sine dubio totum jus & perceptio decimarum, primitiarum, & oblationum, spectabat ad solos Episcopos; quia ipsi soli erant Parochi totius orbis, quibus immediatè incumbebat cura totius mundi, & cæteri Sacerdotes erant veluti eorumdem coadjutores, juxtà *textum cap. in novo testamento, 21. distinct.* & notat *D. Barbosa in 3. part. de officio & potest. Episcopi, alleg. 86. §. 2. n. 33.*

5. Et ipsimet Episcopi assignarunt prædictis Parochis, sibi una portione detenta prædictorum redditum ecclesiasticorum portiones, prout expressè habetur in *cap. de redditibus Ecclesiæ, & in cap. quatuor, quod est 27. 28. 29. & 30. caus. 12. q. 2.*

6. Et prædicta decimarum quarta sibi reservata, competit etiam de jure divino, quia datur in signum & recognitionem universalis dominii Dei, in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, prout habetur *caus. 16. q. 1. c. revertimini 65.* Inter quos Ministros uti principalior & nobilior computatur Episcopus, quia ipse fovet omnes Paro-

Parochias suæ Diœcesis, & coexistit omnibus Clericis ejusdem: & sic ratione conjunctionis, & universalis curæ, quam habet Episcopus in Ecclesiis subjectis, debetur prædicta quarta, prout notat in *cap. requisivisti, de testam.* & refert decisum *Barbos. in cit. loc. n. 34.* Nec non ratione administrationis Sacramentorum, & munerum Episcopalium, ut putà pro celebratione solemni, pro conferendis Ordinibus, pro chrismate conficiendo, pro oleo benedicendo, pro Basilicis ædificandis, & aliis muneribus, quæ sunt de ordine Episcopatus, ut notat *Hostiens. in summ. titul. de sepultur. §. utrum in principio.*

7. Nec obstat dicere, quòd prædicta jura possunt benè procedere contra Rectorem Ecclesiæ Parochialis, à quo Episcopus exigere debet suam canonicam portionem; non autem contra Parochianos incolas, qui tenentur respondere de decimis suo Rectori, & non Episcopo, juxtà *cap. cùm contingat, de decim.* ibi, *Quòd cùm perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat,* & juxtà *cap. cùm in tua, eod. tit.* ibi, *Alioquin Parochialibus exolvantur, ad quas de jure communi spectat susceptio decimarum, &c. Castr. conf. 38. per totum p. 1. Seraph. decis. 1449. n. 5. dec. 519. n. 2. coram Papa Gregor. XV. ubi agitur de decimis Ecclesiæ Novariens.* & alii plures DD. quos allegat *D. Barbos. de officio & authoritate Parochi, cap. 28. §. 2. fol. mihi 457.*

8. Non obstat, dixi, quia Hostiens. hanc contrarietatem conciliat *in d. cap. cùm contingat n. 1.* dicens, *Et si verum sit, quòd cap. quoniam, & cap. dudum de decimis, dicant, Episcopum fundare intentionem suam in portione Canonica, & in cap. cùm contingat, & in cap. cùm de tua, de jure communi, Decimas spectare ad Ecclesias Parochiales; adhuc tamen, inquit, quòd Episcopus fundat quoad Canonicam, Parochialis verò Ecclesia quoad alia, & ità una dispositio aliam non destruit, sed benè inter se conveniunt.* Et huic distinctioni subscribit *Joan. Andr. in d. cap. cùm contingat, n. 4.* Et exinde infert, aut Rector & Parochus non est in causa, aut negligit exigere decimas, & sic Episcopus pro sua portione canonica potest agere jure proprio. Aut vult agere pro omnibus decimis, & etiam potest, sed nomine Ecclesiæ Parochialis, cui tenetur conservare, *ex cap. final. de successione ab intest. Hostiens. in d. cap. cùm contingat, n. 2. & Joan. Andr. in d. cap. quoniam, n. 3.* asserentes, Ordinarios habere etiam fundatam intentionem quoad petitionem nomine suarum Ecclesiarum Parochialium. Quod etiam admisit *Rota in Carinen. Decimarum, 13 Maji, 1587 coram Orano.*

9. Et per hanc distinctionem conveniunt decisiones coram bon. mem. Cardin. Pamphilio, & bon. mem. Justo, *in Conchen. Decimarum dell'Infantado,* quæ inseruntur *in dec. 442. & 485. & 520. p. 1. recens.* & postmodum coram bon. mem. Andrea, 18 Decemb. 1617. in quibus fuit firmatum, Episcopum habere in prædiis Decimatoriis jus reale, & coæquale cum Rectoribus, & esse inter se quasi partionarios, & prout tales nuncupantur per Hostiens. *in d. cap. quoniam, n. 2. & Joan. Andr. n. 3. de Decim.* Quæ realitas & coæqualitas tolli non potest, nec lædi per negligentiam, aut malitiam Rectorum non comparentium, cùm sit fundata in proprio jure immediato, non autem mediato ex persona Rectorum, ut quidam putarunt.

10. Similiter si idem Rector est in causa, & Episcopus simul agentes contra laicos Parochianos, minor esset difficultas, quia uterque agit ex jure suo, & admittitur ista simultanea actio; prout fuit decisum in una Cerviens. Decimarum, 22 Aprilis, 1602. coram bon. mem. Pœnia.

11. Et demum, quando Rector negligit exigere, aut recusat agere, aut quia non potest agere, nec exigere: tunc jura non prohibent, quin Episcopus fundet intentionem suam contra laicos, & alios quoscunque pro decimis, *cap. final. de success. ab intest. cap. quoniam, & cap. Dudum de decim.* & fuit ità decisum in una Possavien. Decimarum, 18 Martii, 1591. coram Gypsio.

12. Ex quibus patet, consequentiam illam, quam faciunt aliqui Doctores, non esse veram, scilicet, quòd decimæ debent percipi à Rectoribus, & quòd ab ipsis Episcopi exigunt quartam: & sic mediatè, & non immediatè à laicis; quia etsi *cap. cùm contingat, & cap. cùm in tua,* expressè dicant, perceptionem decimarum de jure communi pertinere ad Ecclesias Parochiales, non tamen excludunt Episcopos, quin & ipsi fundent intentionem quoad eorum canonicam portionem, juxtà *cap. quoniam, & cap. Dudum, eod. tit.* attentâ compatibilitate, quam ponit *Hostiens. & Joan. Andr. cit. loc.*

13. Et tandem fuit ità decisum nuper, ut putà 10 Junii, 1626. & habetur in novissimis Decisionibus diversorum Sacri Palatii Apostolici Auditorum, dicatis Illustrissimo, & Reverendissimo D. D. Joanni Baptistæ Coccino, quæ emanarunt, & fuerunt decisæ ab anno 1626. usque ad annum trigesimum, *decis. 64. incip. Agente Domino, fol. mihi 138.* quibus adde, quòd propter jam recensita fuit sæpè rejecta opinio Glossæ, *in cap. cùm contingat, 29. de decimis, vers. de jure communi,* ubi tenuit, jus decimarum spectare ad Episcopum de consuetudine, prout multoties fuit decisum in Rota Romana, & referunt præcitati Doctores.

Quæst. 98. *An inter Personas Ecclesiasticas fieri possit compositio seu conventio, vel transactio de decimis, inconsulto Episcopo loci?*

1. Solet quæstio oriri inter Parochos unius Ecclesiæ, & alterius, de decimis Parochianorum, uni Curato, vel Parochiæ debitis, & ad cavendum litium jurgia & expensas, solent se concordare, componere, & transigere, ita ut in posterum decimæ solvantur huic, & non illi Pareciæ: unde quæsitum est, an possit hoc fieri inconsulto Episcopo?

2. Respondeo, quòd de jure communi ista conventio potest fieri, & ad vitam componentium admittitur, etiamsi sit, & fiat sine consensu Episcopi, & habetur expressè *in cap. ex multiplici, 3. de Decimis,* & ibi Glossa *in ver. eamdem conventionem,* notat, quòd conventio posset intervenire in spiritualibus, saltem inter ecclesiasticas personas. Quod item habetur *in cap. suggestum, eod. tit.* ibi, *discretioni vestræ mandamus, quatenùs cum prædicto Abbate, & Fratribus, super ipsis decimis componatis:* quæ quippe supradicta jura procedunt de conventione personali, quæ durat durante vitâ ipsorum componentium, prout notat Glossa *in d. cap. ex multiplici,* ubi dicit, quòd hîc fuit compositio personalis, quia authoritas Superioris non intervenerit. Et colligitur ex textu, ibi, *quandiu viveret,* & sic erat compositio, durante vitâ Sacerdotis. Et clariùs habetur *in cap. de cætero 5. de transactionibus.* Ubi transactio inter Rectorem unius Ecclesiæ, & Rectorem alterius facta, inscio loci Ordinario, sustinetur: dummodò non sit juri contraria, & quòd transactio non excedat vitam transigentis.

3. Idipsum habetur in specie de Decimis, *in cap. veniens, 9. de transactionibus,* ubi dicitur, quòd transactio facta de Decimis, sine authoritate Superioris, censetur facta potiùs inter personas, quàm inter Ecclesias: unde pacta inita inter illas, aliis obesse non patimur.

4. Hinc inferas, factum Prælati prædecessoris de rebus Ecclesiæ, non posse præjudicare successori, *Gloss. ibidem.* Item omnem transactionem factam sine assensu & beneplacito Superioris, esse personalem, non autem realem, & consequenter temporalem ad vitam componen-

ponentium, non autem perpetuam: unde ad perpetuitatem conventionis requiritur, ut interveniat authoritas Episcopi, vel alterius Superioris, prout docet *Genuens. in Praxi Archiepisc. Neap. cap. 60. n. 19. Franciscus de Leo. in thesaur. for. eccl. p. 4. cap. 1. n. 2. in fin.* cum aliis, quos allegat & sequitur *Bonac. de legib. disp. ult. q. 4. punct. 5. nu. 3. & de simonia. q. 4. §. 15. n. 4. & Barbos. de offic. & potestate Parochi, c. 28. n. 24.*

2. Verùm enimverò, inter hanc compositionem & conventionem factam de consensu Episcopi & Cleri, & illam priorem factam inconsulto Episcopo, nedum est differentia assignata, ut putà, quòd illa prima sine consensu sit personalis temporalis, & ista secunda perpetua realis; verùm etiam meo videri intervenit & alia differentia, ut putà, quòd si ista compositio fiat de consensu Episcopi, amplectitur & extenditur ad illam portionem, quæ contingeret, & contingit Episcopum habere: secus autem, si fiat inscio Episcopo: quia, ut dixi, hoc jus decimarum est proprium & immediatum ipsius Episcopi, & consequenter non potest dari, nec vendi, nec lædi, nec minui, inscio vel invito proprio Domino, seu Domino Papa, quia ut jus tertii debet haberi, & reputari. Quandoquidem nec Delegatus Domini Papæ potest jura Ecclesiæ alteri Ecclesiæ remittere, in præjudicium Episcopi Diœcesani, ut expresè habetur *in cap. statuimus, secundò de transactionibus*; immò in præjudicium Diœcesani Episcopi nihil potest fieri, nec attentari; nec D. Papa intendit præjudicare juri tertii, prout expresè habetur *in cap. Tua nobis ultim. de confirmat. utili*, quia non debet inde procedere injuriarum occasio, unde jura nascuntur, *C. unde vi, l. meminerint, 1. de accusat. qualiter, & quando*, etenim si sua jura unicuique Episcopo non reservantur, quid est aliud, quàm ut ordo ecclesiasticus confundatur, *cap. pervenit, caus. 11. q. 1.*

6. Nec est intentio D. Papæ (etiamsi confirmaret hujusmodi transactionem) per talem confirmationem aliquid subtrahere Episcopo Diœcesano; immò semper intelligit remanere salvum & illæsum jus Episcopi Diœcesani, *cap. 2. de Relig. Domib.* ubi Papa dicit, nec honorem reputo id, quo Fratres meos honorem suum perdere cognosco, *cap. Ecce, distin. 99.* & notat Glossa *in calce d. cap. ultim. de confirm. util.*

7. Unde prædicta jura, quibus diximus, licere Parochis saltem ad eorum vitam dare Decimas unius Ecclesiæ alteri Pareciæ, debent intelligi, & procedunt quoad illam portionem, quæ tantùm tangeret illos Parochos componentes: illæsis tamen remanentibus juribus Episcopi, seu Rectorum Ecclesiarum: quia de jure tertii nemo potest disponere, ut dictum est.

Quæst. 99. *An Decimæ possint per Parochum laicis Parochianis in totum, vel in partem dimitti, & relaxari, inconsulto Episcopo loci?*

1. Respondeo negativè ex multis: & primò *ex cap. statuimus, 2. de transactionibus*, ubi dicitur, quòd persona ecclesiastica nequit cum laicis taliter componere, ut ex illo spirituali, quod Ecclesiis debent, aliquid retinere possint, cum laicis non liceat spiritualia possidere, sine periculo animarum, ut *in cap. de Decimis prohibemus, & 16. qu. 5. Decimas, & de præscriptionibus cap. causam quæ*, ubi Glossa subjungit, & sic videtur, quòd cum laicis non possit fieri compositio, ut minus solvant, nisi Papa authoritatem præstaret, ut dicitur *in cap. ultim. de confir. util.* tamen propter utilitatem Ecclesiarum videtur licere, saltem de authoritate Episcopi; quia sic multùm consulitur Ecclesiæ, *argum. de iis, quæ fiunt à Prælatis, sine consensu cap cùm in Apostolica, Gloss. ca. loc.* verùm hodie debet attendi Decretum Sac. Congregationis, & extrav. ambitiosæ, de rebus Eccles. non alien.

2. Secundò, quia nullum debitum, quod debetur de jure naturali, putà ex mutuo, emptione, &c. aut (& multò fortiùs) ex Divino, potest remitti ab aliquo, nec etiam à supremo Principe, contra voluntatem veri Domini, nisi adsit rationabilis causa, & urgens, propter majus, & publicum bonum, prout docent *Navarr. lib. 4. cap. 4. in fin. de Decimis, & Naldus in sum. ver. remissio, num. 3.* Jus autem Decimarum, ut dictum est, spectat principaliter ad D. Papam, & ad Episcopum; etenim Episcopus fovet potiora jura, quoad Decimas, ut dixi suprà immediatè, & docent *Tuschus concl. 79. Suarez cap. 29. 30. & 31. Filliuc. n. 206. de Decimis, & Bonac. tom. 2. de præceptis Ecclesiæ, disp. ult. q. 5. punct. 3. secunda proposit. n. 14. vers. an verò:* ergò per superiùs allegata nulli potest fieri remissio jurium Ecclesiæ, sine licentia Papæ, & Episcopi ordinarii, de quorum præjudicio agitur.

3. Confirmatur per ea, quæ dicuntur *in cap. si quis de Clericis, 12. q. 2. & cap. Diaconi, & Presbyteri,* ubi dicitur, quòd quidquid Parochiarum Presbyter de Ecclesiastici Juris possessione distraxerit, inane habetur, & *in cap. statuimus*, ubi dicitur, quòd in damnum Episcopi jura Ecclesiæ non possunt vendi, nec donari.

4. Confirmatur, nam si quis laicorum longo tempore retinuit decimas, & veniat ad satisfactionem, ita ut postulet sibi remitti, intuitu eleemosynæ, ne cogatur mendicare, ista remissio non potest fieri laicis sine expressa licentia Episcopi, prout docet *S. Raymundus in sum. lib. 1. de oblationibus, §. 12. fol. 134.* & ibi, *Gloss. Lancilot.* & colligitur ex extrav. de his, quæ fiunt à Prælatis sine consensu, *cap. cùm Apostolica, eod. tit.* ubi notant, quòd Episcopus potest remittere laicis præteritas Decimas, sine consensu Capituli; secus autem Presbyter Parochialis, *Hostiens. lib. 3. sum. tit. de Decimis, & Primit. §. Octavò quæritur*, & de his, qui longo tempore statuerunt, *fol. mihi 1130.*

5. Quamobrem per argumentum à contrario sensu, si Parochi non possunt recipere, nec repetere à laicis jura in beneficium Ecclesiæ sine Episcopi licentia, quod est revalidare, & construere; quantò fortiùs nequibunt distrahere, destruere, alienare, vel dilapidare jura Parochiæ? de qua re videndi sunt *Syl. ver. Decima, n. 11. q. 7. Navar. in Manual. cap. 21. n. 32. & Miranda in Manual. Prælator. q. 49. art. 6. conclus. 12. & ar. 11. concl. 1.* ubi per multa jura probat, quòd nullus contractus super Decimis potest haberi cum laicis, nisi de expressa licentia Papæ; vel saltem Episcopi loci ordinarii, ob Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem, & docent alii plures, quos citat *D. Barbos. de offic. Parochi, c. 28. n. 24. 25. & 26.*

Quæst. 100. *Quænam sint dubia Sacræ Congregationi proposita super extinctione parvorum Conventuum?*

1. Declarationes Decreti Sanct. Memor. Innocentii Papæ X. super subjectione nonnullorum Conventuum jurisdictioni Ordinarii loci à Sacra Congregatione super statu Regularium editæ, atque à Sanctissimo D.N. Alexandro Papa VII. approbatæ.

2. Posito Decreto fœl. recor. Innocentii Papæ X. super subjectione nonnullorum Conventuum correctioni, visitationi, & omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati: contingit dubitari de infrascriptis.

3. *Primò an Episcopus in Conventibus suæ jurisdictioni subjectis possit Abbates, Priores, Guardianos, & alios Superiores locales deputare, & familiam constituere? Secundò, an possit Episcopus à prædictis Conventibus Religiosos amovere? Tertiò, an Regulares eorumdem Conventuum compelli possint ab Episcopo ad exhibendos libros introitus, & exitus, & reddendas rationes administrationis? Quartò, an* Epi-

Episcopus in eisdem Conventibus se ingerere possit in his, quæ Regularem disciplinam concernunt? Quintò, an Ecclesiæ dictorum Conventuum, & Cappellæ Granciarum, in quibus degunt conversi pro agrorum cultura, ab Episcopo visitari possint? Sextò, an ipsæ Granciæ, & conversi in eis degentes subsint visitationi Episcopi? Septimò, quid in Ecclesiis, seu Capellis Granciarum, in quibus nullus degit conversus, an similiter subsint Episcopi visitationi? Octavò, an liceat Episcopo visitare Conventus tam suppressos, & postea restitutos, quàm non suppressos, ad effectum cognoscendi, an in illis reipsa alantur sex Religiosi? Nonò, an Episcopus visitans hujusmodi Conventus suæ jurisdictioni suppositos, aut personas in eis degentes, possit à visitatis procurationem exigere, in victualibus, vel in pecunia? Decimò, an jurisdictio Ordinariis locorum tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis attributa in supradicto Decreto, competat Vicariis Generalibus Episcoporum, nec non Abbatibus, & aliis inferioribus Prælatis proprium territorium, ac jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus? Undecimò, an Provinciales, & alii Superiores Regulares possint ejusmodi Conventus jurisdictioni Ordinarii subjectos, & Religiosos in illis degentes visitare, corrigere, & punire, omnemque jurisdictionem in eos exercere, sicut poterant ante dictum Decretum? Duodecimò, si Superior Regularis in causa prævenerit contra subditum degentem in aliquo ex eisdem Conventibus Ordinario subjectis fabricando processum, vel eum carceri mancipando, an Episcopus possit hujusmodi causam reassumere, ac Superiori inhibere? Decimòtertiò, si Episcopus è converso prævenerit in causa contra Religiosum in tali Conventu commorantem, an Superiori Regulari eo casu liceat illum amovere, & in alio Conventu collocare; & si de facto collocaverit, an nihilominus Episcopus possit causam prosequi, ac Religiosum sic amotum revocare ad primum Conventum? Decimòquartò, si Provincialis, vel Superior localis voluerit aliquem ex Fratribus in tali Conventu removere, an Episcopus prohibere possit? Decimòquintò, si à Conventu primùm suppresso, ac deinde Religiosi restituto, absint ex aliqua rationabili causa, & ad breve tempus unus, vel plures ex numero sex Religiosorum ibi degentium, an gratia restitutionis sit nulla, & Conventus remaneat suppressus, ut priùs? Decimòsextò, quid si à Conventu non suppresso similiter ex causa rationabili, & ad modicum tempus absit aliquis è sex Religiosis ibi existentibus, an durante tali absentia, Conventus subjaceat jurisdictioni Ordinarii? Decimòseptimò, an Religioso illo redeunte, vel aliàs impleto numero Religiosorum, Conventus recuperet pristinam exemptionem? Decimòoctavò, si gratia restitutionis Conventus suppressi reddatur nulla ex eo, quòd in illo ad formam decreti cum effectu non alantur sex Religiosi, & postea contingat, ut ejusmodi numerus impleatur, an gratia restitutionis Conventus reviviscat? Decimònonò, ad hoc, ut gratia restitutionis sit nulla, & Conventus denuò remaneat suppressus, propterea quòd in eo non sustententur sex Religiosi, an debeat præcedere declaratoria Episcopi super facto prævia causa cognitione? Vigesimò, an ab hujusmodi declaratoria liceat Regularibus ad Sedem Apostolicam appellare ad effectum tam devolutivum, quàm suspensivum? Vigesimoprimò, cùm ex Decreti præscripto quatuor Sacerdotes in his Conventibus degentes, debeant esse maturæ ætatis, quænam dicatur ad hunc effectum ætas matura?

Sacra Congregatio super statu Regularium ad singula dubia superiùs proposita, hunc in modum respondit, videlicet:

4. *Ad primum, non posse. Ad secundum, posse ex rationabili causa, commonito tamen priùs Superiore Regulari, ad quem pertinet, ut eosdem Religiosos assignet in aliis Conventibus. Ad tertium, posse compelli. Ad quartum, posse. Ad quintum, posse. Ad sextum, subesse. Ad septimum, itidem subesse. Ad octavum, minimè licere, antequam aliunde constet de fundamento intentionis Episcopi in deficientia numeri constituto. Ad nonum, expedire, ut Sanctiss. D. N. decernat, & declaret, non licere Episcopo tales Conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine. Ad decimum competere. Ad undecimum, posse sicut priùs, non tamen privativè ad Episcopum. Ad duodecimum, non posse, nisi ex justa causa, veluti cùm videt Superiorem Regularem ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid duriùs, aut remissiùs constituere, quàm causa deposcit, in quo ipsius Episcopi conscientia oneratur. Ad decimumtertium, non licere Superiori Regulari Religiosum ab Episcopo inquisitum à loco amovere, & si amotus fuerit, posse Episcopum causam prosequi, & illum quibuscunque remediis revocare, etiam invocato auxilio Ordinarii, & brachio sæculari, si opus fuerit, cujuscunque loci, in quo Religiosus ille reperiatur. Ad decimumquartum, non posse. Ad decimumquintum, gratiam ob id non esse nullam, cessante omni fraude, nec Conventum remanere suppressum. Ad decimumsextum, subjacere durante absentia. Ad decimumseptimum, recuperare. Ad decimumoctavum, non reviviscere. Ad decimumnonum, debere ità præcedere, nec ante declaratoriam licere Episcopo Conventus possessionem apprehendere, aut Religiosos inde expellere. Ad vigesimum, licere ad effectum devolutivum tantùm, non autem suspensivum. Ad vigesimumprimum, ætatem maturam dici ad hunc effectum, completo anno quadragesimo.*

5. *Declarationes supradictas Sanctiss. D. N. ad se relatas approbavit, & ab omnibus, ad quos pertinent, observari præcepit. Contrariis quibuscunque non obstantibus. Datum Romæ die vigesima septima Julii, anno millesimo, sexcentesimo, quinquagesimo quinto, 1655. Pontificatus ejus anno primo, loco † sigilli. B. Card. Spada. Prosper Fagnanus Sacræ Congregationis Secretarius.*

Sicque finit, quale quale sit Opus, die 20 Augusti, 1616. funesta peste devastante Illustrissimam, ac Nobilissimam Civitatem Neapolitanam, ejusque Regnum pluribus in locis; decurrente verò vitæ meæ, licèt semper infirmæ, atque imbecillis, anno sexagesimo sexto, Ad gloriam & honorem omnipotentis Dei, ejusque omnium Sanctorum, sub censura Ecclesiæ.

****

INDEX

INDEX COPIOSISSIMUS
RERUM NOTABILIUM

Ferè omnium, quæ in hoc Tomo tertio continentur, ordine alphabetico conscriptus;

Ubi tr. tractatum, q. quæstionem, n. numerum, f. folia indicant.

Bona

Cauſam

Dispensare.

Rerum Notabilium.

Inter-

Pœnæ

Peccare

Potest.

Regula-

Reli-

cele- Sac

S.Oud-

FINIS.